IEREMIAS

FIDELISSIMVS ET LABORIOSISSIMVS DEI PROpheta, expositus per Heinrychum Bullingerum, ministrum Ecclesiæ Tigurinæ, Concionibus CLXX.

Quibus perspicue & vere docetur, quod hodie multis Comitijs & Consultationibus nondum inueniri potuit, Quomodo videlicet bellis compositis infelicibus, tranquillitas in orbe Christiano recuperari, & pax salusq; publica conseruari possit. Mirifice enim pleraque huius Prophetæ nostris temporibus hominibusque congruunt.

ACCESSIT *& his breuis Threnorum explicatio. Rerum item & verborum copiosus Index.*



IESVS.

Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea, ipsum audite. Matth. 3. 17.

TIGVRI EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS, ANNO M. D. LXXV.

IN IEREMIAM PROPHETAM, HEINRYCHI BVLLINGERI

AD CLARISSIMVM VIRVM DOMINVM D. VVOLPHGANGVM VVAYDNERVM,

PRAEFATIO.

TOTO COELO ERRANT, QVOTQVOT ARBITRANtur Ecclesiæ Christianæ nullos alios libros exponendos esse in sacris Cœtibus, quàm Noui Testamenti. Agnoscimus ipsi quoque præ cæteris hos exponi oportere, interim verò & Prophetarum libros enarrandos esse contendimus. Nam ipse Dominus & Saluator noster Iesus Christus, religionis Christianæ scopus & finis vnicus, doctorq; Ecclesiæ Christianæ primus, excellentissimusq;, per initium prædicationis suæ in synagoga Nazarethana librum Isaiæ Prophetæ accepit, aperuit, prælegit verbotim locum ex capite sexagesimo primo, eundemq; exposuit Ecclesiæ, ac ex eodem Euangelium annunciauit. Idem vbique per historiam Euangelicam auditores suos (quod & ipsi Euangelistæ faciunt) ad lectionem auscultationemq; Prophetarum relegat. Certè cum ex mortuis resurrexisset, primum Sermonem, diuinissimum profectò, quem habuit ad discipulos Emauntem proficiscentes, ex Lege, Psalmis, atque Prophetis petiuit. Lucas enim: Et exorsus, inquit, à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Et mox idem historicus subiungit, & dicit: Et ait Dominus suis discipulis, Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quòd necesse foret impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illorum mentem, vt intelligerent scripturas, & dixit eis: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes Gentes. Vnde vas electionis Paulus, doctor Gentium, non veritus est scriptum relinquere, Euangelium ad quod prædicandum sit segregatus à Deo, ante promissum esse per Prophetas, in Scripturis sanctis. Atque ille idem agens causam suam contra Iudæos coràm Rege Agrippa, coràm Præside Festo, & Syriæ magnatibus, recolligit omnem prædicationem suam Euangelicam in breue compendium, & ait, Auxilium Dei nactus, vsque in hodiernum diem sto, testificans tum paruo tum magno, nihil aliud dicens, quàm ea quæ Prophetæ prædixerant futura esse, & Moses, An passurus fuerit Christus? An primus ex Resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & Gentibus? Ex quibus omnibus liquidò arbitror

patêre, libros Propheticos, & horum expositionem, in cœtibus Christianorum non postremum habere debere locum.

Si quis enim existimare velit Iudaicæ synagogæ duntaxat hoc datum esse, quòd Apostoli doctrinam suam scriptis Prophetarum & declararunt vel illustrauerunt & roborauerunt, is apud se expendat quorum Apostolus fuerit Paulus, & quid ille iam nunc protestatus sit de sua doctrina Gentibus proposita: expendat & illud, quòd Gentes in locum subierunt repudiatorum Iudæorum, ac oracula his primùm credita, sponte nunc, iuxta Prophetarum vaticinia, receperunt: denique quòd doctor Gentium Paulus Christianæ Ecclesiæ pastorem & doctorem instituens, inter alia ad Timotheum, patre Gentili natum, & Gentibus ad prædicandum deputatum: Tu verò, inquit, in his persistito, quæ didicisti, & quæ tibi credita sunt, sciens à quo didiceris, & quod à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Et reliqua quæ leguntur in posteriore ad Timotheum tertio capite. Quibus omnibus & illud accedit, quòd veteres & beati quidem illi primitiuæ Ecclesiæ Episcopi ac Pastores, suis cœtibus sacris, ex cathedra sancta, libros exposuerunt Propheticos: quorum scripta, & narrationes, atque adeò Homiliæ quædam, ad nos vsque peruenerunt, sed & nunc sunt in manibus nostris magna in copia. Barbaries Papistica, nimiúmque ceremoniarum studium in Ecclesia, & traditionum humanarum infelix farrago, inscitiáque Pastorum, neglexit tandem libros Prophetarum, & quodammodo ex sacris eiecit cathedris Ecclesiasticis: quos modò fideles per reformationem synceram, in Templum reducere, & ex cathedris sacris, in cœtibus Ecclesiasticis, rursus sonare, & perpetuò quidem annunciari, cumq; libris Noui Testamenti conferri, ac ex his illustrari exoptant: cum constet tum Ecclesiam fuisse felicissimam, cum Sermones Prophetarum integros sibi annunciari audiret atq; gauderet.

Queruntur quidem complures, obscurissimos esse Sermones Prophetarum, pariter & inutiles populo Christiano clamitant, potissimùm quod tractent res Iudaicas nihil ad nos pertinentes. Atqui quòd dictionis Propheticæ obscuritatem attinet, fatemur sanè parum exercitatis in hoc scripti scriptorúmque genere, peregrina vel exotica, prorsusq; aliena à sensu communi adferri videri. Debemus autem illud vetustati omnium antiquissimæ, ac peculiari modo ac rationi loquendi. Cæterùm experti norunt, omnia Prophetarum breui clarissima fieri illis, qui vel mediam partem eius diligentiæ Propheticis libris adhibuerint, quam Græcis scriptoribus, Ciceronianisq; & Latinorum libris impendunt. Habet ars & lingua qualibet suam difficultatem, propter quam tamen nec negligitur, nec abijcitur, sed discitur potius. Et qui iam didicerunt artem vel linguam, quam ab initio difficillimam crediderunt, mirantur porrò si cui videri possit difficilis. Experiantur ergò, in hoc sacro studio, viri boni, quod in prophanis experti sunt, ac testa-

ac testabuntur, sat scio, me nihil hic fingere, sed perspicua fore, quæ visa sunt obscurissima. Testabuntur præterea viri docti, in Orationibus Prophetarum inueniri ipsissimam eloquentiam, adeoq; artificium orationis admirandum, & præferendum arti prophanorum Oratorum: quod ante diligentem lectionem propheticorum librorum, nunquam credidissent.

Si verò nihil ad nos pertinent, quæ scripta sunt à Prophetis, & recitata olim in populo Iudaico, cur illa applicarunt omnibus gentibus Apostoli Christi? Cur dicit Apostolus Paulus, Gentium doctor, ad Romanos, Quæcunque antea scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus? Cur idem Apostolus Corinthijs proponit quædam ex Iudaicis rebus exempla? quibus mox subiungit, Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis: scripta verò sunt propter admonitionem nostri, in quos termini sæculorum inciderunt. Vtiles præterea esse nobis hodie Sermones Prophetarum, illud quoque, quantúmuis renitentem, conuincit, quod vel pœnitentiam prædicant, vel saluberrimas fidei vel perfidiæ, obedientiæ vel rebellionis, iustitiæ & veritatis Dei, & mirifica vitæ piæ & impiæ commemorant, vel de Meßia, redemptione ac Ecclesia eius vaticinia contexunt. Quis oro negauerit talem doctrinam nihil ad nos pertinere, vel nobis prorsus esse inutilem? Verùm ostendi etiam prima huius operis Concione, Prophetam Ieremiam non modò nostris temporibus vtilem esse, sed etiam accommodatißimum. Eadem sunt hodie peccata, non in Germania duntaxat, sed in toto orbe Christiano, quæ Ieremiæ sæculo fuerunt in populo Iudaico, quæ & subuerterunt cum vrbe & Templo inobedientes, pœnitentiamq; agere respuentes. Quid ergò aliud expectauerimus nunc quoque, si perrexerimus nos etiam impœnitentes in assuetis grassari sceleribus? Salutare autem consilium sufficit ex ore Dei, quomodo salui & incolumes in maximis huius sæculi turbis agere possint. Cui consilio si hodie quoque obsecundantes, egerimus pœnitentiam, quis dubitauerit parsurum nobis veracißimum Deum & Dominum nostrum, qui non vult mortem peccatoris, sed potius vt conuertatur ac viuat? Cumq; grauiter accuset Ieremias illa ipsa scelera, quibus hodie Dominum Deum nostrum offendimus, & elegantißimè veram ac Deo placentem describat pœnitentiam, ad quam etiam hortatur vehementißimè, profectò aliter iudicare non possum, quàm hos Sermones Ieremiæ & alios Sermones Prophetarum omnes, non modò vtiles esse pastoribus & Ecclesijs nostri sæculi, sed etiam necessarios. Etenim veri pastores non sunt, qui cum tantam in sibi creditis ecclesijs vident consceleratione, quanta est nostri huius sæculi postremi, & non increpant acerbißimè, hortanturq; ad emendationem vehementissimé. Vtrum verò vehementius, viuidius, & efficacius existimant, nostris ne, hoc est humanis, verbis vrgere auditores, an diuinis, id est, è scriptura petitis sententijs, veluti ex ore Dei, agere & loqui cum rebellibus? Magis certè mouentur homines cum audiunt & sciunt

sibi annunciari verbum Dei, olim & annunciatum & scriptum à Prophetis, quod & domi suis in Biblijs vetustis legere possunt, quàm cum Conciones audiunt nostris verbis nostraq; arte compositas. Tergiuersari hic possunt & dubitare num illa sit Dei sententia. Quinimò inuenias qui dicant, Deum non respuo, verbum Dei non aspernor, sed ministrum qui sua mihi verba denunciat. Nunc enim cum minister ipsa Prophetæ Dei verba recitat, eaq; auditoribus applicat & inculcat, & auditor extollatione intelligit, rem ita habere, vt ipsi denunciatur, commouetur sanè & citius & grauius. Et certè dubium non est multorum conciones parum habere authoritatis, quòd malunt suum potius verbum, sua arte temperatum, quàm Prophetarum & Apostolorum denunciare populo.

Ego profectò vt iuuarem diligentes & fideles, vigilantesq; ecclesiarum pastores, hasce meas in Ieremiam Commentationes, adeóque Conciones ad populum habitas in hac Christi ecclesia, typis excudi curaui. Ignosco sanè alios, præsertim cum Deus nostrum sæculum maximis subinde donis locupletet, & quotidie propemodùm excitet atq; submittat viros doctissimos, longè melius hoc, quod ego conatus sum, præstare posse: sed ego nunc talentum illud meum à Domino acceptum, depono in medium, nihil impediturus interim, sed gratias potius acturus, si alij meliora conferant. Commonstro inquam diligentioribus pastoribus, quomodo possint cum fructu Sermones Prophetarum exponere cœtibus sacris, ne videlicet semper ignaui Postillas duntaxat (quas tamen in vniuersum non damno, sobrias inquam) ediscere, & totidem mox verbis, siue loco, tempori, aut personis res conueniat, siue non conueniat, destruat an extruat, populo recitare pergant. Nemo tamen arbitretur me ad verbum hic è sacra cathedra recitasse singulas illas Conciones, vti nunc leguntur. Plurima enim in his commemoro, quæ ad diuersitatem versionis, ad loquutiones Prophetæ rectè intelligendas, & propè ad rem Grammaticam, & ad dispositionem pertinent, quorum nulla in cœtibus ecclesiasticis facta est à me mentio. Ac in Concionibus ecclesiasticis multa sunt dicta copiosius, quæ hic vno & altero verbo duntaxat notantur: vt has Conciones syluam potius, vel materiam Concionum rectius appellaueris, quàm Homilias. Aspectaui in his hoc maximè, ne nimia prolixitate et tractatione locorum communium, aut rerum alioqui peculiarium, molestus essem lectoribus: deinde vt rectè intelligerentur verba Prophetæ, quæ quidem huius corporis aut operis ipsissima veluti anima est: postremò, vt applicationem saltem indicarē, non ad plenū tractarem. Nam nō omnia omnibus conueniunt ecclesijs. Sunt alia atq; alia loca & tempora, sunt aliæ atq; aliæ occasiones et personæ. Hic ergò moneo concionatores, semper illius meminerint Apostolici, Omnia ordine et ad ædificationē fiant: et illius etiam, Stude teipsum probatū exhibere Deo operariū non erubescendum, rectè secantē verbū veritatis. Quod vt faciat quilibet, multa prudentia et diligētia, frequentissimisq; opus est ad Deū precibus.

Necesse

Necesse est autem, illud in Sermonibus Prophetarum curemus ante omnia, ne fastidium nos auertat, quod molliculas aures, & animos varietatis amantes excruciat. Inculcant & tractant propemodùm eandem rem Prophetæ, et paria ferè sunt quæ diuersi tractant Prophetæ, vt eadem omnes chordæ videantur oberrare. Cæterùm hic audias obsecro Paulum, de suis quoq; scriptis & prædicationibus loquentem & dicentem: Eadem scribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum est. Simplex est veritatis oratio, & paucis comprehendi potest veritas: neq; vult nos diuina bonitas longis implicare ambagibus, & grauibus oneribus immensisq; onerare et intricare dogmatibus. Simpliciter ergò, breuiter, clarè & euidenter Deus per Prophetas & Apostolos tradit ea nobis, quæ sunt salutaria. Mentiuntur turpiter, qui deblaterant, non omnia quæ salutis & vitæ sunt, tradita esse scripturis Canonicis: ideoq; opus esse Traditionibus. Si alia quoq; Deus nobis tradi voluisset, saltem verbo aliquo Prophetæ & Apostoli ea attigissent, & non eandem rem millies repetendo, inculcassent. Intelligimus ergò illud ipsum quod nobis tantopere inculcatur, & inculcando repetitur, illud præcipuum esse, quod Deo placet & à nobis requiritur. Nos quia alia expectamus, & nescio quæ alia nobis imaginamur, non audimus interim nec obseruamus ipsa Dei verba, in culpa sanè sumus quòd eadem res à Prophetis & Apostolis toties repetitur ad nauseam propemodùm, & inculcatur nobis ad fastidium vsque.

Quicquid autē illud est, quod modò in gloriam Dei, ecclesiarum salutem, & pastorum subsidium, euulgo, totum tibi dedico ac nuncupo, Vuolphgange Vaydnere, senex venerande, domine colendissime, & frater in Christo charissime. Nuncupatione hac bonis omnibus declaratum volo, quàm te amem, quanti tuam pietatem faciam, & quantopere tibi gratus esse, si possem, cupiam. Christum saluatorem tu vnicè complexus, nihil nisi ipsum desideras, in hoc te omnes cœlestes thesauros à patre accepisse gaudes, vitam deniq; fide viua dignam, viuere adniteris. Præterea veteres imitatus viros pios & principes, iuuas liberaliter doctrinam synceram tuis facultatibus. Id quod Ecclesia & Schola Tigurina verè liberéque testari potest. Agnoscis quàm necessarium sit doctrinam conseruare in ecclesijs sanam & integram, quæ semel rectè composita, non possint non omnia officia & opera bona optimè constitui. Vtinam verò omnes diuites & proceres, mallent suis opibus iuuare studia bona, scholas, xenodochia & pacem publicam, quàm, quod ferè faciunt, abuti illis ad voluptates fœdas & inanem huius sæculi vanitatem. Dominus Iesus seruet te semper, nobisq; omnibus suam conferat gratiam.

DE PROPHETIS EORVMQVE LIBRIS EXCERPTA QVAEDAM EX LIBRIS TERTVLLIANI SCRIPTORIS VETVSTISSIMI.

DE TRINITATE, Prophetas ſpiritu inſtruxit Deus,& per hos homines filium ſuum Chriſtum repromiſit,& quando daturum ſe ſpoponderat, miſit: per quem nobis in notitiam venire voluit, & in nos indulgentiæ ſuæ ſinus largos profudit.

IN APOLOGETICO, Sciebant Iudęi venturum eſſe Chriſtum, ſcilicet quibus Prophetæ loquebantur. Nam & nunc aduentum eius expectant. Nec alia magis inter nos & illos compulſatio eſt, quàm quòd nunc veniſſe non credunt. Duobus enim aduentibus eius ſignificatis, primo qui iam exunctus eſt in humilitate conditionis humanæ: ſecundo qui concludendo ſæculo imminet in ſublimitate diuinitatis exertæ. Primum non intelligendo, & ſecundum quem manifeſtius prædictum ſperant, vnum exiſtimauerunt, &c.

DE ADVENTV Chriſti & habitibus Chriſti duobus elegantia ſcribit idem author, lib. contra Marcionem 3. In 2. autem libro contra eundem, recolligit in compendium doctrinam Prophetarum, & ait: Bonitas Dei ordinauit Prophetas docentes Deo digna, auferre nequitias de anima, diſcere benefacere, exquirere iudiciũ, iudicare pupillo, & iuſtificare viduam, diligere quæſtiones, fugere improborum contactum, dimittere conflictam integram, diſſipare ſcripturam iniuſtam, infringere panẽ eſurienti, & tectum non habẽtem inducere in domum tuam, nudum ſi videris contegere, & domeſticos ſeminis tui non deſpicere, compeſcere linguam à malo, & labia ne loquantur dolum, declinare à malo & facere bonum, quęrere pacem & ſectari eam, iraſci & non delinquere, id eſt in ira non perſeuerare ſiue ſæuire, non abire in conſilium impiorum, nec ſtare in via peccatorum, nec in cathedra peſtilentium ſedere. Sed vbi? Vide quàm bonum & iucundum habitare fratres in vnum, meditantes die & nocte in lege Domini. Quia bonum ſcili

cet fide-

cet fidere in Deum, quàm fidere in hominem, & ſperare in Deum quàm ſperare in hominem. Qualis enim apud Deum merces hominis? Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt iuxta exitus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo, & folium eius non decidet, & omnia quæcunque faciet proſperabuntur ei. Innocens autem & purus corde, qui non accepit in vanum nomen Dei, & non iurauit ad proximum ſuum in dolo: iſte accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutificatore ſuo. Oculi enim Domini ſuper timentes eum, ſperantes in miſericordiam ipſius, ad deliberandas animas eorum de morte, vtique æterna: & nutricandos eos in fame, vtique vitæ æternæ. Multæ enim preſſuræ iuſtorum, & ex omnibus liberabit eos Dominus. Honorabilis mors in conſpectu Domini ſanctorum eius. Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, vnum ex ipſis non comminuetur. Redemit Dominus animas ſeruorum ſuorum.

IDEM libro 3. contra Martionem elegantiſſimè tractat proprietatem eloquij Prophetici: & in libro de Reſurrectione carnis, oſtendit non omnes Prophetarum loquutiones vel ſermones eſſe allegoricos & figuratos, &c.

HIERONYMVS.

IEREMIAS *cum eſſet adhuc puer, prophetare cepit 13. anno Ioſiæ filij Amõ regis Iudæ, prophetauitq; in imperio eius annis 19. & poſtea ſub Ioachim filio eius annis 11. & ſub Zedechia, qui vltimus fuit regum Iuda, annis 11. vſq; ad 5. menſem, cùm à Babylonijs capta eſt Hieruſalem, quando & ipſe captus eſt. Prophetauit ergò annis 41. præter illud tempus quando ductus eſt in Ægyptum, ibiq; prophetauit in Taphnis, &c.*

CHRISTIANO
LECTORI.

Qui legis excidium Solymæ, regniq́ ruinam,
Iudaici & gemitus in Babylone gregis.
Ecquid sollicitus turbato in pectore versas,
Quid valeat læsi iusta querela Dei?
Ecce ferox Assur victas agit antè cateruas,
Ducit & euinctos brachia capta duces,
Qui tandem, tristi spectata cæde suorum,
Clauserunt miseros & sine honore dies.
Hæc fuit ardentis iustissima pœna furoris,
Ista fuit spreti vindicis ira Dei.
Quæ tamen æternùm haud arsit, sed tempore victa
Respexit populi fata precesq́ pij,
Atque iterum reduces in propria tecta fideles
In patria ex omni parte beauit humo.
At diros hostes populatoresq́ suorum,
Quos fera contemtus traxit in arma Dei,
Lætitia tandem tumefactos punit inani,
Quæq́ dedere alijs, hi quoq́ damna ferunt.
Lydia sic vastata iacet, gentisq́ Libyssæ
Vnà cum censu diuite fracta manus.
Gentis Idumææ celsas sic subruit arces,
Atque pari Aethiopum robore fregit opes.
Crudeles etiam Babylon luit impia pœnas,
Quæ Solymæ exitio templa domosq́ dedit.
Fertilis & sæuo perfusus sanguine Nilus,
Saucia mœrenti corpora vexit aquâ.
Quæq́ olim fuerant arces habitacula regum,
Ferali ignauus carmine bubo colit.
Hæc canit intrepido IEREMIAS *pectore vates,*
Quem cruciat plebis cura salusq́ piæ.
Solaturq́ animos tristi mœrore iacentes
Spe certa reditus, & bonitate Dei.
Dumq́ gemit Solymæ fatum, cineresq́ piorum,
Et nimijs lachrymis lumina fessa tument,
Haud minus incubuit, vitam vt moresq́ profanos
Corrigat, & vetitos tollat vbiq́ Deos.
Ergò haud immeritò sancti iam pagina vatis
Prodit, vt hanc CHRISTI *sponsa sacrata legat.*

Ante

Antè obſcura quidem, ſed nunc, BVLGERE *colende,*
Facta piÿs facilis dexteritate tua.
Namque malis pia turba hodie torquetur ÿſdem,
Atque alia ex aliÿs aſpera fata fluunt.
Errat inops, expes, terra iactata mariq́,
Et toto conſtans exulat orbe fides.
At mundus ſine more furit vel Marte vel igni,
Ndſcius vltorem poſt caput eſſe Deum.
Frende ferox, affligе pios, peccataq́ adauge,
Poſtmodò quæ votis irrita facta velis:
Cùm Domini expertus robur, ſine fine dolebis,
Deficientq́ artes, deficientq́ doli.
Magnifica eſt vbi nunc Babylon? vbi regia ſceptra?
Mœniaq́ externis inuidioſa locis?
Nempe ignota iacent: FOELIX *quicunq́ dolore*
Alterius diſces poſſe carere tuo.
At tu ſancta cohors gaude & lætare, potenti
Fide Deo, & caſto pectore funde preces.
Nec dubita: miſerata bonos Clementia Patris
Reſtituet veteris religionis opes.
Sancta fides, ſecura quies rediuiua vigebit:
Mouerit è votis pars quotacunq́ Deum.

Rodolphus Gualtherus Tigurinus Iunior.

IN SANCTI ET FIDE-
LISS. PROPHETAE DEI IERE-
MIAE, CONCIONES HEINRYCHI BVLLINGERI.

De authore operis Ieremiæ, genere scripti, & temporibus eius agitur.

CONCIO I.

ECCLESIA Dei, quæ est sanctorum communio, vt verbo Dei solo, per spiritum sanctum nata est, ita eiusdem solius virtute conseruatur, regimineq; gubernatur. Vnde Dominus mandauit seruis suis Prophetis & Apostolis, vt verbũ suũ, Dei inquam, populis in ecclesiam adducendis, prædicarẽt. Non est autẽ nobis hodie expectanda prophetia aliqua noua, aut reuelatio subitanea. Libri prophetici & apostolici sunt ipsum verbũ Dei. Ex his ergo est constituenda aut ædificanda, cõseruanda & gubernanda Dei ecclesia: adeoq; exponendi sunt libri canonici, pro constituenda conseruandaq; ecclesia, in cœtu fidelium. Omnes enim ac singuli libri ad eam rem perquàm sunt idonei & vtiles: ita tamen, vt pro ratione locorum, personarum & temporum congruentia inquiramus, & nobis commissis ecclesijs exponendo applicemus. Cumq; mirum in modum conueniat nostris temporibus & hominibus, Ieremiæ prophetia, eam delegi exponendã vestræ charitati. Quapropter adhortor omnes, vt gratiam Domini Dei nostri sedulis precibus impetretis, tum dicendi mihi, tum audiendi vobis doctrinã hanc saluberrimã. Dominus Iesus adsit nobis. Huiusmodi verò titulus præmittitur totí operi.

Ecclesia Dei ex verbo Dei nata eodem regitur & conseruatur.

TITVLVS OPERIS.

SERMONES *Ieremiæ filij Helkiæ, ex sacerdotibus, qui erant in Anathoth, in terra Beniamin: ad quem factum est verbum Domini, in diebus Iosiæ filij Amon regis Iuda, in tertiodecimo (scilicet) anno regni eius. Fuit & in diebus Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, vsq; ad finem vndecimi anni Zedechiæ filij Iosiæ regis Iuda, vsq; ad transmigrationem Ierusalem, mense quinto.*

CONgruere hunc prophetã & mirè vtilem esse nostro seculo, iam dixi. Nam sicuti hic propheta præcesserit graue Dei iudicium & captiuitatem gentis Iudaicæ, septuaginta annorum tempore durantem, indefessoq; studio, minimo interim cum fructu, omnes adhortatus est ad pœnitentiam: ita nunc imminet orbi extremũ illud & impijs horrendum iudicium. Vnde omnes ad pœnitentiam sunt reuocandi, pergendumq; in hac re constanter, tametsi à multis hæc doctrina contemnatur fortiter. Sicut enim captiuitas Babylonica prædicationem Ieremiæ est consecuta: ita certò propediem iudicabit orbem terrarum Dominus. Quemadmodum verò captiuitatem Babylonicam præcesserit insignis ecclesiæ reformatio per Iosiam, secundum verbum Domini instituta & prouecta aliquousq;: cui tamen non omnes sese attemperabant, sed clanculum vel idola colebant & meliora (scilicet) tempora, idololatriæ inquam restitutionem expectabant, vel perfidè sanctis Iosiæ conatibus resistebant, aut detrahebant saltem: Ita ad prædicationem euangelij illustrem nostro seculo, in multis locis, reformatio

Accommodam esse doctrinam Ieremiæ nostris temporibus.

ecclesiarum pia obtinuit: cui interim iniquissimi sunt cùm hypocritæ tum manifesti idololatræ & sperantes & minitantes, propediem illa omnia, vel Concilio generali condemnanda, vel gladio regum catholicorum, id est Papisantium, excindenda fore. Existimabant, sublato rege Iosia, idololatræ, saluas iam & in portu esse res suas: verùm non legimus vllo vnquam tempore magis attritas fuisse res Iudaicas. Capti sunt & infelicissimè sublati reges, ordine, & breui quidem tempore, quatuor, Ioachas, Ioachim, Iechonias & Zedechias. Nec scio si parem tantamq; calamitatem, vllo tempore, in vllo regno, omnem felicitatem, ita vt in hoc regno, sustulisse legamus. Eodem verò modo dum Papistæ sublatis multis viris bonis & oppressa penè doctrina syncera, sibi iam regnare securi, & triumphare videbuntur, de repente opprimet eos malum extremum. Et quoniam oportet impijs prædicari iudicium, & pios retineri in officio, per doctrinam, adhortationem & consolationem, adeoq; Deus clemens & misericors omnino saluos cupit homines, eosq; liberari ab interitu, misit Ieremiam præconem suum, per quem impij terrerentur, pij verò animarentur, priusquam Deus malis exquisitissimis attereret populum. Eodem modo nunc excitat euangelij prædicatores, imò excitat doctrinam hanc Ieremiæ, quæ iterum deprædicetur in ecclesia, ante iudicium magnum, ne quis sit qui per ignorantiam pereat, vel iustam excusationem in sceleribus suis habeat. Ex quibus omnibus intelligit charitas vestra, quantę vtilitatis expositio libri huius, & quàm necessaria futura sit.

Titulus operis. Titulum operi præfixum cernimus, & eum breuissimis comprehendere quę cunq; vtiliter solent tractari in Præfationibus. Dicitur autem de authore libri, de scripti genere, & temporibus.

De authore operis Ieremiæ. Ac principiò operis author est Ieremias. Est hoc nomen fatale, significans altitudinem Dei. Exponit enim luculenter suis Concionibus altitudinem iudiciorum Dei, bonitatis, iustitiæ ac veritatis. Ita præcursor Domini nostri à gratia nomen accepit Ioannis, Iosias à zelo ignis diuini, quo sanctum eius arsit pectus, omnemq; consumpsit impietatem. Genus quoque Ieremiæ indicatur nobile, ex sacerdotibus. Non quòd genus per se aliquid possit, sed quòd nõ aspernandum sit, præclaris nasci parentibus, si alioqui quis sit integer & virtutibus clarus. Natus est ergo Ieremias ex Aaronitis, sicuti & Samuel. Ex regia & Dauidica prosapia fuerunt illustrissimi vates Isaias & Daniel. Ieremias fuit Helkiæ filius, nimirum illius, vt plerique sentiunt interpretes, qui repertum in templo librum legis, Iosiæ obtulit, id quod exponitur 4. Reg. 22. cap. Vnde apparet in lege Domini eruditum fuisse, nimirum à patre religioso, in primis autem à sancto spiritu, qui illum præparauit ministerio, ab ipsa etiam pueritia. Patria eius fuit Anathoth, oppidulum sacerdotale, in tribu Beniamin, cuius mentio fit Iosue 21. cap. Et quidem ciuitatem appellat Hieronymus, vicum Iosephus. Non fuit certè admodum clara ciuitas, sed obscurior. Parum ergo refert qua sis oriundus patria, modò pius sis & probus, & virtutibus illustris. Certè illustrem fuisse, & maxima authoritate præditum Ieremiam, cùm apud domesticos tum apud exteros, declarabit hoc opus quod exponendum sumpsimus. Zedechias rex etsi contemneret eius consilia strenuè, tamen in extrema eius necessitate consilium à Ieremia petijt. Quanti verò fecerit ipsum, Nabuzardan, & ipse rex Nabuchod. audiemus cap. huius lib. 39. Apud omnem posteritatem multò fuit clarissimus Daniel qui post Solomonem, Ezechiele teste, omnium fuit sapientissimus mortalium, hunc prophetam maximi fecit & diligentissimè legit, ac prophetiæ eius toto pectore credidit: sicut videre licet 9. Danielis cap. Temporibus Christi Domini pluribus visum est Christum esse Ieremiam, nimirum propter dicendi agendiq; grauitatem & parrhesian. Legitur hoc apud Matth. in cap. 16. Sed &

Ieremias sacerdos.

Anathoth.

Authoritas Ieremiæ.

Paulus

Paulus ad Hebr. 8. cap. authoritate huius prophetæ determinat negotium apud Iudæos omnium maximum, de abrogatione legis. Multa alia huius generis prætereo. Nam ex his abundè intelligit charitas vestra, Ieremiæ authoritatem in ecclesia sanctorum semper fuisse excellentissimam, vt eadem nobis hodie sit meritò omnium illustrissima.

Deinde quod attinet genus scripti, prophetia est. Sunt enim sermones prophetici, id est, conciones sacræ, vel homiliæ, in tẽplo & alijs locis opportunis, habitæ ad populum, ordinẽ ecclesiasticum, & ad regni proceres. Quibus historiæ immiscentur domesticę plures, & oppidò vtiles ad intelligendos Ieremiæ sermones, & ad formandam emendandamq; vitam nostram corruptam, ad exemplar diuinæ legis. Inde verò argumentum huius prophetæ intelligimus. Etenim prædicando vel annunciando verbum Domini (quod prophetarum erat officium) docet, hortatur, minatur, promittit, consolatur, & de rebus futuris, scitu maximè necessarijs, vaticinia contexit. Omnia verò ad vtilitatem sui temporis accommodat, ita interim res attemperans, vt singula toti etiam posteritati congruant, & vsui esse possint. Declarat itaque quæ sit Dei voluntas, quanta eius bonitas, iustitia & veritas, quæ item sit mens legis eius, quæ officia piorum. Accusat ergo & inuehitur in scelera, hortatur ad pœnitentiam, iudicia Dei annunciat. Passim verò consolatur pios, ostendens Deum eximiam electorum suorum habere rationem. Proinde illustria de Christo Domino vaticinia contexit, quis & quantus hic futurus sit, quantáue orbi bona allaturus sit ostendit: vbi & de restitutione Israelis & omnium gentium vocatione disserit. Quæ omnia in contextu operis liquidè cernemus.

Genus scripti theologia.

Argumentum operis.

Illud verò minimè negligendum videtur, quod huius prophetię, id est, theologiæ vniuersæ originem ostendit, cum dicit, Ad quem factum est verbum Domini: vel, Facto ad eum sermone Domini. Verissimè enim Petrus dixisse legitur, Non voluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti Dei homines. Credamus ergo hisce sermonibus perinde vt ore Dei profectis, pronunciatis, & nobis per Ieremiam annunciatis sermonibus. Ne expectemus reuelationes nouas, ne fingamus sermones nouos, sufficiant nobis hi sermones, applicemusq; illos nostris temporibus & hominibus.

Vnde exorta hæc doctrina.

Postremò indicatur nobis diligentissimè temporis ratio, quæ permultum lucis infert toti operi, ideoq; in primis scitu necessaria est. Cognoscenda ergo historia ex libris Regum ac Chronicorum, ac inde æstimandi sunt sermones Ieremiæ, habiti temporibus Iosiæ, Ioachim & aliorum regum. Breuis ratio temporis huiusmodi est. Iosias omnium sanctissimus princeps, ad regulam verbi Dei & ad viuum, quod dici solet, reformauit ecclesiam Iudaicam. Cæterùm populus & principes, sicuti & Sophonias testatur, hypocritæ adeoq; perfidi erant, nulloq; capiebantur diuini verbi amore, ideoq; tollit Dominus Iosiam ex generatione illa corrupta & incurabili, vt pro dignitate gentem impiissimam tractare posset. Reliquit post se Iosias filios quatuor, Ioachas qui & Sellum appellabatur, Ioachim qui & Eliachim dicitur, Zedechiam quoque, quem nominant etiam Matthaniam, & Ioannam qui inglorius interijt. Cæso autem patre Iosia à Nechaone rege Ægyptiorum, populus Ioachas regem sibi præfecit. Hunc verò victor ex Oriẽte rediens Ægyptius, fugato Nabuchodonosore prisco magni Nabuch. patre, deiecit, & captiuum abduxit in Ægyptum, Ioachimum verò Eliachim in thronum collocauit. Hic cum Nabuchodonosore magno, victore Ægyptiorũ pactus, mox tamen perfidus repertus, oppugnatur à Babylonio principe, capitur, & vinctus abducitur, in itinere verò moritur, & sepultura asini, quod Ieremias prædixerat futurum, sepelitur. Surrogatur ipsi filius Ioachim,

Tẽporis ratio.

Breuis historia temporum Ieremiæ.

qui & Chonenias & Iechonias appellabatur, verùm post tres menses regni abit hic quoq; abductus in exilium Babylonicum. Vnde & Captiuitas Babylonica sumit initium. In nepotis huius sui, ex fratre Ioachim, locum, præficitur regno Zedechias à Nabuchodonosore. At cum etiam hic & impiè regnaret, & perfidus in regem Babyloniorum inueniretur, diu in vrbe obsessus, postremò etiam captus, & in Babylonem est abductus, exusta prius vrbe cum templo, & liberis principibusq; regis in conspectu regis occisis. Hic erat finis incurabilis cõtradictionis, quæ impudenter se opponebat verbo Domini per Ieremiam annunciato. Refertur hæc eadem historia copiosius, sed paulò impeditius obscuriusq; in historia Regum & lib. Chronicorum vel Paralipomenon, quòd tempora ipsa, vt res quoq;, in se fuerint confusissima & perturbatissima.

Quanto tempore prædicarit Ieremias.

In de verô colligere licet quanto tempore prædicarit Ierosolymis Ieremias, nimirum annis plus minus quadraginta & vno. Nam rex Iosias regnauit annos 31. at Ieremias docere cœpit 13. anno regni Iosiæ, quod in hoc exprimitur operis titulo. Tempora Ioachas & Iechoniæ supputantur, quod & Hieronymus dixit, in aliorum regum annis. Ergo Ioachim Eliachim regnauit annis 11. Totidem & Zedechias. Hos si coniungas omnes, reperies annos 41. Vel ineas supputationem licebit ad calculum ipsius Ieremiæ, qui 25. cap. sic dicit, A decimotertio anno Iosiæ, viginti iam tribus annis, vsq; in hunc diem (quem in initio capitis huius collocat in 4. annum Ioachim) factum est ad me verbum Domini. Iam ergo iunge 23. annis ex regno Ioachim 7. Nam hæc dicta sunt 4. anno regni eius, & regnauit in vniuersum annis 11. Iunge deinde 11. annos ex regno Zedechiæ, & inuenies annos 41. Quantis verò laboribus & molestijs exercitatus sit his annis Ieremias, docebit nos ipse liber prophetæ. Certè docent hæc omnes ecclesiarum ministros patientiam in laboribus & constantiam in fide. Quintus menses hic singulariter exprimitur, quòd eo mense (qui respondet Maio nostro, qui & Artemisius dicitur) templum & vrbs ipsa est concremata, ac populus in Babylonem transportatus: sicut ipse Ieremias exponit ca. 52. & 4. Reg. vlt. Interim sciendum, longius extendi adhuc tempus prædicationis vel ministerij Ieremiæ. Nam post exustam & desolatam vrbem, reliquijs adhuc populi prædicauit: sed & cum transfugis in Ægyptum abreptus & abductus, in Ægypto quoque in celeberrima vrbe Taphnes verbum Domini annunciauit: sicuti sub finem operis huius audiemus. Ac eo loci veteres testantur sanctissimum virum, propter synceram verbi Dei prædicationem, lapidibus esse coopertum, vt in Ieremia iam non tantùm prophetam sanctum & fidelem habeamus, sed etiam fortem & glorioßissimum Dei martyrem. Transeo quæ Epiphanius tradit de morte Ieremiæ, & quæ S. Hieronymus meminit, Ægyptios sacrificijs & honoribus diuinis Ieremiæ sepulchrum esse prosequutos. Didicimus enim ex Ieremiæ doctrina, solum Deum esse adorandum, inuocandum & colendum.

Patientiæ & constantiæ exemplum.

Quintus mensis.

Ieremiæ interitus.

Sermonum Ieremiæ diuersitas.

Sermones autem plures sunt conseruati diuina prouidentia, vt nihil dubitemus in his nos habere totam Ieremiæ theologiam. Ex his quidam habiti sunt temporibus felicioribus, cum licuit ei prædicare sine periculo, sub patrocinio sanctissimi & prestantissimi regis Iosię. Quidam rursus infelicissimis habiti sunt temporibus, & maximo cum prophetæ periculo. Rursus pertinent alij ad populum Iuda: alij verò ad gentes exteras. Prædicauit enim hic propheta & domesticis fidei & hostibus fidei. Immiscet vbiq; oppidò vtiles historias. Varium itaq; opus est, totum tamen theologicum. Faxit Christus vt ipsum clarè & perspicuè exponamus.

PRAEFA-

PRAEFATIO IEREMIAE.

De vocatione, sanctificatione & missione Ieremiæ prophetæ.

CAPVT I.

CONCIO II.

ET factum est ad me verbum Domini, dicens, Priusquam te formarem in vtero cognoui te, & antequam exires de vtero sanctificaui te, & prophetam gentibus constitui te. Et dixi, Aehah Domine Deus: ecce non noui loqui, quia puer sum. Et dixit Dominus ad me, Ne dixeris puer sum. Quia ibis ad omnia ad quæ te misero: & omnia quæ mandauero tibi loqueris. Ne timeas à facie eorum, quoniam ego tecum sum, vt eruam te, dicit Dominus.

Argumentum cap. 1.

POST Titulum subijcit vates operis Procœmium, quod extenditur ad caput vsque 2. Narrat in hoc quomodo sit vocatus à Deo, sanctificatus, missus atque instructus ad propheticum munus. Ostendit item quomodo sit confirmatus à Deo, verbis & signis consolatione plenissimis, denique de quibus sit præmonitus. Quæ omnia authoritatem conciliant & prophetæ & vniuerso eius operi. Demonstrant enim illa quidem dicta & facta esse omnia per hominem Ieremiam, sed inspiratione interim & iussu Dei viui, veri & æterni. Proinde ista omnia esse diuina, & his omnibus singulisq; , vt à Deo profectis diuinisq;, credendum esse. Pertinet ergo Præfatio hæc ad omnes historias & sermones huius libri prophetici. Quanquam subinde repetatur in opere, Sic dicit Dominus. Ita enim paucissimis vbiq; eorum admonemur, quæ hic commemorantur prolixè. Neq; modica sunt in his pietatis momenta. Nisi enim crediderimus hęc profecta esse à Deo, nunquã ijs innitemur. Proinde mox ab initio origo omnium monstratur ac dicitur. Et factum est ad me verbum Domini. Est autem loquutio, perinde ac si tu dicas, Verbum Domini loquutum est mecum, vel reuelatum est mihi. Filius est patris os & sapientia, ipsum ergo cum patribus loquutum esse perhibent veteres scripturæ interpretes. Id quod Paulus ad Hebr. 1. non negat, sed sentit postremò omnium per filium iam incarnatum loquutum esse nobis.

Credendum est omni verbo Dei.

Vocatio Ieremiæ.

Describitur autem vocatio, sanctificatio & missio Ieremiæ, idq; verbis Domini. Nam hic exponit & annunciat Ieremiæ ad quid ipsum delegerit, & quid eum facere velit. Summa verò omnium hæc est, Delegi ac destinaui te vt sis propheta, suscipe ergo munus oblatum & prædica populo verbum meum. Copiosè verò hæc illi exponit, tribus vtiq; in medium membris prolatis. Principiò enim dicit, Noram te priusquam formarem te in vtero. Nam Deo semper omnia sunt præsentia, etiam præterita & futura, cum ipse sit gubernator rerum & conseruator omnium, omnipotens & omniscius. Deinde ait, Sanctificaui te priusquam nascereris ex vtero materno. Atque hoc membrum secundum, tertio adiecto exponit, & ait, Prophetam gentibus te destinaui aut dedi. Nam sanctificauit vel segregauit prouidentia Dei Ieremiam muneri prophetandi. Vnde nunc cum natus esset & fortè vigesimum attigisset annum, Deus illum vocat & mittit ad munus, ad quod nondum natum destinarat mittere. Exequitur ergo nunc consilium suum Deus, & quod dici solet, cõsilium in effectum producit, dum reuelat prophetæ suum consilium, & quid agat, indicat. Obseruandum verò Dominum disertè dicere, se Ieremiam destinasse prophetam gentibus, nimirum

non in bonum duntaxat Iudæorum, sed & aliarum gentium, quibus prophetauit, adeoq; in salutem etiam nostram & posterorum nostrorum, vsq; in finem seculi. Ne respuamus ergo beneficium nobis oblatum à Domino.

Ecclesiæ opus ministris ritè vocatis.

Suppeditantur autem nobis hisce breuibus domini uerbis plurima sanè salutaria dogmata. Discimus enim ex his, ecclesiæ semper opus fore ministris, quos vocatione & missione legitima ordinari oporteat. Sic enim instituit etiã in euãgelio Dominus noster apostolos & septuaginta discipulos. Paulus in omnibus propemodum epistolis Vocationem & missionem suam prædicat. Pugnãt hæc cum ijs, qui non vocati, ad docendum & cathedras occupandas prosiliunt, multaq; in speciem honesta prætexunt: cum duntaxat prauis huc impellantur affectibus. Paulus simpliciter pronunciat, Nemo arrogat sibi hunc honorem, sed qui vocatur à Deo sicut & Aaron.

Simonia.

Inueniuntur tamen nihilominus qui Simonia & alijs artibus ad ministeria ecclesiæ perueniunt. Omnes tamẽ qui huiusmodi sunt, condemnantur, & munere abdicantur, non tam à verbo Domini, quàm ab ipsis Canonibus ecclesiasticis, adde & legibus Imperatorum. Vnde paucos puto superfuturos ministros in ecclesia Papistica, si apud ipsos modò ipsorum valeant Canones. Cum enim sese plerique in ministeria intruserint, & Simonia sacerdotia illa sua sibi comparauerint, omnes autem tales condemnentur & loco moueantur deijcianturq; secundum Canones, nullum certè locum habere debebant etiam in Papistica ecclesia. Turpe est & supplicijs dignum, si quis in magistratũ quoq; penetret artibus & muneribus. Sunt enim hæ functiones diuinæ, neq; vllo coemi possunt aut debẽt precio. Qui emit eas, haud dubiè pluris easdẽ vult vendere. At in his exercere quæstum, mercaturam, ac quærere lucrum, abominabile est. Sit ergo ministrorum electio, vocatio & missio legitima. Sic bene dicet legitimis ministerijs Dominus. Qua fiducia Dominum vniuersorum inuocabis, qui tibi sis conscius contra Deum te rapuisse tibi Dei munus & officium? Nihil nunc dico de innumeris malis consequentibus Simoniam. Certum est ecclesiam semper fuisse in supremum discrimen adductam, cum ei ministrarunt homines inepti, indigni & Simoniaci, qui semetipsos in ministerium sacrũ prophanè prouexerunt. Caueamus ergo à tam abominanda peste: conseruemus inter nos bonas leges, institutas de Vocatione, electione & missione ministrorũ.

Dominus Deus dat præsides ecclesijs.

Deinde discimus ex præsenti sententia diuina, & ex pluribus D. Pauli sententijs, Dominum Deum nostrum dare præsides vel ministros ecclesiarum. Vnde legimus & in Apocal. Dominum Deum nostrum tenere in manu sua septẽ stellas: id est, dare ecclesijs ministros, ac cõseruare totam illam vniuersitatem ministrorũ ecclesiæ in sua protectione & administratione. Huc enim pertinet quòd diuina præscientia prænouit Ieremiam, eundemq; prædestinatio eiusdem Dei etiam destinauit ministerio, & destinatum emittit, agitat, gubernat, & in finem vsq; deducit & conseruat. Sic idem hic Dominus suæ ecclesiæ caput, Paulum segregauit ex vtero matris suæ ad apostolatum: sicut ipse testatur ad Rom. 1. & Galat. 1. Eundem promiserat se missurum, dum per Iacobum Israelem dixit, Beniamin lupus rapax, vesperi diuidet spolia. Nam Paulus per initia vitæ suæ, persecutus est Dominum & ecclesiam, sed postea conuersus à Domino prædicauit Dominum ac euangelium eius. Ioañem Baptistam promisit se missurum, & promisit quidem per Isaiam & Malachiam, ac priusquam nasceretur, nascendum prænunciauit angelus apud Lucam in cap. 1. adeoq; nondum formatus in vtero, nondum natus ex vtero, destinatus fuit à Deo præcursor, & singularis præco Iesu saluatoris, ac suo demum tempore ad suum illud ministerium, ad quod fuerat destinatus, producitur, & in ipso conseruatur. Facta est hæc dispositio Dei in omnibus alijs ministris, & fit etiam hodie: neq; verò in ministris ecclesiasticis tã-

tùm,

tùm, sed etiam in politicis. Dominus dat principes & magistratus, & tollit eosdē. Testatur hoc abundè Isaias in 3. & Daniel in 2. & Iob in 12 cap. Iosiæ nomen vt & Cyri regis, ante multos annos, priusquam nascerentur, inditum est vtriq; sicut videre licet 3. Reg. 13. & Isaiæ 44. & 45. cap. Quanquam verò prauos præsides ex ira, bonos & integros ex misericordia det Dominus, idem tamen accusari nō potest, cū iusto iudicio faciat vtrunque. Idem sedulò est orandus, vt det nobis integros, pios, & prudentes præsides, in primis autem doctores. Docet hoc ipsum nos exemplū Mosis, qui in Numeris cap 27. sic orat, Prouideat Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos & inducere, ne sit populus Domini veluti grex absq; pastore. Etenim nos qui homines æstimamus ex externis dictis & factis, quales verò in animo sint non perspicimus, sæpe pessimum hypocritam iudicamus virum esse optimum: at Deus est etiam cordium & renum scrutator, qui omnes cognoscit reuera, intus et in cute ita ut sunt hoīes: solus ergo viros integros dare potest. Ille ergo orandus est. Nam & Dominus in euangelio veluti ad hæc verba Mosis respiciens & alludens, cum vidisset turbas dissipatas & palantes affectu misericordiæ tactus ergà illas, quòd instar ouium non habentium pastorē, destituti & dispersi essent, dixit discipulis, Messis quidem copiosa est, operarij verò pauci: rogate ergo Dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam. Ergo legimus in Actis apostol. cap. 13. ieiunium & preces fuisse indictas, cum mittendi essent ad Gentes Paulus & Barnabas. Apostoli quoque dum pro Iuda statuissent Matthiam & Barsabban, orant & dicunt, Tu domine, qui corda nosti omnium, ostende vtrum elegeris ex his duobus.

Orandus Dominus vt det bonos magistratus et doctores

Proinde cum obdormiuerit feliciter in Domino amplis. vir D. Ioan. Rodolphus Lauaterus, Cos. vrbis huius clariss. sub cuius Consulatu, per Dei gratiam floruit, nec quicquam vnquam detrimenti sensit tam ecclesia quàm respub per annos 12. cum fuerit vir pius, prudens, pacis amans, legum tenax, honestatis amator, & omnium bonorum virorum egregius fautor, restat religiosè ieiunandum nobis & orandum, ne nobis pro nostra ingratitudine & vita nimis licentiosa rependens Dominus, imponat nobis Cos. qui vel negligentia, vel malitia, & ecclesiā & rempub. in extremum adducat discrimen. Viro bono, sancto, benigno, sapiente, religioso, pacifico & honesto nobis opus esse vident omnes. Dominus autem cordium scrutator hunc nouit. Hic ergo orandus est, vt ipse hunc nobis det, moderetur q; hominum in magistratu suffragia nobis in salutem, malum q; vniuersum ab ecclesia atq; republica clementer auertat. Amen.

D. Ioan. Rod. Lauaterus Cos. Tigurinus.

Præterea ex hoc loco liquidè patefit quid sit propriè in scripturis sanctificare, quod alij exponunt per consecrare. Sanctificare est rem aliquam vel personam eximere ex vsu cōmuni, prophano aut promiscuo, destinare autem atque adeò mancipare vsibus sacris. Ea res non conficitur verbis, vt vocant, consecratoriis aut conceptis, magicis q; characteribus, aut pictura crucium, vel oleo effuso, sed voluntate & mandato Domini, quo res secernitur à prophano vel communi vsu & sacris adoptatur. Sed de hac re alibi dictum est copiosius.

Sanctificare quid.

Egregium quoque testimonium habet in præsenti diuina illa prouidentia, cùm vniuersalis tum particularis. Nam nouit Dominus non Ieremiam duntaxat, sed quemlibet hominem priusquam formetur in vtero materno: id quod Dauid etiam intellexit, & testatus est Psal. 139. Sed & cum formamur in vtero materno, non ab alio formamur, quàm à Deo creatore omnium. Expositit hoc eleganter diuinus Iob. cap. 10. At formati & nutriti in vtero, non nisi per eiusdem Dei potentiam protrahimur in hanc lucem. Quod iterum Dauid quoque testatur Psal. 22. Iam etiam nati seruamur à Deo, & destinamur functionibus,

Prouidentia vniuersalis & particularis.

pro bona ipsius voluntate. Nec cadit capillus de capite nostro, sine patre nostro cœlesti. Sic enim in euangelio dixit saluator noster, &c. Hactenus ergo audiuimus ministerium ecclesiasticum à Deo esse institutum, & hunc ipsum pro paterna cura erga nos, destinare ac dare ministros ecclesiæ, idq; per vocationem legitimam, cui se omnes pij accommodare debeant.

Quomodo se gesserit Ieremias erga vocantem Dominum.

Sequitur quomodo se gesserit Ieremias, vocatus à Domino ad munus prædicandi. Recusat hoc modestè, cum supplici deprecatione, confitendo se tanto muneri esse imparem. Aehah, inquit: id quod dolentis est exclamantisq; & deprecantis, vt cum dicimus Germanicè, Ey/ey/ey. Exclamationis huius causam subiungit, En nõ noui loqui. Loqui sanè poterat, neq; enim mutus erat, sed causatur se non esse tanta instructum eloquentia, quanta instructũ decet oratorem tantis causis destinatũ peragendis, & peragendis quidem veluti in totius mundi theatro, corã regibus, principibus, sacerdotibus, doctis, & populo. Adiungit & aliud, Quoniam puer sum. Arbitrantur interpretes Ieremiam attigisse annum 20. proinde puer non erat ætate, sed dicit se imperitum, & in rebus magnis non satis esse exercitatum. Ita verò & nos de imperitis loquentes dicimus, Er iſt ein Kind in ſölchen ſachen: id est, Nihil habet consilij, neq; quicquam præstare potest in negotijs huiusmodi. Inuenis & Mosem Exodi 4. sese oppositisse vocationi Dei, ac pro se in medium similia protulisse multa & varia. Refragantur Deo vocanti & Ezechiel & Ionas, quorum hic in grauissimum incidit periculum, vt eo territi vocati omnes, discant obedire vocanti Deo. Saul cum creatus esset rex in comitijs, abscondit se, sed mox protrahitur, & vocationi diuinæ se accommodat. Metuit & refugit caro pericula & laborem. Interim verò pij etiam soliciti sunt, ne quid sua culpa, ignorantia aut imperitia depereat ac corrumpatur rerum bonarum. Ergo cogitant deserere, aut non in se recipere officia illa Dei gratia: attamen non pergunt perpetuò reluctari Deo.

Refellitur Ieremiæ excusatio.

Audiamus verò quomodo refutet Dominus Ieremiæ argumenta, quomodo iubeat recipere conditionem, quomodo item consoletur solicitum, eundẽq; confirmet & instruat in officio. Id quod deinde extendendum est ad omnes vocatos à Domino, & muneribus grauatos periculosis & difficilibus. Hæc enim omnia scripta sunt ad nos instruendos & confirmandos. Nobis ergo singulis dicta putabimus. Simpliciter refutat eius excusationem, & dicit, Ne dicas, Puer ego sum. Ratio, Quia ego te mitto. En, Ego inquit, te mitto, ego inquam Deus clemens, bonus, verax, potens. Non sum ita infidelis, vt te non instruam facultatibus necessarijs, neq; ita segnis sum vt te negligam, neque impotens qui non possim. Etenim cum ipse mitto, ijs etiam instruo, quibus scio te indigere rebus. Eam ergo curam tu mihi permitte, per cætera tu præbe te mihi totum, & beneuolè obedito. Ita cum Moses dixisset ad Dominum, Ne miseris me mi Domine, non enim sum eloquens, sed ore graui & lingua impediriore, Respondet Dominus, & ait, Quis dedit homini os? aut quis facit mutum & surdum, videntem & cæcum, an non ego Dominus? Vade ergo, & ego adero ori tuo, doceboq; te quæ loquaris. Significanter verò Ieremiæ dicit, Ibis, id est ire debes, ad quæ ego te misero. Quasi dixerit, Non tuo fereris arbitrio, sed pendebis ex meo nutu atque ductu. Itaque loqueris, non ea quidem quæ tu volueris, sed quæcunq; ego tibi mandauero. Proinde non permisit Deus liberum episcopis & ministris ecclesiarum leges ferendi, docendiq; & proponendi ecclesijs quæcunque ipsis videntur commoda & bona. Iubentur ea proferre, quæ acceperunt à Domino. Vnde apostolis diserte dixit Dominus, Docentes eos seruare quæcunque ego mandaui vobis. Matth. 28. & apostolus dixit, Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Teneamus ergo & credamus, Deum suos ministros facultatibus

Quæ doceant ministri.

bus instruere, & hos non sua placita, sed Dei mandata apud populum proferre debere.

Quoniam verò metus permultum impedit, quò minus exequamur nobis commissa, eximit iam inanem metum Ieremiæ Dominus, & ait, Ne metuas vultus eorum, iram videlicet, indignationem, furores, minas & tyrannidem. Hoc ipsum requiritur etiam à iudicibus Deut. 1. & 2. Paral. 19. Consolantur hæc Domini verba omnes publicis oppressos aut prægrauatos muneribus. Consolationem hanc sub finem capitis copiosius & diligentius prosequetur. Rationem hic quoque subiungit, quare non sit prophetis, id est prædicatoribus metuendum, Quia ego tecum sum (hoc loquitur & pollicetur Deus omnipotens) & in hoc tecum sum perpetuò, vt eruam vel liberem te. Sic Matth. 28. postquam præcepisset apostolis, Docentes eos seruare quæcunq; ego mandaui vobis, subiicit protinus, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi. Nulla autem, quantumuis diserta lingua, explicarit, quantum in se contineant pauculæ iste voces, Ego vobiscum sum. Cum quo enim Deus est, quid huic deesse credendum est? Paulus ait, Si Deus nobiscum, quis contra nos? Copiosius contra metum, consolando, loquutus est Dominus apud Matth. in cap. 10. Et Ieremiæ quidem Deus omnia quæ promisit præstitit. Nec repugnat verbis Dei, quòd in senecta eius Deus ipsum hostium suorum arbitrio libidiniq; permisit, qui ipsum lapidauerunt in Aegypto. Nam corona martyrum donauit illum, & eruit ex hisce miseriis molestissimis, liberauitq; optimè meritum de pessimis hominibus, induxit autem in gloriam sempiternam, &c. Credamus ergo firmiter nobis quoq; in ministerio Dominum nunquam defuturum, vtcunq; variis volutemur rotemurq; casibus ac vicissitudinibus.

Contra metū.

Ego tecū sum.

Confirmatur visionibus propheta in munere suo, quod & diligentissimè describitur.

CONCIO III.

Et extendit Dominus manum suam & tetigit os meum, & dixit ad me Dominus, Ecce ego pono verba mea in os tuum: ecce ego feci te inspectorem (visitatorem) hodie, super gentes & super regna, vt euellas & destruas, perdas & demoliaris, ædifices & plantes. Et factum est verbum Domini ad me, dicens, Quid tu vides Ieremia? Et dixi, Baculum imminentē seu vigilantem ego video. Et ait Dominus ad me, Recte vidisti: quoniam ego inuigilo verbo meo, vt illud perficiam.

PRomissioni ac consolationi suæ adiungit modò Dominus signum vel symbolum. Nam consequentibus instruit & confirmat in officio & in vocatione Ieremiam bonus Dominus, vt præteritis omnibus impedimentis accingatur, & in auxilio & fide Domini Dei, conditionem accipiat, & intrepidè prædicet populo verbum Dei.

Confirmatio propheta.

Promissionis diuinæ summa hæc est, Ego tecum sum, ego te instruam, ego ero in ore tuo. Hoc iam cōfirmat Dominus visione prophetica, per symbolum. Nam videtur sibi cernere propheta, Dei filium, qui cum ipso agebat, manum extendere, & contingere os prophetæ, expositione facti protinus subiecta. Dicit enim Dominus, Ecce ego pono verba mea in os tuum, ne caussari possis te non satis instructum & eloquentem esse. Ego & rerum & verborum copiam inseram animo & ori tuo, vt quæ volo, & populo salutaria sunt, tu loquaris, & appositè quidem loquaris.

Symbolum.

Symbola huiuſmodi in ſcripturis multa ſunt, quæ ſi appelles Chrias mixtas, non admodum repugnauero, ita tamen vt de ſpiritualibus vt ſpiritualibus ſentias & loquaris. Faciunt enim hæc ſymbola ad euidentiam, & erigunt per ſpiritum ſanctum eorum animos, quorum gratia proferuntur. Nam quæ non tantum audiuntur auribus verba, ſed in ſuffigurationibus quodammodo incurrunt in oculos, vehementius commouent homines, & inhærent animis tenacius. Ergo vt imbecillitati prophetæ & omnium miniſtrorum mederetur Dominus, ſymbolo admodum eleganti per ſpiritum ſanctum mentem eius roborat. Ita verò egit & cum Iſaia in cap 6. Dominus. Dum enim & ipſe conquereretur non inſtructum ſe eſſe ad functionem propheticam, deniq; labia ſibi eſſe polluta, mittitur vnus ex Seraphim, qui viuo carbone labia eius contingendo expiet, purget atque præparet. Ezechieli offertur volumen deuorandum, cap. 2. & 3. Ita & Ioanni apoſtolo in Apocalypſi cap. 10. Sunt autem in huiuſmodi ſymbolis conſideranda ſignum & res ſignata. Signum eſt in præſenti manus contingens os prophetæ: res ſignificata eſt, verbum ipſum Dei vel facultas prophetandi. Significando itaq; teſtatur Dominus, ſe Ieremiæ & cuilibet miniſtro legitimè vocato, collaturum vires & facultatem prædicandi, adeoq; veluti manu diuina poſiturum ea, quæ prædicanda ſunt, in ora miniſtrorum. Nam hæc peculiaria ſunt generaliter extendenda ad omnes fideles miniſtros. Nam miniſterium in eccleſia, inſtitutum eſt à Deo, qui per miniſtros adhuc vult operari ſalutem ſuorũ fidelium. Si ergo eccleſia nacta ſit fidelem miniſtrum & doctum, gratias agat Deo, qui per ipſum operatur. Oret Deum vt confirmet quod cœpit. Si intelligit miniſtrum multis deſtitui rebus neceſſarijs, Deum oret, vt facultates miniſtro ſuppeditet & augeat. Quia verò rari agnoſcunt & miniſterium in eccleſia à Deo eſſe, & miniſtros inſpirari à Deo, ſed vel temerè vel conſuetudine humana illa fieri, quæ more eccleſiaſtico fiunt, ideò operationem Dei non agnoſcunt, non agunt gratias, non orant iſti, ſic, vti oportuerat, adeoq; prophanè hic per omnia ſe gerunt. Cum hoc ſymbolo congruit, quod Dominus emiſſurus diſcipulos ad prædicationem euangelij, inſufflauit in eos, & dixit, Accipite ſpiritum ſanctum. Inſufflando enim ſignificat atq; teſtatur ſe collaturum ſpiritum ſuum, qui inſpiret & doceat ea, quæ populis ſint prædicanda. Obſerua autem ſymbola illa non mutari in res ſignificatas, has in illis non contineri aut includi, licet ſigna accipiant rerum ſignatarum nomina. Manent enim diſtincta in ſuis proprietatibus. Interim verò non ſunt ſigna inania, vt ſunt quæ pinguntur in pariete. Vt enim os Ieremiæ manu attingitur, ita animus eius ſpiritu ſancto imbuitur, vt docere vel prædicare poſsit, &c. Quibus accedit quod habent hæc authorem Deum & characterem verbi Dei.

Miniſterium eccleſiæ à Domino.

Inſtructio vel commiſſio prophetica.

Cæterùm quod modò dixi, exponitur mox verbis Domini, quid ſignificetur per attactum manus Dei. Ego, inquit, pono verba mea in os tuum. Simul enim, licet breuibus, diligentiſsimè tamen, deſcribitur Inſtructio vel materia & forma commiſsionis propheticæ. Imitatur enim hic quoq; morem regũ & principum Deus. Solent enim iſti legatis ſuis codicillos dare, continentes totius legationis commiſsionem. Vulgò Inſtructiones vocant. Continent hæ credentiã, quam vocant, fideiũe literas, quis miſerit, ad quos miſerit, & in quem finem miſerit, quid dicat aut quid agat legatus, quod eius ſit officium, quæ poteſtas.

Quis mittat?

Et in præſenti quidem quis mittat, & vnde ſit facultas & poteſtas prophetæ vel legati oſtenditur, cum dicitur, Ego te mitto, ego verba mea in os tuum pono. Deus taq; ieſt qui mittit Ieremiam. Per hunc vult loqui Deus. Si quid Ieremias promittit minatúrue aut docet, Dei eſt virtus & poteſtas. Verbis Ieremiæ, vt Dei, eſt credendũ. Nã Deus ponit verba ſua in os Ieremiæ & reddit efficacia.

Mox

Mox etiam qualem æstimemus legatum, & quid de ipso iudicemus, quidue ei tribuamus, non tacet. Nam obiter dicit, Hodie facio te vt visites, inspicias & vigiles super populo. Ieremias ergo episcopus est, vigil, pastor, visitator, superintendens, vel inspector ecclesiæ. Ita apostolus ait, Sic nos æstimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. 1. Cor. 4 Certè prophetæ & apostoli aliud nihil fuerunt quàm episcopi, curatores, pastores & prædicatores populi Dei. Ezech. 3. Actorum. 20. *Qualis legatus.*

Iam etiam exponit ad quos mittatur Ieremias, Ad gentes & regna. Mox sub finem capitis omnis generis ordinis & gradus homines commemorat. Non autem imponitur prædicator super populos & regna, vt secundum mundum hũc dominetur eis, sed vt nomine Dei regibus, sacerdotibus, populo, denique omnibus & singulis, in regnis omnibus, omnia ea quæ Dominus iubet, loquatur. Cũ enim Deus sit omnium Dominus, & propheta Domini minister & legatus, ad omnes mittitur hic: nec quisquã excipitur, nisi sit aliquis qui Deo subiectus nõ sit. Vbi sunt ergo qui putant pauperculis ciuibus & rusticis vel misero popello duntaxat prædicandum esse, & his annuncianda peccata, non autem regibus, sacerdotibus & magnatibus, ne vilescat eorum authoritas in ecclesia? Diuersum hic intelligimus, ac discimus nulli sexui, nulli ordini, denicp nemini prorsus esse parcendum, ita tamen, ne metas moderationis & prudentiæ prætereamus. *Ad quos fit missus.*

Post hæc membris aliquot commemoratis, exponit finem legationis, & quod sit legati officium, quid inquam agat & dicat. Constitui te, inquit, legatũ, visitatorem & inspectorem, vt euellas & destruas, **das du vßrouffist vnd abbrächist.** Item vt perdas & demolíaris, **das du verderbist / vßriitist vnnd abschlyssist oder zerstőrist.** His duobus membris vnicum opponit, & ait, Vt ædifices & plantes, **das du vfbuwist vnd pflantzist.** Allegoricus est ergo sermo, petitus ab agricultura & ab ædificijs vel ædificando. Euellere & perdere pertinet ad agriculturam, destruere & demoliri ad architecturam. Duplex erit ergo prophetæ officium. Principiò tollere debet è medio, quæ contra Deum & verbum eius pugnant. Deinde in sublatorum loca, ea reponere, quæ requirit & mandat Deus. Etenim ecclesia Dei est ager ille, & domus illa vel ædificium hoc, cuius hic & vbicp aliâs in scripturis fit mentio. Cultor verò agri & architectus est propheta. Quemadmodum ergo agricola agrum primo purgat, sentes & zizania euellendo & eruendo: ita Ieremias idololatriam, falsum Dei cultum, scelera atcp peccata populi grauissimè accusauit. Suasit vt illa tollantur, & in sublatorum locum restituatur aut reponatur verus Dei cultus, fides, iustitia, vitæ innocentia, iudicium & iustitia cum misericordia. Præterea sicut architectus fundamenta & muros ædificiacp corrupta primùm tollit, deinde fundamento firmo collocato, ædificium imponit bonum, elegans & vtile: Ita quilibet propheta bonus & peritus, principiò falsas & corruptas opiniones & doctrinam corruptam refutat, deinde demum collocat Christum, qui est fundamentum pietatis, cui mox in fide & charitate ædificia imponit Deo & hominibus probatissima. Atque ad hunc locum sæpius allusum apparet in doctrina euangelica & apostolica, qui quidem loci hunc eleganter illustrant. Etenim apud Matth. in 13. meminit Dominus zizaniæ eradicandæ. In 15. cap. quid eradicari oporteat, ostendit, Omnis, dicens, plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Diruenda ergo sunt, non ea, quæ tradita sunt verbo Dei, sed illa potius quæ inoleuerunt contra normam vel regulam verbi Dei. Paulus appellat se & apostolos alios plantatores & architectos, 1. Corinth. 3. ibidem ostendit non posse aliud fundamentum collocari à quoquam, quàm quod positum sit, Iesus Christus, super quod ædificari oporteat ædificium fundamento conforme. In 2. ad Corinth. *Finis missionis.* *Officium prophetæ duplex.*

10.cap.dicit, apostolis & ministris legitimis quibuslibet potestatem demoliẽdi esse datam omne id quod extollat se contra veram Dei cognitionem. Hæc inquam potestas est ministrorũ ecclesiæ, hoc officium, & non vt sint principes, & vendicent sibi potestatem in animas, in facultates & corpora fidelium. De qua tyrannide iam non placet disserere. Discant autem ex his prophetæ, imò Domini Dei nostri verbis, omnes ministri & œconomi Christi, vt legitimè suo defungantur munere. Sunt enim qui destruunt duntaxat, parum aut nihil ædificant. Toto tempore clamitant contra Papam, Missas, & idola, & opera nostra, nunquam autem vel rarò docent & inculcant, Christum esse caput ecclesiæ & summum Pontificem: cœnam esse reponendam in deiectæ Missæ locum, & cœnam quidem Christi Domini mysticam, quam ipse tradidit, non compositionem, nescio qualem, ex integro & corrupto consutam: pauperes denique loco idolorum esse colendos atque ornandos: rarò inculcant fidem quidem iustificare solam, sed eandem tamen multa proferre opera bona. Quidam rursus ædificant strenuè satis, sed in fundamentum ruinosum: serunt semen verbi Dei, sed in sentes & rudera, quæ prius eruta oportuerat. Vtrunque diligenter & suo loco & tempore est faciendum, eruendum inquam & plantandum. Hæc, hæc inquam, memori mente teneant ministri omnes, ac cogitẽt sedulò, vt diligentissimè hoc munus exequantur ad quod destinati sunt, atque ita exequantur, vt nunc clarè docuit per Ieremiam ipse Dominus.

Officia ministrorum verbi.

Non dissimulabo hic esse qui hæc Domini verba interpretentur sensu paulò diuersiore, nimirum in hanc sententiam, Volo vt intermineris hostibus meis, ait Dominus, quos in regionibus suis collocaui & plantaui ædificauiq; me captiuitatibus euulsurum, nisi resipuerint. Rursus me ædificaturum & plantaturum eos, quos destruxero & euulsero, si peccata sua agnouerint. Sed permodicum hæc à nostris dissentiunt. Sequatur quisque sensum quem maximè genuinum existimauerit.

Confirmatur iterũ in officio

Rursus verò confirmatur in officio suo propheta. Promittit enim Deus se illa rata habiturum, quæ nomine Dei, vel ex ore Dei, annunciauerit tam in bono quàm in malo: præterea se defensurum prophetam contra omnia imminentia pericula. Præstat autem & exhibet hoc rursus visione prophetica, quò sint omnia viuidiora vel euidentiora. Interrogatur enim propheta à Domino, quid videat? Respondet propheta, Virgam vel baculum incumbentem vel inuigilantem. Subijcit Dominus, recte vidisse prophetam. Et exponit mox quid eo viso significatum sit. Deum vtique inuigilaturum verbo suo, vt omnino sortiatur eum finem quem habiturum prophetæ testantur.

Baculus Amygdalinus.

Et quidem interpretantur in præsentiarum alij Ieremiam vidisse baculum amygdalinum. Dominum enim accelerare vt perficiat verbum suũ. Amygdalus inter primas arbores florere dicitur. Significari itaque volunt Deum acceleraturum, & maturo tempore animaduersurum in rebelles Deo & prophetæ nebulones. Cæterùm superior sententia, vt vulgarior est, ita simplicior esse videtur. Videt imminentem & vigilantem baculum, Einen halbenden wachenden ſtäcken iiber Jeremiam/als das Gott halten vnd wachen wolt ob ſinem diener vnd wort/ꝛc. ne vel ipse vates periret ante tempus, vel ne quid in prædicatione eiusq; veritate desiderari posset. Nec plurimum adeò refert siue baculum legas siue virgam. Baculus cum in bonam tum in malam sumitur partem. Significat enim auxilium & defensionem. Sic legimus baculum Aegypti arundineũ, id est fallacem, nimirum auxilium Aegyptiacum fore incertum, nullum, imò & noxium. Significat præterea correctionem & pœnam, vt cum Paulus ait, Quid vultis? An cum baculo veniam ad vos? Principiò ergo incumbit baculus super prophe-

Baculus.

prophetam: id est, videbatur districtus aut libratus ad percutiendum, Erzuckt vnd gerüst zů schlahen / tam ad remouendum impios, quàm ad defendendum prophetam. Nam prophetæ his iterum promittitur à Deo auxilium & protectio. Deinde inuigilat baculus, siue is amygdalinus, siue alterius speciei sit, super verbo Dei: id est, Deus ostendit se omnia illa facturum, quæ verbo suo annunciauit per prophetam. Bona videlicet bonis & pijs daturum: mala autem irrogaturum pessimis. Ad hunc propè modum legimus in 31. cap. dicere Dominum. Et sicut vigilaui super eos, vt euellerem & demolirer & dissperderem affligeremq; ita vigilabo super eos, vt ędificem & plantem. Item 44. cap. Ecce euigilabo super eos, in malum, & non in bonum.

Discamus itaque credere verbo Dei, & timere minas à verbo Dei annunciatas contra nos. Inuigilat enim verbo suo, & quidem in hunc finem, vt perficiat compleatq; quolibet tempore illud, & semper vnicuique nostrum annumeret aut rependat pro nostris operibus, siue id Deus nunc faciat, siue aliquando, breui vel longo post tempore. Deus verax est, &c.

Indicatur prophetæ materia dicendorum. Confirmaturq; rursus in munere prophetico, & amandatur.

CONCIO IIII.

Factus est autem sermo Domini ad me secundò, dicens, Quid tu vides? Et dixi, Ollam ebullientem video, & facies eius à facie Aquilonis. Et dixit Dominus ad me, Ab Aquilone aperietur malum super omnes inhabitatores terræ. Quoniam ecce ego vocabo omnes cognationes regnorum Aquilonarium, dicit Dominus: & venient, & ponet quisque solium suum ad introitum portarum Hierusalem, & in omnibus muris eius per circuitum, & in cunctis vrbibus Iuda. Et loquar iudicia mea cum eis, super omnibus malis eorum, qui me deseruerunt, & suffitum incenderunt dijs alijs, & adorarunt opera manuum suarum. Tu ergo accinge lumbos tuos & surge, vt loquaris ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, ne forte pauere te faciam à facie eorum. Ecce enim ego facio te hodie, quasi ciuitatem munitam, columnam ferream, & murum æneum contra omnem terram, contra reges Iuda, contra principes eius, contra sacerdotes, & contra vniuersum populum terræ. Et ipsi quidem pugnabunt contra te, sed non præualebunt tibi. Ego enim tecum sum, vt te liberem, dicit Dominus.

Visione iam altera adumbrat Dominus Ieremiæ argumentum & materiam dicendorum, id est, summam omnium eorum quæ populo debuit proponere, regibus inquam, & principibus eorum, ad quos mittebatur à Domino. Principiò autem exponitur visio, deinde visionis subiungitur explanatio, & quidem ab ipsomet Domino. Visio ipsa quidem admodum breuis est. Videt enim Ieremias ollam, & quidem feruentem & ebullientem, quæ videlicet bullien do quodammodo materiam impositam egerebat, Ein siedenden wallenden hafen/der dahär strodlet vnd strumpt daß er überlüff. Vehementia feruoris ollæ ita adumbratur, significaturq; obsidionis difficultas, feruor & acerbitas extrema. Spectabat autem hæc olla versus Aquilonarem plagam, ad quam Babylon & Chaldæorum terra erat sita. Ieremias pro linguæ suæ proprietate loquens, dicit, Et facies eius ad faciem Aquilonis. Quod Germanicè melius ex-

Argumentum & materia dicendorum totius.

Visio ollæ ebullientis.

plicauerimus quàm Latinè, Dñ sin angesicht sach gegen Mitnacht: oder/was gestelt gegen Mitnacht.

Expositio visionis ollæ.

Sequitur iam expositio visionis. Quod olla opposita est Septentrioni, ac spectat Aquilonem, illud significat, quod ab Aquilone, veluti porta aperta, in Iudæam, Iudææq; metropolim Hierosolymam, ingentia mala erumpent ac effundentur. Inde enim mouebunt Chaldæi, hostes Iudæorum acerbissimi crudelissimiq;, qui vrbem cingent, & totum regnum, prius truculentissimè vexatum & exhaustum, vastabunt tandem & excindent. Et hanc quidem sententiam breuem, Ab Aquilone aperietur, vt veluti ex equo Troiano, & dolio Pandoræ, erumpat omne malum, super omnes orbem terræ inhabitantes, (Nam 25. cap. apparebit Ieremiam non Iudæis duntaxat prophetasse,) illustrat copiosius, magnificè admodum, & prorsus militariter describens Chaldæorum copias. Ducem ante omnia indicat, ipsum Deum, Quoniam ecce ego vocabo, ait Dominus. Dominus ipse est imperator exercitus, ipse conscribit exercitum, ipse iusto suo iudicio cõmouet regem Babylonium ad vindictam sumẽdam de rebellibus Deo Israelitis. Discamus ergo hinc & ex multis alijs scripturæ locis, Dominum adducere Cyrum, Alexandrum, Romanos, Gotthos, Turcas, & alias nationes feras, contra hostes suos, vt castigent petulantiam impietatemq; impiorum. Desinamus ergo mirari cur hostes à Deo immissi sceleratis, tam sint expediti, veloces, laborum tolerãtes, fortes & inuicti. Deus enim roborat eos. Legatur propheta Nahum, legantur & alij prophetæ. Hodie feliciter progrediuntur Turcæ, nec est qui eis resistere valeat: non aliam ob caussam, quàm quod Dominus illos in nostra armauit facinora & cohercenda & punienda. Pergit Dominus Ieremiæ exponere qualis & quantus futurus sit miles ille, ostendit autem fore terrificum à copia vel multitudine. Vocabo, inquit, omnes familias vel cognationes, aut prouincias & nationes, cohortes, turmas & legiones regnorum Aquilonarium. Aderunt ergo Chaldæi, Babylonij, Parthi, Medi, Persæ, Carmani, Gedrosij, Arabes & reliquæ gentes barbaræ & truces.

Chaldæorum exercitus.

Quis immittat exercitus hostiles.

Copia hostium non segnium.

Ac venient quidem dubio procul & certissimè. Frustra enim se consolantur, qui arbitrantur propter itineris difficultatem & longinquitatem fieri non posse, vt veniant gentes illæ remotissimæ. Venient inquam, venient. Addit item in quem finem sint venturæ. Et ponet quisq; solium suum, &c. Ergo vastabunt agros in toto regno, obsidione cingent vrbem, coangustabunt ipsam vndiq;, capient, diripient, ciues mactabunt, conscindent, in captiuitatem abducẽt, inflammabunt vrbem & vastabunt. Sic inquam iudicabunt, id est, vindictam Dei exercebunt, contra vrbem & gentem, quæ pietatem omnem proculcauit & iudicia neglexit aut corrupit. Ergo ethnici populo Dei meliores vel iustiores, exercebunt iudicia: quæ Iudæi in locis patentibus & commodis apud portas vel in portis celebrabant. Legimus enim Nabuzardan & principes Chaldæorũ thronos posuisse in capta vrbe, & ibidem exercuisse iudicia. Sic testatur Ieremias in cap. 39. Idem hodie vsu venire videmus. Cum enim Christiani ius & iustitiam vel negligunt, vel produnt & violant, veniunt Turcæ, vel alij hostes sæui, ac docent nos iustitiam. Addit Dominus, Et loquar iudicia mea cũ eis. Quasi dixerit, Hactenus per prophetas multa loquutus sum ad eos de restituẽdo iure & reparanda iustitia, sed loquentem non audierunt aut potius contempserunt, nunc ergo loquar cum eis lingua alia, per arma inquam Parthica, Persica, Babylonica. Hodie quoq; clamat Dominus per prædicatores euangelij, in omnibus, non modò templis, sed etiã plateis: cæterùm cum vox Christi irrideatur, & occidantur prędicatores, loquitur meritò nobis Dominus per Sclopeta, per quartanas, triplicanas, canas, serpẽtes, dracones, falcones & eius generis bombardas alias.

In quem finem immittantur hostes.

Loquar iudicia mea cum eis.

Idem

Idem minatus est Dominus populo suo apud Isaiam in cap. 28. loquuturum videlicet se cum populo suo lingua aliena.

De Olla in præsenti expositione nihil dicitur à Domino, sed facilis est eius ex alijs locis scripturæ interpretatio. Per Ollam significatur terra Iuda & Iudæorum metropolis Hierusalem. Olla autem vocatur quòd instar ollæ rubigine obducta & atratæ, regnum erat atrum vel coinquinatum sceleribus, sanguineq; innoxio & oppressis iustis pauperibusq; rubiginosum vel cruentum. Multa carnis frusta conciderant principes & sacerdotes, imposuerantq; ollæ, coxerant ac frixerant & deuorauerãt crudelissimè. Vnde par pari referendum erat. Quo circa veluti ollam constituebat Dominus Hierosolymam, in quam multa & pinguia frusta imponebat. Etenim principes & potentes, vulgus & milites conclamabant, Non cedemus Chaldæis vel latum pilum, Hierusalem erit veluti olla, in qua sinemus nos potius elixari, assari comburiq;, quàm nos & vrbem dedamus hostibus. Dominus autem dicit, Reuera erit vrbs vestra olla. Cingent vos obsidione hostes, & vndiq; ignem subijcient huic ollæ. In hac miserè coangustabimini, feruebit obsidio, deinde infringetur olla, extrahentur frusta, ducenturq; in captiuitatem, quæ scilicet non fuerint minutatim concisa. Postremò olla quoque ipsa, mœnia scilicet vrbis & ædificia inflammata comburentur. Hæc petij ex 11. & 24. cap. Ezechielis. Habes ergo mysterium ollæ. Talis olla erat Hierusalem, eadem illa, non modò nunc sub Nabuchodonozore, sed etiam in vltima sub Tito Vespas. Imperatore.

Quid significetur per ollam.

Commemorat item diligentissimè caussas huius excidij, & quidem potiores tres. Propter omnia quidem mala, id est, peccata & scelera ipsorum, ipsos disperdam: verùm ob hæc præcipuè. Principiò quòd deseruerunt me adeoq; defecerunt à me. Deserunt autem Dominum, qui non adhærent Domino. Adhærent Domino, qui ipsius verbum audiunt, Dei verbo credunt, omnia sua ad Dei voluntatem componunt, Deum reuerentur, inuocant, confitẽtur, Deo grati sunt, & omnia bona in ipso Deo solo per Messiam quærunt. Deserunt ergo Deum, qui verbum Dei vel non audiunt, vel contemnunt, Deum non requirunt, Deo ingrati sunt, Deum nõ inuocant, sed ad creaturas conuertuntur, nec à solo Deo in omnibus per Christum pendent. Peccatum hoc hodie vulgatissimum est, imò pro religione habetur huiusmodi apostasia. Deinde incensa dederunt alijs, ait, & significat eos cultum exteriorem, quem sibi soli impendendum instituerat, illos impendisse etiam dijs alienis. Id quod indignissimè fert Dominus. Sic inter Christianos, cœtus colliguntur in nomine diuorum, oratur, missatur denicq; in memoriam sanctorum. At ipse dixerat, Mihi celebrabitis ferias. Me inuocabitis. In meo nomine conuenietis. Hoc facite in mei memoriam. Postremò, Et adorarunt, inquit, opera manuum suarum: id est, adorarunt idola. Nam hæc est definitio idolorum, quòd nihil aliud sunt, quàm quòd contulerunt ipsis manus hominum. Nihil autem conferunt, quàm imaginem, speciem & figuram ineptam, absurdam, mortuam. Materia alioqui sunt lignum vel lapides aut æs. An verò non videntur insanire, qui quod iam iam suis manibus finxerunt, neque nesciunt, id quòd habet idolum, accepisse ab artificibus, quod inquam ante hæc procumbunt, orant, ante ipsa offerunt, deos appellant, aut deorum signa? Meritò itaque Deus grauissimè irascitur insanis idololatris. Quid sit adorare & colere aliàs dixi copiosè. Legatur Exodi 20. & Isaiæ cap. 44. & si ita videtur, cap. 6. Baruch. Hodie idololatria habetur pro vero Dei cultu: ac comburuntur veluti hominum sceleratissimi qui idola colere renuunt. Quid ergo expectemus aliud, quàm easdem pœnas, quas iusto Dei iudicio irrogatas legimus impiæ & idololatricæ genti Iudaicæ? Et hæc quidem hactenus dẽ argumento totius pro-

Caussæ tantorum malorum scelera.

Deserere Dominum.

Cultum Dei diuis impendere.

Adorare opera manuum hominum.

pemodum operis. Tractat quidem & de Christo redemptore significantissimè, & de quibusdam alijs capitibus, more omnium aliorum prophetarum. Verùm Excidium gentis & vrbis propter peccata sceleraq; nefanda, quæ accusat, potissimum illud est quod agit.

Conclusio Præfationis. Concludit iam Præfationem, & prophetam ablegat ad principes & populum, & eundem informat, erigit, consolatur, roborat atq; confirmat. Quæ quidem omnia singulis sibi dici intelligent ministri ecclesiastici. Quædam congruunt etiam politicis proceribus. Nisi enim hæc prophetæ huius & aliorum prophetarum scripta, nostrę applicauerimus eruditioni, nostrisq; temporibus, locis & personis, sine fructu audiuntur & leguntur omnia.

Mittitur propheta, instruitur & confirmatur. 1. Iubet prophetam impedimentis omnibus sepositis, se accingere muneri & iam iam prodire ad prophetandum. Accinge lumbos, figurata est oratio. Qui enim peregrè profecturi sunt, accingunt se. Dicit ergo. Sis paratus, impedimentis abiectis omnibus. Surge, prodito, capesce munus, Wolauf vnd dran. Nolui te cunctari diutius. Sic legimus in euangelio, Sint lumbi vestri præcincti, &c. Lucæ 12.

Quid agat Ieremias. 2. Ostendit prophetæ quid agat, & quod eius futurum sit officium. Vt inquam loquaris ad eos. Prophetam ergo, id est, prædicatorem constituit, cuius officium sit loqui ad populum vel prædicare populo. Iam etiam quid loquatur & annunciet populo, diserte significat, Omnia quæ ego præcipio tibi. Omnia inquam, nõ quædam duntaxat. Neq; dissimulabis quicquam. Neq; tu afferes quæ tibi videbuntur, sed quæ ego tibi præcipio. Obserua quæ ego tibi præcipio ait, non quæ alij tibi pręcipiunt, aut quæ videbuntur alijs. Congruunt cum hoc Domini mandato, quæ ipse Dominus Iesus suis discipulis præscripsit, & in vltimo Matth. cap. dixit, Docentes eos seruare omnia quæcunque ego præcepi vobis. Præcepi inquam dicit, non præcipiam in futuro per Concilia & Patres. Et quorsum oro pertinet populo proponere humana, cum præstent modis omnibus diuina? Hæc tollunt facultatem nomothetis nostris, nouas in diem leges in religione promulgare. De quo dixi etiam superius.

Consolatio diuina. 3. Quoniam verò hæc res non laboris modò ac molestiæ, sed periculorum plenissima est, vt non temere sibi quis hic metuat, subiungit Dominus consolationem & cõfirmationem. Vide, inquit, ne timeas aut paueas à facie eorũ, quòd inquam sunt potentes, maiestate verendi, truces & formidolosi. Alij legunt, Ne sis anxius. Rationem subdit ab vtili, cur non timeat, Ne te anxium vel pauere te faciam à conspectu eorum. Id est, Ne tibi spiritum meum subducens, faciam te metuere nebulones illos, vt anxius & impexus curis, miserè te excrucies, & illos timeas. Alioqui efficit Dominus, vt qui fideliter munus suum exequuntur, timeantur, non timeant. Vtcunq; enim tyranni prædicatores flocci facere videri velint, dicta tamen & facta ipsorum testantur, discruciari ipsos animis & sibi metuere à cõtemptis illis Dei seruis. Timuit Ioannem Herodes, & Heliam Achab. Porrò subiungit aliam rationem cur non metuat, & quidem copiosissimam & elegantissimam. Promissionem enim amplissimam proponit. Facio te nunc ciuitatem munitam, quæ videlicet oppugnari quidem possit, expugnari autem non possit. Faciam te columnam ferream, in officio tuo robustum, constantem, non infirmũ, flexilem, inconstantem, sed & qui labores vniuersos sustinere possit. Faciam te murum æneum, qui non queat perrumpi aut deijci. Figurata autem sunt hæc omnia, & hoc gratiora & elegantiora.

Promissio insignis.

Ad quos mittatur & quos habiturus sit hostes. 4. Huic promissioni etiam innectitur ad quos ipsum mittat Dominus, & quos habiturus sit hostes. Omnis autẽ ordinis homines cõmemorat, Reges, Principes, Sacerdotes, Populum. Omniũ enim Dominus & rex est Dominus Deus noster,

noſter, qui per legatum ſuum mandare poteſt illis omnibus quòd vult. Sicuti & ſuperius eſt dictum. Similia legimus in cap. Matth. 10. Ad reges & principes ducemini propter me. Ad Ananiam de Paulo Acto. 9. dicitur, Organum electum eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coràm gentibus & regibus, & filijs Iſrael. In eodem euangelio complurima huius argumenti conſolatorij leguntur apud Matth. in 10. & Luc. 12. & 21. cap. Et paulò ante eadem quoq; diximus. Quæ omnia miniſtri & prefecti ſibi ipſis aptabunt, vt animoſè ſuum munus obeant, & fideliter Deo & populo inſeruiant.

5. Ne autem Ieremias intelligeret ex promiſsione diuina ſibi nullum fore ſubeundum periculum, ſubiungit manifeſtè, & ait, Pugnabunt contra te. Perſtat adhuc in parabola munitæ vrbis. Vndiq; te adorientur omnis ordinis & ſexus ætatisq; homines. Accuſabunt te veluti turbatorem pacis, ſchiſmaticum & hæreticum. Cæterùm conſolationis gratia iterum ſubiungit, Non præualebunt tibi. Nam vtcunq; Ieremias in Ægypto lapidibus ſit adobrutus, vicit tamen in Domino, & lauream martyrij eſt conſecutus. Cæſores verò æternam ſibi inuſſerunt maculam, & miſerè perierunt: itaque non præualuerunt ei. Cauſam iterum ſubnectit, cur non ſint præualituri ei, Ego enim tecum ſum, vt te liberem. Sic Matth. 28. apoſtolis quoque promittit. Si autem Deus noſter eſt, & is nobiſcum eſt, quis noceat? Si Deus nobiſcum, ait apoſtolus, quis contra nos? Similia ſuperius ſunt dicta. Sed & obſignandi gratia adhuc adijcit, Dicit Dominus, nimirum omnipotens, & qui mentiri non poteſt. Nemo ergo dubitet de his Dei promiſsionibus. Ipſi gloria. Periculaprædicatorum.

ORATIO IEREMIAE PRIMA.

Subiungitur præfationi Oratio prima, qua accuſat Iudæos maximorum ſcelerum, hortans ad pœnitentiam.

CAPVT II.

CONCIO V.

FActum eſt autem verbum Domini ad me, dicens, Vade & clama in aures Hieruſalem, & dices, Sic dicit Dominus, Recordatus ſum tui & pietatis adoleſcentiæ tuæ, dilectionis, deſponſationis tuæ, cum ſequereris me in deſerto, in terra non ſeminata. Fuit Iſrael ſanctus Domino, primitiæ frugum. Omnes deuorantes eos delinquunt, malumq; ſuper eos veniet, dicit Dominus. Audite verbum Domini domus Iacob, & omnes familiæ domus Iſrael. Sic dicit Dominus, Quid nam iniquitatis inuenerunt in me patres veſtri, quòd elongarunt ſe à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, & facti ſunt vani? Nec dixerunt, Vbi eſt Dominus, qui eduxit nos ex terra Aegypti, & duxit nos per deſertum, per terram vaſtam & inculta, per terram ſiticuloſam & vmbræ mortis, per terram, per quam nemo tranſibat, & vbi nullus homo habitabat? Et introduxi vos in terram cultam & fertilem, vt comederetis fructum eius & quicquid habet boni. Ingreſſi autem contaminaſtis terram meam, & hæreditatem meam reddidiſtis abominandam. Sacerdotes non dixerunt, Vbi eſt Dominus? Et qui tenebant legem non cognouerunt me: ſed & Paſtores præuaricati ſunt in me: & Prophetæ vaticinati ſunt in Baal, & abierunt poſt ea quæ prodeſſe non poterunt.

PRAEFATIONI ipsum Ieremiæ opus nunc subiungitur, comprehendens Sermones vel Orationes, Concionesue, aut Homilias & Historias varias & vtiles. Etenim Ieremias vocatus à Deo, instructus & confirmatus, vocanti obtemperat, ad concionandum prodit, fidelissimecp suum munus exequitur: vt suo exemplo instituti omnes fideles ecclesiarum ministri, quid etiam ipsi faciant agnoscant, & Dei inuocato auxilio, intrepidè & magno animo faciant.

Oratio Ieremiæ prima, & argumentum orationis.

Oratio Ieremiæ prima, putatur ad populum habita mox ab initio prædicationis suæ circa 13 Iosiæ annum, cum inueniretur liber legis, ac corrupta iam apparerent omnia. Similis videtur per omnia Concioni sanctis. vatis Isaiæ, quam primis 5. cap. absoluit. Hæc continetur proximis 5. capitibus & extenditur ad cap. vscp 7. Et est generis iudicialis, criminatoria vel obiurgatoria, declinans tamen vbicp ad hortatoriam. Nam accusat populum grauissimorum in Deum commissorum scelerum, adeocp reum agit iniuriarum: pœnam interim eis interminans, nisi reuersi ad Dominum, emendentur. Vbicp ergo reuocat ad pœnitentiam. Est autem hoc totius Orationis huius argumentum. Proinde docetur in hac, qualis sit Deus, quàm beneficus, verax & iustus: qualia sint populi peccata: qualis futura pœna: quales futuri hostes, quid facturi: denicp quomodo redeundum sit ad Dominū, & quæ nam vera sit pœnitentia. Quæ quàm vtilia & necessaria nobis maximè futura sint, intelligit quilibet, etsi nihil adijciam amplius.

Præfatiuncula.

Præmittit autem Orationi præfatiunculam, & disertum Domini mandatum, breuissima quapiam historiola comprehensum. Factum est autem verbum Domini, &c. Duo autem monet paucis hisce verbis. Principiò ea quæ adferuntur à Ieremia, licet homo sit, diuina esse tamen, & verbum Ieremiæ esse verbum Dei. Vnde meritò ei absep contradictione credendum sit. Huc pertinet quòd in

Doctrina Ieremiæ Dei est verbum vel doctrina.

ipsis Concionibus repetitur toties, & inculcatur ad fastidium propemodum vsque, Sic dicit Dominus. Locutus est quidem hæc verbis suis Ieremias, sed acceperat ipsa ex inspiratione sancti spiritus, qui erudiebat & suppeditabat quid loqueretur & doceret. Deinde iubetur hoc verbum sibi reuelatum à Deo, non sibi ipsi reseruare, aut semel ac iterum vel leuiter annunciare, sed clamare in aures.

Clamare in aures.

Est autem locutio Clamare in aures, Einem in die ozen schreyen. Surdastris clamare solemus in aures. Significat ergo Dominus, populum suum duris vel asperis atcp adeò & occlusis esse auribus: opus ergo esse clamoribus, id est, prædicatione acri, diserta, continua, quæ non dicat tantùm, sed inculcet pietatem, ingeminatisep clamoribus ad molestiam vsque, verbum Dei ac pœnitentiam occinat. Hæc obseruent Concionatores, & sint seduli, constantes & acres. Apud Isaiam quoep 58. cap. ait Dominus, Clama, ne cesses, &c. Nemo prætexat auditorum vel ignauiam, vel rebellionem, & colligat inde prædicationes esse frustraneas. Nam apud Ezechielem ait Dominus, Siue audiant siue non audiant, tu annunciabis illis: ne videlicet ignorantiam suis prætexant peccatis. Discant & auditores boni consulere prædicatorum (vt ipsis quidem esse videtur) importunitatē. Opportunè enim & importunè agere cogūtur, & explorare omnes vias & rationes, per quas populum Deo lucrentur.

Exordium Orationis, Dei studium, beneficia & paternā curam exponit

Exordium Orationis (nunc enim prophetæ subiungitur Oratio) adumbrat Dei studium & beneficentiam in populum Iudaicum, exemplisep probat paternam beneuolētiam, declarans Deū nunquam in quoquam suo defuisse populo. Cui mox annectit obiurgationē vel criminationem, Cum Deus talis fuerit semper, & idē Deus maneat semper, Iudæos nullam suæ à Deo defectionis caussam prętexere posse, ideocp iā in nephando deprehēsos scelere turpiter hærere. Dicit autē Deus se earū recordari rerum, quarū multò iustius recordari debuerat Dei

populus.

populus. Figurata est itaque locutio. Parentes cũ ad liberos aiunt, Jch gedenck wol deß lieben tags/das ich auch etwas gulten hab: id dicunt, Vos expensis omnibus beneficijs vobis à nobis exhibitis, reuereri nos oportuerat. Ita nunc Deus ad populum suum dicit, Recordatus sum tui, ac repeto mecum quid tibi tuisq; præstiterim maioribus, id quod tu te cũ animo tuo repeteres, nisi insanus esses. Mox autem incipit commemorare ingentia populo exhibita beneficia. Et 1
principiò quidem, ait, recordatus sum pietatis adolescentiæ aut iuuentutis tuæ. Eleganter populo Dei, veluti personæ alicui, tribuit ætates. Fuit autem iuuentus vel adolescentia Iudaici populi, ætas & tempus patriarcharum, Abrahami, Isaaci, & Iacobi, qui sanè omnes insigniter fuerunt pij, boni & felices, idq; ex bonitate & munificentia Dei patris. Deinde recordatus sum, inquit, aut tu potius 2
recordari debueras, quantum dilexerim, amoris q; maxima signa ostenderim ad montem Sina, cum populum mihi despondi, veluti cum princeps aliquis puellam pauperculam alioqui & vilem deperit, ipsamq; sibi iungit matrimonio, ac in societatem bonorum omnium recipit. Sic enim Deus fœdere sibi coniunxit populum Israelis, non aliam ob caussam, quàm quòd amaret hunc populum, quod & Moses dixit Deuteron. 10. & assumpsit illos in participatum bonorum omnium. Præterea multa & ingentia & innumera eis contulit beneficia per an- 3
nos quadraginta, dum eos duceret per desertum, ipseq; populus, vt vxor maritum peregrinantem, sequeretur. Quibus accedit quòd omnibus temporibus 4
hæc gens Deo fuit veluti peculium, & consecratum quippiam, ac veluti primitiui fructus, qui solius erant Dei, neque his nisi sacerdotibus Dei liceret frui. Ergo qualescunque gentes deuorare vellent Israelitas, id est, infestare & opprimere, contra Deum peccarunt, culpam sibi grandem Deiq; indignationem contraxerunt, Haben sich übel verſündet, ac omnia in se mala deriuarunt. Experti sunt talia, maximo suo malo Amalechitæ, Amorrhæi, Chananæi, Moabitæ, & multæ aliæ gentes. Debuerant ergo Iudæi ex consideratione beneficiorum horum Dei maximorum intelligere, Deum diligere populum suum, curare, euehere, tueri & seruare. Proinde adhæsissent meritò vera fide soli, dilexissent & coluissent ipsum vnicè.

Quid autem fecerunt Iudæi? Nunc auspicans accusationem inducit & opponit primam Iudæorum iniuriam, qua affecerunt Deum indignissimè: accusat inquam scelus maximum, ipsorum apostasiam, Dei ignorantiam, pariter & omnium beneficiorum Dei obliuionem. Non enim recordati sunt operum Dei, vt inde colligerent hunc solum esse Deum omnisufficientem, bonum, & omnium bonorum authorem, solum adorandum, inuocandum & colendum. Compellat autem pariter omnes, ne quis suæ confidens iustitiæ, se crederet exceptũ esse ac nihil ad ipsum hanc pertinere obiurgationem. Repetit subinde etiam, quod modò dixi, verbum hoc quod proponit, Dei esse verbũ, ne quis illud se impunè credat contemnere posse. *Defecerunt à Deo.*

Per interrogationem verò & concessionem incendit orationem ac dicit, Quid nam iniquitatis? &c. Nos diceremus, Was haſt du vnglycks / mangels vnd fals an Gott? Cum talis fuerit Deus erga maiores vestros, sicuti modò cõmemorauí, quo iure vel qua iniuria longe recesserunt à Deo patres vestri? Quare vos toti non pendetis à patre tam benigno, Deo tam potente & benefico? Discimus hinc non semper valere argumentum quod ab exemplo patrum ducitur. Nisi enim sequantur verbum Dei & pendeant à solo Deo, nihil valet ipsorum exemplum.

Mirè autem euidens est hæc prophetæ concessio, Quidnam iniquitatis inuenerunt in me patres vestri? Cum enim iam exposuerit diuinam potentiam Iu- *Expostulatio Dei cum incredulis.*

dæis præstitam, curamq; paternam eis impensam, ipsumq; Deum constet vnum & solum verum esse Deum, omniumq; bonorũ abundantiam & sufficientiam, nihil vitij, iniquitatis, defectus, impedimenti, aut quod vituperes, in Deo inuenitur. Extrema ergo iniuria est, deserto hoc supremo absolutissimoq; bono apostatare post Deos, qui nihil minus sunt quàm Dij. An non eadem dicere hodie ad nos posset Deus, & nobiscum expostulando clamare? Quid obsecro tot habetis doctores & ductores, tot ordines & regulas? Cur veneramini, inuocatis & colitis tot saluatores, patronos & intercessores? An non dedi vobis filium meũ, per quem declaraui me esse generis humani patrem benevolum & beneficum? An non illum vobis dedi ductorem, doctorem & saluatorem? An non euangelium, vt doctrina plenissima, sufficit vobis? An non dedi vobis filium meum patronũ & intercessorem salutemq; vnicam? Dicite quid desideratis in filio meo? Quid desideratis in euangelio? An verò non satis potens, verax, clemens, benignus & beneficus est filius meus? Si nihil in ipso desideratis, cur ei soli non adhæretis? Ergo si deserto ipso alijs adhæseritis, declarabitis apertè, neq; Christũ vos vera fide recipere, neq; agnoscere ea quæ ego mundo dedi in Christo. Quid ad hæc respondere poterunt Papistæ? Confusos omnino hærere oportet. Si quid proloquentia sua attulerint, nunquam tamẽ effecerint ne Christus solus sit plenitudo. Nisi ergo ad ipsum accesserint, nunquam absoluentur. Extat in operum Erasmi Roterodami tomo 5. huius generis elegans Expostulatio Iesu cum homine pereunte: quæ imprimis huc facit & hinc petita videtur.

Elongastis vos à Deo.

Porrò duo impingit Ieremias perfidis ludæis. Principiò, Elõgastis vos à Deo. Alluso fit ad desertores & transfugas milites. Non tantum recessistis aut defecistis, sed quàm longissimè à Deo discessistis. Fit sanè hoc per cultum creaturarum. Plenè enim Dei obliuiscimur, aut si eius aliquando recordamur, breuis est illa recordatio. Totos enim nos impendimus cultui creaturarum & in hoc oblectamus nos, longè post tergum nostrum relicto Deo. Deinde, Ambulastis, inquit, post vanitatem, & facti estis vani. Deus plenitudo est omnium bonorum, veritas & perpetuitas. Quicquid homo præter Deum eligit quod colat, res est inanis & vacua. Et idola vanitates appellantur, & qui illa sectantur, sectantur vanitatem & rẽ nihili, & fiunt vani, frustrantur spe sua & salute. Nam propheta ait, Similes idolis fiant qui faciunt ipsa. Denique saturantur qui Deo adhærent: qui creaturas colunt, esuriunt, neq; iucunda saturitate adimplentur.

Obliuio beneficiorum Dei.

Iam etiam impingit eis obliuionem omnium Dei beneficiorum, adeoq; & contemptum. Non dixerunt, Vbi est Dominus? Apud Christianos nihili penditur, quod legitur in historia euangelica de miraculis Christi: si verò nouum aliquod idolum, vel Aquense, vel Lauretanum, vel aliud aliquod emergat, apud quod miracula incipiant edi, Deus bone, quantus fit ad statuam illam concursus? Prædicantur, pingur[illegible] scribuntur, cantantur & inculcantur omnibus miracula illa Aquensia & Lauretana: proletaria præ his videntur, quæ ab euangelij prędicatoribus proferuntur ex euangelio & commendantur. Nemo ergo istorum dicit, Vbi iam est Christus? Quid obsecro designauit Christus? Qui scilicet pro nobis incarnatus est, qui prædicauit nobis veritatem, qui miracula maxima & innumera designauit, qui denicq; mortuus est & resurrexit, & ascendit in cœlum: inde verò reuelauit, vt caueremus nobis ab Antichristo & à falsis eius signis. Hæc si dicantur & inculcentur apud multos, parum aut nihil ponderis habent: libentius audiunt de idolis & signis idolorum. Hæc plus apud ipsos authoritatis habent. Tales autem Dei & Christi eius reuera obliti sunt.

Beneficium patribus in deserto exhibitum.

Sex autem attributis amplificat beneficium diuinum, quod patribus præstitit ducendo ipsos per desertum. Appellat hanc terram vastam & feris infestã.

Incultam

Inculta item, vel horridam dumis & sentibus, asperam petris & scopulis. Siti-
culosam, aridam sine riuis & fontibus. Terram vmbræ mortis, id est talem quæ *Vmbra mortis quid.*
certò conficiat ingredientem. Vt enim vmbra corpus sequitur, ita videbatur de
sertum ingrediens mortem ponè insequentem & vrgentem habere. Significat &
vmbra mortis densas tenebras & anxietatem animi desperabundam & morti vi
cinam. Terram denique inuiam, per quam nemo, id est pauci ambulabant: & in
qua nemo habitabat. At in hac commodissimè habitare fecit Dominus Izraelē,
pauit pane cœlesti, potauit ex petra, vestes & calceos, ne detererentur effecit.
Addit iam reliquam partem beneficiorum maximorum, Et introduxi vos in ter
ram cultam, &c. Concessi autem vobis & ædificia & agros & bona terræ huius
vniuersa. Commemorantur hæc & in Deuteronomio cap. 8. vnde copiosiora pe
ti possunt. Beneficia nobis per Christum præstita longe sunt maiora. Attamen
eorum obliti Christiani, plus mirantur nugas & Siculas gerras.

Redit iam & ex opposito exponit post commemorata beneficia, quæ malefi
cia beneficijs oppositurint ingratissimi. Ego induxi vos, inquit, in terram amœ-
nissimam & optimam, & bonis omnibus & quidem præstantissimis vos velut a-
dobrui. Quid autem vos fecistis? Quod apud Isaiam dixit Dominus, Filios eue- *Ingratitudo & conscelcratio.*
xi ad opes, honores & dignitates, ipsi verò spreuerūt me. Beneficijs vos mihi ob
stringere volui, cæterùm vos auulsistis vos à me & à verbo meo. Terram autem
datam contaminastis, & meam hæreditatem, quam vobis veluti in feudum tradi
deram, reddidistis abominabilem, idololatria videlicet, apostasia, sanguine, libi-
dine & scelerisbus nephandissimis. Quæ si hodie etiam dicantur contra Germa-
niam, patriam nostram, nescio an mendacij quis possit arguere.

Quod autem paucis & breuibus dixit, copiosius porrò declarat, veluti distri *Omnes gradus vel ordines corrupti.*
butione quadam subiecta: qua ostendit omnes in ecclesia ac repub. ordines cor-
ruptos, neminem prorsus suum facere officium. Erant autem ordines in popu-
lo instituti, ad conseruationem & vtilitatem ecclesiæ & reipub. Sacerdotes, Le-
gisperiti, Pastores & Prophetæ: sicuti nūc quoq; in ecclesia ordines sunt institu
ti, quos apostolus commemorat. 1. Corinth. 12. & Ephes. cap. 4. Sacerdotes erant *Sacerdotes.*
ministri sacrorum in tabernaculo & templo, horum erat recipere oblationes à
populo & offerre Deo, hortarique omnes ad preces, ad inuocandum Deum, &
ad gratias agendas pro beneficijs Dei, adeoq; curare, vt populus omnia per fidē
referret ad Deum. Tales sacerdotes fuerunt Aaron, Eleazar, Samuel & infiniti
alij. Sed quales erant sacerdotes Ieremiæ sæculo? Ignari Dei & rerum diuinarū.
Non requirebant Deum. Non remittebant populum ad Deum. Si quis obtuliſ-
set aliquid, offerebant in nomine Baal, non in nomine Dei solius. Inuocabant
non solum Deum, sed & Baal, quemadmodum de sacerdotibus Baal legis 3. Re
gum 18. clamauisse videlicet eos, Baal exaudi nos. Non itaq; quærebant Domi-
num, sed magis lucrū, pecunias, voluptates, honores, dignitates. Non dixerunt,
Vbi est Dominus? Sed, Vbi sunt conuiuia? Vbi sunt honores & dignitates? Vbi est emolumentum & pompa? Ita nostro sæculo inuenias sacerdotes parum pe
ritos rerum diuinarum. Docent hi inuocare diuos. Si quis pretium his offerat,
offerunt ipsi Missam Deo, in nomine S. Vuendelini, Beatricis & aliorum non
satis cognitorum sanctorum. Dominus autem dixerat. Hoc facite in mei memo
riam, &c. Est & his in ore, Vbi est lucrum? Vbi sunt boni socij? Vbi est bonum
vinum? De deo nulla aut minima est cura. Lege Isa. in 56.

Tenentes legem erant Legisperiti, qui in synagogis legem profitebantur & *Legis doctores*
sedebant in cathedra Mosis, quorum officium erat vrgere legem Dei, innouatio
nibus se opponere, synceritatemq; et veritatem religionis antiquā in ecclesia re-

tinere. Verùm temporibus Ieremiæ ſicuti & Chriſti temporibus ſcopum legis Deum non videbant, Deumq; non cognoſcebant verè, & ideò religionem veram neque tuebantur, neq; propagabant. Diſputationes illorum inſtitutæ erant de Baal, de conſuetudine & traditionibus patrum. Non eſt quod multis hic commemorem qualia ſint ſtudia, quæ lectiones & diſputationes in ſcholis ferè theolog. ſcholaſt. omnium. Multo rectius interpretabuntur quodlibeta obſoletorũ ſcriptorum, aut rancidorum monachorum, quàm prophetiam aliquam prophetæ Dei, aut epiſtolam aliquam apoſtoli Chriſti. Parum ergo aut nihil de Deo intelligunt, in ſcholaſtica duntaxat illa ſua theologia, philoſophia Ariſtotelis temperata, exercitati ſunt.

Paſtores. Paſtores erant in populo ſacerdotes, ſeniores, presbyteriue, iudices & proceres ex populo potentes. Sed & reges manifeſtè appellantur paſtores populorum. Horum officium erat conſtringere petulantiam & libidinem vulgi, coherereq; diſciplina audaciores & impuriores. Sed illi ipſi præuaricabantur primi leges, & erant authores atq; exempla vulgo peccandi, & corruptiſſimè viuendi. Confer cum his quæ hodie fiunt à proceribus & ſenatoribus multis ac corruptis, & deprehendes in hac corruptione nos parum iſtis eſſe ſynceriores.

Prophetæ. Prophetæ erant prædicatores in populo: quorum officium erat prædicationibus pijs & ex lege Dei petitis ducere ad Deum populum, docere fidem in Deum & Meſſiam eius, ſcelera arguere, pœnitentiam vrgere, adhortari ad omnia opera bona, & conſolari tentatos & exercitatos in aduerſis. Cæterùm Concionatores temporibus Ieremiæ non habebant ſcopum prædicationum ſuarum Deũ & gloriam Dei, ſed Baal. Eſt autem prophetare in Baal aut in nomine Baal, non ſolius Dei verbum, inuocationem & cultum prædicare, ſed coniungere Deo etiam humanam doctrinam creaturarumq; cultum & inuocationem. Materia veri prophetæ eſſe debet ſolus Deus & vnicum verbum Dei. At iſti his non contenti, doctrinas hominum, & cultus humanos creaturarum, diuorum, & idolorum coniungebant. Alibi verò copioſe dixi quid ſit Baal. Significat communiter Dominum, maritum & poſſeſſorem: ac ferè aptatur cuilibet Deo fictitio. Baalim nonnunquam idola ſignificant, fortè etiam Deo vero poſita. Coluerunt Iſraelitæ verum Deum, quem non reiecerunt prorſus, ſed ſimul cum Deo coluerunt Deos medioxumos, vt vocant, patronos vticq;. In excelſis certè ſacrificarũt: quod Deus vbiq; vituperat: & tamen Deo in excelſis immolarunt, id quod manifeſtè legitur 2. Paralip 33. Quia tamen Deus excelſa prohibuerat, ideò peccarunt etiam Deo in excelſis ſacrificantes. Sic prohibuerat quenquam colere præter ſe: peccarunt ergo colentes cum Deo Baal. Fuit etiã Baal peculiariter Deus & idolum Sidoniorum, ſicuti nobis exponit hiſtoria Regum lib. 3. cap. 16. At ea doctrina prophetarum, populo non tantum non profuit, ſed obſuit plurimum: nam perdidit regnum. Vulgata æditio hunc locum legit, Et ſecuti ſunt idola. Certè idola ſunt res inutiles. Quæ verò materia ſit Concionatorum plerorumq; in Papatu, cognitum eſt lippis & tonſoribus. Vix prælegerunt locum aliquem ex Euangelio breuem, mox eruperunt in locum aliquem communem de Poteſtate Papæ, de Clauibus, de Condonationibus, de Indulgentijs, de Anniuerſarijs & Purgatorio, de Redimendis peccatis, de Votis & Oblationibus, de Satisfactionibus, de Inuocatione & cultu ſanctorũ, de Veneratione reliquiarum & imaginum. Quinimò ex Legenda aurea, & Lampartica hiſtoria, ex Marialimagno & Pomptuario exemplorum, fabulas & ſtupendas recitarunt nugas. Quæ reuera & ipſæ nihil profuerunt auditoribus, iuxta apoſtoli verbum 2. Timoth. 4. Nam religionem veram in obliuionem adduxerunt, & ſuperſtitionem in religionis locum erexerunt. Vnde videmus omnia per eccleſiam idolis & ethelo-

Prophetare in Baal.

Baal.

triſcijs

triscijs esse referta, ac veram insuper religionem damnari passim velut hæresim, & omnium malorum parentem. Dominus aperiat oculos cæcorum, Amen. Colos. 2.

Grauissimè adhuc accusat populum defectionis perfidæ.

CONCIO VI.

Et ob id ego rursus iudicio contendam vobiscum, dicit Dominus, & cum filijs quoque filiorum vestrorum disceptabo. Transite enim ad insulas Chittim, & videte: mittite in Kedar, & considerate diligenter, & videte num quid simile factum sit: num gens vlla mutauerit Deos? qui tamen non sunt dij: & populus meus mutauit gloriam suam in id quod nihil prodest. Propter hoc obstupescite cœli, exhorrescite & vehementer turbemini, dicit Dominus: quoniam duo mala fecit populus meus, me deseruerunt fontem aquarum viuentium, vt effoderent sibi cisternas, cisternas inquam dissipatas & pertusas, quæ aquas non habent.

PErgit diuinus vates reuincere populum criminis omnium maximi, defectionis scilicet à Deo. Quia enim hoc non agnoscebant, sed cultum se Deo præstare credebant dum colerent creaturas, diligentius & acrius erant tractandi. Quemadmodum hodie quoque conuenit, & necessarium est, vt qui diuos adorant, inuocant & colunt, eaq; re plurimum sibi apud Deum mereri, Deoq; gratum præstare obsequium videntur, impensius accusentur ac reuincantur defectionis, vt intelligant se non modo nihil boni isto cultu mereri, sed Deum potius prouocare ad iram, vtpote qui cum zelotypus sit, nulla re magis ira inflammetur, quàm cum solus & mente syncera non colitur, sed alij coluntur pro eo aut cum ipso. *Reuincendus est populus eius peccati, quod non agnoscit.*

Sermonis verò figuram ita attemperat, vt videaris tibi videre ipsum Deum ante consessum stare iudicum, & accusare, imò reos agere apostasiæ, aut violati fœderis totum Iudæorum populum. Orationem verò propheta sic connectit, Cum nihil iniquitatis in me inueniatis, & nihilominus omnes gradus & ordines præuaricentur in me impudentissimè, & absq; vlla pœnitentia, cogor sanè vocare vos in iudicium, iudicioq; contendere vobiscum, & conuincere vos violati fœderis, & fœdissimę defectionis à me. *Scopus huius loci.*

Ne quis autem posterorum existimaret hæc patribus duntaxat intentata nihil prorsus ad se pertinere, sibiq; liberum esse vel alios pro vero Deo Deos, vel non solum Deum venerari & colere, adijcit Dominus, Et cum filijs quoq; filiorum vestrorum disceptabo, non quidem cum præsentibus tantùm, sed & cum futuris. Perpetua est enim & constans Dei voluntas, præcipiens, desertis omnibus creaturis soli ipsi adhærere, solum adorare, inuocare & colere. Quicunq; ergo, quocunq; tempore, vel pro Deo, vel cũ Deo vero alios venerari voluerint, sciant certissimè hanc expostulationem vel accusationem Dei contra ipsos esse intentatam. Maior verò est vnius huius loci authoritas, quàm omnium Conciliorum & Patrum, vnà cum Deo iubentium colere creaturas. *Pertinet hæc oratio Ieremiæ etiam ad posteros.*

Concessione verò vel permissione per comparationem amplificat crimen defectionis enorme. Nam iubet ipsos totum percurrere & lustrare terrarum orbem, atq; adeò diligentissimè inuestigare, num liceat alicubi terrarum reperire gentem aliquam, quæ permutauerit cum alijs dijs Deos suos. Cum autem constet id nusquam inueniri, infert protinus, & ait, Certum est itaque te pessimum & perfidissimum in mundo esse populum, qui gloriam tuam permutaueris, con- *Sensus verborum prophetæ*

tra ius & consuetudinem in colendis dijs omnium gentium, cum re inani & inutili prorsus. Hic sensus est verborum prophetæ, in quibus quædã fusius explicanda veniunt.

Citthijm & Kedar.

Citthijm videntur plerisq; Cyprij esse, sed reuera insulares sunt populi, terras inhabitantes in mare excurrentes: qualis est Græcia, Italia atq; Hispania, Occidentales in Europa regiones. Porrò Kedareni sunt Arabes, quos posteri Saracenos appellarunt. Cæterùm duos commemorauit populos, vel duos potius terminos & limites, Occidentalem & Orientalem vel Aquilonarem, & sub his omnes habitati orbis plagas intelligens comprehendit: quas si scrutentur accuratissimè, nuspiàm reperiant tantam leuitatem quantam apud Iudæos. Ad phrasim Hebraicam pertinet quod dicitur, Et ecce factum sicut hoc: id quod alij significantius reddiderunt, Num simile quid factum sit: vel si tale quid factum sit, Ob doch der glychen gefunden werde oder ye/oder yenen beschähen sye/&c.

Permutatio.

Permutatio autem fit cum aliud pro alio datur, vt cum das ferum aut aurum & accipis pro illo plumbum vel lutum, aut vinum pro frumento: vel si tradas alicui honestam matronam, tu pro ea accipias triobolare scortũ, Das heißt vertuschen vnd verwächslen. Gentes quæq; suos habebant Deos patrios, quos nõ permutabant, vt alijs veluti traderent suos Deos, ipsæ aliorum reciperent: sed constanter suos retinebant Deos. His tamen coniungebant alios, quos & ipsos colebant. Iudæi verò obliuiscebantur Dei veri, aut certè præterito Deo vero nec glectoq; recipiebant & colebant Deos aliarum gentium.

Quare Romani nunquã receperint Deũ & cultum Dei Israelitici.

Huc mihi quadrare videtur illud Augustt, ex 1. libro de Consensu euangelist. cap. 18. vbi disputat, Quare Romani nunquam receperint Deum Hebræorum ac cultum eius, cum tamen omnium gentium Deos receperint colendos? Nec aliam caussam affert, quam quod Deus Israelis solus absq; consorte coli voluerit. Verba eius hæc sunt, Nihil restat, vt dicant cur huius Dei sacra non receperint, nisi quia se solum coli voluerit: illos autem Deos gentium, quos isti colebant, cõli prohibuerit. Socratis enim (quem sapientissimum omnium hominum, etiam oraculo fuisse fi marunt) sententia est, Vnumquenq; Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum præceperit. Proinde Romanis summa necessitas facta est, non colendi Deum Hebræorum. Quia si alio modo eum colere vellent, quàm se colendum ipse dixisset, nõ vtiq; illum colerent, sed quod ipsi finxissent. Si autem illo modo vellent, quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc respuerunt vnius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent, magis sibi arbitrantes obfuturam fuisse istorum iracundiam, quàm illius beneuolentiam profuturam. Tantum Augustinus.

Gloria Israelis est, Deus.

Porrò Gloriam Israelis appellat scriptura ipsum Deum Israelis, non tam quòd ipse Deus, glorioſus sit Deus, quàm quòd est gloria populi sui: à quo videlicet gloriam accipiunt, illustrantur denicq; & seruantur, & de quo gloriari deberent meritò. Ita certè Gloria populi appellatur Deus, Psalmo 106. Mutauerunt gloriam suam in effigiem bouis comedentis fœnum. Et Psal. 3. Gloria mea & exaltans caput meum. Apostolus quoq; ad Rom. 1. Et mutauerũt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in effigiem imaginis corruptibilis hominis.

Deus immutabilis.

Interim Deus quantum in ipso est, immutabilis est, neq; vnquam mutari potest: cum verò de Deo in animis nostris iudicamus aliter, quam ex verbo Dei docemur, in quo quid de ipso iudicemus, exponit, mutare Deum dicimur, eò quod animi nostri mutentur, & aliter sentiamus de Deo quàm veritas in Deo habeat. Turpissimum est autem & insania quædam enormis, nõ tantùm Glauci & Diomedis (quod dicitur) permutatio stulta cõmutare Deum, qui gloria est & supremum bonum credentium, cum eo quod nihil minus est quàm Deus, & quod

nihil

nihil prodeſt, cum Deus ſit copiæcornu bonorũ omnium: dij autem fictitij non ſint dij, neque quicquam conferre poſsint cultoribus indigis rerum omnium. Vulgata verſio hunc locum ita reddidit, Populus verò meus mutauit gloriam meam in idolum. Sed quod ſenſum attinet, nihil aut parũ eſt diſcriminis. Quantum verò diſtat ab hac inſania peccatum Papiſtarũ, quo & ipſi Deo vero deſerto, conuertũtur ad creaturas, ad diuos inquã, ad idola & ad res nihili ac inanes?

Pergit propheta hoc peccatum exaggerare per Proſopopœiam. Nam cœlos cõpellans dicit, Propter hoc obſtupeſcite cœli, exhorreſcite & turbemini vehementer, Darumb erſtunend jr himel/erſchiittend iich/vnd werdend nun gar vngeſtüm/&c. Tria enim cõmemorat. Obſtupeſcunt homines cum præ indignitate rei, vel ob inopinatũ caſum, attoniti conſiſtunt, nec quid dicant aut faciant, ſciunt vel habent. Exhorreſcunt qui terrore conturbati, concutiuntur, die ſich erſchiittend vnd an glideren ſchuderend vnd zitterend. Turbantur & tumultuantur cœli, cum intonant, fulgura & fulmina deijciunt in terras. Nos ſolemus ad rem vehementer indignam & impiam, dicere, Darab ſölte ſich der himmel entfärwen: daryn ſölte der donner ſchlahen. At propheta voluit huiuſmodi loquendi genere ſignificare quantum coràm Deo peccatum ſit mutare Deum verum. Hodie pro ſummo Dei cultu habetur, & ornatur hoc peccatũ à monachis & ſacrificis, adeò vt qui nolit in commutationem illam conſentire, habeatur pro hæretico. At vera ſunt quæ pronunciat in præſenti ex ore Domini propheta: grande ergo & inexpiabile peccatum eſt Deum verum permutare cum creatura aliqua. *Quantum ſit hoc peccatum.*

Iterum verò & clarius quidem vel ſignificantius crimen hoc permutationis exprimit, & dicit, Quoniam duo mala fecit populus meus, &c. Principiò enim, Me, inquit, deſeruerunt fontem aquarum viuentium, iugiter inquam ſcaturientium ſemperq; recentium. Et quidem deſerere Deum fontem, eſt non bibere ex hoc fonte, ex vnico inquam non omnia bona petere & ſperare, non vnico & ſolo ſaturatore, vel vt veteres dixere, Saturno contentum eſſe. Eſt autem Deus inexhauſtum mare ac copiæcornu verorum bonorum omnium. Fons appellatur per Tropum, & quidem fons non quilibet, ſed fons aquarum viuentium. Pſalm. 36. legimus, Apud te eſt fons vitæ. De aquis ſalutaribus huius fontis legis apud Iſaiam in cap. 55. & apud Ioan. in 4. & 7. cap. Breuiter, Deus eſt vena & ſcaturigo omnium bonorum ſempiterna & inexhauſta, quæ videlicet nunquam deficit, omnibus ſufficit. Nam in fœderis capitibus, Ego, inquit, ſum El Schadai, Deus ſcilicet omniſufficientia & exaturans. Quicquid enim rerum ſpiritualium aut corporalium homini fuerit neceſſarium, Deus vnus & ſolus ſuppeditare poteſt abundantiſsimè, vt ea nihil ſit neceſſe aliunde emendicare. Hic eſt æternus, omniſcius, omnipotens, clemens, iuſtus, miſericors, ſapiens & pater atque amator hominum, vnicè adorandus, inuocandus & colendus. Deinde ſubiungit malum alterum, quod ſequitur ex primo, vel primo innexum eſt. Qui enim non agnoſcit ſolum Deum eſſe omnium bonorum authorem, à quo ſolo illa ſint petenda, is diuertit ad alienos deos, vt hi ipſi ſarciant, quod ſibi deeſſe ſentit vel exiſtimat. Sequitur ergo in Ieremia, Vt effoderent ſibi puteos, &c. Quaſi dicat, Quia me non agnoſcunt fontem eſſe iugem, omnia vitæ ſcaturientem ac profundentem, ideo puteos ſibi parant, deos inquam alienos ſibi deligunt, à quibus illa poſtulant, quæ fuerant à me ſolo petenda. Fonti verò aquarum viuentium opponit puteum vel ciſternam aut lacunam, imò ciſternam pertuſam, futilẽ, rimoſam, non bene conglutinatam, ſed hiantẽ. Addit אשר לא יכלו המים quæ non poſſunt aquas. Germanicè ſignificantius verterimus, die kein waſſer vermögend. In puteis & ciſternis inueniuntur aliquando aquę: in his, hoc eſt, in *Deſerere fontem aquarum viuentium.*

Fodere ciſternas futiles.

pertusis cisternis, quas isti sibi parant, nullæ sunt. Creaturæ enim vel diui, dij non sunt, exaturare non possunt, nullam gratiam, nulla dona, quæ elargiantur, habent. Consequuti quidem sunt diui gratiam, & vitam nunc habent æternam: sed res istas nemini suorum cultorum conferre possunt. Neque pro dijs coli volunt. Iam verò vide & expende mihi quanta sit insania deserere fontem aquæ viuæ & accurrere ad lacunas turbidas, imò ad cisternas futiles, nullas habentes aquas? Apud Oseam in cap. 3. legis, Ipsi respiciunt ad deos alios, & amant vinacia vuarum. Quod enim Ieremias cisternas aqua carentes appellauit, id ipsum dixit vinacia Oseas, **trappen vnd wyntrâſt**/ carentia succo Lyæi. At stultissimus fuerit, qui relicto vino optimo, conuertatur ad vinacia vel ad lagenas vacuas. Sic autem delirant, quotquot Deo relicto conuertuntur ad deos vel diuos. Dicunt, Non diuos colimus pro Deo, sed cum Deo. Cæterùm vbi nunc illa Dei lex, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies? Aut quid necesse est diuos inuocare & colere, cum solus Deus sufficiat omnibus nostris adimplendis satiandisq; desiderijs? Credis ne hoc, an non credis? Si credis, cur ad alios diuertis? Si non credis, ne existimaueris te quicquam accepturum sine fide, neq; à Deo ipso neq; à sanctis. Excipiunt, Cupimus per interuentum sanctorum æterno nos Deo commendari. Ergóne sancti personam & dignitatem Christi sibi sumpserunt? Christus est mediator, intercessor & patronus, per cuius interuentum scriptura testatur nobis patere aditum ad patrem. Credis ne hoc, an non credis? Si non credis, nihil accipies à Deo, etsi omnium sanctorum patrocinio instructus venias. Si credis, sufficiet tibi Christus: non inuocabis sanctos, non coles illos, veneraberis quidem eos vt fideles Dei seruos & beatos, Deum verò in Christo solùm coles.

Diuos colere cum Deo.

Quòd si conferas inter se fontem & puteum siue cisternam, videbis quàm iniqua & vesana sit commutatio, si quis Deum permutet cum diuis. Fons ex se habet liquorem, nec indiget vt accipiat ab alijs, ipse potius dat omnibus aquam. Cisterna ex seipsa nihil habet, ac nisi aliunde inferatur aqua, vacua manebit. Ita Deus ex seipso diues est, & omnisufficientia bonorum omnium, non indiget vel nostro, vel vllius creaturæ consilio vel auxilio, ipse sua benedictione implet omnes creaturas, & conseruat sua potentia omnes. Sancti ex seipsis nihil nisi corruptionem & peccatum habent, ac nisi ipsorum misereatur Dominus & gratiam suam eis conferat, perierunt. Fons viuus non deficit, sed iugiter salubres profundit aquas, tametsi plures ex ipso bibant. Cisterna verò & exaresci t, & deficit, & quò plus aquæ ex ipsa hauris, hoc minus subinde habet. Ita Deus etsi à mundi exordio saturauerit, & omnibus bonis adimpleuerit patres nostros, ne tantillum tamen thesaurus ille bonorum in ipso est diminutus. Iugiter benefacit, & omnes ipsum accedentes adimplet bonis omnibus. Sancti verò etsi gratiam acceperint à Deo, eandem tamen propter agnatam infirmitatem & lapsus frequentes, non semper retinent, sed sæpe amittunt. Neque verò cœlites iam facti, dona Dei ita acceperunt, vt ipsi alijs rursus impartiri possint, sed pro seipsis acceperunt: ita vt si pergerent illa communicare alijs, hoc minus ipsi possiderent, quò plus alijs erogarent. Fons viuus recentes subinde profundit aquas & salubres, **frisch vnd lieblichs geſchmacks**: Cisternæ etsi aquas habeant, imbuunt tamen illas ingrato aliquo odore, **das es ful waſſer iſt**/ **vnd der Cyſtern nachſchmöckt**. Dei dona sunt purgatissima, diuina & salutaria, nihil habentia vitij. Tanta verò est infirmitas & corruptio sanctorum, vt Dei dona his collata conferantur purissimæ aquæ impositæ & conseruatæ in luteo vase, vnde contrahit vt & colore & odore lutum nonnihil redoleat. Cæterùm propheta ex ore Dei dicit, quod & superius monuimus, cisternas esse futiles

Collatio inter se fontis & putei.

& per-

& pertusas, quæ aquas non habeant. Nam tametsi diui pro se ipsis gratia non careant, alijs tamen dare nõ possunt. Id quod solius est Dei. Discamus ergo omnes accelerare ad Deum fontem aquarum viuentium. Discamus non posse fideles pro Deo, alienos colere deos: aut cum Deo simul alios inuocare, id quod & magnus Dei propheta Helias docuit & demonstrauit, 3. Reg. 18. Discamus interim & hoc, morem esse corruptissimi seculi, non Ieremiæ tantùm, sed nostri quoq;, quòd sponte fluentem & gratis se offerentem omnibus, saluberrimamq; aquam bibere nolumus, magnis autem cum laboribus & sumptibus effodimus (en effodimus) cisternas & quidem futiles. Nam euangelij prædicationem gratuitam respuimus & auersamur, traditiones & constitutiones humanas malumus, tametsi sumptibus & laboribus inæstimabilibus adobruamur. Dominus misereatur nostri & reducat errantes in viam iustitiæ.

Quòd sua culpa & propter peccata, calamitates ferant Iudæi, & grauiores sint experturi.

CONCIO VII.

An seruus est Israel, an familiaris filius? Cur ergo præda patet? Super ipsum rugiunt catuli leonum emittentes vocem suam, & reddunt terram eorum desolatam, & ciuitates eius exustas, vt nemo inhabitet. Sed & filij Noph & Thaphnes verticem tuum concutient. An non tu tibi ipsi id feceris, eò quòd deseruieris Dominum Deum tuum, nunc etiam cum te in via dirigeret? Et nunc quoque quid tibi negotij est in via Ægypti, nisi vt bibas aquas Schihor? aut quid rei tibi est in via Assyriorum, nisi vt bibas aquam fluuij? Afflictio tua te erudiet, & auersiones tuæ te arguent, vt agnoscas & intelligas quàm malum & amarum sit quòd deseruieris Dominum Deum tuum, & quòd timor meus non fuerit apud te, dicit Dominus Deus exercituum. Etenim à seculo confregi iugum tuum, & dirupi vincula tua: tu autem dixisti, Non transibo. Quandoquidem super omnem collem sublimem & sub omni ligno frondoso discurris, ô meretrix. Ego autem te plantaueram vt esses nobilissima vitis, cuius vniuersum semen fidele; quomodo mutata es mihi in vitem reiectilem & alienam?

POst commemorationem peccatorum subiungit modò pœnam, commemorans quanta patiãtur mala, & quòd maiora adhuc sint perpessuri, nulla Dei quidem morositate, qui ipsos subinde cupiat sanare, sed propria ipsorum culpa, propter peccata inquam, & quòd omnem medicinam Dei respuunt. Vbiq; ergo commemorat & taxat ipsorum peccata. Applicanda hæc sunt nostris quoq; temporibus, quibus eadem in ecclesia Dei peccata reperiũtur. Ergo cum Deus idem sit & non mutetur, necessariò ijsdem pœnis aut etiam grauioribus afficit nos. Seruntur hodie bella ex bellis, neq; vlla sperari potest requies. Ardet factionibus & bellis Italia, belligeratur Gallia, expeditiones facit Germania, ingens metus est à Turca: interim & morbis & rerum inopia conficiuntur miseri homines. Quid ita obsecro? Quia deseruimus Deum verum, & cum iam reuocat in viam salutis per euangelium, obuertimus Deo dorsum, imò conuersi irruimus in Dei ministros, & hos propter prædicatam veritatem, laceramus. Irridetur passim pœnitentia. Viuitur ex rapto, & indulgent omnes genio. Nullus est Dei & iudicij eius timor. Ideoq; malis exundant omnia prorsus.

Pœna denunciatur peccatoribus.

Et Iudæi quidem, quòd se crederent & iactarent Dei filios esse, sicuti & Ioan-

Iudæi serui sunt emptitij, non filij familiàs.

nis 8. cap. iactabant contra Dominum, non arbitrabantur mala illa super ipsos ventura, neq; rectè iudicabant de præsentibus etiam calamitatibus, quibus iam iã impliciti, affligebantur: sicuti & hodie de nomine Christiano temere & inaniter gloriamur, existimantes Deum ecclesiam (quæ tamen nihil minus est, quàm quod videri vult) neq; derelicturum, neq; daturum in manus Turcarũ aut aliorum infidelium tyrãnorum. Cæterùm Ieremias, An serui, inquit, an filij familiàs sitis, ex eo cognosci potest, quod vobis euenit, & adhuc maiori cum difficultate eueniet. Filijs debetur panis, vt Sapiens dicit, Seruis baculus: iam cum expositi sitis prædæ omnium vicinorum & longè etiam à vobis dissitorum regum, manifestissimum est vos non esse filios familiàs, sed seruos verberones: ac reuera seruos, seruos inquam peccatorum, & non filios Dei viui, sed Baalim. An verò hæc non probè congruunt illis quoque nostro seculo, qui malunt esse filij Papæ, qui blasphemè appellatur sanctissimus, quàm Iesu Christi, quem Daniel rectè & ex Spiritu sancto vocat Sanctum sanctorum, id est, reuera sanctissimum?

Quæ mala populo Dei euenerint.

Exponit autem plenius quomodo prædæ omnium pateant, Super ipsum, inquit, rugiunt leones. In Hebræo sunt catuli leonum. Nam hi ferociores sunt. Significantur & in Prouerb. Solomonis per Leones tyranni sæuissimi. Ad sæuitiam exprimendam facit fremitus vel rugitus leonum, & quod sequitur, Et reddunt terram eorum desolatam. Igni enim & ferro regiones vastabunt, ita vt cæsis colonis, & exustis oppidis & villis, nemo inhabitaret terram, infestam iam feris, neq; cultam amplius, sed sentibus & dumetis obsitam, atq; horrentem. Si

4. Reg. 21. 2. Paral. 33.

historias sacras inspexerimus, deprehendemus sub Manasse auo Iosiæ, terram Iudæorum graui bello afflictam esse à Nabuchodonosore & vastatam. Pertinet hic locus etiam ad futura, quæ euenerunt huic populo sub Ioachas, Ioachim, Iechonia & Zedechia, sub quo demum ciuitas inflammata, & penitus est vastata, vnà cum tota regione vel toto regno.

Ægyptij occiderunt regem Iosiam.

Singulare etiam quiddam istis coniungit de filijs Noph & Tahapanhes. Vulgata versio legit Taphnes. Intelligit autem Ægyptios. Idiotismo enim Hebraico filij Græcorum, Græci vocantur. Nominat autem duas vrbes celebres. Noph, quam interpretes Memphim fuisse arbitrantur, & Taphnes, quam Thebas nonnulli exponunt, totámque regni gentem intelligit. Hæc inquam gens verticem tuum tibi contundet vel concutiet: alius legit, affliget. Germanicè, **Werdend dir den niischel ernütten / den kopff erschütten.** Hieronymus, vel vulgata potius versio, habet obscœnum verbum, Constuprabunt te vsque ad verticem. Significat autem Ieremias gentem Iudaicam propter peccata grauiter affligendam ab Ægyptijs. Id quod factum esse testatur historia sacra. Etenim post sublatum regni caput, Iosiam videlicet cæsum à Nechaone Ægyptio, idem Iosiæ filium Ioachaz à populo regem factum, capit & abducit in Ægyptum.

Sua culpa perit peccator.

Porrò demonstrat has calamitates ipsis obuenturas nulla Dei morositate, sed propria ipsorum culpa. Ergo per interrogationem & permissionem, An nõ tu, inquit, tibi id fecisti? An non es tu ipse tibi caussa malorum omnium? **Sas hast dir alles selbs gethon. Selbs gethon / selbs han.** Sed & explicat quomodo aut qua re mala hæc sibi ipsis asciuerint, Eò quòd deseruerís Dominum Deum tuum. De qua re dixi superius, Me deseruerunt fontem aquarũ, &c. Amplificans quoq; ipsorum peccatum, addit, Etiam cum te in via dirigeret. Id est, auulsus es à Deo, & secutus es peregrinos deos ac doctores, etiam tunc, cũ Deus te veluti prehensa manu ab erroribus retrahere, & in via veritatis deducere voluit. Videtur autẽ loqui de antiquis quidem temporibus, præsertim autẽ de suis tempo-

temporibus Ieremias, quibus pijssimus rex reformabat deformatam religionẽ, ac Deus mittebat Ieremiam, Vriam, Sophoniam & alios prophetas sanctissimos, quorum prædicatione errantes in viam veritatis reuocauit. Cæterùm maluerunt infelices assuetis inhærere religionibus, id est, superstitionibus. Sequitur enim, Nunc quoq; quid tibi negotij est in via Ægypti? &c. Cum videlicet Deus accensa lucerna verbi sui veram & rectam viam tibi indicat, & veluti digito monstrat, cur tu diuina contempta, insistis humanæ, ac tenebras Ægyptias mauis? Via vsurpatur pro modo vel ratione viuendi, pro religione & consuetudine. Sic legis Acto. 24. Confiteor, inquit Paulus, tibi Felix, quòd iuxta viam, quam vocant hæresim, sic colo patrium Deum, &c. Ergo cũ dicit Ieremias, Quid tibi rei in via Ægypti, & in via Assyriorum? hoc dicere videtur, Cur mauis perseuerare in religione ethnica Ægyptiorum inquam & Assyriorum, quàm in religione syncera Dei? Et bibere aquas Schihor (Nilum plerique interpretantur) aut bibere aquas fluuij (Euphratem exponunt,) nihil aliud est quàm participare cum Ægyptijs & Assyrijs in religione. Nam bibere de eodem poculo, est consortium habere in re eadem. Certè Achaz aram Damascenam, & totum cultum Syriacum transtulit in templum Domini, sicut claret 4. Regum 16. Ac verisimile est formas cultuum petitas esse & ab Ægyptijs. Sunt qui præsentem locum exponant de fœderibus, quasi propheta accusarit quòd Iudæi nunc cum Assyrijs, modò cum Ægyptijs, fœdera pepigerint. Vituperauit in hoc populo grauiter hoc ipsum scelus multis Ieremias aliàs, & Isaias in cap. 30. & 31. Ac vetuit hoc quoque in lege sua Dominus. Nam plus confidunt homines fœderibus quàm Deo. Præterea fœdera peregrina regibus Israel & Iuda maximas attulere calamitates.

Bibere ex eodem poculo.

Iam etiam exponit Dei consilium, quod in calamitatibus immittendis respicit, ac sequitur, Castigat vt erudiat. Mittit bonus Dominus ministros verbi sui, qui populum rebellem verbis reducant in viam, ac emendẽt: sed hic audire verbum aut agnoscere renuit: videt ergo Dominus alia via ingrediendum esse, & alia loquendum lingua: baculo itaq; apprehenso, percutit rebelles, vt qui verbis sanari non sustinuerunt, verberibus curentur. Dicit ergo Dominus in Ieremia, Malitia, id est, afflictio & calamitates, te erudient, castigabunt atq; corrigent: & auersiones tuæ, id est, pœna inflicta tuæ defectioni, aut tuæ perfidiæ, euincent, vt intelligas, sentias, ac fatearis nihil esse in mundo peius, turpius, amarius, & calamitosius, quàm Deo deserto, alienis adhærere dijs, & cultibus peregrinis Deo velle præstare obsequium. Adiungit huic & aliud membrum, Et quòd timorem meũ non habueris apud te: vel, Quòd timor mei non fuerit in te. Nam sicut initium sapientiæ est timor Domini: ita initium stultitiæ & omnis mali est despectus Dei, vel non timere, non curare Deum. Et quidem videtur primum membrum pertinere ad corruptam fidem religionemq;, vel ad vitiatum Dei cultum: alterum verò ad corruptos mores, & vitam conscelleratam, Vnnd das in keinen dingen kein gottsforcht was. Proinde cum concidit in regno aut in repub. aliqua, syncritas religionis & morum integritas, mittit Deus verbum suum vt morbos sanet: si verò medicinam respuerint, immittit flagella, famis, pestis, belli & calamitatum omnium. Finis horum, Vt erudiat, vt intelligãt omnes quàm amarum sit admonentem Deum contemnere, non vnum colere, ac per pœnitentiam non emendare corruptelas. Ac certum est pœnitentes recipi in gratiam à Deo. Sic enim traditum legimus Deuteron. cap. 30. & 1. Corinth. 11. Si verò impij ne plagis quidem emendentur, certissime peribunt tum in hac tum in futura vita.

Cur Deus immittat hominibus calamitates.

Pergit mox iterum commemorare insignia sua Deus beneficia, quæ huic

Beneficia Dei opponuntur maleficijs hominum.

populo præstitit: ex opposito autem exponere etiam, quàm ingrati & rebelles Deo fuerint semper, & etiamnum in rebellione & ingratitudine obstipo collo contra Deum renitantur. Et quò splendidior esset oratio, duabus vtitur allusionibus vel parabolis. Prima petita est à vinctis & oppressis, in libertatem verò assertis. Secunda ab agricultura. Principiò, Sicut vincti ab heroe aliquo liberãtur, cui mox summa ingratitudine obluctantes, renuunt palàm sub eius viuere disciplina: Ita ego te liberaui, & eduxi ex carcere, tu verò ingratissimus mihi, noluisti hactenus mihi seruire pro animi mei sententia & tuo bono. Duo ergo membra habet hæc pars. Nam initio exponit quid beneficij contulerit Deus in gentem Iudaicam: deinde quid Iudæi fecerint, exponit. Deus eduxit populum Iudaicum ex Ægypto, & confregit iugum seruitutis, & disrupit vincula mortis. Id beneficij reduplicauit sub Chananæis, sub Moabitis, sub Palæstinis, Ammonitis & alijs inimicis gentibus, à quorum tyrannide asseruit populum suum Deus misso Othoniele, Sangare, Gedeone, Iephthae, Samsone, Samuele, Saule, & regibus multis. Rectè ergo dicit, A seculo, id est, ab antiquis temporibus semper Deum patrem & assertorem me tibi exhibui. Vetus interpres hæc Dei verba retulit ad populum Iudaicum, quasi hic ab antiquis temporibus abiecerit iugum legis diuinæ, & vincula disciplinæ sanctæ disruperit. Verùm prior sensus mihi magis probatur.

Rebellio humana.

Sequitur quam gratiam beneficio Deo populus retulerit. Et dixisti, Non transibo, Sarhinder kum̃ ich nit. Saryn lassen ich mich nit füren. Saryn gon ich nit. Nostri aiunt, In das bockshorn laß ich mich nit zwingen. Alij minus perspicuè verterunt, Non præuaricabor. Sed alij, sicuti & vulgaris interpres, sensum reddiderunt non malè, Non seruiam. Significat enim Deus se veluti connubio sibi deuinxisse populum istum, neque grauibus oppressisse aut oneràsse oneribus, sed certam & compendiosam tradidisse religionem, ac postulasse obedientiam synceram, & vt præscriptis se continerent limitibus legis. Quid verò fecit populus? Noluit hisce concludi legibus, & contentus esse vnico hoc Deo, & cultu eius præscripto. Quid ergo? Super omnem, inquit, collem sublimem, & sub omni ligno frondoso discurris, meretrix. Casta debueras esse coniunx, me vno & meis contenta ritibus, sed instar meretricis discurris, & polluis te dijs alienis, quibus te & animã tuam prostituis, immergerisq; cultibus alienis. Vulgata versio habet, Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris, meretrix. Sensui nihil decedit. Videntur autem sibi inuicem opponi, quod Deus voluit aut postulauit Iudæos contineri in præscripta religione, hi verò discurrere & vagari, adeoq; grassari per omnes, etiam ethnicas, religiones maluerũt. Nam varios ritus religionis mutuò acceperunt à vicinis & longè dissitis gentibus, adeoq; in amœnioribus collibus excelsa extruxerunt, in lucis statuerunt idola, quæ & coluerunt, institutis ad ipsa peregrinationibus. His obtulerunt munera: ijsdem accepta retulerunt à Deo accepta beneficia. Pari scelere pollu[illegible]tur hodie etiam isti à quibus in locis amœnioribus extruuntur monasteria vel cœnobia in honorẽ diuorum, Benedicti, Bernardi, Francisci, Dominici, &c. Extruuntur in montibus & vallibus templa vel sacella, ad quæ discurritur religionis ergò. Nemo parœcia sua contentus supplicat vni Deo per Christum, permanens in doctrina euangelica simplici. Discurritur per orbem. Adferuntur munera, suspenduntur anathemata: breuiter nihil omittitur quod ad defectionem à Deo & ad idololatriam pertinet, adeò vt sicubi vel quercus frondosa vel alioqui speciosa arbor iuxta vias stet, ab ea vel tabula diuo alicui consecrata suspendatur, vel aperiatur foramine, ac imponatur simulachrum aliquod. Nam & ad biuia & trivia solent cõstrui sacella diuis consecrata, & simulachris ornata, vt vocant, &c.

Christ[illegible]rum defect.

Dominus

Dominus autem Deus noster prohibuit huiusmodi cultum, & vult solus adorari, inuocari & coli toto corde, tota anima, & omnibus viribus, atq; eo etiam modo, quem ipse nobis euangelio suo (non quem ipsi nobis ex nobis ipsis confingimus) præscripsit: cultum ergo alienum istum pro fornicatione hic & vbiq; condemnat atq; diris plagis persequitur.

Porrò parabola petita ab agricultura rursus ostendit quanta isti populo beneficia contulerit, & quàm malignè Deo responderint, ac se à sua dignitate, in extremam deiecerint indignitatem, cõtumeliam atq; contemptum. Nota est autem parabola vineæ ex Isaiæ 5. cap. & Matth. 21. Significat se Deus nobilissimum instituisse regnum maiestate super æthera notum. Addit, Cuius vniuersum semen (die setzling) veritatis seu fidele. Nam patriarchæ omnes, seminarium populi Izraelitici, vt Abraham, Isaac & Iacob, fidelissimi & excellentissimi fuerunt serui Dei, &c. His beneficijs Dei eximijs ex opposito obijcit per admirationem, Quomodo ergo conuersa es mihi in vitem reiectilem, vel abominabilem, vel degenerem, & alienam? Opponit viti nobili degenerem vel reiectilem, der edlen rãben/den hinwirffling: ac semini fideli, vitem alienam. Multum enim aberant posteri à fide & integritate patriarcharum. Ac respublica & regnum, quod aliquando fuit nobile & eximium, sub Iosue & alijs principibus sanctis, nunc sub idololatris erat ignobile, contemptum & corruptissimum. Ita verò Deus subinde minis & pœnis caussas immiscet pœnarum, apostasiam, ingratitudinem, inobedientiam, perfidiam & similia scelera. Ergo si cupimus malis vel calamitatibus liberari grauib. adhæreamus vera fide vni Deo per Iesum Christum Dominum nostrum.

Vinea Domini ecclesia.

Reuincit tergiuersantes Iudæos maximorum scelerum, in quibus, nisi pœnitentiam agant, perituri sint.

CONCIO VIII.

Etiamsi laueris te nitro, & multiplicaueris tibi Borith, macula tamen sordebit iniquitas tua coràm me, ait Dominus Deus. Quomodo ergo dicis, Non sum contaminata, neq; post Baalim abij? Inspice viam tuam, in valle, cognosce quid feceris. Camelo veloci (similis es) qui per vias suas discurrit. Sed & Onagro desertis assueto (similis es) qui pro appetitu animi sui, destinato suo tempore, anhelitum haurit. Et quis reflectet eum? Omnes qui eum quærunt, non defatigantur, in mense suo inuenient eum. Prohibe pedem à nuditate, & guttur tuum à siti. Tu verò dicis, Expectoratum est: minimè. Quia alienos amo, & post illos ibo. Quemadmodum pudefit fur, cum deprehenditur: sic pudefacta est domus Izrael, ipsi, reges eorum, principes eorum, sacerdotes eorum, & prophetæ eorum. Dicunt ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti. Quia obuerterunt mihi ceruicem, & non facies. Et in tempore afflictionis suæ dicent, Surge & libera nos. Et vbi sunt Dij tui, quos tibi fecisti? Surgant, si seruent te in tempore afflictionis tuæ. Etenim iuxta numerum vrbium tuarum fuerũt Dij tui, ô Iuda.

VEra pœnitentia requirit in primis veram peccatorum agnitionem. Ac Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur ac viuat, excitat primùm quidem per spiritum suum corda hominum, deinde verbo suo commonefacit peccatores, sed & immissis calamitatibus ostendit se illis propter peccata vehementer iratum esse. Nisi verò tu agnoscas peccatum, non do-

Agnitio peccatorum pœnitentibus necessaria.

les, non Dei misericordiam imploras. Sathanas ergo modis omnibus retrahit homines ac impedit ne peccata sua agnoscant. Nam cupit omnino hominẽ, & peccatis omnibus adopertum, & secum in æternum perditum. Habet & is sua instrumenta, quibus vtitur ad inducendam peccatorum obliuionem, aut quibus efficit ne agnoscamus peccata nostra Huiusmodi verò sunt suggestiones praue, & homines athei atq; impuri, sed & pseudoprophetæ, qui corruptis sermonibus dementant errãtes. Huc pertinet, quòd multis, ea quæ abominanda coràm Deo peccata sunt, vel leuia esse videntur, vel peccata non esse existimantur: quòd etsi peccata sint, expiari tamẽ possint externis ritibus vel cæremoniis: quòd Deus non ita durus ac morosus sit, vt de ipso prædicant melancholici concionatores. Vulgare hodie est, veram religionem appellare hæresim: falsam, veterem & veram catholicam q; religionem. Si quis verò vsuris & malis artibus magnas opes congerat, dicitur ingeniosus esse negociator, non vsurarius impostor. Si quis ebrius sit & obscœnus, nuncupatur homo vrbanus, suauis & humanus, nõ spurcus & fœdus. Ita in vniuersum omia extenuantur scelera. Vnde fit vt cum verbo Dei & lege Dei accusentur scelera, pauci aut nulli sint, qui se tales corã Deo esse existiment, quales reuera sunt. Reiiciuntur ergo & calamitates, vel supplicia ac pœnæ peccatorum, in nescio quod fatum, in aspectus & cõiunctiones planetarum cœliq; influentias. Si itaq; concionatores ex verbo Dei varia in principibus & populo peccata accusent, negant vniuersi se esse tales, quales videntur ex verbo Dei concionatoribus. Huc enim recidit res, vt malum appelletur bonum, & amarum dulce Huiusmodi sæculum erat & Ieremiæ temporibus, proinde in præsenti tergiuersantes Iudæos conuincit maximorum scelerum, in quibus si perrexerint impœnitentes, absq; dubio perituros in æternum denunciat. Quod & ipsum per omnia nobis nostrisq; applicandum erit hominibus & temporibus.

De calamitatibus iudicatur inepte.

Scopus huius loci.

Falsa peccatorum purgatio.

Et quidem habuerunt Iudæi suas expiationes, ablutiones, sacrificia, ieiunia, preces & lachrymas, quibus se à peccatis purgare nitebantur: cæterùm cum vera interim destituerentur fide ac inhærerent idololatriæ, inanis erat ipsorum expiatio. Sic enim testatur & Isaias cap. 1. Idem asserit hic quoq; Ieremias, dicens, Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi borith, vel copiosissima vsus fueris herba purgatoria, nihilominus tamen manebit macula tuæ iniquitatis coràm Deo, id est, non delebitur, hærebit inquam in te recens, veluti macula aliqua in veste, multum quidem, sed frustra abluta. Falleris enim dum existimas peccata purgari vllis purgationibus externis, peccataq; remitti propter sacrificia vel expiationes. Reuera enim sanguine Christi per fidem expiamur, sequiturq; expiationẽ protinus vita pœnitens, qua abiectis dijs alienis, vero & vni Deo supplicamus, & à solo per omnia pendemus, studentes veterem crucifigere hominem, & iuxta noui hominis consilia omnia nostra dicta & facta instituere. Hãc rationem purgandi docet nos vniuersa scriptura prophetica & apostolica. Testimonia extãt illustria Isaiæ 1. 1. Ioan. 1. & 2. cap. His confutatur etiam falsa criminum purgatio apud Papistas, qui per aquam lustralem, per indulgentias & satisfactiones, per passagia & ieiunia, per cantum & nescio per quas alias ethelotriskias se Dei gratiam mereri arbitrantur, præterita interim pietate vera, vt non dicam humanis istis inuentis frustra Deum coli, Matth. 15. Videri poterat hic locus & prouerbi aliter esse adductus, hunc fermè in modum, Videmini vobis quidem vestro iudicio puri esse atque mundi, cæterùm ita macula iniquitatis vel conscelerationis vestræ se exhibet videndam atque infixis inhæret radicibus, vt nulla ratione dissimulari ac elui possit: non secus ac si macula vesti aspersa, nulla quantumuis diligenti & artificiosa ablutione purgari potest. Germani prouerbio simili vtimur,

Vera peccatorum expiatio.

vtimur, ac dicimus, Das wirt dir ouch der Rhyn nit abwäschen. Cum significamus non tantùm ignominiam & fœditatem nunc esse manifestam omnibus, sed etiam fore perpetuam. Nitrum Germanicè vocamus Niter oder Tincar. Genus est veluti salis mordax, idoneum eluendis maculis: alij vocant Salpeter. Iudæi appellant Waydäschen. Sunt qui existiment esse alumen. Certè aqua alumine parata (Alatwasser) admodum est mordax, & purgat vehementer. Borith existimat Hieronymus fullonum esse herbam, qua vestes eluunt. Certè à purgando habet nomen. Vtimur nos herba appellata Burretsch ad purgandum. Alij interpretantur Saponem. Wenn dich schon wol seipffest / dennocht blybt dir din maaß diner sünd/vnd blybst beschissen. Vtcunque dissimules & excuses apud homines peccata tua, sunt tamen illa nihilo minus manifesta & fœda coràm Deo. *Nitrum.* *Borith.*

Mox ergo per interrogationem & admirationem subiungit, Quomodo ergo dicis, Non sum contaminata, neq; sectata sum Baalim, vel Deos alienos atque idola? Cultum enim impensum simulachris referebant ad Deum verum: ac alios quoq; Deos sic colebant, vt nihilo minus & verum Deum colerent, aut certè colere viderí vellent. Sed cum Deus præcepisset se solum coli, & vetuisset habere Deos alios, vetuissetq; se vlla exprimi imagine aut vllam adorare imaginẽ, peccabant contra Deum & voluntatem eius grauiter omnes, qui non simpliciter legi diuinæ parebant. Atque ita grauiter hodie quoque peccant qui vnà cũ Deo colunt Diuos, & procumbentes orant coràm idolis, referentes deinde omnia ad cultum æterni numinis, & c. Quemadmodum verò nostri cultores diuorum & imaginum, cum redarguuntur idololatriæ, negant & pernegant se contaminatos esse, & ire post Baalim: ita Ieremiæ sæculo negabant Iudæi se à Deo defecisse, licet Deos etiam alios colerent, & statuas venerarentur. Hos itaq; refutans, dicit, Quomodo dicis, Non sum contaminata? Certè cũ nos admiramur alicuius impudentiam, qui negare audet rem apertam & confessam, dicimus, Wie darffst doch nun das reden? *Reuincit eos impietatis.* *Vnà cum Deo diuos colere.*

Et quoniam lubricus erat in hac re populus Iudaicus, impietatis reuincit eos vel nolentes, vtens oculari quasi demonstratione & experientia dicens, Inspice viam tuam in valle, & cognosce quid feceris. Loqui autem videtur de valle Gehinnom. De qua suo loco dicetur. Erat non procul ab vrbe. Per Viam verò intelligit religionem, ritum & consuetudinem. Dispice, inquit, qualis sit tibi religio, qualia sacra, quales ritus, & quidem foris extra vrbem ad vrbis mœnia. Sa wirst denn wol sähen was du gethon hast. Sacellum enim ibi vel templũ extruxerant, imagines & aras posuerant, & infantes suos Deo Moloch sacrificabant. Nimis cognita erat hæc res omnibus. Reuicit ergo eos impietatis. Nam Deus noluit sibi alibi, quàm vno in loco, in templo inquam, immolari, & ea, dũtaxat immolari, quæ ipse iusserat, & modo non alio, quàm ipse instituerat.

Eodem modo cum nostri negant se contaminatos esse, atq; abijsse post Baalim, obijcimus illis, Inspicite ergo religiones, ordines & ritus vestros: inspicite templa & sacella, peregrinationes item, quas suscepistis religionis ergò, & cognoscetis quid peccaueritis, & quantum peccetis adhuc. Si creditis verè Deum vbiq; præsentem, vnicum & solum vobis sufficere ad omnia necessaria, & ad salutem in primis dandam: si hunc solum colitis, toto corde, tota anima, & totis viribus: si vni & soli supplicatis per Iesum Christum: si vnum & solum adoratis: quid obsecro quæritis apud Mariam vel Lauretanam, Reginospurgeñ. aut Aquetanam? cur inuisitis limina Petri & Pauli? cur peregrinationes institutis in Hispanias ad Sanctum Iacobum Compostellanum, in Gallias ad Sanctum Michaelem & Iodocum? denique cur immolatis ac consecratis filios ac filias vestras,

neſcio cui Benedicto, Dominico, Ruperto, Franciſco, Claræ item, & neſcio qui bus diſs obſcuris? Conſecrati fuerunt Deo per ſanctum baptiſmum. An non po tuit ea vobis ſatisfacere religio, quæ ſatisfecit apoſtolis? Inſpiciantur templa & ſacella Chriſtianorum, qualia ſint & quid in illis inueniatur, quid in eis exercea tur, & deprehendentur grauia contra Deum peccata, quodq; Deus illis rebus maximoperè ad iram prouocatur, quibus ad miſericordiam commoueri inep tè creditur.

Expediti & ce leres ad idolo latriam.

Porrò duobus exemplis à maximè celeribus & feris animantibus petitis, amplificando oſtendit quàm expediti & inſani ferantur ad cultum Deorum a lienorum, & ad ea conſeruanda, quibus ſemel aſſueuerant. Atq; ita rurſus reuin cit illos manifeſtæ impietatis, quam iſti agnoſcere nolebant, ſi fortè agnoſcerent adhuc & pœniterent. Principiò ſimilis es, inquit, camelo fœmellę dromadi velo ciſſimæ. Sicut enim illa expeditiſſimè vias ſuas currit: ita tu paratiſſimus & expe ditiſſimus es ad ſectanda idola & cultus peregrinos: tardus autem & iners in co lendo, adorando & inuocando Deo, eiusq; cultu frugali & legitimo retinendo. Hoc ipſum noſtris quoque aptari poteſt. Videas enim per orbem maximis labo ribus & ſumptibus diſcurrere diuorum cultores: at in cultu vero veri Dei eoſdē frigere prorſus. In idolis fabricandis nulli ſumptus videbantur nimij, ſed in con ſeruandis pauperibus ægrè teruncium expon[illegible]nus. In parandis templis idolo rum, & extruendis cœnobijs monachorum, profuderūt homines diuitias ſuas: nunc in conſeruanda eccleſia Chriſti ſordidiſſimi etiam apparemus. Deinde O-

Onager.

nagro, inquit, deſertis aſſueto, ſimilis es. Multiplex eſt hoc exemplum & hæc col latio. Sicut enim Onager deſertis eſt aſſuetus, & cicurari non poteſt: ita tu aſſue tus lucis & excelſis cultibusq; peregrinis, ad legitimum Dei cultum adducinō potes. Sic inuenti ſunt, & inueniuntur adhuc Onagri Monachi, qui ſecedentes ab hominibus cicurari non poſſunt, vt proſint eccleſiæ & reipublicæ. Sicut O nager ſuo tempore pro vehemēti cupiditate animi ſui, anhelitū haurit, Schnu fet vnd ſchnutet: : ſic tu Iſrael veluti inſaniens amoribus peregrini cultus oble ctas te, & incumbis ſtudio maximo idololatriæ. Tradunt mares Onagros libidi ne accenſos, ſi fœminæ deſint, montes ſcandere, ventum naribus haurire, & vo ce terribili rugire. Legatur Plinius lib. 8. cap. 44. & D. Conrad. Geſnerus de A nimalibus, vbi agit de Aſino. Certè Iudæi nullis quantumuis multiplicibus cul tibus onerati, contenti erant, ſed in excelſa ſua aſcendentes odorabantur ſicubi peregrinus aliquis emergeret cultus Dei ac Deorum, quem etiam reciperent. Sic noſtris quoque nulla eſt requies, quantumuis diuos, idola, fraternitates, ordi nes, conſuetudinesq; habeant innumeras, ſubinde noua venantur. Quemadmo dum verò Onager reduci aut reflecti à ſuo propoſito non poteſt: ita nec Iuda po tuit à ſemel aſſuetis idolis ac conſuetudinibus abſtrahi. Addit illum non poſſe ca pi niſi ſuo tempore. Qua re innuit affuturum etiam tempus, quo Iuda abducatur, propter rebellionem & pertinaciam, in captiuitatem. Quod & noſtro ſæcu lo euenire videmus nobis. Omnes, inquit, venatores qui Onagrum quærunt, ſe duli ſunt quidem, laborioſi, nec facilè defatigantur, ſed non niſi in menſe ſuo, id eſt certo tempore capiunt ipſum. Ita verò Deus mittit prophetas, qui non defa tigantur populum quærere Iudaicum, & ipſum reconciliare Deo. Sed quoniam fugit conſtanter Onager ille Iſraeliticus prophetas, ne capiatur & adducatur Deo, Deus milites parabit Babylonicos, qui non defatigabuntur militia, ſed ca pient demùm indomitū Onagrum, & ducent in Babylonem. Hieronymus hūc locum fœdè interpretatur, quaſi compararit propheta Iudam ſcorto putido & laſciuo, quod nunquam ab amatoribus, niſi fœdum & menſibus laborans repe riatur: vt hoc modo ſignificare voluerit, Iudam ſemper eſſe fœdum in peccatis

& in

& in idololatria abominabilem. Verùm prior sensus, vt simplicior castiorq; esse videtur, ita magis mihi probatur.

Consequenter adducit propheta Dei ac legis diuinæ doctrinam, cui mox opponit refractariam gentis suæ rebellionem, vt sic euidenter pateat ipsorum aperta iniquitas, & Dei sanctissima iustitia. Deus, inquit, amator hominum, reuocãs te ab idololatria, & à malis volens te immunem, dicit, & quotidie quidem per prophetas inculcat, Prohibe pedem à nuditate, & guttur tuum à siti, id est, caue ne cultus gratia nudis incedas pedibus, & affligas te siti vel inedia, atque ita existimes te Deo gratum esse propter illa opera. Ac videbantur Iudæi in cultum & Dei veri & Deorum suorum peregrinationes suscipere superstitionis ergò, idq; cum rei familiaris detrimento & corporis non vulgari afflictione. Quemadmodum & hodie vouentur peregrinationes nudis conficiendæ pedibus, sicco gutture, & corpore setis aut veste pilosa induto, **Barfüß/ in härinem kleid/ vnnd bey wasser vnd brot/ oder nüchter vnd mit fasten.** Deus autem non probat huiusmodi cultus, maximè si impendantur dijs peregrinis. Nam apostolus quoq; exercitia illa non magnifacit ad Colos. 2. & aliâs. Clamat per prophetas, Non est quòd peregrinationes instituas, defatigeris, & inedia corpus perdas, & loculos sacrificijs euacues. Cur, ait aput Isaiã Dominus, exponitis pecunias vestras pro ijs rebus quæ non satiant? Quin gratis dabo vobis vinum & lac. Adeste etiam sine pecunia, & accipite opima dona, vt impleantur desideria vestra. Per Amos item dicit Dominus, Inquirite me, vt viuatis, & nolite quærere Bethel, neq; eatis in Gilgal, &c. Amos 5. Eadem ratione nihil nunc etiã necesse erat peregrinationes instituere religionis ergò. Deus enim nõ longè abest à quouis nostrum, sed habitat in pectore cuiuslibet fidelis. Ac fœdum est prorsus, post reuelatum & exhibitum Christum, in tanta euangelij luce, adhuc potuisse inueniri homines in nouo Testamento, quibus tantæ potuerint placere superstitiones. Veteres Germani ex spiritu Dei videntur hos cecinisse vulgò versiculos,

Wär von heiligen vnd pfaffen wil werden rein/
Der machet lären seckel/ vnd müde bein.

Prohibe pedẽ à nuditate &c

Peregrinationes susceptæ religionis ergò

Isaiæ 55.

Amos.

Sunt qui hunc prophetæ locum sic interpretantur, Caue ne dum pergis idola cõlere impudenter, per iram Dei abducaris tandem in captiuitatem, discalciatus, in siti rerumq; omnium inopia. Cæterùm propter consequentia magis probatur mihi sensus prior. Quanquam posterior etiã includi & cõprehendi possit in priore. Nam ex cultu Dei illegitimo, sequitur captiuitas & multipharia calamitas.

Nunc verò opponit refractariã populi Iudaici rebellionẽ. Dicunt נואש לא Noaschlo. **Es ist vß. Sa wirt nit vß: ich hab verrücht / vnd wil des nit / ja gar nit.** Vetus interpres vertit, Desperaui, non. Oecol. Amota est cura, nequaquam. Alluſit autem ad perfrictæ frontis meretricem, quæ ad honestatem fidẽq; marito prestandam, adhortantem, cum insultatione repellit ac dicit, Quiesce ac laboribus tuis parce. Illa quæ tu mihi occinis, apud me nullum locum inueniũt. Nequaquam marito meo contenta ero: sed strenuè in fornicatione & adulterijs meis pergam. Sequitur enim, Quia alienos amo & post illos ibo. **Sann ich bin anderen hold worden.** Dedicaui cor meum alijs, non Deo soli: ergo post alienos abibo, eos amare, venerari, adorare, inuocare & colere pergam. Sic verò notatur animus audax, impudens, & pertinax in impietate, ac in semel recepta religione. His per omnia similes sunt, qui hodie audita prædicatione euangelij, mandatisq; & promissionibus diuinis, nihilo minus dicunt, Frustra laboratis noua illa predicatione euangelij. Nam nos perseuerabimus in veteri religione cum Romana ecclesia, colemusq; reginam cœli cum vniuerso sanctorum vel diuorum choro, venerabimur imagines, proficiscemur Romam & Compostellam, dona-

Impudẽs & audax rebellio.

bimus opes noſtras cœnobijs, offeremuſq; liberos noſtros S. Franciſco & Benedicto, ac viuemus prout nobis viſum fuerit, &c.

Conferuntur cum furibus.

Rurſus per ſimilitudinem oſtendit propheta fœdiſſimè ipſos peccatorum ſuorum reuinci. Sicuti fur aliquis non erubeſcit dum furatur, pudefit autem ruboreq; ſuffunditur, cum ἐν ἀυτοφόρῳ deprehenditur, (wenn jm die hand im ſack erwütſcht wirt:) ita vos hactenus non erubuiſtis propter peccata veſtra, nunc verò dum deprehendimini in manifeſta & notoria idololatria, non pudore ſuffundi non poteſtis, niſi prorſus ſitis conuerſi in lapides. Eſt autem ſimilitudo fœda & ignominioſa, quæ illos comparat cum furibus, ſed res propter quam furibus comparantur, eſt longè fœdior, & in deum contumelioſior. Fures hominibus auferunt corruptibilia: idololatræ ſuffurantur Deo æterno ſuam gloriam. Ideoq; Dominus in euangelio ſecundum Ioan. ſimpliciter eos appellat fures & latrones, qui per aliud oſtium, quàm Chriſtum, in ouile ouium ingrediuntur. Illud autem ſingulare eſt, quod poſtquam in genere dixit pudefactam Domum Izraelis, particulariter mox omnes ordines eccleſiæ & regni recenſet dicens, Reges eorum, nimirum iuniores illos regulos, Ioſiæ filios, Ioachaz, Ioachim & Zedechiam. Peſſimos enim ac ſuperſtitioſiſſimos fuiſſe etiam viuente adhuc patre, claret ex actis ipſorum deſignatis mox à morte patris. Quanquam viuente patre diſſimularint hypocritasq; egerint. Annumerat regib. & principes, præſides vticq; & ſenatores, totumq; magiſtratum: & ex ordine eccleſiaſtico recenſet ſacerdotes & prophetas: vt inquã hi omnes non de alijs, ſed de ipſis intelligerẽt hanc narrari fabulam: ipſos inquam conferri cum furibus. Conuincuntur hoc loco prophetæ, erroris, quotquot magnatibus palpantes, iraſcuntur concionatoribus paulò liberius accuſantibus negligentiam & peccata procerum reipub. & eccleſiæ. Certè omne malum à capitibus in membra deriuatur. Incolumitatẽ ergo non curant, vel reipublicæ vel eccleſiæ, quicunque capitibus mederi non pergunt.

Aperta & impudens idololatria.

Sequitur qua re potiſſimùm deprehenſi in ſuis ſceleribus, pudefiant inſtar furis ἐν ἀυτοφόρῳ deprehenſi. Dicunt ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuiſti. Nam oraturi procumbebant ante idola, & Deo & Dijs erecta, ac in horũ conſpectu, vultibus ſuis in ipſa defixis, precabantur. Si enim Deum in cœlis adorabant, cur conuertebantur ad idola? quare non potius vultibus in cœlum eleuatis orabant? Proinde palàm & manifeſtè ex ipſorum factis poterant in conſpectu omnium hominum reuinci impietatis & idololatriæ. Quid verò hodie fit? Non minus impudenter peccatur. Nam diuis & deabus oratur, Pater noſter, cũ ea precatio non niſi vni Deo competat, & eleuatis in cœlum mentibus orari debeat. Dicitur enim, Pater noſter, qui es in cœlis. Cur ergo conuertuntur noſtri ad ſaxum, vel lignum, id eſt, ad ſaxeum & ligneum idolum, ac dicunt, Pater noſter, qui es in cœlis? Si in cœlis eſt, cur non conuerteris mente & oculis in cœlũ? Manifeſtiſſimè ergo deprehenſus in ſcelere idololatriæ reuinceris impietatis. Lege Lactantium libr. Inſtitut. 2. cap. 2.

Obuerterunt mihi ceruicẽ.

Cauſſam porrò vſqueadeo pudẽdi erroris imò ſceleris ſubijcit & dicit, Quia obuerterunt mihi ceruicem & non vultum. Quo ſignificat eos defeciſſe à Deo penitus. Alluſit enim ad geſtum eorum qui pertinaciter ſpernentes aliquem, ipſum ne aſpicere quidẽ dignantur, ſed dorſum ipſi obuertunt. Proinde ſignificat contumaciter defeciſſe à Deo populum Iudaicum. Idem hodie quoq; inuenias in cultoribus ſimulachrorum. Nam ſi ad rauim vſq; clames, Non facies tibi ſculptile, non adorabis, nõ coles: iſti tamen fortiter hæc contemnunt, quaſi ad ſe nihil pertineant. Dorſum itaq; obuertunt Deo & legi. Quid quod ea lex à pluribus in Decalogo nõ recitatur aut repetitur, ſed omittitur & præteritur penitus?

Subijcit

Subijcit his omnibus perituros tandem illos propter peccata, neque tum quippiam opis allaturos, vel deos, vel deorum imagines, cum maximè adiuuare oportuerat. Vbi, inquit, ingruerit afflictio, inuocabitis me, & dicetis, Surge Domine, & libera nos ac serua. Tunc verò respondebo vobis, Vbi verò nunc sunt dij tui, quos tibi ipsi confinxisti? Ad illos nunc diuertito, ab his auxilium, liberationem & salutem postulato: si forte succurrant tibi. At sensus est pro ingenio Ironiæ, Tunc verò, in tempore videlicet necessitatis, non proderunt vobis quàm diui & imagines, sed nocebunt magis: ideoq; propter idola & cum idolis peribitis. Hoc ipsum & nos hodie expectabimus, vt in idololatria nostra miserè scilicet pereamus. *Peribunt propter impietatẽ & idololatriã.*

An verò inuocantes se nõ audit Dominus? Audit omnes inuocantes ipsum in veritate. Idololatræ non inuocant in veritate, neq; ex contrito corde, neq; magnoperè Dei gratiam curant, sed duntaxat se seruatos cupiunt, vt reliquum tempus vitæ impendant voluptatibus, & sint sine afflictionibus. Similis locus est & Prouerb. 1. vbi Sapientia dicit, se non exaudituram clamantes, eò quòd spreuerint prius clamantem & reuocantem ad Deum. *Quando Dominus vocantes non audiat.*

Quoniam verò iussit deos inuocent fictitios suos, subiungit, quod pertinet ad demonstrationem notorij criminis, Etenim iuxta numerum vrbium tuarum fuerunt dij tui, ô Iuda. Id est, singulis vrbibus tuis præfecisti patronos, & veluti tutelares deos: id quod pertinet ad apertam meam contumeliam. Quasi non sim satis instructus ad defendendum & seruandum vrbes vestras. Si enim mihi soli confiditis, & mihi soli vos & vestra subijcitis omnia, quare cõiungitis mihi Baalim, id est, patronos vestros, & deos alienos? An non soli mihi satis est virium tuendi vos? Christiani sub Papatu subiecerunt regna, regiones, oppida, morbos, artes, & artificia, totum denique hominẽ cum singulis membris suis, diuis auxiliatribus. Id quod fusius sum prosequutus 1. lib. de Origine erroris, ca. 33. & 34. &c. Dominus Deus noster reducat ad se omnes errantes. Fiat. *Tot tibi dij quot vrbes.*

Pergit Iudæos adhuc maximorum reuincere scelerum.

CONCIO IX.

Cur contenditis mecum, cum vos omnes dereliqueritis me, dicit Dominus? Frustra percussi filios vestros, disciplinã non recipiunt. Deuorauit gladius vester prophetas vestros, sicuti leo vastans. O generatio: videte vos verbum Domini: num solitudo factus sum Izmeli, aut terra caliginosa? Cur ergo dixit populus meus, Defecimus, nec vltra accedemus ad te? Num obliuiscitur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ suæ? Populus autem meus oblitus est mei diebus innumeris. Quid bonam facis viam tuam ad quærendam dilectionem? Ob hoc etiam docebo vias tuas (esse) malas, Sub alis enim tuis inuenitur sanguis animarum pauperum innocentium: quos in foraminibus non inueniſti, sed in his omnibus. Et dicis, Innocens sum, recedat modò furor eius à me. Ecce ego iudico te: eò quòd dicis, non peccaui. Et quid tam crebrò discurris, vt mutes viam tuam? Ab Ægypto etiam confundêris: perinde atque confusa es ab Assyrio. Hinc etiam demigrabis, manibus tuis (complosis) super caput tuũ. Quia spreuit Dominus confidentias tuas, & non prosperaberis in eis.

PErgit humana cæcitas, semper sui similis, excusare & ornare sua peccata, adeoq; tergiuersari & loqui perplexè renitiq; pertinaciter, ne se Deo dedat, et culpam sui sceleris agnoscat. Hausimus grande hoc malum ex primis nostris pa *Agnitiõ peccatorum.*

rentibus, mutuùm sese, in horto paradisi, coràm Deo, accusantibus & excusantibus. Nam Adam se excusans, culpam retorquet in vxorẽ: vxor verò in serpentem. Certè ex hoc malo existit, quòd frustra aut modico nulloq; cum fructu prædicatur nobis euangelium. Quia enim peccata non agnoscimus, quæ impingit nobis Deus, neq; tam fœda esse credimus, quàm reuera sunt, inde est vita illa impura & nescia pœnitentiæ. Atqui Deus hominum amator, cupiens peccatores peccata sua agnoscere, pœnitere & seruari, summo studio & diligentia reuincit per prophetas, homines scelerum suorum: non in alium finem, quàm vt salui fiamus: sicuti & præcedenti Sermone dixi. Pergit ergo Ieremias vrgere gentem Iudaicam, & scelera ipsorum ita redarguere manifestè, vt nisi incurabilibus esse libeat, hæc non possint non agnoscere.

Cum Deo altercari de iustitia.

Cumq; demonstrarit Iudæis tot ipsis esse deos, quot oppida & castella, subiungit iam, & nomine Dei dicit, Quando hæc ita, vt dixi, habeant, cur tanquam sancti & innoxij, mecum audetis contendere, cum luce clarius sit vos vniuersos à me defecisse, & vobis alios præter me deos delegisse, quibus supplicatis, cum me vno contentos esse oportuerat, & mihi vni & soli supplicare? Negatis ergo vos tdefecisse à me, & præuaricatos esse contra me: sed deprehendimini in manifesa defectione. Si enim ego vobis solus sufficio, quid loci apud vos habent diui? Hoc ipsum opponere possumus nostris Papistis, clamantibus, Deum colimus, Deum non deseruimus, sed vnà cum Deo, & in honorem Dei, diuos etiam veneramur. Hoc scilicet est, quod factum dolemus, hoc accusamus. Si confitemini vos aliud etiam præter Deum solum colere, manifestum est vos peccare, & transgredi voluntatem Dei, qui mandat solum adorare, inuocare, colere: quid ergo altercatis quasi non recesseritis à Deo?

Frustra percussi.

Reuincit & alio argumento pertinacem ipsorum defectionem, & amplificat ipsam, Ego quidem patrem vobis & filijs vestris pręstiti hucusq;, qui verberibus ad meliorem frugem inobsequentes & dissipatores adducere volui: uos autem pertinaces in peccatis vestris, emẽdari renuistis, neq; vllam vnquam recepistis, vel etiamnum recipitis disciplinam. **Alle streich sind verloren/ deßhalben dz ir üch nit ziehen lassend.** Filij estis itaq; rebelles, ac in aperta rebellione reperti & conuicti. Cumq; grauiter hodie affligamur à Deo, fame, caritate & inopia rerũ, sæuissimisq; collidamur bellis: quis oro reuertitur ad percutientem Dominum?

Parricidijs intercipiuntur prophetæ.

His accedit quòd bonus Dominus prophetas vobis mittit fideles, sicuti & quondam patribus. Quid verò hi? Strinxerunt ferrum in prophetas Dei, suspendio peremerunt eos, lapidibus adobruerunt, vel eiecerunt ex vrbibus suis, condemnantes ipsos exilio, aut grauissimis odijs presserunt ipsos, omnibusq; affecerunt contumelijs. Crudelitatem istam adumbrauit propheta per adiectam similitudinem, Sicut Leo, & quidem vastans, lacerans, furens, disperdẽs. Solomon quoq; crudelitatem tyrannorum eadem notauit parabola. Quid verò nostri hodie agunt? Loquatur res ipsa. Qui veniunt in nomine Christi, & oppugnant Antichristum, accusant idololatriam & scelera nephanda extremi huius seculi, Deus bone, quàm atrociter excipiuntur. Appellãtur hæretici, turbatores pacis, seditiosi, & qui digni sint mille extingui mortibus. Dicas Lupos, Vrsos, Leones, Hyenas, Tygrides, & venenatos esse serpentes, qui tamen videri volunt viri esse catholicissimi, patres beatissimi, & clementes pacificatores.

O generatio.

Proinde meritò exclamat Ieremias, Hei generationem, ô seculum **Hä deß ellenden volcks/ vnd jämerlicher zyt.** Exclamatione incendit orationem, & excitat veterno sopitos, atq; obiurgans, subiungit & ait, Si nondum sapitis, si nondum intelligitis vos esse sceleratissimos, & qui prorsus defecistis à Deo, inspicite obsecro Verbum Dei, adeoq; fingite Deum loqui vobiscum, & dicere, Num so-

litudo

litudo factus sum Israeli, aut terra caliginosa? Nunquam se Deus Israeli exhibuit sterilem aut difficilem. Est enim Deus populi sui paradisus & mare vel copiæ cornu bonorum. Idem lux est, non tantùm veritatis illuminans suos, ac dirigens in via, sed sol lætitiæ exhilarans. Nullæ denique in Deo sunt tenebræ. So ist er kein wüste oder dürre ägerten. Etenim in ipso deserto Israelem pauit pane cœlitus depluto, & carnibus non boum, sed coturnicum: defendit & deduxit eos summa fide & diligentia: interdiu obtexit illos nube, ne calore conficerentur, nocturnas tenebras columna ignea illustrauit, denique immensa quotidie contulit beneficia. Quæ cum ita habeant, an non turpissimum erat tam beneficum & munificum deserere Deum? Deseruerunt autem Iudæi illum, quando non vnum adorarunt, vni supplicarunt, & soli omnem gloriam tribuerunt. Nobis Christus est exhibitus à patre, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & plenitudinis repositi, & in ipso sumus completi, vtpote cuius plenitudine perficimur omnes. Quàm grande ergo peccatum est nostrum illud peccatum, quo non contenti Christo, pane cœlesti, & fonte vitæ & plenitudine fidelium, omnes ad se vocante & dicente, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, omniaque vestra adimplebo desideria, dispergimur ad diuos innumeros, quorum interuentu nos Deo reconciliandos vanissimè existimamus. Cur oro malumus arua sterilia quàm prata amœnissima & vberrima?

Deus non est solitudo, sed paradisus.

Ioan. 1. Colos. 2. 3.

Matth. 11. Ioan. 7.

Ac Ieremias in præsenti non sine stomacho infert istis, & dicit, Cur ergo dicit populus meus, Defecimus, recessimus, nec vltra veniemus ad te? Ita superius dixerunt, Expectoratum est, minimè, quia alienos amo, & post illos abibo. Fortassis senserunt se non posse religionem vsurpatam hactenus, ex traditione maiorum, abiicere prorsus, vel reformationem puram putam recipere, quando semel plura recepta sint, quàm nunc velint aut possint abolere. Huiusmodi quid nostro etiam seculo audias à nonnullis, qui & ipsi fatentur abusus in ecclesia inueniri innumeros: addunt interim, Cum verò tam longè recesserimus à primitiuæ ecclesiæ puritate & apostolicæ doctrinæ simplicitate, ecclesiaque nostri seculi legibus, ritibus, vel consuetudinibus cohercita sit innumeris, neque possibile, neque conducibile videtur, ea in vniuersum omnia abiicere, & auitam recipere simplicitatem: absurdiora ergo & minus necessaria abiiciemus, cætera retinebimus. Vbi mox mira fit commixtio Papismi & Christianismi: qua re tandem vinum nouum veteribus vtribus infusum, vtres displodit, & vinum effunditur. Ab aliis verò hæc prophetæ verba sic redduntur, Nos dominamur, nec vlterius ad te veniemus. Wir sind herren/vnnd dörffend dir nit nach zelouffen. Quasi dicant, Satis instructi sumus cultibus diuinis & iustitiis nostris fœderibusque, vt nihil nobis necesse sit à te solo pendere. Sensus propemodum in idem recidit. Colligimus ex his omnibus mentem humanam semel alienatam à Deo, & terminis verbi Dei elapsam, mirè temerariam esse & rebellem Deo ac verbo eius.

Receßimus, nõ reuertimur iterum.

Reformationes mixtæ & impuræ.

Porrò amplificat hoc defectionis à Deo scelus comparatione, vt eluceſcat magis, Virgo cum plurimi faciat ornamenta sua καὶ κειμήλια, quæ vulgò iocalia dicũtur, & in magno precio habẽtur (& vt nos dicimus, Jrẽ dockeren zũg) sponsa item fascias suas, aut munera accepta à sponso, Jre kleinot / valde diligat, nunquam certè eorum obliuiscitur, sed oblectat se subinde iugi eorum meditatione, & si amittat non quiescit, donec diligenter quæsita reperiat. Oportuerat autem Deum esse τὸ κειμήλιον virginis Israeliticæ, oportuerat fidem in Deum esse nobile munus sponsæ Iudaicæ veluti acceptum à sponso Messia Deo, quo se oblectaret perpetuò, quodque iugi meditatione versaret in animo, vnum solum Deum cogitans, solum amans atque colens: cæterũm stupidus & ingratus

Deus animæ fidelis clenodiũ.

populus meus multis iam seculis mei est oblitus. Alia habet clenodia quibus oblectatur, horribilia scilicet idola, alienos cogitat deos, de alienis cultibus & sacris est solicitus, mei est oblitus. Hoc ipsum Dominus noster Iesus Christus & de illis hodie cõqueri potest, qui deserto ipso, in templa tulerunt idola, reliquias, & nescio quæ alia ornamenta, quibus, vt se oblectant, ita magis se defœdant, quàm ornent. Interim nemo solicitus est, vt amissum semel clenodium ac michtam Christum, quærat ac recuperet.

Ethelotrisciæ non merentur Dei gratiam.

Rursus grauiter arguit Iudæos, scelerum eos reuincens, Quid bonas facis, inquit, vias tuas, quasi meritoriæ sint gratiæ diuinæ? Ita religionem & cultum tuum iactitas, denique totam vitam tuam adeô impollutam existimas, vt videri velis his te demereri numen, eiusq; dilectionem seu amicitiam. Verùm subiungit, Ob hoc, eamq; ob causam demonstrabo vias tuas esse corruptissimas. Deinde mox subiungit, Sub alis enim tuis inuenitur, &c. Quæ demonstratio est veluti ocularis, viam, vitam, vel conuersationem vitę populi Iudaici esse corruptissimam. Alij legunt, Et subinde etiam malitias, & doceas vias tuas. Vel, In hoc etiam doceas malas esse vias tuas. Vt sit sensus, Mirum est te tueri & ornare vitã tuam corruptissimam, cum ea non modò pessima sit, sed insuper etiam doceas alios viam tuam, & corrumpas tuo exemplo deprauato plurimos. Simpliciorta men sensus is mihi esse videtur, Quia vis videri iustus & innocens, ac qui dignus sis Dei amicitia, en euincam te sanguine & sceleribus esse adopertum.

Effusio sanguinis crudelis.

In alis, inquit, tuis inuenitur sanguis animarum, id est, hominum (vt enim caro pro toto homine, ita & anima ponitur) pauperum & innocentium: quæ circumstantię vehementer augent crimen. Allusum autem videtur ad aquilas, quę rapientes atq; lacerantes auiculas, earum cruore conspergunt alas, vt iam inde pateat ipsarum aquilarum rapina. Significat ergo crudelitatem Iudæorum manifestam & in propatulo esse. Subiungit enim, Quos non in foraminibus inuenisti, sed in his omnibus, id est, passim & in aperto. Effundebant enim in templo, & in synagogis sanguinem prophetarum. Effundebant oppressorum pupillorum, viduarum & miserorum hominum sanguinem in portis, in foro, in iudicijs, in vrbibus & agris. Effundebãt oppressione, iniquis iudicijs, calumnijs, vsuris, imposituris, denique gladio parricidali & militari. Neq; voluerunt facinora sua tegi aut abscondi in foraminibus. Sanguine partas facultates ostentabant in luxuriosis ædificijs, in preciosis vestibus, in monilibus, & aureis torquibus, in luxurioso potu & cibo. Omnia illa ex sanguine parta, sanguinem veluti distillabant pauperum. Quid verò hodie receptũ magis? Effunditur sanguis confessorum Christi, & quidem magno, vt videri volunt, zelo, pro asserenda fide antiqua. Effunditur sanguis pauperum, non à crudelibus & auaris duntaxat militibus, sed à versutis & impostoribus mercatoribus, ab iniustis iudicibus segnibusq; magistratibus: & cum sanguis clamet in cœlum, simul etiam luxus stupendus sanguine paratus, clamat in cœlum, &c.

Nolunt sibi prædicari de ira Dei.

Quid ergo? Subiungit, Et dicis, Innocens sum. Quasi dicat, Etenim cum res ita habeat, mirum est qua fronte prædices tuam innocentiam: cum madeas interim sanguine innoxio, vñ von vnschuldigem blůt trůffst. Addit & aliud, Duntaxat recedat furor eius à me. Alij, Certè auersus est furor eius à me. Alij, Et auertetur furor eius à me. Sensus est, Concionabantur prophetæ furorem Domini propter scelera illa & effusum sanguinem ardere in ipsos: cum verò ipsi culpam non agnoscerent, & se innoxios crederent, dicebant, Ne memineritis furoris diuini porrò, vt qui nullum habet locum apud innoxios. Sic nostri dicunt, Nun wyt hindan mit den zorn Gottes. Senckend vns deß nienen. Persequutores enim arbitrãtur se fundere sanguinem non fidelium, sed infidelium, hæreticorũ, ac sedi-

ac seditiosorum. Mercatores impostúras & malas artes suas non iudicant esse flagitia, sed artes ingeniosas. Miles mercenarius, sanguine victitans, clamat, Ich můß dennocht ouch neißwas thůn. Qui opprimunt viduas & pupillos, prætexunt nescio quod ius. Ita nemo peccatum suum reuera agnoscit, & palpamus nobis omnes.

Quid verò dicit Dominus per prophetam? Non ita æstimat res, sicuti nos æstimamus. Ecce ego iudico te, eò quod dicis, Non peccaui. Iudicat Deus pro iustitia & secundum verbum suum, non secundum expositiones & excusationes nostras. Iudicat illa omnia infanda esse scelera: iudicat item puniendo: iudicat dum condemnat, & simpliciter pronunciat peccare homines & æternæ damnationi se obnoxios reddere, quòd non agnoscunt peccata veniamq; petunt, sed magis in impœnitentia pergunt, & dicunt, Non peccaui. Quanquã hæc sententia referri poterat etiam ad consequentia. *Iudicat Deus nihilominus.*

Rursus enim euidentissimo argumento demonstrat eis, ipsos minimè esse innoxios. Si innocens es, quid causæ est quòd multis cum laboribus & magnis sumptibus ita discurris (Was rennst du hin vnd har?) sursum atq; deorsum? Cur non acquiescis in Deo, in eius defensione & cultu: iuxta illud veteris prophetæ, In spe atq; silentio erit victoria vestra? Cur toties mutatis religionem & fœdera? Iudæi enim non contenti cultu Dei simplici accepto per Mosen à Deo, insuper addiderunt illi innumera sacra, & multiplices ceremonias, ab ethnicis acceptas. Ideoq; discurrebant per Syriam, per Assyriam, & Ægyptum, & vndiq; colligebãt quod videbatur ad ornatum & elegantiam pertinere cultus. Sic Achab rex egit Damasci, vbi curauit sibi aram depingi, quam & in templo statuit Hierosolymitano. Alia huius generis plurima fiebant quotidie. Perinde vt in Papatu quotidie exortæ sunt nouæ fraternitates, & peregrinationes, noui item monachorum ordines & cultus. Dicere ergo possumus his quoq;, Si verè estis Christiani, sicut videri vultis, quid sibi volunt tot fraternitates, tot ordines, tot idola, & sacra peregrina? An non sufficit vobis euangelium & Christus? Deinde pangebant cum exteris gentibus & regibus fœdera Iudæi: cuius rei gratia nunc in Assyrios, mox ad Ægyptios legationes mittebant. Non enim confidebant Deo, qui ipsis terram hanc sine principum armis, imò contra regum placita dederat, quòd ipsos in eadem seruare & tueri posset sine regum fœderibus. Simile quidem peccatum hodie quoq; inuenias in hisce regionibus, &c. Cognitum est denicq; ex historijs quomodo se Achaz regi Assyriorũ subiecerit, ipsumq; nuncupauerit patrem suum (legatur 4. Reg. cap. 16.) liberatorem & defensorem suum, Scilicet. Sequitur enim in propheta, Ab Ægypto ita vt ab Assyrijs confunderis. Quantum enim malorum in Achaz & filium Ezechiam effusum sit propter fœdus illud infaustum, multis declarat historia sacra. Quoniam verò cum Ægyptijs Iudæi & in idololatria & amicitijs communicabant, sub Ioachim principe & Zedechia rege, irreparabile acceperunt damnum. Quibus mox grauius etiã subiungit, Hinc etiam ex vrbe Hierosolymorum ac terra promissa demigrabis, manibus super caput complosis. Qui gestus est præ dolore & calamitatibus infandis maximè lugentium. Nos dicimus, Su wirst noch die händ ob dem kopff zamen schlahen, significantes conijciendum aliquem in extremam calamitatẽ. Idem euenit multis Christianorum regnis, propter idololatriam & fœdera impia, conuulsis. *Acquiescendũ in Deo, non circumcursitãdũ.* *Isaiæ 30.* 4. Reg. 16. *Confunduntur qui sperant in deos, & in fœdera.*

Ratio tanti mali iterum inculcatur & subiungitur, Quia spreuit vel abominatus est Dominus confidentias, falsam inquam tuam fiduciam in idola & fœdera, & quòd peccata tua agnoscere non vis, ac redire ad Dominum: ea de causa nihil habebis prosperum. Da wirt weder glück noch heil syn. Disce ergo tu

quoq; Christi ecclesia nunc etiã vnde sit vera felicitas, agnosce peccata tua, pœnitentiam age, conuersa ad Dominum Deum tuum, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Hortatur ad pœnitentiam Iudæos, exposita Dei clementia: & renitentes grauiter accusat, & scelerum reuincit.

CAPVT III.

CONCIO X.

AIunt, Si quis vxorem suam repudiat, illa autem abiens ab eo, alteri viro nubit, num reuertetur ad eam vltra? An non polluendo polluet terram illam? Tu autem scortata es cum amatoribus multis: attamen reuertere ad me, dicit Dominus. Attolle oculos tuos in loca excelsa, & vide ſicubi non ſis constuprata. Iuxta vias sedisti illis, instar Arabis in deserto, & polluisti terram in fornicationibus tuis atq; in malitia tua. Ideò prohibentur pluuiæ & nõ fuit serotinus imber. Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere. An non vel posthac clamabis ad me, Pater meus, & dux adolescentiæ meæ tu es? Num memor erit perpetuò, num in finem vsque obseruabit? Ecce loquuta es, & fecisti mala, & prævaluisti. Dixitq; Dominus ad me in diebus Iosiæ regis, An non vidisti quid fecerit rebellis vel perfidus Izrael? Abijt enim super omnem montem excelsum, & sub omnem arborem frondosam, & fornicata est ibi. Et dixi postquam fecerat hæc omnia, Reuertetur ad me, sed non est reuersa. Viditq; perfida vel prævaricatrix soror eius Iuda: & vidi: & quod ob omnes causſas illas, quòd (inquam) adulterata fuisset prævaricatrix Izrael, dimisissem eam, dedissemq; ei libellum repudij, non tamen reuerita est prævaricatrix soror eius Iuda, sed abijt & ipsa ac fornicata est etiam. Factumq; est, vt ob facilitatem fornicationis eius, pollueretur terra. Fornicata est enim cum lapide & ligno. Nec in omnibus istis reuersa est ad me prævaricatrix soror eius Iuda, in toto corde suo, sed simulatè vel falso, ait Dominus.

Adhortatio ad pœnitentiam.

POSTQVAM diuinus vates Iudæos multorum & grauium peccatorũ reuicit, hortatur iam ipsos ad pœnitentiam, ostendens Deum esse clementem, facilem & propitium omnibus ad ipsum in veritate reuertentibus. Proponit autem exemplum legale, ex Deut. 24. petitum, & ad commendandam inæstimabilem Dei patris facilitatem & gratiam adaptatum. Lege constitutum est, vt si quis repudiat vxorem suam, dato ei libello repudij, & hęc discedens à marito, nupserit alteri, ne prior ille maritus illam abripiat à posteriore viro, imò ne hoc mortuo quidem ipsam recipiat in coniugem. Ratio subiungitur in Lege, Ne polluatur terra. Quæ quidem in præsenti etiam à Ieremia repetitur. Cæterùm matrimonium quod per se ex diuina institutione & sanctificatione sanctum est, neminẽ polluit, neq; homines, neq; terram. Quomodo enim res sanctissima pollueret? At si nõ ritè cõtrahatur, aut contractũ illegitimè colatur, id demũ polluit, vitium inquam & peccatum nostrũ. Vinum est res bona & creatura vtilis & sancta, sed rectè vtentibus: abutentibus enim peccatum fit, non sua quidem, sed abutentis culpa. Quæ verò est matrimonij sanctificatio, nisi legitima eius institutio, verbum & benedictio Dei? At si quis recipiat in coniugem, quam repudiauit, & quæ alteri viro nupsit, contra verbum De, peccat.

Cũr repudiata nõ recipiatur?

Hoc

Hoc enim prohibuit ne faciat homo, quod facit: peccat ergo, quia contra legem Dei facit: Ita si quis contrahat matrimonium illegitimè, veluti si ducat, quam ducere Deus prohibuit, sanguine iunctã, &c. certè polluitur hoc matrimonio, non culpa quidem matrimonij, semper sancti, sed præuaricatione matrimonij sancti. Cur autem prohibuerit Deus, ne quis vxorem repudiatam, & ab alio viro receptam in consuetudinem, ducat, in promptu causa est. Res est pestimi exempli, & non posset nõ commutatio illa vxorum grauiter castas offendere mentes, quasi à fornicatione parum aut nihil distaret coniugium. Præterea voluit ita coercere petulantiam repudiandi vxores virorum. Quam postremò Christus Dominus apud Matth. in 19. cap prorsus exclusit, reformans scilicet matrimonium ad primam Dei institutionem. Sicuti ergo cædibus pollui dicitur terra, ita libidinibus & illicitis complexibus. Hæc obiter de lege & pollutione terræ.

Iam verò ex alijs scripturæ locis constat, Coniugium & fœdus contractum & pactum esse inter Deum & hominem. Violatur coniugij huius integritas idololatria, cultu & inuocatione alienorum Deorum. At Iudæi polluerant se idololatria & peregrinis cultibus, crimine ergo rei tenebantur fornicationis & adulterij, ideoq; Deus eos potuisset repudiare, & repudiauit. Hic autem aperit se insignis Dei gratia, misericordia atque beneuolentia. Cum enim nullus marítus repudiatam nedum adulteram & scortum fœdum recipiat, sed ipsam abominetur perpetuo: Deus tamen non tantùm repudiatam, sed adulteram & impudentissimam reuocat ad pristinam consuetudinẽ & matrimonij dignitatem. Tu inquit, nõ tantùm alteri nupsisti, repudiata, sed & scortata es (in hoc est egregia amplificatio) cum amatoribus vel amasijs (mit bůlen) compluribus, nedum cum vno aut altero: prostituisti enim te impudenter quibuslibet: attamen condonabo tibi hanc fœditatem, & hortor te vt ad me reuertaris, Reuertere, inquam, ad me. Quid verò est Reuerti ad Dominũ? Relictis dijs, cultibus, & fiducijs extra Deũ omnibus, solum amplecti Deum, solum adorare, inuocare, colere, à solius verbo pendere, & ipsi inseruire in iustitia. Gloubẽ vnd recht thůn. Hæc est vera pietas, pœnitentia & conuersio ad Deum.

Deus repudiatam recipit in gratiam.

Reuerti ad Dominũ quid?

Obseruandus est autem hic locus in primis, vt qui ineffabilem Dei misericordiam prædicat, & omnibus cõmendat peccatoribus, ne desperemus in peccatis, sed hæc agnoscentes, Deoq; confitentes, conuertamur ad Dominum, credentes illum nostri misereri, recipere nos, condonare nobis peccata, & patrem se nobis præstare benignum. Quadrat huc in primis parabola illustris euangelij clementissimi patris, benignissimè recipientis prodigum illum helluonem, maleq; frugis filium, apud Lucam in cap. 15. Sunt innumera exempla gratiæ & immensæ Dei misericordiæ, recipientis pœnitentes. Huc enim facit colloquium Dei mirificum cum Abrahamo Gen. 18. Facit huc Psal. 104. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit vobis. Et reliqua quæ ibi Dauid canit, in primis hæc nostra illustrantia. Extat Niniuitarum exemplum. Extat Dauidis, Manassis, Peccatricis in euangelio, publicanorum, meretricum, Matthæi, Zachæi, Petri, Latronis, & eorum quoque exemplum, qui Christum crucifixerunt, quos acriter quidem increpat S. Petrus, sed interim promittit reuertentibus & pœnitentibus remissionem peccatorum, & vitam æternam.

Ineffabilis Dei misericordia in recipiendis impijs.

Lucæ 17.

Atq; vtinam locum haberent hæc apud nostrum sæculum hodie, quod non minus contra Deum peccauit idololatria, quàm Iudæi peccarunt. Et quidem multò diligentius reuocamur nos ad Deum in Christo, quàm isti, An non dixit Dominus se venisse medicum curandis infirmis, pastorem fidelem quærendis asserendisq; ouibus? An non clamat, Venite ad me omnes, qui laboratis? &c.

Reuertamur ergo, & sufficiat nobis Christus, in quo vno est plenitudo omnis vitæ & salutis.

Quoniam verò peccata nostra contra Deum admissa non agnoscimus, ea de caussa nihili has Dei vocationes increpationesq; facimus, neq; reuertimur ad Christum, à quo nos nunquam recessisse falsò putamus. Certè Iudæi temporibus Ieremiæ eodem laborabant morbo. Nunc ergo hos acriter vrget, & iterum reuincit grauissimorum scelerum, si adhuc ad mentem redirent & seruarentur. Demonstrat autem his peccata sua veluti extento digito. Eleua oculos tuos in excelsa tua, & vide an non omnia sacellis oppleueris, reliqueriscq; vbiq; tuæ vestigia impietatis, & manifestæ idololatriæ argumẽta. Vtitur propheta obscœno vocabulo ex fornicatione petito. Dispice mihi sicubi locus sit in quo non sis subagitata aut constuprata. Appellat enim cultum peregrinum hoc fœdo vocabulo: sicuti passim in prophetis legimus, idololatras fornicari, & adulterium cõmittere. Scelus ergo est non meritum. Hæc tamen ecclesiæ Dei quàm fieri potest castissimè sunt exponenda, ita tamen vt sceleris fœditatem intelligat & caueat. Sicut adultera in omnibus syluis, montibus, vallibus, pratis & locis sui copiã facit adulteris: ita tu in omnibus locis sacella & aras extruxisti, & ibi dijs alienis, vel mihi, illegitimè sacrificasti, cum præceperim in vno duntaxat loco immoles, & mihi vni seruias. Ergo cultum illum tuum omnem tibi reputo pro fornicatione.

Rursus reuincuntur impietatis.

Obscœnitas.

Alia præterea similitudine propensionem ad idololatriam adumbrat. Sicuti prædones Arabes in deserto itinera obseruant, sicubi occurrat mercator aliquis opulentus, quem deprædentur: ita tu iuxta vias sedisti illis, id est, in gratiã illorum tuorum scortatorum: hoc est, tu instar scorti omnibus insides vijs aut bi uijs obseruans si quis adulterorum tuorum velit miscerí tibi. Diligenter nimirũ cogitas & indagas si quis alicubi cultus emergat peregrinus, quem recipias, atq; ita Deum Deosq; colas. Sed hoc est fornicari impudentissimè. Sequitur enim, Et polluisti terram, &c. Certè si obseruaueris quàm diligentes olim etiam nos fuerimus, & simus plerìq; adhuc in perquirendis & recipiendis cultibus, ritibus, fraternitatibus, ordinibus & ceremonijs, dices omnia esse paria.

Calamitatũ verissima origo.

Ideò verò dicit tempestates esse incommodas, vt neq; in semente, neq; messe appropinquante pluat: id est, asserit ob idololatriam & inobedientiam atteri ipsos calamitatib. Lege 2. caput Oseæ, & Tractatum 5. Cypriani contra Demetrianum: & disce infortunia, clades, pestes, grandines, & omnes calamitates oriri ex inobedientia, non ex prædicatione euangelij. Disce item quibus rebus regna & tota terra, denìq; omnes homines polluantur, non vnius Dei cultu, sed odio huius & idololatria, &c.

Frons meretricis facta est tibi.

Hoc verò nemo agnoscit, ne centesimus quidẽ, subijcit ergo Ieremias. Frons meretricea tibi facta est: id est, non potes erubescere. Hast ein hüren stirnen überkommen/kanst dich nit mee schämen/ oder hast dich verschämpt. Est autem hæc sententia contra omnes illos pronunciata, qui peccata sua, & veritatem simplicem agnoscere ac intelligere nolunt, in superstitionibus & peccatis suis pergunt. Proinde qui in peregrinis cultibus persistunt fortiter, non sunt constantes, sed pertinaces, imò frontem meretricis effrontem receperunt: ac tantum sua illa pertinacia ornantur, quantum ornatur effrons scortum sua impudenti peruicacia.

Impudẽter pertinaces non constantes.

Vera pœnitentia.

Post grauem hanc increpationem iterum diligentissimè vocat ad pœnitentiam, dicens, Cum verò intellexeris quàm sis polluta, an perges tergiuersari adhuc necdum reuerti ad Dominum, & per fidelem pœnitentiam cum ipso redire in gratiam? Wilt du noch nit zů Gott vmb gnad rüffen? Præscribit autem

breuem

breuem pœnitentiæ & precum formulam. Credendum est peccatori, Deum esse patrem clementissimum: colligendum ex beneficijs eius quòd hominum sit amator ac optimè homini velit. Ex hac fide reuertendum est ad Deum solum: hic compellandus aut iuuocandus prece fideli, huiusmodi videlicet aut simili. Ego quidem in toto hoc mundo, & in omnibus rebus conditis nusquam reperio bonum quod appetam, & Deum ac patrem ad quem me miserum conuertam, nisi te solum, ô mi Deus & pater mi. Tu enim non tantùm ab adolescentia vel ab initio gentis nostræ Abrahamum ex Chaldæa eduxisti, non tantùm patres nostros ex Aegypto asseruisti, per desertum deduxisti, sed insuper quouis tempore dux & protector, lumen & solatium fuisti. Si quando verò propter peccata nostra coactus es pugnum nobis incutere, mox tamẽ redijsti nobiscum in gratiam. Nã non soles iniuriarum pertinacius meminisse, neque semper indignationem vel iram tuam retinere. Nunc ergo te oramus, vt etiam nobiscum redeas in gratiã, nobis peccata condones, & spiritum tuum conferas, per quem malum vitare, & bonum possimus prosequi, &c. Ad eundem modum legimus Psal. 103. dixisse vel ceciniſſe Dauidem, Misericors & clemens est Dominus, patiens & multæ miserationis. Non in æternum contendet, neque semper iurgabitur: non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Nam quanto interuallo cœlum distat à terra, tantum prævalet misericordia eius super timentes eum. Et reliqua quæ ipse lege. Similiter orare nos docuit Isaias in cap. 63. Vbi multitudo viscerum tuorum & misericordiarum tuarum? Tu pater noster es. Abraham nescit nos, & Israel non cognouit. Tu Domine pater noster es, redemptor noster. Hoc nomen tuum ab æterno. Ideoq; Dominus ipse docens nos orare, dixit, Et cum orare volueritis, dicite, Pater noster qui es in cœlis, &c. Et iterũ, Et remitte nobis debita nostra, &c. Sic & filius prodigus in cor suum descendit, & dicit, Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam Pater, peccaui in cœlum & coràm te, &c. Luc. 15. Hæc inquam vera est precatio verè pœnitentium. Et vera pœnitentia conuertit se ad Deum cum lachrymis & supplicationibus. Vtinam verò hæc nobis hodie persuaderi posset.

Precatio verè pœnitentialis.

Iterum verò subijcit propheta, ipsos pertinaciter & sine pœnitentia pergere imò grassari in sceleribus, At tu dixisti, simul & designasti malum, & prævaluisti, vel quantum potuisti & voluisti fecisti. Mira est breuitas: sicut illa Iulij Cæsaris, felicem Romanis progressum, pugnam & victoriam nunciãtis, Veni, Vidi, Vici. Sic Ieremias, Dixisti te non obtemperaturum, sed pro libidine facturum malum: idq; sicut dixisti, perfecisti, & quidem prævaluisti & fecisti quantum potuisti. **Du hast nun alles das gethon das deß Tüfels rödel innhaltend/ vñ was du gemögen hast.** Similes in libidinibus & quibuslibet iniquitatibus progressus audaces inuenias, clamantibus insanis illis, **Dahindurch můß es/ vnd sölts ouch dem Tüfel leid syn.**

Impœnitentia.

Inserit nunc temporis consignationem, ne ignoraremus Orationem hanc dictam esse temporibus Iosiæ, cum sanctus princeps meditaretur & moliretur reformationem, infelix autem populus vel mallet inhærere luto impietatis, vel certè simularet se reformationem approbare. Deinde comparatione amplificat peccatum Iudæorum, vtpote quos nihil permouere potuerit infelix decem tribuum vel Izraelitarum exitium. Principiò itaq; commemorat quomodo se gesserit populus Izraelis: deinde subiungit quid vicissim Deus cum ipso egerit. Appellat autem sorores Izraelitas & Iudæos. Fuerunt enim ante discissum regnum gens vna, prognati eodem patre Iacobo Izraele. Auersatrices vel prævaricatrices ac rebelles nuncupat vtraſq; sorores, quòd refractario animo repellẽtes verbum Dei, animi sui libidinem sectatæ sunt, quinimò perfidè fœdus, coniugium,

Hæc oratio dicta temporibus Iosiæ.

Sorores.

Prævaricatrices.

pacta & amicitiam, ſocietatémue cum Deo violarunt. Iſti iſtaq; Izraelitæ rupto fœdere, abiecto Dei verbo, neglecto Dei templo, & calcatis ſacris Dei omnibus, templa, excelſa & ſacella ſacraq; prophana vbiuis locorum extruxerunt ac fecerunt, ſuoq; arbitrio religionem ſibi confinxerunt, lucos plantarunt, & ad quaslibet propè arbores patulas numen vel idolum collocarunt. Sicuti noſtro quoque ſæculo factum vidimus, ac in præcedentibus Concionibus diximus. Sequitur iam ſecundo loco quid Deus fecerit. Deus verò pro miſericordia ſua inſignes illis prophetas miſit, qui reuocarent illos in viam. Summam prædicationis comprehendit paucis & ait, Reuertere ad me: vel Reuertetur ad me: cum ſcilicet audierit vocationem meam, fieri nõ poteſt quin reuertatur. Cæterùm rebellionem iſtorum etiam vno verbo notauit, & dixit, Sed non eſt reuerſa. Locus hic totus eleganter, planè & copioſe exponitur in 4. lib. Regum cap. 17. Inde require plura. Eſt enim huius loci Commentarius.

Contemptus exemplorum Dei propoſitorum nobis à Deo.

Porrò applicat huic exemplo Iudam. Hoc vidit, inquit, prævaricatrix ſoror eius, Iuda videlicet. Ergo non peccat hic per ignorantiam. Sed & inſerit, Et vidi. Sic enim loquitur Deus, ſe nihil iſtorum ignorare, ſed videre omnia: licet aliquibus cæcus videatur. Vidi inquit & ego horũ nequitiam. Deinde ſubiungit quid viderit Iuda, nimirũ quòd Deus propter fornicationes iſtas ſpirituales, ceu adulteræ libellum repudij dederit Izraeli, id eſt, decem tribus exciderit & in captiuitatem abduci per Salmanaſarem curauerit. Cæterùm hoc ſæuo & infelici calamitoſiſſimoq; exemplo nihil eſt commotus Iuda, nihil reueritus, Hat ſich nüt entſäſſen. Nihil curauit: nihil ad ſe fratrum interitum pertinere putauit. Non collegit, Si iſti pereunt propter idololatriã, peribis & tu. Abijt enim & ipſa quoque ſoror infelix & idolis ſeruiuit. Id quod tempora regum oſtendunt, maximè Ioram, Ioas, Achaz, Manaſſe, &c. Docet certè Chriſtus Lucæ 13. omnes calamitates nobis veluti exempla proponi pœnitentię. Adijcit idololatriam ipſorum non fuiſſe vulgarem, ſed ſingularem. Facilis fuit ad impietatem omnẽ. Sua ſponte proruit in malũ. Hat nun keins bättens bed ẓeſſen. Vltrò ſe obtulit quibus libet adulteris, adeò vt deperierit tandem in lapides & ligna, & hæc quoq; coluerit, propter amaſios illos ſuos, quos dilexit. Dicunt enim Idololatræ ſe non colere lignum & lapides, ſed eos magis quorum ſigna ſtant lignum & lapides. Interim verò rebus ipſis declarant manifeſtè, quòd impenſe idolis ipſis quoque delectantur, ipſa adamant & maximi faciunt. Ea re vt piaculo inexpiabili polluitur terra, & infelicia & calamitoſa reddũtur omnia. Id quod factum eſt toties, quoties populus ſic peccauit. Teſtatur hoc hiſtoria ſacra. Teſtantur & noſtra ſæcula nunquam impunè eccleſiam reiecisſe aut neglexiſſe ſalutem Chriſtum & ſanctum eius euangeliũ. Quid enim Aſia & Aphrica, & non minima Europæ pars, Græcia, Illyricum & Pannonia ſit perpeſſa à Saracenis & Turcis, non ignoramus. At quotus quiſq; infelicibus his exẽplis commouetur in Polonia, Germania, Dania, Anglia, Gallia, Italia? Quid ergo futurum putamus? Peribũt tandem & hæc regna propter impœnitentiam & rebellionem.

Adulterari cũ lapide & ligno.

Non ſatis eſt reformare, niſi ex corde reformemus.

Dicere autem potuiſſent temporibus Ioſiæ, Quid ita in nos debaccharis, qui omnem diligentiam religioni reformandæ impendimus? Præoccupat & ait, Reuerſa es quidem ad me, ſed non in toto corde, non verè, ſed ſimulatè. Exteriùs quidem reformatis externa, interiùs antiquos & inueteratos errores retinetis. Sed & meliora ſperatis tempora. Accommodatis nunc quidem vos Regi & præſenti fortunæ: ſperatis autem mortuo rege, omnem impietatem in locum ſuum fore reponendam. Tales enim fuiſſe huius populi cogitationes & ſententias, colligi poteſt & ex Concionibus Sophoniæ. Quid hodie aliud videas in ijs locis vbi nonnihil reformatum eſt ad euangelium Ieſu Chriſti? Sunt quidẽ plurimi

rimi homines pij & innocentes, sed multò plures tempori se accommodant, tacent, simulant, dissimulant, interim aliquoties spem suam depromunt, dicentes, Fluminibus suum permittamus cursum; aderit tandem optata tranquillitas, & cessabit fluminis impetus. Sed hi citius exitium sibi instare sentient quàm optatis perfruantur impietatibus. Dominus Iesus seruet nos in veritate. Amen.

De Restitutione Izraelis & eximia Dei gratia. Inuitantur autem Iudæi ad pœnitentiam.

CONCIO XI.

Et ait Dominus ad me, Iustificata est amima rebellis Izraelis præ præuaricatrice Iuda. Vade igitur & exclama sermones istos versus Aquilonem, dicens, Reuertere tu rebellis Izrael, dicit Dominus. Non enim ponam vultus meos contea vos. Quia misericors sum, dicit Dominus, nec retinebo (iram) in æternum. Tantùm agnoscas iniquitatem tuam: quoniam contra Dominum Deum tuum peccasti, & dispersisti vias tuas ad alienos sub omni ligno frondoso, & vocem meam noluistis audire, dicit Dominus. Reuertimini filij rebelles, dicit Deminus: quoniam ego Dominus vel maritus vester: & accipiam vos, vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Zion. Daboq; vobis pastores iuxta cor meum, qui pascant vos doctrina & scientia. Cūq; multi fueritis & creueritis in terra in diebus illis, dicit Dominus, non dicent amplius, Arca fœderis Domini, neq; veniet in cor, neq; recordabuntur eius, neq; visitabūt, neq; facient vltrà. In tempore illo vocabūt Hierusalem solium Domini: & congregabuntur ad eam omnes gentes ad nomen Domini in Hierusalē, nec ibūt vltra post prauitatē cordis sui malā. In diebus illis ibunt domus Iuda cum domo Izrael, & veniēt pariter de terra Aquilonis ad terram quā dedi in hæreditatem patribus vestris.

Hactenus exemplo Izraelitarum amplificauit peccatum Iudæorum, iam eorundem exemplo prouocat Iudæos (semper intelligo per Izraelitas X. tribus, per Iudæos autem duas tribus, Iudam & Beniamin: id quod omnibus notissimum esse scio) ad pœnitentiam: promittens omnibus peccatorum remissionem & liberationem ac restitutionem plenissimam. Transitum autem sibi parat ad hanc caussam huiusmodi sententia, Iustior vel magis excusabilis est rebellis Izrael, quàm tu sis ô defectrix Iuda. Iam ergo tale quippiam subtexere videtur, Proinde succensere non potes, si redeā cum Izraele in gratiam, & reducam eum in patriam. Quinimò redibo etiam tecum in gratiam & recolligam te quoque, ô Iuda, modò tu quoq; egeris pœnitentiam. Huiusmodi itaq; videtur præsens esse tractatio, qualis extat apud apostolum Rom. 11. vbi prouocat Iudæos ad fidem, proposito exemplo gentium ad fidem gregatim peruenientium: ostendens item gentes ægre ferre non posse, si recolligat tandem Iudæos quoq; cū receperit gentes admodum rebelles Deo.

Iustior est Israel Iuda.

Cum verò fiunt huiusmodi collationes, quibus populi conferuntur improbi, ostenditurq; alterum altero esse nequiorem, non efficit collatio vt minus malus, non sit malus, aut omnino sit bonus. Confert Dominus Tyrum & Sydonē, Sodomam & Gomorram cum Capernaum, Corozaim & Bethsaida, non quòd Tyrus bona sit, sed quòd peior sit Capernaum. Grauius autem videtur Iudæ populus peccasse, quòd vidisset pœnam Izraelitarum, neq; tamen quicquam esset ea commotus calamitate. Quanta est ergo culpa nostra, qui non modò veterā

ante Christum, & noua post Christi incarnationem exempla Izraelitarum & Iudæorum habemus, sed insuper totius mundi & nostri sæculi clades & calamitates maximas, quibus tamen ne tantillum quidem commouemur ad pœnitentiam. Discamus item ex hoc Ieremię testimonio, eos aberrare turpiter, qui arbitrantur post captiuitatem Babylonicam ex nulla tribu, nisi ex tribu Iuda & Beniamin, redijsse in patriam vel Hierosolymam. Nam nunc disertis verbis ex captiuitate reuocat Ieremias totum Izraelem.

Omnes tribus redeũt ex captiuitate, non duæ tantum.

Exemplo prouocantur ad pœnitentiam.

Simul autem dum exemplo Izraelitarum Iudæos reuocat ad pœnitentiam, & restitutionem Izraelis tractat, attingit gentium vocationem, & confutat eorum fiduciam, qui existimabant nunquam posse in captiuitatẽ abduci Iudæos, maximè quòd templum haberent. Colligebant enim veritatem Dei promittentem Messiam, non posse falsam esse, hunc autem reuelandũ Hierosolymis, Hierosolymas ergo non fore euertendas. At propheta dicit, post reditum ex Babylone reparandam vrbem, demumq; venturum Christum & Izraelem restituendum: interea verò capiendam vrbem, inflammandum templum, & abducendũ populum in Babylonem. Hactenus legem Dei interpretatus populi & omnium ordinum accusauit peccata, ac omnibus suasit pœnitentiam, nunc verò euangelium quoq; & Christum prædicat in vaticinio. Fuit enim spiritus Christi, quod Petrus 1. Pet. 1. dicit, in prophetis, omnia per ipsos Christi mysteria exponens. Itaque prophetæ Dei non pœnitentiam duntaxat, sed Christum quoque prædicarunt.

Ieremias prædicat euangelium.

Ad euidentiam pertinet quod iubetur propheta conuersus ad Aquilonem, ad locum inquam captiuitatis adeo q; ad ipsos captiuos Israelitas (dudum à Salmanasare in captiuitatem abductos) magna voce exclamare, disertè loqui, & abductos reuocare in patriam. Sequitur enim quid clamet, Reuertere tu ô Israel, qui fuisti rebellis ac ob rebellionem abductus es in captiuitatem, redito. Et nemeum asperneris nuncium, scito Dominum ita mandare, Deũ sic loqui per me. Et hæc est propositio, & summa prædicationis de Restitutione Israelis. Sciendũ autem omnes prophetias institutas & prædicatas de Restitutione Israelis tripliciter fuisse impletas, & impleri, atq; adeò adimplendas esse adhuc. Principiò enim quædam impleta sunt in Israele secundum literam à temporibus Cyri, dimittentis captiuitatem, vsq; ad tempora Christi. Deinde plenius pleraq; adimpleta sunt per Christum & apostolos, adimplenturq; hodie quoq; per vniuersam ecclesiam. Postremò complebuntur absolutissimè omnia in vltima illa die, qua glorificabuntur sancti, & transferentur à iudicio in regnum æternum.

Reuertere Israel.

De Restitutione Israelis.

Caussam verò huius restitutionis ante omnia commemorat, non vlla esse hominum merita, sed meram Dei gratiam ac misericordiam. Non enim ponam, inquit, vultus meos contra vos. Locutio est, pro eo quod est, non pergam indignari vobis, & sæuire in vos. Facit enim Deus cadere vultus suos super aliquem, aut ponit faciem suam contra aliquem, quando iusta eum indignatione & vindicta persequitur. Vulgatus interpres hanc locutionem reddidit per contrariũ, & dixit, Et non auertam faciem meam à vobis, pro eo quod est, prosequar vos fauore, &c. Planius autem horum caussa sequitur, Quia misericors vel beneficus sum. Ideò non retinebo, intellige semper, iniuriarum memoriam. Vel vt Germani dicimus Jch wil den blaast nit allwägen gegen dir behalten oder tragẽ. His omnibus pollicetur vltrò gratiam & misericordiam omnibus peccatoribus ac sua sponte omnibus suam offert amicitiam & reconciliationem.

Restituimur ex gratia nullo nostro merito.

Quoniam verò Deus nolentem non seruat, sed gratia sua se accommodantem ordini salutis (Gratis enim saluat nos Deus, nec est volentis aut currentis, sed miserentis Dei, sic tamen vt ordinem suæ prouidentiæ seruet) ideoq; requirit agnitionem

Confitenda sunt peccata.

agnitionem peccatorum, fidem & pœnitentiam. Saluat ergo Deus & gratis quidem in Christo aut per Christum, non vllo nostro merito, nulla nostra præparatione, sed fideles & conuersos ad ipsum: infideles enim & rebelles repudiat nec recipit. Vnde in præsenti ad Israelem reducendum dicit per prophetã Dominus, Duntaxat vel dummodo agnoscas iniquitatẽ tuam. Nam tota scriptura requirit à purgandis confessionem peccatorum. Locus egregius est 1. Ioan. 1. Sicut autẽ illa confessio peccatorũ Deo fit, contra quem solum peccauimus, sic non potest non ex fide oriri, & fide dirigi, quam vera sequitur pœnitentia. Formulam autẽ cõfitendi complectitur paucis verbis, vel colligit peccatorum genera & species in tria capita. 1. Agnosce quòd peccaueris contra Dominum Deum tuum. *Peccatorũ confitẽdorum Deo forma.*
2. Agnosce quòd disperseris vias tuas ad alienos sub omni ligno frõdoso. Deus vnã modò viam tibi cõmonstrauit, vt secundum verbum suũ, ipsum solũ sequereris, ipsum adorares, inuocares & coleres, tu verò relicto fonte aquarum viuentium multos tibi deos delegisti, varias religiones & salutis rationes confinxisti. Extruxisti sacella, sectatus es idola, discurrendo per excelsa, per campos & per valles. Vt superius copiosè est expositum. Grauiter ergo peccasti. Hoc agnosce.
3. Agnosce denique quòd vocem meam audire nolueris. Id quod omnes omniũ peccatorum species complectitur. Et quidem nolle audire verbũ Domini origo est & firmamentum omnis mali. Disce hinc quæ sit vera & plena confessionis synceræ formula, & confitere tu quoq; ad hunc modum Deo tuo.

Iam verò repetit iterum summam restitutionis, & ait, Reuertimini filij rebelles, dicit Dominus: & mox veluti per partes restitutionem plenè describit, commemorans qualem se Deus in restitutione illa exhibiturus sit ecclesiæ sanctorum, & quæ ac quanta ipsi bona sit largiturus. Quæ quidem ipsissima est prædicatio iucundi euangelij, & annunciatio Christi regnantis in ecclesia & glorificantis fideles suos gloria æterna.

Principiò dicit se fidelium liberatorem & liberãdorum futurum Dominum & magistrum, vel virum atq; maritum. Vtrunq; enim innuunt Hebraica. Ipse ergo Christus rex & pastor est ecclesiæ, vt & Ezech. 34. & 36. dicitur, non substituit vllum vicarium. Præterea ipse est vir & maritus suæ coniugis. Non est quod vllum sibi Baal asciscat. Sufficit fideli animæ Christus, in quo est omnis plenitudo. Sicut copiosè exponitur Ioan. 1. 3. 10. Ephes. 1. 5. & multis alijs scripturæ locis. Et quoniam nos hodie volumus recensèri in ecclesia catholica, cur non sufficit nobis vnus Christus, qui est solus omnia vitæ sanctæ & æternæ? Non erimus in ecclesia vera Christi, non erimus de numero restitutorum in regno Christi, nisi fuerit Dominus & maritus noster Christus solus. *Christus est magister & vir ecclesiæ.*

Deinde subiungit, Et accipiam vos, vnum de ciuitate, &c. Significat autem se ex omnibus hominum ordinibus, sexibus & ætatibus vocaturum in regnum suum, ac per initia paucos quidem. Nam numerari possunt qui ex Babylone redierunt. Exilis denique fuit ab initio numerus discipulorum Christi. Sed & in fine seculi multi numerabuntur vocati, electi pauci. Induxit autem Israelem etiam iuxta literam in Zion, quam reparauerunt. Induxit Christianorũ turmas in ecclesiam. Inducet sub finem seculi omnes electos in Zion cœlestem, in gaudia æterna. Lutherus hunc locum sic vertit, Ich wil üch holen / daß einer ein gantze statt / vnd zwen ein gantz land füren söllend. Intellexit enim paucos apostolos omnes gentes conuersuros: sicuti & Zacharias capite octauo, futurum prædixit. Prior tamen sensus mihi videtur simplicior esse. Ac mox dicet multiplicandos fideles, quod impletum videmus, cum totus orbis euangelij prædicationem recepit. *Christus vocat ex omni hominum genere.*

Adiungit porrò aliud quoq; beneficium conferendum restituendis ac resti-

Christus dat pastores.

tutis, Dabo, inquit, vobis pastores iuxta cor meum. Sæpe enim ecclesia malis & imperitis infidelibusq; pastoribus subiecta, miserè est diuexata. Dat autem Deus ecclesiæ suæ pastores iuxta cor suum, qui videlicet ipsi placent, & qui ex spiritu Dei & verbo Dei docent: quales fuerunt in primis Ezras, Zacharias, & multi alij ante Christum, ipse denicq; Christus pastorum princeps, ac apostoli, & quorum mentio fit Acto. 20. & Ephes. 4. Allegoria enim, quod dixit, illustratur, cum subiungit, qua re sint pasturi, doctrina & scientia. Habebit ergo ecclesia à Christo doctores idoneos, qui non pascent & potabunt sale & herbis benedictis ac aqua lustrali, sed doctrina veritatis & scientia cœlesti. De his plura Ezechiel disserit capite 34.

Abrogatio legis per Christum, in quo fideles habent omnia.

Addit in ecclesia futuram legis abrogationem. Arca fœderis Domini fuit sacramentum eximium, in qua recondita erant propitiatorium, decalogus, vrna mannæ & virga florens Aaronis. At huius sacramenti fideles nullam habebunt rationem. Id quod effert, Non dicent amplius Arca fœderis Domini, neq; veniet in cor. Item, Non recordabuntur eius, id est, in obliuionem prorsus veniet, non prædicabunt quicquam de illa, quasi sit necessaria ad Dei cultum. Adijcit autem aliud quoq;, Neq; visitabunt, fideles scilicet, vel arcam vel templum. Neque facient vltra, id est, non sacrificabunt amplius. Sæpe enim in Leuitico facere ponitur pro sacrificare. In summa, Abrogabitur Lex, negligetur templũ Hierosolymitanum, non offerentur amplius vota & sacrificia: non ascendet in statis ferijs ad templum Domini populus. Abrogabitur sacrificium & sacerdotium cum omni cultu & ceremonijs Aaronicis. Et initio quidem ægrè discedebatur à lege, sacerdotio, templo & sacrificijs. Cæterùm vbi ecclesiæ per orbem multiplicarentur, intellecta est libertas Christiana, prædicata fides & legis abrogatio: sed & templũ vnà cũ vrbe est excisum, & finis impositus legalibus. Porrò in Christo habẽt fideles omnia quæ in legalibus fuerũt præfigurata. Christus est arca, ipse est templum, ipse sacerdos & sacrificium. Arca erat symbolum fœderis Dei & præsentiæ atq; inhabitationis eius in populo. Christus incarnatus & sedens in carne ad dexteram patris, demisso in corda nostra spiritu suo, arca nostra est, fœderisq; æterni robur & conciliatio. In arcis reponunt homines suas opes: ergo in arca erant reposita, quæ modò diximus, & preciosa erant populo Israelis. At in Christo repositos habemus omnes thesauros cœlestes: sicut apostoli testantur Ioan. 1. Colos. 1. & 2. Ipse est nostrum propitiatorium, & nostra propitiatio, 1. Ioan. 2. & Rom. 3. Christus est impletio legis, & lex vitæ in cordibus nostris, nos dirigens per spiritum vitæ. Christus est manna, panis descendens cœlitus, & præbens vitam mundo, Ioan. 6. Sacerdotium verò Christi semper floret. Semper ille in conspectu Dei apparet pro nobis. Consecrat hic sibi nos in templa: & ille nostrum est templum & altare nostrum, in quo offerimus omnia nostra sacrificia spiritualia. Sedet ille ad dexteram patris, spiritu suo vbiq; præsens est, nihil ergo necesse est Hierosolymas inuisere. Abrogauit statas ferias, & locum & tempus sui cultus liberum permisit. Vnico denicq; sacrificio perfectos effecit vel absoluit & purgauit omnes sanctificandos. Cum autem hæc habeamus omnia in Christo plenè reposita, quid porrò opus erit vmbris illis, arca, templo, sacrificijs & legalibus? Qui enim Christum habet, omnia habet. Id quod fusè ostendit apostolus in Epistola ad Hebræos & Galatas. Cur ergo Pontifices in Concilijs inciarunt Reges & Principes ad recuperandam terram sanctam? Antichristi sunt.

Christus est arca.

Hierusalem est solium Dei.

His præterea aliud quoq; accedit, In illis diebus, Christi videlicet, gratiæ & noui Testamenti, Hierusalem ab omnibus appellabitur Dei solium, Dei regnũ, & in quo sedet vel habitat Deus. Hierusalem verò typus est ecclesiæ Dei. In ecclesia autem habet Christus Deus verus thronum vel regnum suum,

In hoc

In hoc porrò regnum dicit colligendum, non tantùm x. vel 11. tribus, sed omnes gentes. Qui locus apertus est de vocatione omnium gentium. Significanter autem dicit congregandas ad nomen Domini, & in Hierusalem. Colliguntur enim ad ipsum Deum, adeoq; ad Christum, non ad diuos: & in Hierusalem, id est, in ecclesiam: quæ intelligit nullum sub Sole nomẽ datum esse hominibus, in quo saluos nos fieri oporteat, nisi in nomine Iesu. Act. 3. Extra Hierosolymas nulla salus. Sed & spiritus Domini hoc quoq; beneficij præstat fidelibus, ne sic, vt non regeniti, suas visiones & phantasias, libidinem, obstinatiã, vel corruptionem deprauati cordis sequantur, sed verbum Dei & instinctum sancti spiritus. Oues enim & audiunt & sequuntur vocem vnici huius sui pastoris. De quo fusè Dominus disserit Ioan. 10. cap. Illi ipsi cohercent & crucifigunt carnem cum suis concupiscentijs. Galat. 5. Proinde in ecclesia non sunt, quotquot vanitates & imagines cordis sui, constitutionesq; humanas, verbi Dei regula præterita, sequuntur: aut qui non secundum spiritum, sed secundum carnem ambulant. Roman. 8.

Vocatio omnium gentium.

Non sequuntur libidinem cordis sui prauam.

Postremò liberatos ex terra Aquilonis, id est, ex miseriarum valle, ex hoc mundo immundo & tenebricoso inducet Christus in patriam illam cœlestem, omnes inquam fideles. Fuit enim typus æternæ hæreditatis terra patribus promissa. Sicut docet apostolus Hebr. 11. Reducti ergo sunt Iudæi & Izraelitæ per Zorobabelem ex Aquilone in promissam terram. Vniuntur præterea spiritu & fide Christi omnes gentes, & morientes in hoc seculo, transferuntur animæ in sedes beatas: postremò verò corpore & anima omnes sancti sub iudicium liberabuntur à mundi corruptela, ac recipientur in æterna tabernacula. Hæc demũ futura erit plena restitutio. De qua apostolus disserit ad Rom. 8. & Heb. 4. cap. Domino Iesu Christo liberatori & restitutori nostro sit laus & gratiarum actio in secula seculorum, Amen.

Hæreditas Dei.

Adhuc disserit de Restitutione Israelis, & pœnitentia.

CONCIO XII.

Et ego dixi, Quomodo ponam te in filios & dabo tibi terram desiderabilem, hæreditatem amœnam & exercitus gentium. Et dixi, Patrem vocabis me, & à me non declinabis. Veruntamen vt præuaricari solet mulier in amatorem suum, sic præuaricati estis in me, ô domus Izrael, dicit Dominus. Vox in excelsis audita est, fletus deprecationum filiorum Izrael, quòd peruerterunt viam suam, & obliti sunt Domini Dei sui. Reuertimini filij rebelles, & sanabo auersiones vestras. Ecce nos venimus ad te. Tu enim es Dominus Deus noster. Profectò vanitas ex collibus & ex multitudine in montibus: profectò in Domino Deo nostro est salus Izraelis. Confusio deuorauit laborem patrum nostrorum à pueritia nostra, oues eorum, boues eorum, filios atq; filias eorum. Et nos iacemus in confusione nostra & cooperti sumus ignominia nostra: quoniam in Dominum Deum nostrum peccauimus, & nos & patres nostri à pueritia nostra vsque in hunc diem, & non obediuimus voci Domini Dei nostri.

DIxit inducendum Dei populum in hæreditatem promissam: consequenter verò hæreditatis huius præstantiam ipse Deus commendans subiungit, Et ego dixi, Quomodo te in filiorum, &c. Est autem talis loquutio, qualis illa in euangelio, Lucæ 12. Quis nam est fidelis seruus & prudens? Id est, O quàm præ-

Hæreditatis diuinæ præstantia.

clara res est, si inueniatur in seruo ecclesiastico fidelitas & prudentia. Ita enim nunc quoq; ait Dominus, Quantum oro beneficium illud est, quòd homines peccatores adoptaui in filios, quibus dare volo atq; do terram iucundam & excellentia sua desiderabilem, insuper & hęreditatem amœnissimam, exercitus vel copias gentium? Hæc & alia huius generis non ita intelligenda sunt, quasi nihil salutis obtigerit patribus. Cõtigit enim & his salus: sed abundantius omnia præstita sunt per Christum. De adoptione nostra non est quod agam pluribus. Clara enim & omnibus notissima sunt quæ Ioan. scripsit in 1. cap. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c. & quod Paulus ea de re disseruit Rom. 8. Antea quoq; dixi, terram amœnam & hæreditatem illam patrum typo, prænunciasse gloriosam hæreditatem, quam omnes filij Dei consequuturi sunt cum Christo à Deo patre in futuro seculo. Copiæ verò vel exercitus gentium sunt, vel omnes deliciæ, omnes opes, omnia amœna quæcunq; apud gentes, aut in vniuerso mundo, aut sunt aut cogitari possunt: vt intelligamus opes inæstimabiles ac cœlestes: vel promittit se gentes opera apostolorum introducturum in ecclesiam & in æternam gloriam copia maxima.

Adoptio.

Copiæ gentiũ.

Pij Deum patrem vocant.

In restitutione illa felicissima illud quoq; confert, vt restituti à solo Deo veluti patre amantissimo pendeant, hunc inuocent & in ipsum vera fide innitantur. Ergo Dei filius orare docens, Cum orare volueritis, inquit, dicite, Pater noster qui es in cœlis. Denicq; in tota vita sua fideles, & in re qualibet ac in discrimine quouis recurrunt ad Deum, veluti ad patrem clementissimum, fidentes & innitentes ipsi soli. Obseruemus autem hæc omnia fieri sine patronis & intercessoribus cœlitibus. Vnus est enim Deus omnium bonorum fons ac scaturigo, & vnus est mediator inter Deum & hominem, vnus inquam est intercessor & patronus apud patrem Iesus Christus. Peccatur itaq; contra veram religionẽ multitudine illa patronorum, quam superstitiosi doctores induxerunt in ecclesiam: ex qua & obliuio Dei patris pariter & ignorantia mediationis intercessionisq; Christi, & cultus creaturarum superstitiosus, sunt exorta.

Pij perseverãt in pietate.

Iam aliud quoq; coniungitur superioribus, Et à me nõ declinabis: vel, A tergo meo posthac non deficies: veluti solent perfidi ab extrema acie sese in fugam effundere. Germanicè dicimus, Von einem hinden abfallen: id est, perfidè deficere. Significat enim ecclesiam in vera religione perseueraturam, neque ad alienos deos, peregrinosq; cultus facilè deflexuram. Ac ista quidem omnia dona & beneficia conferuntur à Deo propter Christum mera gratia, nullo hominum merito.

Exuberans Dei gratia.

Id vt manifestè eluceſceret & vt gratiæ beneficium exuberaret, opponit iam obiter populi sui mores, parabola quapiam ac comparatione declarans, quales sint & fuerint semper. Interim tu, inquit, sicut amatori suo fidem violat mulier petulans ac perfida: ita sanè tu Israel perfidus fuisti in Deum tuum, coniungendo te dijs alienis, & sectando cultus peregrinos. Nihilo minus recipio te in gratiam, repurgo te à sordibus defectionis tuæ, & hæredem te omnium bonorum meorum constituo. Quæ sanè gratia est maxima.

De vera populi Dei pœnitentia.

Porrò eleganter describit populi Dei pœnitẽtiam per hypotyposim, fingitq; & exponit quid fiat à populo Dei, simul etiam præsentibus & futuris præscribit quid & ipsi faciant. Fingit enim se videre & audire turbam verè pœnitentem, Deumq; colloquentẽ cum ipsis & prouocantem eos, ipsosq; respondentes & cõmittentes se Deo, confitentes item peccata sua & petentes veniam, execrantesq; pristinam suã vitam prauam. In quo dialogismo suauissimo, longè melius & perspicacius vera fideliũ pœnitentia docetur, quàm in monachorũ spinosis & quæstuosis disputationibus, docẽtibus pœnitentię partes esse Contrionẽ cordis, Confessionem

feſsionem oris, & Satisfactionem operis. Satisfactioni huic ſubiunxerunt Indulgentiarias merces, relaxauerunt inſuper pœnas, diſpenſarunt item liberrimè & crumenas interim ingenioſe euacuarunt hominibus ſtolidis & ſimplicibus, longè peiores Simone mago, contra quem grauiter agit Petrus in Actis cap. 8. cum tamen nugiuendæ iſti auſi fuerint patronum ſibi & ſuarum indulgentiarum oſtendere & iactare ſanctum Petrum, qui dudum illos reiecit & anathemate percuſsit. Sed omiſsis his redeamus ad Ieremiam.

Principiò requiritur in vera pœnitentia vt doleamus ex animo de commiſsis peccatis, defleamus delicta noſtra, atq; confitentes peccata deprecemur culpam. Ideoq; Ieremias fingit ſe audire voces, & quidem fletus & deprecationem filiorum Izrael, quòd deprauauerint vias ſuas & Dei ſui ſint obliti. Habemus ergo dolorem, nec quemlibet, ſed ſyncerum, in lachrymas quoq; erumpentem. Habemus confeſsionem, ſed eam quæ fit Deo. Habemus inquam confeſsionem peccatorum, preſertim & ſingulariter quòd vias ſuas, id eſt, omnia inſtituta ſua, corruperint, neq; direxerint ad legem Dei, adeoq; quòd Dei, legis & beneficiorum eius ſint obliti. Grandia ſunt hæc peccata, & omnium peccatorum radices & compendium. Eſt itaq; hæc confeſsio plena, connexam habens precationem vel deprecationem. Vbi autem exaudita eſt vox illa pœnitentium? num in templo Hieroſolymis? num in atrio ſacerdotum confeſsiones audientium populi? Minimè. Sed in excelſis vel in montium verticibus. Habet hoc occultam quandam antitheſim. Hactenus enim in excelſis auditæ ſunt voces cantantium & clamantium, Baal exaudi nos, exauditæ ſunt voces iubilantium in epulis ſacris, exauditæ ſunt voces inuocantium deos & colentium idola. Nunc nihil tale auditur. Nam vera pœnitentia auertitur ab omni cultu peregrino, & conuertitur ad ſolum verum Deum. Præterea ſignificatur veram pœnitentiam nullis locis eſſe alligatam, neq; peculiariter templo, neq; locis ſacris vel prophanis. Vbique pœnitere poteſt fidelis. Pœnituit Petrus in atrio Caiaphæ, flens & relinquens ſodalitium corruptum. Peccatrix pœnitentiam egit in domo Simonis, Lucæ 7. Matthæus pœnitentiam egit in thelonio ſuo, Zachæus in ſycamino & ædibus ſuis, Latro in cruce, Filius prodigus in deſerto apud porcos, Manaſſes in carcere apud Babylonios, Publicanus in templo, Lucæ 18. Quiuis ergo locus idoneus eſt pœnitentiæ. Fatui ergo ſunt quicunque quò pleniorem agant pœnitentiam, ad limina Petri & Pauli adeoq; in Hiſpaniam vſque ad finem terræ excurrunt. Aut cui oro Confeſsionario peccatori confeſsi ſunt, aut confiteri iuſsi ſunt, qui in gratiã recepti legũtur à Domino & apoſtolis eius in hiſtoria euangelica & apoſtolica? Iubentur quidẽ leproſi ſe exhibere ſacerdoti: verùm id erat politicum. Nam ſacerdotum tum erat cognoſcere de lepra, & recipere in cœtum publicum ſanos, excludere morbidos. Quod illi noſtri ex allegoria, neſcio quam conſequentiam colligunt, dudum ab illis exploſum, qui monuerunt allegoriam in ſcripturis non apertam, ſed duntaxat hominis allatam arbitrio, nihil probare. Quid quod ille leproſus maximè commendatur à Domino, qui cum ſenſiſſet ſe ſanitati reſtitutum, non ſacerdotes, ſed ipſum acceſsit Chriſtum, & ei pro accepto beneficio gratias agit? Sed de his aliâs.

Dolor, confeſſio & deprecatio.

Vox audita in montium verticibus.

Oſtende te ſacerdoti.

Deinde requiritur ante omnia in vera pœnitentia, vera in Deum fides. Ex ea enim enaſcitur dolor verus, confeſsio & deprecatio ſyncera. Fides innititur in verbum Dei & promiſsionem eius liberalem. Conſequenter inducit Ieremias Deum benignè & liberaliter ad ſe vocantem peccatores, & promittentem veniam, vel ſanationem & curam vel medelam morbi illius ſontici. Audit enim Dei vocẽ in montibus in hæc verba prolatam, Reuertimini filij rebelles, & ſanabo auerſiones veſtras, id eſt, omnia illa delicta veſtra, quæ deſignaſtis in tota illa

Fides pœnitentiæ veræ virtus.

veſtra auerſione à Deo. Hæc eſt liberalis Dei promiſsio. Obſeruanda ſunt in eâ, qui vocentur, nempe filij rebelles, miſeri, peccatores. At quis ex his dicet ſe vocatum eſſe propter ſuum meritum? Rebellis appellatur. Rebellis meritum ſanè habet, ſed damnationis. Et tamen rebellis hic vocatur à Domino. Nemo ergo ideò ſe repudiandum metuat quòd rebellis fuit. Venit vocatum Chriſtus peccatores ad pœnitentiam. Deinde vocat peccatores ad ſemetipſum: non relegat illos ad alios. Deus eſt fons aquarum viuentium. Idem poteſt & vult curare omnia vulnera animæ noſtræ. Idem condonare poteſt, & vult etiam, delicta omnia, & omnes auerſiones, omnem perfidiam, omnémque iniquitatem tollere & purgare.

Fide recipitur promiſsio.

Cæterùm cum promiſsiones & gratuita Dei dona fide duntaxat recipiantur, ſequitur quid præterea audierit Ieremias. Turbam inquam flentium & deprecantium, non deflexiſſe ad diuos, aut ad auxilia aliena, neq; furtim ſe ſubduxiſſe à vocãte, ſed credidiſſe promittenti & vocanti Deo, ac accedẽdo acceleranq; dixiſſe, Ecce venimus ad te. Tu enim es Deus noſter. Venire ad Deum, eſt credere Deo, & ſe prorſus dedere Deo. Ita enim docemur Ioan. 6. & Heb. 11. cap. Ideò autem Deo fidimus, & nos totos ipſi dedicamus, toti ab ipſo ſolo pendentes: quia ipſe ſolus eſt Deus, & Deus quidem & Dominus noſter, pater, ſeruator, vita, & requies noſtra. Hæc fides in Meſsiam, iuſtitiam noſtram, iuſtificat & ſeruat.

Prædicatio gratio & execratia veteris nequitiæ.

Sequitur porrò in vera pœnitentia laus & prædicatio Dei & gratiæ eius, confeſsio libera, quòd in ipſo ſolo ſit ſalus. Sequitur deteſtatio omnis iniquitatis & approbatio ſtudiumq; iuſtitiæ & pietatis: id quod per conſequentia fuſè exponitur. Per iubilum enim pœnitentes vetera illa execrantur, noua commendant & celebrant. Profectò, inquiunt, nunc tandem deprehendimus vaniſsima eſſe omnia præſidia, quæ nos & patres noſtri poſuimus in excelſis, in ſacellis & idolis, denique in multitudine deorum gẽtilium, vel in fœderibus & ſocietatibus Ægyptiorũ & Aſſyriorum. Contra verò deprehẽdimus in Domino Deo noſtro eſſe verã totius Iſraelis ſalutem & felicitatẽ. Sed & copioſiſsimè & diſertiſsimè tum patrũ tum ſuam ſuperſtitionẽ damnant & execrantur, confitentes ex ſuperſtitione & peccatis ſuis omnes exortas eſſe calamitates: quas & ipſi & patres ipſorum ſuſtinuerunt. Confuſio, inquiunt, deuorauit laborem patrum noſtrorum. Confuſionem vocat ſcriptura aliâs & hic quoq; idololatriam. Vnde alius interpretatus eſt, Baal deuorauit laborem patrum noſtrorum. Nam ex idololatria nihil aliud expectare poſſumus quàm ignominiam. A pueritia dixit, pro eo quod eſt à primis temporibus. Semper perdidit maiorum noſtrorum res vniuerſas idololatria & inobedientia. Diſce ergo calamitates non oriri ex verbo Dei, ſed ex ſuperſtitione. Quod Cyprianus quoque contra Demetrianum oſtendit.

Vnde ſit calamitas.

Exempla maiorum.

Rectius nunc quoq; iudicant de exemplis maiorum quàm cum nondum eſſent fide donati. Vulgò enim exiſtimatur rectè fieri, quod fit ad exemplũ maiorum. Sed falsò. Non enim imitandum eſt maiorum exemplum, niſi illi Dei verbum fuerint ſecuti.

Vera ſatisfactio.

Simul ipſi quoq; ſemetipſos coniungunt maioribus ſuis, & execrantur peccata ſua, exponentes ex ipſis nihil ſe habere niſi ignominiam, Et hæc quidem veriſsima appellabitur ſatisfactio, quæ malum abominatur, bonum autem deſiderat & operatur. Quia Dei, inquiũt, & legis eius obliti ſumus, & idola coluimus, ideò iacemus non tantùm in ignominia, ſed ea toti ſumus adoperti. Deinde diſertè repetunt peccatum ſuum, inobedientiam, qua ſibi contraxerunt ignominiam, vt & ipſi agnoſcamus peccatum noſtrum, & Deo confitentes veramq; agentes pœnitentiam, gratiam conſequamur à Deo. Cui ſoli gloria.

Adhuc

Adhuc hortatur ad pœnitentiam, ostendens ac docens quæ sit vera pœnitentia.

CAPVT IIII.

CONCIO XIII.

SI reuerti voles, ô Israel, ad me reuertere: & si amoueris abominationes tuas à conspectu meo, non eris extorris. Et iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, in iustitia: & benedicent se gentes in eo, atque in eo gloriabuntur.

EXortatur etiamnum ad pœnitentiam, docens interim quæ sit vera pœnitentia. Conuertit autem sermonem ab initio ad Israelitas, deinde ad Iudæos. Ipsum autem Deum loquentem inducit, vocantem & hortantem ad pœnitentiam, vt ipsa res plus authoritatis habeat, & commoueat magis. Si enim vox diuina non commouerit pectus humanum, quid obsecro commouere poterit? *Dominus loquitur.*

Si reuerteris, inquit, id est, reuerti volueris, ad me reuertere. Paucis hisce verbis tria hæc comprehenduntur, Principiò, Pœnitentiam reuera nihil aliud esse quàm reuersionem. Nam peccando deficimus, & discedimus à Deo, ac præuaricando à iusta aberramus via per auia & vepreta aberrantes: pœnitentiam verò agendo reuertimur ad Deum velùti patrem, redimusq; in viam iustitiæ, ambulantes in via viridi floridaq; sobrietatis ac veritatis. Deinde finis significatissimè commonstratur ad quem reuertendo tendamus, ad Deum vsq; à quo nimirum recessimus, sicuti modò diximus. Redimus autem ad Deum, quando ex gratia illius conuersi, agnoscimus peccatum cum filio prodigo, ac de misericordia Dei non desperamus, sed omni in ipsum collocata fiducia, veniam ab eo delictorum nostrorum petimus, & remissionem plenariam peccatorum, propter Christum speramus, denique & vitam nostram mutamus, vt quemadmodum huc vsq; omne studium collocauimus in mundum & curam carnis nostræ, ita porrò in Deo spem & voluptatem nostram ponamus, & mundum abnegando, mortificemus carnem nostram. Postremò conditionaliter enunciat quod dicit, & ait, Si reuerti voles: non quòd nostrarum virium sit reuerti ad Dominum (Nam 31. cap. audiemus precantem prophetam, Conuerte me & conuertar: quoniam tu es Deus meus. Scimus præterea scriptum legi, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Item, Nemo venit ad me, nisi pater meus qui misit me, traxerit eum. Et iterum, Non est volentis neq; currentis, sed miserentis Dei) sed quòd Deus volentem velit cultorem, non renitentem. Interim ipse tollit cor lapideum, & confert cor carneum, efficiendo vt velimus, & sponte reuertamur. Deniq; agit ordine & certa ratione cum hominibus. Cor enim tangit, verbo vocat, rationibus vrget. Proinde non est quod violentum tractum expectemus, dicendo, Si vult me, attrahat me ad se. Quasi sine nobis & sine nostra voluntate & consensione trahamur. Trahit quidem Deus, sed more suo. Hodie, inquit, si audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et alibi, Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, &c. Et iterum, Ecce sto ad ostium & pulso, ait Dominus. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuã, intrabo ad illum, & c. Itaq; ordo est in vocatione. Verbo enim vocat, spiritu interim intus commouente cor. De qua re apostolus Ro. 10. Vnde significanter dixit, Si reuerti voles, &c. ac consequitur pœnitentiam esse, spontaneam ac volentem ex eius gratia ad Deum conuersionem. *Pœnitentia reuersio.* *Reuersionis finis Deus.* *Rom. 6.* *Reuersio est gratiæ, non virium nostrarũ.*

Amouere abominationes.

Præterea modus veræ pœnitentiæ oſtẽditur, Abominationes amouebis à facie mea. A facie mea locutio eſt, ſicuti & Germanis mos eſt loquẽdi, quãdo ſeriò aliquid remoueri cupiunt aut præcipiũt, **Thũ da mir ab den augẽ. Laß mich ſölichs nit anſähen.** Sunt autem abominationes idola in primis, cultus peregrini, & ſcelera vel flagitia grandia, vt colliqueſcit ex Deu. cap. 7. ex Leuit. 18. & Ezech. 22. Samuel 1. Samuel. 7. Si toto corde reuertimini ad Dominum, inquit, auferte Deos alienos & ſeruite ſoli Domino. Abominationem ex oculis Dei amouit Ioſias, amouit & Matthæus & Zachæus, amouit mulier peccatrix Lucæ 7. & 15. cap filius prodigus reuertendo ad patrem. Manentibus adhuc abominationibus in conſpectu Dei, neſcio quomodo videri poſſimus veram agere pœnitentiam.

Cauſſæ omniũ calamitatũ abominationes.

Coniungit his obiter promiſſionem, Si inquam amoueris abominationes, non eris vagus, profugus, extorris, **Du wirſt nit werden ellend/verjagt vnd vertriben.** Nam cauſſæ omnium calamitatum, exiliorum, captiuitatũ, miſeriarum, cladium & malorum ſunt abominationes à conſpectu Dei non ſubmotæ. Falſiſſimum ergo eſt quod hodie dicitur, bella, peſtes & famem inde oriri, quòd Papatus abrogatur, conculcatur & idola diſijciuntur. Etenim his ſaluis nequit quicquam eſſe integrum. Ex vita impia turpi & impœnitentia exoritur omne malum. Interim agnoſcimus in exilium eijci perfrequenter pios & innocentes homines: at exilium huiuſmodi alia exoritur ex cauſa, & rationẽ aliã habet.

Iuramentũ cõprehendit totã religionem.

Exponit autem adhuc clarius quæ nam ſit pœnitentia vera, iuſtè videlicet iurare, & ſanctè iuramentum præſtare. Comprehendit iuramentum ſanctum & religionis obſeruantiam, & omnia officia pia & iuſta. Etenim obſtringebant ſe iuramento olim homines ſub religionem veram, vt claret in rebus Ioſue, Ioas Ezechię & Ioſiæ: obligamus itẽ vel hodie nos iuramento ad officia. Ergo perſtare in vera religione, & officia vitæ præſtare, vera erit pœnitentia. Interim obiter & mira breuitate perſtringit Iuramentum, naturam & ingenium eius mira felicitate deſcribens. Principiò enim Formam eius proponit, deinde Conditiones eiuſdem attingit. Forma eſt, Viuit Dominus. Id quod perinde eſt, accum hodie dicimus, Sic me Deus adiuuet. Viuere enim Dei noſtra eſt conſeruatio: iuxta illud apoſtoli, Per ipſum viuimus, mouemur & ſumus. De hac iurandi formula copioſius diſſeruimus exponentes cap. Apocalyp. 10. Ac in lege & prophetis iubemur iurare per nomen Domini, & quidem ſolius: prohibetur ne alienorum Deorum adijciamus nomina, vel per ipſa iuremus. Loci extant Exodi 23. Deuteronom decimo. Ieremiæ quinto. Iſaiæ 45. 65. & aliâs.

De iuramento

Quod autem attinet conditiones iuramenti, Iurare iubemur in veritate, iudicio, & iuſtitia. Id nos in noſtro more iurãdi ita enunciamus, **Das wil ich waar vnd ſtät halten/dem gnůg thůn/trüwlich / vnd on alle gfaar: das mir Gott alſo hälff.** Petita omnino videtur hæc forma ex præſentibus Ieremiæ verbis. Prima conditio Veritas eſt. Ex animo enim & ſyncerè iurandum eſt, non ex dolo malo. Iuret ergo lingua pariter & mens. Abſit mendacium. Et quod legitimè iuraueris, ſanctè præſtato. Secunda conditio eſt Iudicium, diſcretio vtique ne iuremus temerè, leuiter, rebus nec expenſis, nec admodum neceſſarijs. Nam in rebus grauibus vtilibusq; & neceſſarijs iurare licet: aliter non licet. Tertia conditio eſt Iuſtitia. Non enim iniuſta aut illicita contra Deum & legem eius iuramẽta vel ſuſcipienda ſunt, vel exoluenda. Et magiſter in Sententijs oſtendit multis, iniuſta & illicita iuramenta non eſſe præſtanda.

Veritas.

Iudicium.

Iuſtitia.

Vtilitas ex iuramento ſanctè ſeruato.

Addit etiam vtilitatem non leuem, qua ad religionem iuramenti veramq; aſtringat pœnitentiam. Si religioſe iuraueris & ſanctè præſtiteris iurata, obſeruabunt hoc gentes & laudabunt: quæ alioqui propter perfidiam & impietatem

veſtram

vestram nomen Dei blasphemant. Vel hic erit verborum sensus, Gentes optabunt sibi felicitatem tuam: vt sit Hebraismus, in quo est mutatio personæ. Quasi dixerit, Gentes optabunt se & suos tibi esse similes: & cum volent aliquem laudare quòd religiosus sit, dicent illum similem Izraelitis. Oecolampadius superiorem sequutus expositionem, Ita poteris, inquit, etiam gentes lucrari, &c. Certè cũ omnia redundãt blasphemijs, execrationib. denicq; periurijs, & iuramentũ legitimũ nullo in honore habetur, euidentissimũ hoc signũ est, nullũ esse Dei timorem in oculis nostris. Est & leuis illa ac Papistica dispensatio iuramentorũ & dissolutio signum apertissimæ impietatis. Dominus seruet nos à malo.

Iterum hortatur ad pœnitentiam, exponens quæ sit vera pœnitentia. Minatur autem supplicium grauissimum, quod & depingit, nisi mores mutent.

CONCIO XIIII.

Quoniam sic dicit Dominus viro Iuda & Hierusalem, Nouate vobis nouale, & nolite seminare in spinas. Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordis vestri, viri Iuda & habitatores Hierusalem: ne fortè egrediatur sicut ignis furor meus, & ardeat, neque sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum. Annunciate in Iuda, & in Hierusalem prædicate, & dicite, Clangite tuba in terra, clamate, congregate, dicite, Congregamini, & ingrediamur ciuitates munitas. Leuate signum in Zion, viriliter agite, & ne stetetis. Quia ego adduco malum ab Aquilone, & contritionẽ magnam. Ascendit Leo ex latibulo suo, & deuastator gentium in expeditione est, & egressus est de loco suo, vt terram tuam desertam reddat, & vrbes tuæ deuastentur, ne quisquã inhabitet. Propterea accingite vos saccis, plangite & vlulate: quoniã nõ est auersus furor iræ Domini à nobis. Et erit in die illa, ait Dominus, concidet cor regis & cor principum, & obstupescent sacerdotes, atque prophetæ consternabuntur.

ITerum certè hortatur ad pœnitentiam, exponens interim quæ vera sit pœnitentia. Cumq; in hoc genere doctrinæ situm sit plurimum, diligentissimè hoc exponit Ieremias. Ac vt authoritatem quoq; ei conciliaret, rursus authorẽ eius ostendit Deum, dicens, Quoniam sic dicit Dominus. Vnde consequitur non Ieremiam tantùm, sed ipsum Deum aspernari quisquis rebellauerit admonitioni huic. Deinde vt singuli intelligerẽt sibi hæc sigillatim dici, Sic, inquit, Dominus dicit viro Iuda, id est singulis Iudæis. Nemo ergo posthac se excuset, quasi sibi dictum non sit, quod dictum audit ecclesiæ, nisi nolit membrum esse ecclesiæ. Quinimò hęc sciamus nobis hodie singulis dici, qui sumus Dei Izrael spiritualis

Nobis à Deo omnia hæc dicuntur.

Audiamus porrò doctrinam à Deo ipso nobis propositam qualis sit, Nouate, inquit, vobis nouale, &c. Quibus quidẽ verbis pœnitentiam nobis cõmendauit, & quæ nã illa sit ostendit. Petitur doctrina ab agricultura. Agriculturę enim Izraelitæ assueuerant, vt similitudines inde petitas rectissimè intelligerent. Qui serere vult semine agrũ, hunc primò parat, spinis radicitus euulsis, deinde verò semen terræ paratæ mandat, vt fructificet. Cæterùm cor hominis, sicuti ab ipso Domino exponitur, apud Matth. in cap. 13. ager est, sentibus vitiorum & scelerum fœcundũ. Certè diuitię, auaritia, voluptates, libidinesq; appellantur spinę. Has euellere oportet & nouare nouale, veterẽ inquã Adamũ mortificare, nouũ autẽ hominẽ, qui iuxta Deum conditus sit, induere, veterẽ vitam calcare, nouã

Nouate vobis nouale.

piam & ſanctam viuere. Hæc inquam vera eſt pœnitentia ab apoſtolo quoque tradita Epheſ.4. Coloſſ.3. Rom.6. & multis alijs locis. Ad hanc verò pœnitentiam & innouationem vitæ vocamur hic voce Dei omnes. Vtinam ſequamur vocantem.

Circũcidimini Domino.

Eandem hanc doctrinam iterum inculcat, mutato orationis genere. Nunc enim per expoſitionem ſacramenti Circunciſionis docet pœnitentiam. Sanctificatos ſe putabant Izraelitæ per externam Circunciſionem. Iam ergo dicit propheta, Non ſatis eſt eſſe circunciſum carne, niſi & ſpiritu ſitis circunciſi. Ea demum erit vera pœnitentia Corde circunciſum eſſe. Exponit autem dupliciter ſacramentum Circunciſionis. Principiò, Circuncidimini Domino, inquit, vt inquam ipſi ſoli vera fide adhæreatis. Obſtringebat enim Circunciſio circunciſos Domino ſoli, cui ſoli debebant adhærere & co[illegible]re ſolum. Nam ſymbolum erat fœderis, quo ſibi homines Deus cõiunxerat: ſicuti videre eſt Geneſis 17. cap. Deinde iubet non à glãde reſcare præputium, ſed ſpirituali quadam circunciſione tollere præputia cordium, prauas vtiq; cogitationes, corrupta dicta, & facta vitioſa. Symbolum enim erat puritatis Circunciſio, quam Deus quidem principiò ſua ſanctificatione confert, quam deinde & pietatis innocentiæq; ſtudio retinere iubemur, dum quotidie occaſionem ſceleribus præſcindimus, & ab omni malo nos per pœnitentiam purgamur. Circunciſioni reſpondet hodie Baptiſmus, quod & Paulus docuit Coloſ.2. Idem Rom.2. ſpiritualem commendat circunciſionem: ſicut ante ipſum Moſes quoque Deute.10. cap. Et nos plura de Circumciſione diximus in noſtris Decadibus. Proinde verè inquit, conuertemini ad Deum, ſiquidem vere fueritis mente circunciſi, adhærentes Deo fide ſyncera, & purgantes vos quotidiana pœnitentia.

Minæ contra impœnitentes.

Porrò minas ſubijcit graues, à damno & vtili argumentis petitis, quibus iterum adigit ad veram pœnitentiam. Summa omnium hæc eſt, Niſi egeritis pœnitentiã maturè, peribitis certò. Vaſtabimini enim bello grauiſſimo. Hanc ſummam multis exponit, adhibitis omnibus eloquentiæ viribus, ita vt coràm propemodum omnia geri videantur, quæ dicit in hoc argumenti genere. Applicanda autem ſunt illa nobis quoq;, qui propter vitam pœnitere neſciam, ciuilia bella, grauiſſimas quoq; Turcarum incurſiones ſuſtinemus in vicinia. Vtinam oculos recipias Germania.

Ira Dei incendium inextinguibile.

Principiò comparat pœnam & vindictam diuinæ iræ Incendio. Si maturè accurras & gliſcens extinxeris incendium, minori quidem negotio extinxeris. Si verò expectando ſpectandoq; ſinas vires colligere, & iam etiam vi ſua erumpere incendium, fruſtra poſtea extinguere conaberis. Ergo ſi maturè Deo irascẽti nobis propter peccata, occurrerimus pœnitentia, cohibebitur eius vindicta & parcetur nobis: ſin admonentem & vrgentem contemp[illegible]erimus, & procraſtinauerimus pœnitẽtiam, difficilior erit medicina. Serò medicina, vt ille ait, paratur. Sed & ſignificantiſſimè adijcitur, malitiam ſtudiorum noſtrorum incendio ſuppeditare materiam. Subtrahamus ergo materiam igni, & placabitur nobis numen iratum, extingueturq; incendium.

Belli Babylonici elegans deſcriptio.

Conſequentur oculis ſubijcit Belli typum Babylonici, quo Deus ſtatuerat punire impœnitentem populi ſui vitam. Quæcunq; ergo in bello fiunt, hic commemorantur in terrorem Iudæorum. Dicta ſunt hæc fortè 13. anno Ioſiæ 30. aut 40. annis antequam facta ſint. Nec dubium eſt quin multi irriſerint prophetam ceu hominem furioſum. Phanaticus & nobis hodie fuiſſet viſus, qui ante 35. annos nobis dixiſſet à Turcis capiendam Rhodum, Hungariam & alias regiones, quas occupatas admodum dolemus. Ac verendum eſt ne paucos intra annos ſimus viſuri & experturi, quæ nunc, ſi dicerentur nobis, vaniſſima viderẽtur pleriſq;

risq; nostrum. Nam mira est securitas hominum huius ætatis, vt qui neq; calamitatibus mouentur neq; vlla prosperitate. Pergimus enim in vijs nostris. Sed impingemus tandem. Viuit enim scelerum vltor Deus. Principiò dum belli rumores sparguntur, mox emittuntur legati, tabelliones & nuncij, qui omnibus vbique annuncient vt parati sint ad omnem euentum belli futuri. Ergo Ieremias, Annunciate, inquit, in Iuda, &c. Deinde cum iam imminere creditur hostis, canitur classicum, eriguntur signa, & expandunt vexilla signiferi, conclamatur ad arma, congregantur milites. Et horum quidem pars disponitur in præsidia locorum munitissimorum ad obsidiones discutiendas: pars disposita in acies, reseruatur hostibus obijcienda in campo, & his repellendis. Vbiq; audiuntur voces sese mutuò adhortantium ad fortitudinem, constantiam & virtutem præstandã. Ne steteritis, inquiunt: id est, celeriter singuli omnia expedite. Nos dicimus, **Sumend iich niit/ſtond nit lang**: currite, agiles estote ac strenui. Et huc quidem pertinent omnia illa Ieremiæ verba, quæ sequuntur, Dicite, Clangite tuba in terra, &c. *Annunciate in Iuda.*

Caussam verò huius expeditionis festinæ subiungit, Quia ego adduco malum ab Aquilone. Qua parte describitur hostis & inuicta eius potentia. Quasi propheta dicat, Strenuè quidem facietis expeditionem, sed cum desit pœnitentia, frustra fiet expeditio licet accuratissima. Deo enim irruenti, quis se obijciat? Dicit autem apertis verbis Dominus, Quia ego adduco malum. Ego, inquit, adduco. Deus enim iustus, & scelerũ vltor, iustissimo suo iudicio commouet & excitat contra impœnitentes Deiq; contemptores hostẽ, cui simul vires inuictas & victoriam confert. Malum cum dicit, semel omnes calamitates comprehẽdit, **Jamer/angſt vnd not/vnfal vnd lyden**. Ostendit item vnde sit venturus hostis, Ab Aquilonari plaga, nimirum ex Babylone Chaldaica. Et quod modò appellauit malum, nunc vocat contritionem magnam, exegetixῶς. Qualis item futurus sit hostis, eleganti parabola illustrat, dicens, Ascendit Leo de lustro, vepreto vel latibulo suo. Quibus mox per expositionem subiungit. Vastator interfector gentium in expeditione est, & iam de loco suo egressus est. **Der landouerherger/verderber/ödacker/lütenmetzger iſt in der riiſtung/ vnd iſt ſchon vßzogen**. Leones in scripturis per tropum nuncupantur viri generosi, fortes, intrepidi, inuicti: rursus sæui, crudeles, truculenti tyranni. Notatur autem hic Nabuchodonozor. Leoni certè Aquilinis alis instructo comparauit Daniel regnum Babylonicũ. Daniel. 7. cap. In præsenti Leoni comparatur rex Babylonis, quòd destinatus esset à Deo vastator gentium. Sicut enim Leo aliquis in gregibus & armentis sæuit, lacerat, & omnia vastat: ita futurus erat Nabuchodonozor Gentibus & populis, maxime verò Iudæis. Id quod Ieremias in 25. ca. copiosius dicit. In præsentiarum sese veluti explicans, Terram, inquit, tuam vastabit, & vrbes diruet, ita vt nulli amplius in his homines conspiciantur. Significat ergo omnia perdenda, excidiumq; futurum funestissimum. *Describitur et hostis venturus.* *Leo.*

Porrò monet vt saccis induant sese, lugeant, & eiulent. Caussam subiungit, Quoniam furor Domini non est auersus à nobis. Significat his vel pœnitentiã esse agendam: cuius rei symbola scimus esse saccũ & cinerem: vel doloribus mœroribusq; conficiendos miserè. Caussa, quòd non placent iram Dei morum emendatione. Irato autem Deo nihil vspiam est felix aut iucundum. *Accingite vos saccis.*

Quoniam verò Iudaica gens plurimùm fidebat suis regibus, principibus, sacerdotibus & prophetis, adimit ipsis & hanc fiduciam, & dicit, Concidet cor regis & principum, **Das hertz wirt jnem empfallen**., ita ut nihil vel consilij vel roboris aut animi habeant. Obstupescent sacerdotes, nescientes quò se vertant. Inexpectatum & inopinatum erit eis malum hoc, vt pote qui semper promise- *Fiducia in principes & milites & homines peritos.*

rint victoriam multa offerentibus. Consternabuntur & prophetæ, pseudoprophetæ nimirum, qui semper clamarunt, Pax pax. Nunc enim cum subitum bellum exitiúmque incidat, non habebunt quod dicant. Sa wirt weder radt noch hilff syn. Deo semel adimente & infringente omnia consilia & præsidia. Fidamus ergo Deo vero & viuo, emendemus nos. Vulgò grauiter peccatur, dum omnis fiducia in bellis collocatur in ænea tormenta, in viros sanguinum bellicarum rerum peritos, in robur & audaciam fortium, in multitudinem militum. Credamus Deo potius, agamus pœnitentiã, deinde media illa quæ non pugnãt cum verbo Dei moderatè instruamus. Non enim putamus Deum esse tentandum, & ea quæ nostri sunt muneris vel officij omittenda. Ezechias rex sanctissimus onte omnia Deo credidit, deinde vrbem cõtra Senacherib. muniuit, & quidem moderatè omnia. Ita Iosaphat primùm inuocauit Deum, postea aciem instruxit, & in hostem duxit. Acies verò eius, hostiũ collata copijs, vix vmbella erat: at vincebat per Dominum. Domino Deo debetur omnis gloria.

Pergit describere pœnam impœnitentibus Iudæis paratã, hortariq; ad pœnitentiam, caussam omnium malorum referens ad vitam pœnitere nesciam.

CONCIO XV.

Et dixi Aehab Domine Deus, profectò seducendo seduxisti populum istum & Hierusalem, dicendo, Pax erit vobis, & peruenit gladius vsq; ad animam. In tempore illo dicetur populo huic & Hierusalem, Ventus exiccans (venit) per vertices in deserto, per viam filiæ populi mei, non ad ventilandum, neque ad repurgandum. Ventus prævalens illis veniet mihi: & tunc etiã loquar ego iudicia cum illis. Ecce ascendet sicut nubes, & currus eius procellæ similes erũt, equi autẽ eius Aquilis celeriores. Væ nobis quia vastamur. Laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt saluerìs: quousque morari ſinis in medio tui cogitationes vanitatis tuæ? Quoniam vox annunciat à Dan, prædicatq; à monte Ephraim vanitatem. Dicite gentibus, & prædicate in Hierusalem, Obseruatores veniunt de terra longinqua, & edunt voces suas contra ciuitates Iuda. Sicut custodes agrorum fuerunt contra eam circumquaque: quia exasperauit me, dicit Dominus, Viæ tuæ & studia tua fecerũt tibi ista: hæc est malitia tua, quæ cum sit amara penetrauit vsque ad cor. Viscera mea, viscera mea doleo, crates cordis mei, palpitat intra me cor meum, tacere non possum: quia vocem tubæ audiui, ô anima mea, clamorem bellicum. Contritio super contritionem vocata est: siquidem deuastata est tota terra, subitò deuastata sunt tabernacula mea, & de repente cortinæ meæ. Quousque videbo vexillum? audiam vocem tubæ? Quia populus meus stultus est, me non nouerunt: filij insipientes, & non intelligentes sunt: sapientes quidem sunt vt malè agant, sed benefacere nescierunt.

Argumentum huius loci.

PErgit & pœnam incredulis paratam à Deo exponere, & inhortari omnes ad pœnitentiam, omnium malorum caussam referens ad ipsorum vitam impuram ac pœnitere nesciam. Potuisset quidem ista omnia exponere paucis: cæterùm volunt prophetæ non modò dicere, sed dicendo etiam commouere, & vt commoueant, res quasi ob oculos statuere. Et sanè inuenitur in præsenti eloquentia purior & copiosior quàm in vllo reperiatur vel Græculo vel Latino Oratore.

Dixit

Dixit omnes gradus & ordines etiam ſacerdotes & prophetas in periculo nihil habituros conſilij vel auxilij, & ea de cauſſa populum miſerè periturum. Subiungit iam Deũ id iuſtiſsimo ſuo facere iudicio, ſimul etiam accuſans pſeudoprophetas deceptionis, vt qui fruſtra perituris felicitatem ſubinde polliceantur. Exclamans autem cum dolore, Eheu, inquit, Domine Deus, tu profectò ſeduxiſti, &c. Dominus quidem bonus, verax & iuſtus, ſeducit & decipit neminẽ, qui omnẽ odit deceptionem & impoſturam. Cæterùm cũ ipſe pro ſua gratia hominibus veritatem reuelat fideliter, homines autem plus nimis rerum ſuarum tenaces, malint ſequi mendacia quàm veritatem, immittit Deus illuſionem efficacem, vt apoſtolus quoq; dicit 2. Theſſ. 2. vt ſic puniantur qui non crediderunt veritati. Eius rei pulcherrimum habemus typum in vltimo cap. 3. libri Regum, vbi legimus exiuiſſe à Deo ſpiritum, qui dixerit, Exibo & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum. Dum ergo Ieremias & alij prophetæ veri, accuſarent populum Iudaicum multorum & magnorum ſcelerum, & niſi emendaretur, minarentur certiſsimum interitum, populus autem non crederet ſana monentibus, imò ipſos perſequeretur, dignus erat qui ab impoſtoribus ſeduceretur. Proinde dati ſunt ipſis pſeudoprophetæ, qui ſplendidè pacem & omnem felicitatem prolixè & ampliſsimè pollicebantur. His credidit miſer populus, nec egit pœnitentiã, ſed idolis, ſacrificijs & ſuis corruptis cultibus ſeſe impendit totum, & propter illa opera ſe feliciſsimũ fore credidit. Qua quidem fiducia falſa effectum eſt, vt gladius ad ipſum vſq; ipſorum animam penetrauerit, id eſt, perierint excidio immedicabili & certiſsimo. Eſt enim locutio, Gladium, ipſam quoq; animam attigiſſe, pœnam inquam ipſam hominis vitam attigiſſe, & iam de hominis ſalute actum eſſe prorſus.

Deus iuſto iudicio dat ſeductores.

Copioſius ergo proſequitur porrò certiſsimum præſentiſsimumq; excidium populi impœnitentis. Figurat orationem parabolis & collationibus è vulgo petitis, quò perſpicaciora eſſent omnia, probéq; intellecta mouerent magis. In tempore illo, ait Dominus, quando voluero de impœnitentibus ſupplicium ſumere, audiet populus meus in Iuda & Hieruſalem, hoſtem illum vaſtatorem ſuum per montana appropinquare. Figurat autem hanc ſuam ſententiam. Comparat enim Nabuchodonoſorem cum exercitu venturum, Vento exiccanti & valido, qui flat à plaga deſerti, ea via qua Dei populus ingreſſus erat. Is enim aſperrimus erat Iudææ, neq; purgabat, vt aliquando ſolet ventus, frumenta, ſed adurebat & exiccabat. Talis eſt apud nos, quem vocamus ventum vrentem, den brenner / rubiginem inducens aruis. Ita enim venturus eſt contra Iudam, inquit, Babylonius: non vt iuuet, ſed vt funditus excindat. Et ſicut ventum validum nemo prohibere poteſt, quò minus ſpiret ac ſæuiat: ita neq; exercitui hoſtili quiſquam reſiſtere poterit. Nam proſternet & vaſtabit omnia. Et huc etiam pertinet, quod ſequitur. Ventus vehemens aut prævalens illis veniet mihi: *ja ein wind kumpt/der mir zeſtarck / oder jnen zeſtarck ſyn wirt.* Subiungit, Et tunc loquar, ait Dominus, cum illis iudicia mea. Quaſi dicat, Hactenus per prophetas amicè moneo & annuncio illis mea iudicia, quid videlicet agant, docẽs, & niſi ita agant, quòd certò ipſos iudicare ſtatuerim, indicans: ſed non audiunt me verbis duntaxat agentem cum eis, cum ergo venerit hoſtis, tunc alia lingua loquar cum eis iudicia mea: tunc experientur magno ſuo malo malum, quod nunc inſigni ſua ſtultitia videre & credere nolunt.

Excidij deſcriptio.

Ventus vrens Nabuchod.

Mox alia parabola figurat & illuſtrat orationem. Exercitum enim hoſtilem tempeſtati grauiſsimæ comparat. Sicut enim nubes de repente in cœlo conglobatur & condenſatur, mox autem ignes expuit, ſed & grandinem effundit & ſæuit tempeſtas vento procelliſq; horribiliter: ita Nabuchodonoſor conſcribet

Tempeſtas grauis Nabuch.

exercitum, cuem adducet celeriter, omniaq; vastabit horribiliter. Comparat autem Currus eius procellæ, & equos aquilis, quòd videlicet attinet celeritatem. Nostra ætate Turcicis equis incredibilia conficiuntur itinera. Similia propemodum leguntur in propheta Nahum. Subdit exclamationem, qua denunciat iam esse vastata omnia, Væ nobis quia vastamur, vel iam vastati sumus. Hæc omnia nobis quoq; sunt applicanda. Nam nisi egerimus pœnitentiam, excindemur nos quoq;, vel à Turcis, vel ab alijs hostibus, quos immiserit nobis Dominus Deus noster.

Adhortatio ad pœnitentiam.

Interea & pœnitentiam suadet. Iubet enim abluere, vt & Isaias in capite 1. non manus cum Pilato, vel vestes aut corpora cum Iudæis & Turcis, sed ipsa corda nostra. Cor est affectuum, vti Dominus dicit Matth. 14. & omnium operationum fons & sedes. Interiora sunt purganda, vt purus deinde sit sermo, & sint omnia nostra opera sancta. Et huc maximè pertinet mysterium Baptismi. Fructus verò & finis huius ablutionis est salus & conseruatio. Iam quò moueat magis, obiurgat etiam cunctantes in hoc sancto instituto & opere bono. Quousque tandem, inquit, finis inhærere & morari apud te vanas istas cogitationes conceptas de merito tuo, ex idolorum cultu, ex sacrificijs illegitimis? Cogitationes denique vanitatis sunt cogitationes auaræ, libidinosæ ac voluptatum. Quando tandē illas expectorabis? Festina, matura. Discimus hinc etiam veram pœnitentiam aliud nihil esse, quàm ablutionem cordis. Quæ quidem apud veteres varijs est significata vel adumbrata ablutionibus vel baptismatibus.

Belli Babylonici typus.

Redit postea iterum ad descriptionē excidij, & fingit in Dan, id est, extremo termino terræ, & à montanis Ephraim, id est, ab omnibus terræ partibus spargi rumores, seriq; sermones de aduentu hostis, & vanitate, id est, de vastitate vanitatis idololatricę inquam, & voluptatum commerita pœna. Fingit per omnes gentes peruagari sermones de bello Iudæis à Babylonijs inferendo. Dicite, inquit, in gentibus: pro eo quod est, dicetur inter gētes & annunciabitur in Hierosolymorum vrbe, affore iam Noserim, id est, obseruatores. Est qui sic appellatos existimet milites Nabuchodonosoris Nabuchodonosoranos, sicuti à Cæsare Cæsareanos. Obseruatores certè appellat, quòd boni futuri sint vigiles & obseruatores, ne qui Iudæorum effugiant, ne quid ipsorum rapinæ subducatur. Dederat Dominus Iudæis episcopos, obseruatores, vigiles, custodes, qui diligentissima cura inuigilarent (docendo, obiurgando & hortando) saluti eorum, sed repulerunt eos: digni ergo erant qui alios nancisserentur obseruatores & episcopos, milites videlicet barbaros, auaros, insatiabiles & crudeles. Vtinam hoc ipsum nobis quoque non eueniat, quibus despecta est fidelis pastorum & concionatorum verbi Domini cura. Venturos autem dicit de terra longinqua, ex Oriente videlicet, ex Chaldæa & Babylone. Neque verò difficile est Domino hostibus suis adducere è longinqua terra vltorem. Quis ante triginta annos credidisset ab extremo occasu, Hispanos venturos in Germaniam, & deprædaturos omnia? Exponit item quid obseruatores illi sint facturi, Edent barbaricas voces contra Hierusalem & Iudam. Quibus verbis ostendit horribiles futuros toti terræ. Addit item parabolam qua exponit quid per obseruatores intellexerit, Sicuti custodes agrorum, prata & vineta diligentissimè diligenti cingunt custodia, ne quis egrediatur aut ingrediatur, qui fructus decerpat, sed aduigilant vt illibati maneant: ita hostilis exercitus Nabuchodonosoris & vrbem vestram obsidebit, & totam regionem occupabit, vt nullus vestrū vel effugere, vel quicquam rerum suarum illis possit subducere. Causam tanti mali subiungit vno verbo, Quia exasperauit me Iuda, prouocauit me rebellione & vita pœnitent

E terra longinqua euocantur hostes.

nitere nescia ad iracundiam, vt nunc ei sic rependam.

Sed & copiosius ostendit nullam Dei morositatem esse in culpa, sed ipsorum peccata. Viæ tuæ & studia tua, inquit, fecerunt tibi ista. Noluisti vijs Domini insistere & sequi legem eius, tuas inuentiones & traditiones verbo Dei prætulisti. Studia & opera tua facinorosa, in culpa sunt, quòd ita vastaris. His acceptam fer totam tuam calamitatem. Hæc, inquit, est egregia illa tua malitia. Sarcasmus est. Inuincibilis, inquit, fuisti in malitia tua: iam ergo refers eius fructum condignum. **Du hast yetz din iibel. Yetz ist dir diner boßheit gnüg worden.** Quæ cum amara & enormis fuerit, mirum non est eam nunc præfocare tibi cor & penetrare ad ipsam vsq; animam vel vitam. *Nos in culpa sumus quòd pe rimus.*

Sumit sibi porrò propheta habitum lugentis & miris clamoribus deplorantis interitum vrbis & gentis. Omnia ergo in se transfert, quæ in ijs conspiciuntur, qui vociferantur & lugubriter deplorant interitum suum. Dicit enim, Ventrem meum, ventrem meum, doleo. Qui enim vident & sentiunt se periculo ineuitabili proximos aut circumuentos esse, sentiunt tormina in ventre. Et nos exprimimus loquutionis genus in nostra lingua ac dicimus, **mins buchs/ mins buchs** / cum dicere volumus ventrem nobis admodum dolere. Crates & parietes cordis sunt costæ & præcordia. Exulcerata & hæc sunt dolentibus. His cor palpitat & exilit. Ideo subdit, Non tacebo. Silere non possum. Cogor vociferari & eiulare. Vel, Quietem nullam sentio. Subnectit caussam tanti doloris, colloquens cum anima sua, vt fit in extremis periculis, Quia audiui vocem, &c. bellicũ videlicet clasicum, **den lerman.** Sed & contritio super cõtritionem clamatur. *Man schrygt mord iiber immermer mord.* Vel, Calamitas calamitatem excipit, nulla nos sola exercet. Ideò autem clamoribus & eiulatibus omnia complentur, quia tota terra est vastata. Subuersa sunt de repente & citius quàm credi potuerit tabernacula & cortinæ meæ, id est, omnia ædificia in oppidis & agris, omnes ædes, omnia torcularia & horrea, &c. Subiungit & aliud, nullum omnino apparere finem malorum, subinde apparere nouas copias, noua bella reparari. Ergo, Quousque videbo, inquit, vexillum, & audiam rauca cornua, & taratantaræ horribiles crepitus? Sic sic voluit propheta futurum malum ipsorum oculis obijcere figuratum satis crudeliter, si fortè adhuc rei atrocitate ad pœnitentiam permouerentur. *Propheta deplorat interitum gentis.* *Nullus malorum finis.*

Rursus autem caussam malorum istorum repetens, omnem culpam reijcit in ipsorum scelera, & vitam pœnitere nesciam, dicens, Quia populus meus stultus est, me non nouerunt, &c. Vera sapientia est audire verbum Dei, & credere Deo, emendare vitam vitiosam, & operam dare virtutibus. Hanc autem esse veram sapientiam, & verbum Dei reijcere, aut audire nolle, esse extremam stultitiam, testantur multi etiam alij scripturæ loci, vt Deuteron. 4. 1. Samuelis 13. 15. Ieremiæ 8. Lucæ 24. 2. Timoth. 3. Cum ergo nollent Iudæi audire verbum Dei, stulti fuerunt, Deum non nouerunt, qui ex solo Dei verbo discitur, nec crediderunt: quia fides verbo Dei innititur: reprobi ergo fuerunt & excindendi. Interim per correctionem ironicam & amaram valde, subdit, Sapientes quidem sunt ad malè agendum, ad inueniendos videlicet abominabiles cultus, ad parandas voluptates, ad diuexandos proximos, &c. cæterùm benefacere nescierunt. Vides ergo sapientiam huius mundi ipsissimam esse stultitiam. Vtinam de nobis quoque hoc ipsum dici non possit, Quia populus meus stultus est, &c. Domine Iesu miserere nostri, & da nobis veram sapientiam. *Quæ vera stultitia & sapientia.*

Diligentius adhuc describit supplicium sumendum de impœnitentibus.

CONCIO XVI.

Vidi terram, & ecce erat vacua & inanis: cœlos, & non erat eis lux. Vidi montes, & ecce contremiscebant, & omnes colles concutiebantur. Vidi, & ecce non erat homo: sed & omnes volucres cœli recesserant. Vidi, & ecce locus pascuus & fertilis desertum erat, & omnes vrbes eius dirutæ erant, à facie Domini, atque à facie furoris iræ eius. Quoniam sic dicit Dominus, Deserta erit vniuersa terra, at consummationem non faciam. Iccirco lugebit terra, & cœli supernè obtenebrescent: quoniam eius quod loquutus sum & constitui, non me pœnitebit, neq; ab eo recedam. A voce equitis & sagittarij fugit vniuersa ciuitas: ingressi sunt nubes, & in petras ascenderunt: omnes vrbes desertæ sunt, neq; quisquam in eis inhabitat. Tu itaq; deuastata quid facies? Si te indueris coccino, si aureis monilibus te ornaueris, & pinxeris fuco faciem tuam, frustra ornabis te, abominabuntur enim siue spernent te amatores illi tui, & animam tuam quærent. Quoniam vocem ceu parturientis audiui, angustiam velut eius quæ primum puerperium experitur: vocem (nimirum) filiæ Zion, ingemiscentis & spargentis manus suas. Væ mihi, quoniam deficit anima mea propter interfectos.

Admiranda eloquentia.

SEmper in eodem versatur argumento propheta Dei, omnia eò referẽs vt populi Dei animos permoueat ad pœnitentiã, saltem terrore supplicij grauissimi. In hunc enim finem hypotyposi viuacissima pergit non modò narrare, sed omnium exponere oculis quanta eos maneat pœna nisi reuertantur ad Dominum. Nam visione & fictione prophetica diligentissimè exponit, quæ ipsis demùm post 40. annos euenerunt in bello Babylonico. Omnia verò petita videntur ex 26. cap. Leuit. & 28. Deut. Scopum & summam omnium egregiè ostendit colligitq; S. Hieronymus in Commentarijs suis, & ait, Propheta cernit in spiritu quæ ventura sunt, vt audiens populus terreatur, & acta pœnitẽtia nequaquam sustineat quæ reformidat. Idem ista pulchrè applicans omnibus temporibus, subiungit, Quicquid iuxta historiam diximus de Hierusalem & Iuda, referamus ad ecclesiam Dei cum offenderit Deum, & vel vitijs fuerit vel persecutione vastata: vt vbi quondam fuerat virtutum chorus & lætitia, ibi peccatorum & mœrorum multitudo versetur. Hæc ille.

Scopus & applicatio horũ.

Admiranda dei sedulitas & hominũ ignauia.

Est autem in præsenti mirè cõmendãda Dei bonitas sedulitasq;, qui tam diligenter, efficaciter & maturè peccatores præmonet ne pereant. Rursus admiranda est hominis corruptio stupenda & pertinax, quæ non sinit se tanta curari diligentia & sedulitate. Nam sicut Ieremias mala quæ passuri erant Iudæi ante annos 40. prædixit, sed nullo interim cum fructu non credentibus infelicibus: Ita Dominus Iesus ante 40. annos vrbis & gentis excidium prædixit apud Lucam in 19. & 21. & Matth. 23. & 24. cap. sed excisi sunt maledicti priusquam fideli crederent admonitioni. Nullis hodie quoq; prædictionibus ex verbo Dei collectis credit insanus & furiosus mundus, qui mauult perire quàm credere & emẽdari.

Icon vastatæ bello regionis.

Videamus ergo, imò perstringamus potius, vastatæ propter peccata terræ imaginem, picturã siue typum. Dicit se contemplatũ esse terram, &c. A terra incipit, ascendit inde ad cœlos, scandit per montes atq; colles. Recẽset animalia, volucres & homines, campos fertiles, & vrbes amœnissimas. Singulis autem suũ illud tribuit, quo demõstret, & veluti oculis subijciat totam terram Iudæ fore vastandam.

dam. Vastatam dicit propter prophetiæ certitudinem Dicit autem terram esse inanem & vacuam, quemadmodum ab initio rudis erat, necdum exculta aut ornata. Cœli erant obscuri: sicut ab initio quoque tenebræ erant super faciem abyssi. Montibus & collibus, maximè fixis & immobilibus rebus, tribuit quod hominum est metu exanimatorum: contremiscunt enim & concutiuntur. Ac videntur etiam moueri in maximis impulsibus. Als erzitteret das gebirg darvon. Ita enim loquimur, quando significamus vim horribilem esse æditam. Homines item sublati erant, rarissimi hinc inde comparebant. Sed & volucres emigrauerant, maledictum hunc veluti populum refugientes, & perierant sicuti & alia animalia in vsus hominum condita. Præterea loca fertilissima agrorum, pascuorum, pratorum, vinetorum, alpiumq; redacta erant in desertum. Vrbes quoque ferro & igni erant vastatæ, passimq; ædificiorum ruinæ non ædificia vlla iusta conspiciebantur. Hæc videlicet est vastitatis elegans & propria descriptio. Constat autem vel ex Gen. 3. cap. terrę & elementis adeoq; & animantibus maledici propter peccata hominum, vt hæc puniantur per sterilitatem, vastitatem, rerumq; inopiam. Rursus cum benedicit hominibus Deus, fertiles reddit campos, feliciter proueniunt fructus. Sicuti videre licet copiosissimè expositum Ierem. 31. & 32. cap. Ideoq; in præsenti veluti caussa malorum horum subijcitur ira Domini & vehemens æstus furoris eius. Irascitur autem peccatis, & exæstuat vehementissimè cum frustra prædicatur pœnitentia, hominibus verbum Dei respuentibus.

Benedictio & maledictio, Deut. 28.

Consequenter disertis Domini verbis recitatis, exponit suam visionem hactenus recitatam, Domini videlicet iudicio totam terram Iudaicam fore vastandam. Et ne quis somnium aut fabulam sibi narrari arbitraretur, Sic, inquit, dixit Dominus. Mox & immutabilem decreti sententiam diuini cõmemorans, Quoniam non mutabo, ait, quod semel cõstitui. Nam aliâs dixi pœnitentiam in Deũ non cadere: pœnitere autem Deum, quando res institutas mutat. Repetit autem eam ob caussam, Lugebit, sicut modò dixi, terra, & obtenebrescent cœli. Timeamus ergo Dominum, qui immutabili consilio decretóue constituit impœnitentes certò perdere. Ab eo non recedit, sed exequitur & perficit fortissimè.

Certissimum fore excidiũ.

Iam etiam trepidam ipsorum fugam mirificè depingit, si commouerentur ad emendationem vitæ. Præmittuntur in bellis iusto exercitui equitum aliquot alæ, & sagittariorum (nunc sclopetariorum) turmæ, quæ explorent omnia, & primi castrorum loca occupent. Has ergo affuturas dicit Ieremias, populum autem vel vocibus illorum militum territum & exanguem, non expectaturum illorum præsentiam. Hic ergo quilibet sibi fuga consulit. Proinde non manent in præsidijs, sed vacuis vrbibus relictis alij aliò effugiunt. Alij enim in nubes vsq; penetrant, nimirum scandunt in vertices montium, qui capita inter nubila condunt. Sunt qui interpretentur pro nubibus densa syluarum vel vepreta. Alij verò abscondunt se in cauernas petrarum. Ita fit vt nemo ab hoste superstes reperiatur in vrbibus. Ita inquam opibus, facultatibusq;, diu per phas & nephas conquisitis, aut auarè corrasis, nunc verò relictis, duntaxat de misera vita retinenda cura est præcipua. Hic mihi vide, dum ita res gerũtur, cui thesaurizaueris. Vide, in quem finem munitiones excitaueris, fœdera cum exteris & vicinis coniunxeris, & militibus robustis & peritis confisus sis. Trepidæ fugæ se iam committunt vniuersi: tu solus oberras ouis destinata lanienæ. Timeamus ergo Dominum.

Fugæ trepidæ pictura.

Quinimò subijcit consequenter, in istis malis acerbissimis nullum fore vel consilium vel auxilium, vtcunq; insultans Sarcasmo in scelere pergentibus: mi scens simul etiam caussas mali tanti. Compellat enim totam terram, & ait, Quid

Superbia & luxus non pellunt hostem, sed asciscunt.

verò sic vastata facies? Quid institues sic in te irruentibus barbaris hostibus? An tunc oppones illis purpuram tuam, sericum villosum, luxum illum tuum: Quasi tu dicas, Senn ſo henck̃ din Sammat vnd din bechfart für/ da dir den fyend vfhalte. Scilicet. Quinimò superbia tua & luxus in causa sunt, cur tibi nũc ita inhient hostes, & cur affligaris, spolieris, & excorieris. Eadem legis apud Isaiam in cap. 4. Vtinam verò probè expendamus ista Germani, quibus receptissimum est luxu non tantum ventris, sed vestium quoq; diffluere. Aderit aliquando reformator Scythicus, mihi credite, & detrahet cruentis manibus, quod ipsi siccis manibus nostris, per timorem Dei, tollere nolumus. Et quidem his efficacius quiddam dicere videtur, Si te ornaueris auro & serico, monilibus, & pretiosissimis quibusq; rebus: si pinxeris faciem tuam stibio, & ornaueris te ad miraculum vsq;, perinde vt scortum aliquod & Iezabel, quæ amasios in amorem suum pellicere cupiat aduentantes, nihil tamen proficies. Nam hostes tui non formam, non opes tuas volent, sed vitam tuam quærent: te extinctam omnino volent: etsi aliquando te amauerint, nunc tamen odio te prosequentur extremo. Videtur interim taxare etiam propheta in illis non tantùm luxum, sed & peregrina fœdera cum exteris pacta regibus, quibus frustra confidebant.

Parabolis calamitas adumbratur.

Postremò duabus parabolis adumbrat dolores, eiulatum atq; luctum totius gentis futurum in venturo videlicet propter peccata bello Babylonico. Prior accepta est à muliere primo in partu, multo cum eiulatu, vtpote difficiliore, enitente. Posterior petita est à muliere quæ cogitur spectare liberorum suorum cædem, eaq; de caussa ingemiscit, brachia disijcit, comam vellit, & exclamat, Væ mihi, Wir wil nun geſchwinden vnd onmächtig werden/ quòd cogor coràm spectare & cæsores, & cæsos meos liberos volutari in suo ipsorum cruore. Et vt de seipsis ista intelligerent, disertè exprimit vocem filiæ Zion. His nihil omnino crudelius aut acerbius vel fingi poterat. Ac eueniunt talia in bellis propter impœnitentiam hominibus à Deo immissis. Agamus ergo pœnitentiam, vt tam crudelia effugiamus fata. Dominus liberet nos à malo, & conferat nobis animum pœnitentia legitimè imbutum.

Dissoluit propheta remoras & excusationes veram pœnitentiam impedientes.

CAPVT V.

CONCIO XVI.

CIrcuite per vicos Hierusalem, & videte quaeso, & considerate, & quarite per plateas eius, si inuenire possitis virum, & an sit qui faciat iudicium, & quærat veritatem, & propitius ero ei (ciuitati.) Tametsi dicant, Viuit Dominus, mendaciter tamen iurant. Et nónne Domine oculi tui fidem? (respiciunt.) Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, sed noluerunt recipere disciplinam: indurauerunt vultus suos magis quàm silicem: noluerunt reuerti. Ego autem dixi, Profectò pauperes sunt, stulti facti sunt, quòd non cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo ergo ad magnates, & alloquar eos: ipsi enim nouerunt viam Domini, & iudicium Dei sui: verùm ipsi pariter confregerunt iugum, diruperunt vincula. Ideo percutiet eos Leo de sylua, Lupus solitudinum vastabit eos, Pardus vigilabit super ciuitates eorum, vt omnem inde egredientẽ discerpat: quia multiplicatæ sunt iniquitates eorum, & inualuerunt rebelliones eorum.

CVM

CVM peccauimus homines, peccata non agnoscimus ingenuè, sed culpam reijcimus vel in ipsum diabolum, vel alias causſas, in homines præcipuè. Idem fecerunt maiores nostri in paradiso: id quod superius quoque commemorauì. Regerit enim culpam admissi scelcris Adam in vxorem, adeoq; in Deum ferè ipsum, qui dederit vxorem. Vxor verò lapsum suum imputat diabolo. Proinde cum ad pœnitentiam quoq; vocamur, varias solemus proferre in medium excusationes. Id quod cernimus nunc etiam in Iudæis, quos cũ Ieremias adhortaretur ad pœnitentiam, vtebantur hi suis excusationibus. Ieremias verò vt fidelis Domini propheta populiq; doctor & pater, huiusmodi commentitias excusationes dissoluit diligentissimè, ne veram vllo modo pœnitentiã remorarentur siue impedirent. *Non agnoscimus peccata.*

Præcipua excusatio vel remora pœnitentiæ illa erat, Deum non ita morosum & sæuũ esse, sicuti ipsum prophetæ nostri proponunt, illud in primis arguit, quod cum patre nostro Abrahamo ante Sodomam benignè admodũ pepigit se vrbes illas Sodomæ socias minimè excisurum, siquidem in omnibus inueniantur viri boni decem. Nota est enim historia Geneſis 18. cap in qua progreditur admirando ductu Abraham à numero quinquagenario per 45. & 30. & 20. ad denarium vsq;. Addebant his Iudæi, Verosimile autem est, imò indubitatum est, vel in vna Hierosolymorum vrbe plures iri inuentum viros sanctos. Vnde certissimum & illud est, Dominum & genti & vrbi clementissimè parsurum: eaq; de causſa morosas & vanas esse minas prophetarum, quibus hominum vita nunquam placebit, nisi omnium mores componantur ad morositatẽ, & melancholiam ipsorum. Agnoscitis haud dubiè & nostri sæculi voces, querelas & accusationes. Nunquam, inquiunt, concionatoribus illis morosis satis probus & sanctus fuerit populus, nisi vniuersi sumamus nobis vitam solitariam. Inuident gaudijs nostris, idcoq; minas detonant horrendas, sed reuera vmbratiles & ex ipsorum exortas capitibus melancholicis. Deus enim clemens est & misericors. Ita verò abutuntur Dei misericordia ad excusanda sua scelera & obfirmandos animos, ne vnquam quicquam cogitent de pœnitentia. *Clementiam Dei multi prætexunt suæ impœnitentiæ.*

Cæterùm Ieremias grauiter confutat hunc prætextum, & veluti per concessionem inducit Deum loquentem atq; dicentem, Discurrite, perlustrate, scrutamini vicos Hierosolymorũ, sicubi pauculos aliquot istos iustos vestros inuenire liceat, sic enim parcam vobis: Nullos autem inuenietis, cur ergo parcerem? Proinde restat vt vobisipsis pœnitentia consulatis, neq; cogitetis quid aliquando pepigerit Deus cum Abrahamo, de non subuertẽdis Sodomitis, sed quid nunc prædicare voluerit, & requirat à vobis, emendationem videlicet vitæ, & non excusationem turpiter hactenus exactæ vitæ. Mira est autem eloquentia & euidentia in verbis prophetæ. Vtitur coaceruatione eleganti, significans tametsi diligentissimè omnes abditus & recessus excutiant, & scrutentur, nullos tamen aut pauciſſimos reperturos viros bonos. Circuite, inquit, disquirite, perlustrate, scrutamini. Videte obsecro, dispicite, cognoscite, considerate. Quærite, inuestigate per plateas, denique per omnes vrbis vsqueadeo spacioſæ partes, si inuenire liceat vllum virum bonum. Vnum enim dicit pro pauciſſimis. Alioqui viuebant illo tempore non pauci viri boni, vt Iosias, Abimælech, Ieremias, Baruch, Sophonias & cæteri aliquot. Illud verò deplorandum & horrendũ esse videtur, quod cum sint adhuc viri boni, qui reformatam cupiant ecclesiam, & restitutam politiam, vilipendantur tamen à populo, & habeantur pro morosis hominibus, imò pro seditiosis & hostibus, quos oderunt omnes, & sublatos cupiant vnicè. Rectè ergo Ezechiel alibi dicit, in tali populo nihil effecturos vel Iob, vel Danielem, vel Noe, vel alios excellentes viros. Hos quidem conseruaturos *Raritas vel paucitas bonorum.*

animas suas, Deum verò reliquam impiam excisurum turbã. Ita verò & hodie valde est metuendum, pauculos viros pios, parum inter induratos & contemptores illusoresq; pietatis, effecturos.

Descriptio viri boni & pij.

Obiter verò describitur hic à Ieremia vir pius, iustus, sanctus & bonus. Is est enim vir bonus, qui facit iudicium, & inquirit veritatem vel fidem. Iudicium facit, Der rächt thůt, omnia scilicet dicta & facta sua componit ad iudicium Dei, ad normam inquam vel regulam verbi Dei, qui suum officium sedulò in sua functione facit, vt cum iudex asserit pupillos & viduas. Quærit fidem vel veritatẽ, quisquis rationem habet & curam veritatis & integritatis, diligentissimè incumbens in illam, fidem seruans Deo pariter & hominibus. De negligentibus enim loqui solemus, Er fragt jm nůt nach: id est, Nõ est illi curæ, susq; deq; facit. Excute iam animi tui latebras, & dispice num sis vir bonus.

Colitur quidẽ Deus, sed in hypocrisi.

Alia excusatio erat in populo dicente, nondum omnem religionem, ita vt querebantur prophetę, extinctam esse. Iurisiurandi enim religionem adhuc esse integram. Nam iurari adhuc per viuentem Deum. Sic verò & hodie audimus plerosq; corruptissimam suam excusare vitam. Nondum, inquiunt, extincta est omnis religio, vt timenda sit panolethria. Etenim cantatur adhuc & legitur in templis, &c. Alij dicunt, Legitur & prædicatur adhuc euangelium, iuratur per nomen Domini, & inuocatur nomen Dei, &c. Quid verò dicit Ieremias? Quanquam iurent per nomen viuentis Dei, per hypocrisim tamen & falsò iurant. Postea enim sequetur, ipsos & per Deum, & per Deos iurauisse. Deinde omnia ipsorum opera erant hypocritica, absq; fide facta. Carebant enim fide. Omne autẽ quod sine fide fit, peccatum est Rom. 14.

Deum respicere, & requirere fidem.

Ex hac occasione obiter præcipuum religionis dogma subiungit, Deum in omnibus respicere & requirere fidem & veritatem, non curare opera absq; fide, non curare hypocrisim vtcunq; fulgentem. Confutãtur ergo hic omnia opera, quæ fiunt sine fide: confutatur omnis cultus hypocriticus, extra fidem & verbũ Dei. Hinc intelligis cur tantoperè vas electionis Paulus fidem vrserit, & S. Petrus dixerit, Fide purgari corda nostra. S. Hieronymus in hunc locum, Domine oculi tui inquit, respiciunt fidẽ, quę Hebraicè אמונה ęmunah dicitur: non opera Iudæorum, in quibus iuxta legis cæremonias exultabant, sed fidem Christianorum, per quam gratia salui facti sumus, &c.

Incurabiles nõ sentiunt percutientem Deum

Præterea vtebantur etiam tali excusatione, Si essent res nostræ vsque adeò deploratæ, sicuti Ieremias cum suis concionatur, iam Deus iram suam erga nos declararet pœnis vel supplicijs, nobis vtpote inuisis Deo, immissis vel de nobis sumptis. Cæterùm satis prospera fortuna vtimur hactenus: ergo inuisi Deo non sumus, nec metuendum est, vrbem & gentem propter præsentem statum vitæq; rationem fore subuertendam. Ad eundem modum audias hodie plurimos argumentantes, Res nostræ sic satis bene habent: ergo non sunt minæ prophetarum vel prædicatorum metuendæ nobis. Minantur nobis interitũ, nisi emendemur: sed vita nostra non est adeò corrupta. Alioqui enim Deus minimè dissimularet. Confutantur autem hæc per Ieremiam dicentem, Tu quidem, ô Domine, patris munere & fide probè functus es, ipsi verò hoc non agnoscũt. Percussisti eos quidem, tanquam peccatores, quos plagis ad meliorem frugem perduceres, sed nõ doluerunt: id est, attriuisti quidem eos, satisq; acriter castigauisti, ipsi verò nolũt vel peccata agnoscere commissa, vel disciplinam recipere. Similes sunt malis in ludo literario pueris, quorum cutis ad verbera occalluit. Nihil amplius sentiũt. Tametsi enim satis feliciter & tranquillè viuerent sub Iosia, grauiter tamen ante paucos annos fuerant afflicti sub Manasse, &c. Causa verò cur non sentirẽt malum, & disciplinam reciperent, id est corruptos mores emendarẽt, subiungitur,

Obfirma-

Obfirmarunt, vel indurauerunt facies suas præ petra, vel supra petram: id est, silice duriores exhibuerunt mentes suas admonitionibus diuinis. Quo loquutionis genere significatur, homines pariter & incurabiles & impudentes admodũ esse, qui nolint emendari, etsi non desit occasio emendationis, qui nolint item erubescere. Sequitur enim iterum, Noluerunt reuerti. Nos dicimus, Es ist verlozen/da hilfft nit / sy wend ãben nit rächts thũn. Cum verò eò impudentiæ & proteruiæ res deuenit, iam nihil valent vllæ admonitiones, quæ vel verbis, vel quæ verberibus fiunt. Res deplorata est. Vtinam verò idem hodie non posset obijci orbi Christiano, qui cum exteris siue Turcicis, adde & ciuilibus siue intestinis, Imperatorijs videlicet, Gallicis, Hispanicis, Germanicis, Italicisq; bellis tantùm non laceratus sit, & discerpatur quotidie, inuenias tamẽ qui caussam non ad peccata nostra referant, sed ad casum, ad sydera, & dicant sem per bella gesta esse in orbe. Hi certè, vt non sentiunt Dei iudicium, ita nec disciplinam recipiunt, neq; emendationem. Dominus aperiat nobis oculos.

In excusationẽ adducitur ignorantia.

Restat alia excusatio. Nunc enim propheta veluti patrocinium sumens sui populi, Verum est, inquit, non cognouerunt viam Domini, neq; tenent religionis omnia vulgares homines, cæterùm nihil peccatur hic populi malitia. Referendus est hic error ad miseram miseri pauperisq; populi sortem vel conditionem. Cum enim pauperes sint & liberorum oppressi multitudine vel copia, coguntur certè sedulis & duris laboribus victum quærere familiæ egenti: ita verò non vacat illis cognoscere scripturam, & legere in lege Domini: quid itaque mirum, si vita ipsorum non admodum sit culta, sed barbara nimis? Errant ergo per egestatem inscitiamq; vel imprudentiam. Quamuis verò hunc prætextum non aperiat & confutet Ieremias, sed rectà, desertis simplicibus & insipientibus, proceres aggrediatur, scire tamen debemus non omnem ignorantiam esse excusabilem. Est enim & crassa & inexcusabilis ignorantia, vt cum rusticus rus colere nescit, cum artifex artem quam exercere debebat, ignorat, cum materfamiliâs œconomiæ imperita est. Conditi certè sumus à Deo, vt ipsum tanquam Deum & patrem agnoscamus, vtq; aliquam eius cognitionem teneamus, saltem catechismo traditam. Proinde ista ignorare, ea demùm fuerit inexcusabilis ignorantia. Nemo aliâs requirit à rustico, ab opifice & à matrefamiliâs, vt profiteri possit in sacris literis, vt disputet de cõtrouersis articulis, vt abstrusissimos quosque scripturæ locos explicet. Desideratur hic permultum & in eruditis ferè & exercitatis in theologia: sed etiam sine salutis discrimine. Non potuerunt ergo Iudæi excusari, quasi imprudentes peccauerint. Etenim Decalogum & compendia veræ pietatis à prophetis tradita, discere potuerunt. Ea in re si negligentes fuerunt, nulla digni erant venia: sicuti ne nos quidẽ excusabiles erimus, si nescierimus principia religionis nostræ.

Non omnis ignorantia excusabilis.

Pulchrè verò à vulgo delabitur ad magnates cùm ecclesiasticos tũm politicos. Hi cum sint proceres & pastores populi, & docti peritiq; rerum diuinarũ, vtiq; sedulí esse debent, ne vulgus doctorum culpa, res ignoret necessarias, néue malo suo exemplo vulgum adducant in legum & religionis contemptum. Id enim si fiat, non impunè quidem feret populus, sed maioribus tormentis subijcientur ductores & doctores. Cognoscũt hi, inquit, viam Domini, & iudicia Dei sui. Id quod perinde est, ac si quis dicat, Aequum sanè fuerat, vt illi essent docti in lege & exercitati, vtpote quibus otium est, occasio atque facultas. Verùm hic mox per correctionem subijcit, Sed ipsi quoq; pariter, & c. Significat autem & doctrinam sanam per legisperitos corrumpi, & doctrinã pietatis negligi, abijci & calcari, leges denique bonas ab ipsis magistratibus violari: dum potentiores primi sunt, qui contra leges heluantur, & malo suo exemplo subditos contemp-

Etiã proceres sunt ignari.

Leges iugum & vincula.

ptum legum docent. Leges rectè dicuntur iugum & vincula. Beneficio enim ministerioq; legum diuinarum & humanarũ, id est, politicarum, cohercetur petulantia vulgi, & adducuntur homines in obedientiam & disciplinam. Sonat autem essenem petulantiam, cum dicit, Confregerunt iugum, & vincula diruperunt. Si verò inspexeris hodie quid fiat à proceribus ecclesiasticis, & à principibus, magistratibusq; politicis, dices, si verum fateri voles, res nostras longè peiore loco esse nunc, quàm fuerint tunc, cum hæc proponeret Ieremias. Episcopi & doctores theologiæ oderunt codicem sacrum, oderunt linguas, versiones piorum hominum, vt iudicentur propositas, lacerant, libros de religione scriptos comburunt. Quid interim docent populum miserum sibi concreditũ? Sed quid dico concreditum, cum hunc potius artibus malis, dolis & vi, suæ subiecerint tyrannidi? Loquantur ipsorum libri, decretales, summę, canones, cõstitutiones, sermonesq;. Viam Domini & iudicia Dei manifestè appellãt dubia, obscura, imperfecta, &c. Proceres populi, quomodo oro bonas leges exequũtur & tuẽtur? Primi omnium violant. Existimant se exemptos esse legibus. Nolunt coherceri legibus. Clamant paucorũ morosorum hominũ improbitate leges illas promulgatas esse, nempe contra adulteria, stupra, fornicationem, certamẽ poculorum, &c. Ita verò ruunt omnia, & optimæ leges abeunt in contemptum. Quis in hac petulantia excusationi locus supereſt?

Corruptela nostri sæculi.

Deus punit impœnitentes iusto iudicio.

Infert itaq; iterum Deum iusto iudicio puniturum incurabiles, & orationẽ ornat parabolis Nam dicit Leonem è sylua, Lupum ex solitudine, & Pardum quoq; adfuturum & irruiturum in ipsos, ceu in gregem imbellem. Per Leonem intelligit regem magnificum Babyloniorum, per Lupum insatiabilem & crudelem militem, per Pardum vero varias gentes, vel commixtionem calonum & lixarum, qui ferè funditus tollunt, quod milites vel intactum, vel non prorsus cõfractum reliquerunt. Singulis autem suum proprium tribuit. Leo percutit, Lupus vastat, Pardus inuigilat (Lusterct vnd wartet.) Addit, Vt egredientem dilacerpat. Significatur interim nihil vspiam quicquam fore tutum. Caussa tantorum malorum iterum paucis subiungitur, vt iustitia iudiciorum Dei intelligatur, Quia coaceruarũt transgressiones. Nullus est vel finis vel modus scelerum. Addit & aliud, Inualuerũt rebelliones. Non tantùm scelus addunt sceleri, sed si quis admoneat & corripiat, obmurmurant etiam, quinimò inualescunt suare bellione contra Deum & verbum eius. Sy ſind fürkommen wie ein wütend Pfärd. Compesci neq; possunt neq; volunt. Quibus si cõiungas mores nostros, habebis quod timeas. Dominus Deus noster misereatur nostri, & aperiat nobis oculos animi nostri, & det nobis veram pœnitentiam, per Iesum Christum Dominum nostrum. Cui soli gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Interitum, & causſas interitus miseri populi adhuc prosequitur copiosius.

CONCIO XVIII.

Hei parcerem ne tibi in hoc? Filij tui deseruerunt me, & iurauerunt per eum qui Deus non est. Ego saturaui eos, & ipsi mœchati sunt, & in domo meretricis turmatim sese collegerunt. Fuerunt equi bene saginati manè prodeuntes: quisque ad vxorem proximi sui adhinnit. Nunquid hæc non visitarem, ait Dominus, aut de gente huic simili non sumeret supplicium anima mea? Ascendite in muros eius, & destruite, & finem ne faciatis, tollite mœnia (vel propagines) eius: quoniam non sunt Domini. Prœuaricando enim prœuaricati sunt in me

in me domus Izrael, & domus Iuda, dicit Dominus. Negauerunt Dominum, & dixerunt, Ipse non est, non eueniet nobis malum, gladium & famem non videbimus. Et prophetæ in ventum erunt, & verbū nō est in eis: sic eueniat ipsis. Ob id verò sic dicit Dominus exercituum: Quia locuti estis verbum istud: ecce ego pono verba mea in ore tuo, vt sint ignis & populus iste sit ligna: & deuorabit eos.

PErseuerat propheta in eodem argumento, ostendens, iam etiam adeò pudendam ac enormem esse ipsorum corruptelam, vt nulla sint apud Deum digni venia. Ergo per exclamationem interrogatione figuratam, Hei parcerem tibi, inquit, in hoc? Nos similiter per abominationem dicimus. Hă/ſolte ich dir das nachlaſſen? Cum significamus scelus esse vsqueadeò fœdum, vt dissimulare non possimus. Ipsa rei indignitas atrocitasq; flagitat supplicium, idq; nō leue, sed grauissimum. Obseruemus hanc Domini & prophetæ seueritatem, quicunq; impunitatem pollicemur nobis etiam in atrocissimis sceleribus. *Deus nō potest nec vult dissimulare perpetuò.*

Pergit autē veluti de nouo veteribus, id est, antecedētibus noua attexere crimina, propter quæ exasperatus Dominus, placari non queat, impudenter peccata peccatis coaceruantibus. Filij tui, inquit (cum potius dixisset, Filij mei: sed talis est locutio, quæ redolet stomachum, & abdicationem, qualis illa erga Mosen Domini, Populus tuus peccauit, Exod. 32.) deseruerunt vel dereliquerunt me, vel defecerunt à me. Graue est crimen defectionis, sed tale, quod vt olim, ita nunc quoq; difficulter agnoscitur. Qui enim Deum colunt non legitimè, id est, non secundum verbum eius: qui item non colunt syncerè, vtique nec solum, nec ita vti decebat, illi ipsi maximi cultores Dei volunt videri. Atqui clamat scriptura illos ipsos esse Dei desertores vel apostatas. Simile videas Exodi 32. & 1. Samuelis cap. 15. Totum item negotium Ieroboami & Israelitarū, 4. Regum 17. & totum negotium Excelsorum tribus Iuda huc pertinent. Dicuntur enim illi omnes deseruisse Dominum, defecisse à Deo, tametsi hoc negarent & pernegarent, clamantes se non defecisse à Deo, sed adhuc ipsum adorare, inuocare & colere, licet interim in honorem eius & medoxumis dijs quoque honorem impenderent, & cultus varios deuotionis ergò haberent, non expressos in lege, tolerabiles tamē (vt ipsi aiebāt) & deuotos. Quid verò hodie aliud audimus à Sacrificis & Monachis Papę? Sed stat interim firmum Domini verbum, Dereliquistis me. Nam Deus iudicia sua non instituit ad intentiones nostras bonas, sed secundum voluntatem ac verbum ipsius. *Desertio Dei.*

Demonstrat autem Iudæos defecisse à Domino. Iurauerunt, ait, in non Deo. Ita veritas Hebraica ad verbum habet. Iuramentum, quod aliâs copiosè exposui mus, est confessio & contestatio summi boni cum inuocatione, vt is nobis benedicat veritatem seruantibus, puniat autem nos iustitiam præuaricantes, qui solus & seruare & perdere potest. Iuramus ergo per illum, quē credimus esse summum bonum nostrum, qui solus possit seruare aut perdere. Is solus est Deus. Pij ergo iuxta præceptum Dei per solius Dei nomen iurant, & ita ipsum venerantur. Superstitiosi & increduli defectionem suam à Deo probant, vel cum per Deum non iurant, vel per solum non iurant, sed ipsi alios coniungunt. Ac Ieremiæ ætate iurasse populi bonam partem per Deum & per Malchom, probat vel ostendit Sophonias in cap. 1. Qui verò per Deum non iurant, vel per solum non iurant, iurando testantur se soli & in solidum non omnem tribuere gloriam. Vnde ita declarant, se nō esse vel integros vel syncEros in vera religione. Discimus autem vel ex hoc loco, fideles non posse vel debere per alios quam per vnum solum Deum iurare. Nam obseruanda est locutio, Et iurauerunt in non Deo, id *Iurare in non Deo.*

est, per nomen aliud quàm per nomen Dei. Vnde corrigi oportebat errorem in Papismo grauem, qui adigit homines ad iuramentum præstitum per Deum & sanctos eius, vel per nomina sanctorum duntaxat. Grauiter hoc fert in populo suo Deus, & numerat per Ieremiam inter ea quæ non potest non punire grauiter.

Abusus donorũ Dei & ingratitudo.

Aliud iam subiicit crimen enorme, dicens, Saturaui eos. Alij legunt, Iureiurando eos astrinxi. Sed prior lectio mihi magis probatur. Opprobrat enim illis ingratitudinem & abusum donorum Dei. Saturaui, id est, ingentibus beneficijs te populemi, adobrui, adeò vt nihil tibi desit boni, aut vllis vnquam careris rebus ad felicitatem præsentem pertinentibus: sed tu male gratus populus, illis donis meis ad tuam abusus es libidinem. Nam adulterium commisisti, & turmatim effudisti te in lupanar vel in domum meretricis. Idem vitium aut flagitium taxat in populo suo Deus, Deut. 23. dicens, Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Dominum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Idipsum fusè tractatur Oseæ 2. Nam hunc locum dupliciter intelligimus: principiò de adulterio spirituali, id est, de cultu peregrino & idololatria: deinde de corporali illa scortatione & adulterio, quæ ferè illam sequitur. Proinde per domũ meretricis intelligere licet idolea, id est sacella & templa idolorum: quæ reges aliquot vt Iehu & Iosias, iussu Dei conuerterunt in latrinas & prophanarunt, vt omnes intelligerent templorum talium abominationem. At stultus populus, qui rarò sapit, confertim & turmatim in illa se confert templa, & veritatem synceram religionemq; puram refugit, donaq; accepta à Deo varia ad cultum idolorum impendit impiè, & c. Quod vtinam hodie quoq; non cogeremur videre & deplorare. Iam hũc ipsum locũ & de fornicibus quoq; aut domibus meretricum intelligere licet. Apparet quidẽ sublata fuisse à Iosia lupanaria publica, nihilominus scortilla sua habebant lustra, in quibus exercebant suas libidines. In ijs tunc multi erant frequentes: vt adhuc fit in vrbibus etiam euangelicis, in quibus tametsi fornices vel lupanaria sint sublata, latitant tamen in angulis & ganeis scortilla, quæ coniugatis & non coniugatis passim aduentantibus suum prostituunt corpus. At oportebat fidelem magistratũ in illas ganeas diligenter inquirere, & repertas dissipare.

Lupanar.

Fœditas fornicationis.

Ad demonstrandam certè sceleris huius fœditatem, profert Ieremias parabolam admodum alioqui fœdam. Confert enim adulteros istos equis bene pastis, insolentibus & libidinosissimis, manè procurrentibus & adhinnientibus in campo equabus. Mox enim adijcit vocabulum, quo aliam collationis partem comprehendit, Vxores. Quisq; ait, ad vxorem proximi sui adhinnit. Quasi dicat, Non loquor de libidine equina, sed illa adumbratam volo adulterorum nostrorum furiosam & impudentem libidinem. S. Hieronymus, Tantam ostendit insaniam libidinis, inquit, vt non solùm appetitum voluptatis, sed χρεμετισμὸν, id est, hinnitum, vocet, & seruet equorum furentium ad libidinem metaphoram, &c. Ezechiel quoq; non admodũ dissimili vtitur allegoria in cap. 16. Quôd si alicui videtur turpe esse in Concione sacra proferre huiusmodi collationes, is apud se cogitet, quanto fœdius sit illud ipsum scelus, quod huiusmodi figuratis loquutionibus adumbratur. Discant ergo omnes sibi cauere ab adulterijs & furiosis libidinibus. Discant rectius iudicare de fœditate libidinis, quàm fecerunt hactenus. Si enim abominaris huiusmodi loquutiones, cur non magis execraris ipsum adulterium & libidines fœdissimas?

Pœna destinata sceleribus.

Audiamus porrò quid instituerit Deus in eos, qui hæc audiunt sine emendatione sceleris. Nunquid hæc non visitarem, &c. Rursus infert ista tam esse enormia flagitia, vt dissimulare non possit Deus, sed cogatur animaduertere in impœniten

pœnitentes grauiſsimè. Vtitur autem Communicatione. Quaſi dicat, Vobis hic iudicibus certabo. Ipſimet iudicate, an ad tanta ſcelera diſsimulare debeam, vel poſsim vllo modo. Omnes clamabitis indigniſsimum eſſe ſi parcatur tam deploratis nebulonibus. Timeant itaq; Dominum quicunq; illis ſunt implicíti facinoribus, quibus videmus obnoxios fuiſſe Iudæos. Etenim ne quis diceret, Quid ad me, quid peccauerint Iudæi, & quomodo ipſos puniuerit propter peccata ſua Dominus? Præoccupat Dominus & ait, Aut de gente huic ſimili non ſumeret ſuppliciũ anima mea? Vel, Aut ſi de gente, quæ talis eſt, anima mea vindictam non ſumet? Quibus ſanè verbis declarat ipſe Dominus, ſe pari animo affectum eſſe erga quoſuis peccatores, quos non excuſent aut excuſare poſsint vel tempora vel aliæ circumſtantiæ. Semper enim Deus ſui ſimilis, punit omnes illos, qui contra legem eius præuaricantur: quodq; olim puniuit in ſceleratis, idẽ punit perpetuò in omnibus ſceleratis paria facientibus.

Subijcit ergo protinus pœnam, quam Hypotypoſi quadam oculis auditorum ceu ſpectandam proponit. Iubet enim Nabuchodonoſoris milites facere, quod erant facturi, ſcandere muros, conuellere mœnia, perdere ciues. Addit, Et finem ne feceritis, donec videlicet totam exhauſeritis vrbem, ſubuerteritisq; omnia. Alij referunt ad Dei clementiam, quòd velit nunc quidem illos ſeptuaginta annorum caſtigatione erudire, at non prorſus excindere & abijcere. Reduxit enim ipſos poſt ſeptuaginta annos, & dedit ſuo tempore Chriſtum. Eſt & in his duplex lectio, Tollite mœnia vel murorum dentes, aut pinnas, die zinnen: id eſt, omnibus munitionibus illos nudate. Alij legunt, Auferte propagines. Populus enim confertur vitibus. Et alibi ciues Hieroſolymorum appellantur nobiles propagines, plantatæ à Deo ad fructificandum. Ergo cum nullum ederent fructum, iubet excindere propagines. Nam cauſſa manifeſta ſubiungitur, Quoniam non ſunt Domini. Reiecit ille & mœnia & ciues vel propagines. Cum ergo Dei non ſumus, cum ille non vigilat ſuper ciuitate, actum eſt de nobis. Sic enim perire nos oportet penitus. Et in euangelio dixit Dominus, Si quis in me nõ manſerit, eiectus eſt foras ſicut palmes, & exaruit, & colligunt eos & in ignẽ conijciunt & ardent. Ioan. 15. Et iterum, Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, excindetur. Matth. 15.

Copioſius tamen pro more ſuo proſequitur cauſſas excidij, & in genere dicit populum ſuum præuaricando præuaricaſſe, id eſt, variè & multipliciter peccaſſe contra Deum. Deinde omiſsis alijs refert inſigne peccatum, adeoq; horribilem contra Deum contumeliam, Negauerunt, inquit, Dominum. Id quod nos dicimus, Sy habend Gott gelõugnet/oder zum lugner gemacht. Id eſt, negando ea, quæ Deus, vt vera, proponit, Deum veluti mendacij arguere videntur. Ac conſequenter per Mimeſim, quid dixerint, aut qualia verba contra Deum effutiuerint, recenſet. Prophetæ nomine Dei dixerunt, Deus ſui ſimilis eſt: ergo cum ſemper puniuerit impœnitentes gladio, peſte, fame, & vos impœnitentes eſſe pergatis, puniet & vos fame, peſte & gladio. Id excipiebat populus, ac dicebat, Deus non eſt hic. Hebraicè enim dicunt לוא הוא Lo hu: id eſt, Non ipſe, ſcilicet Deus eſt ſui ſimilis, ſeuerè perſequens ſcelera, vt fabulantur prophetæ: ergo non euenient nobis mala quæ minantur, velut gladius, id eſt, bellum & fames, quæ non videbimus, id eſt, quæ non experiemur. Addunt quod hunc ſenſum abſoluat, Prophetæ, inquiunt, erunt in ventum, id eſt, minæ ipſorum abibunt in ventum. Sunt enim homines loquaces & mendaces. Prouerbialis eſt loquutio. Vnde nos cum volumus ſignificare vanum eſſe quod propoſitum eſt, dicimus, Es iſt luſtig. Addunt & aliud, Et verbum, videlicet Dei, non eſt in eis. Non loquuntur ex Dei ſpiritu, ſed ex propríjs affectibus: prætexunt Dei verbum, ſed

Negare Dominum.

Conuitia & murmuratio rebellium contra prophetas.

ſuas nugas proferunt. Noſtri dicunt, Es iſt nit das wort Gottes/ſonder nun der müden pfaffen dant. Sic eueniat eis. Nam minabantur prophetę rebellibus bellum, gladium, famem, peſtem, excidium. Hæc, inquiunt, eueniant eis, Das gange die pfaffen an. Hæc recidant in prophetarum capita, quæ in nos egerũt, vel expuunt. Deleantur ipſi gladio, & pereant in æternum. Itaq; non tantùm contradicebant ex oppoſito Deo, ſed & malè imprecabantur Dei miniſtris. Pluribus verò nihil opus eſt, quibus hæc explicemus planius. Obſeruate enim quæ hodie dicantur & fiant ab hoſtibus verbi Dei & concionatorum, & habebitis commentarium huius loci.

Vindicta Dei in cõtumaces.

Audite verò nunc quomodo iſta excipiantur à Deo, & Deo quidem exercituum omnipotente, qui contra hoſtes ſuos producere poteſt exercitum inſtructiſsimum, cum ipſi militet vniuerſa creatura. Quia, inquit, auſi eſtis ora veſtra ponere in cœlum, Deo contradicere, prophetarum meorum ſermones contumelijs adoperire, & ipſis præterea maledicere, & clamare, vos non viſuros mala illa: ecce efficiam verbum meum & verum & efficax, adeoq; efficiam ne ſermo meus videri poſsit aer aut ventus. Erit enim ignis: vos verò ligna eritis. Et vt ignis nullo negotio abſumit ligna: ſic fiet, vt conſumamini omnes, in ira vel vindicta mea igni inextinguibili, prout ſermo prophetarum minatur. Hæc verò omnia ita euenisſe declarabit 39 cap. ipſe Ierem. Caueamus ergo ne Domino cõtradicamus. Efficax enim & potens eſt, qui valet nullo negotio rebelles ſuos perdere. Domino Deo noſtro ſit laus & gloria ſemper.

Copioſius diſſerit de pœna ſumenda, niſi conuertantur, de rebellibus.

CONCIO XIX.

Ecce ego, dicit Dominus, adduco ſuper vos, ô domus Iſrael, gentem de longinquo, gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem cuius linguam ignorabis, nec intelliges quid loquatur: pharetra eius eſt veluti ſepulchrum apertum, vniuerſi ipſi ſunt fortiſsimi viri. Comedet autem meſſem tuam, & panem tuum, deuorabit filios tuos & filias tuas, comedet oues tuas & armenta tua, comedet deniq; vitam tuam & ficum tuam, & excindet rediget q; ad extremam paupertatem ciuitates tuas munitas, quibus tu fidebas, gladio. Et eo tempore, dicit Dominus, non faciam conſummationem vobiſcum. Cumq; dixeritis, Quamobrem fecit nobis Dominus Deus noſter hæc omnia? Dices tu ad eos, Quemadmodum dereliquiſtis me, & ſeruiſtis dijs peregrinis in terra veſtra: ſic alienis ſeruietis in terra non veſtra.

Peccata nõ eſſe paria, ſed alia alijs grauiora.

PEccata non eſſe paria, vniuerſa ſcriptura multis in locis oſtendit. Stultitia mundi leuiora exiſtimat eſſe grauiora, & grauiora eſſe leuiora. Quis enim putat contemptum verbi Dei tantum eſſe piaculum, quantum reuera eſt Dei iudicio? Legatur & expendatur hiſtoria Saulis & Samuelis 1. Sam. 15. Quid quod ipſe Dominus tolerabiliorem ait futuram Sodomitarum ſortem, in die iudicij, quàm eorum, qui verbum euangelij repulerint? Nil ergo eſt mirum ſi in præſenti quoque iraſcatur Dominus grauiſsimè Iudæis, per Ieremiam, vtpote, qui non tantùm verbum Domini aſpernabantur annunciatum per prophetam, ſed inſuper irridebant, & conuitijs contumelijsq; adoperiebant. Paucis quidem ſuperiori allegoria ignis, pœnam adumbrauit ſumendam de contemptoribus verbi Dei: at nunc copioſiſsimè illam ipſam proſequitur. Certè verbum Dei regula eſt

vitæ

vitæ humanæ, lux quoq; & directio, via in qua ambulemus Ergo qui regulam, lucem, directionemq; aspernatur, is non poterit non palpare in tenebris, neque quicquam facere sanctè, iustè, & decenter. Proinde meritò grauissimè puniuntur contemptores verbi Dei.

Describit propheta ab initio graphicè & mira hypotyposi aduentantẽ exercitum barbarum. Deinde veluti oculis subiicit atq; exponit quãta vsurus sit crudelitate in puniendis impœnitentibus verbiq; Dei contemptoribus. Postremò iterum delabitur ad causas mali tanti, ostendens iustum esse iudicium Dei puni entis conscelcratam illam gentem. Dicuntur autem ista omnia ad eum finem, vt cumulo malorum territi, adhuc cogitare incipiant de pœnitentia legitima. *Argumentum loci præsentis.*

In descriptione autem exercitus aduentantis, illud inprimis est obseruandum, quod Deus ipse dicit, Ecce ego adduco super vos gentem, ait Dominus. Iusto enim iudicio suo Deus excitauit Nabuchodonosorem, ipsiq; vires submi-nistrauit deducendi bellum, quod in Iudæos & vicinas gentes instituerat, ad optatum finem. Idem Deus hodie quoq; Turcis & aliis regibus facultates suppeditat efficiendi voluntatem Dei. Ne ergo miremur exercitus Dei (id est, quorum dux est Deus, & qui faciunt voluntatem Dei, in puniendis Dei hostibus) celeres esse, laborum tolerãtes, solertes, audaces, inuictos, &c. Stultum est sperare reos vtcunq; instructos aliquid in hoc bello effecturos, quod contra ipsos gerit ipse Dominus. Dati enim sunt à Deo in manus hostium suorum. Dicit autem se ducturum exercitum illum de longinquo. Id quod horrorem incutit audientibus. Nam vicinia nonnullam ferè misericordiam conciliat in bellis, gestis à vicinis, parcentibus illis quos nouerunt. At qui ducuntur à longinquo, nemini parcũt, confodiunt quos nõ nouerunt vnquam ex æquo, pecudũ instar absq; misericordia vniuersos. Excutitur insuper spes omnis iis, qui putant se nullo vnquam vexandos fore bello, quòd cum omnibus vicinis iura contraxerunt amicitiæ. Dominus enim ait se hostes de longinquo adducturum. Nostro seculo vidimus ex extremis Europæ finibus, hostes sæuisse in media Germania. Vidimus Viennã obsidione cinctam à Syris, Asianis, Ægyptiis, & Orientis militibus. Id quod nemo vnquam futurum putasset. Timeamus ergo Dominum, ne fidamus rebus nihili, sed agamus pœnitentiam. *Deus ipse malum inducit super homines.* *De longinquo adducit Deus hostes.*

Addit gentem illam fore robustam, corporibus inquam validis, & virtute militari eximiam, copiosam item, ac numerosam. Deniq;, Gentem, inquit, adducam in vos, quæ fuit à seculo, id est, antiquam & celebrem. Loquitur de Assyriis & Babyloniis, quorum nomen mox à diluuio innotuit, vt claret Geneseos cap. 11. Bellicosi fuerunt ab initio, & bellis subiugarunt sibi regna & populos. Duraverat ea monarchia vltra 1200. iam annos. Ad crudelitatem quoque notandam illud maximè pertinere videtur, quod dicit, Cuius linguam ignorabis, neq; audis vel intelligis quod loquitur. Excluditur enim omnis spes, quam multi in supplicationibus habent. Nullus erit locus reliquus precibus, aut vllis rationibus. Nam tu non intelliges hostem, neq; ille te. Commercium certè linguæ consociat homines, dissociat diuersitas. Iam etiam significat Assyrios vel Parthos sagittandi futuros longè peritissimos. Dicit enim, Pharetra eius veluti sepulchrum apertum: id est, sagittæ eius letales vel mortiferæ sunt omnes. All schütz ein mensch. Non aberrant sagittis, neq; leuiter feriunt, sed ad mortem. Id quod hodie magis dicere possumus de sclopetis & sclopetariis, von den hagken schützen. Præsentissima enim ex his mors imminet militibus in pugna & expugnationibus. Sunt & hodie nationes sclopetandi (vt sic dicam) peritissimæ. Sub finem verò huius descriptionis subiungit, Vniuersi ipsi sunt viri gigantes, heroes, viri inquam fortes & strenui. Quasi dicat, Quid pluribus agam? Vniuersi & singuli sunt idonei *Gens robusta.*

militiæ, Sind alles ytel helden vnd redlich liit. Sic enim iustus & potens Dominus parat validam impœnitentibus virgam. Expendamus hæc omnia diligenter, & conferamus cum nostris temporibus, discamusq; rectè iudicare de ijs quę nunc passim visuntur in Italia, Gallia & Germania.

Elegans, sed horrenda belli descriptio.

Deinde subijcitur à propheta, ad quid ista gens sic à Deo sit apparata, quid factura. Exponit id per enumerationem vel distributionem petitam ex lege Domini, Deut. 28 & Leuit. 26. Commemorat enim ordine omnia, quæ inducí solent bellis mala, vt videāt miseri cuinam thesaurizauerint malis artibus, impio, inquam, militi: vt iam non commemorem, auaritiam, oppressionem & artes, quibus ferè thesaurizamus, caussas esse belli & malorum omnium. Intelligit autem per messem, omnem agri ex satione prouentum: per panem, omnem cibum, significatq; agros etiam vastandos fore. Mactabunt item atq; abigent gregem & armenta, id est, minora pecora & maiora, iumenta inquam, boues, &c. Et quod grauius est longè, deuorabunt, conscindent atq; consument gladio filios & filias. Deuorabunt item vineam & ficum. Vinum enim in bellis epotatur & effunditur, vineta vastantur: arbores excinduntur, & comburuntur fructiferę, & fructus vniuersi deperduntur. Sed & vrbes subuertuntur. Alij hic legunt, Excindet munitas vrbes tuas. Alij legunt, Rediget ad inopiam vel extremam paupertatem ciuitates tuas. Sensus in idē recidit. Sed addit hic, Quibus tu fidebas, taxans fiduciam vitiosam, in ea quæ pararunt manus hominum. Vitium hoc nimis est hodie frequens & vulgare. Quis enim non fidit munitionibus? Extruuntur montes ex terra, & parantur ædificia noua, quæ ignorarunt nostri maiores. At cum peruentum fuerit ad rem, & ingruerit hostis, nihil prosunt munitiones, sed turpiter sese dedunt hostibus, quibus nolētes munitiones illas suas mirabiles excitarunt. In eorum enim veniunt potestatem, & ijs vtuntur ad oppressionem eorum qui extruxerunt. Sub finem appendit, Gladio, vt intelligamus omnia illa conficienda fore gladio.

Sequitur, Veruntamen. Alij, Et etiam, in diebus illis, dicit Dominus, non faciam vobiscum consummationem. Id quod alij exponunt, At ne sic quidem vllus erit malorum finis. Nam peccantibus vobis, & peccandi modum nullum facientibus, ne ipse quoque desinam plagas incutere vobis. Et hunc sensum sequitur Lutherus, qui hunc locum sic vertit, Vnd ich wil/ſpricht der Herr/zů der ſelben zyt iiwer nit verſchonen. Alij intelligunt Dominum polliceri post Babylonicam captiuitatem se reductrum ipsos, & nunc quidem non excisurum eos funditus. Vtrunq; sensum attigit Zuinglius in suis Annotationibus, & dixit, Ambiguus sensus est: tam ad hunc, Non prorsus perdam vos Babylonica clade: quàm ad istum, Non cessabo affligere, etiam cum hæc omnia perpessi fueritis. Certè constat ex Danielis 9. cap. & Lucæ 19. ac 21. tum demùm consummationem fecisse Deum & excidisse Hierosolymorum vrbem & Iudaicam gentem, cum Christo crucifixo, & occisis eiectisq; apostolis, Iudæi euangelij prædicationem repulerunt, &c.

Caussa malorum.

Postremò autem regreditur iterum ad caussas tantorum malorum exponendas. Nam hic locus in prophetis & celeberrimus & vtilissimus est, admonens omnes vt sibi à caussis malorum caueant, siquidem malis carere velint. Deum enim esse iustum, qui iustè inferat pœnas impœnitentibus. Quorsum enim mala multis exponerentur, nisi hic finis obseruaretur singulariter? Eleganter autem per dialogismon caussas malorū reddit, Quòd si, inquit, dixerint, Quam ob caussam tantis nos adobruit malis Dominus, qui tamē est Deus noster? Quare populum sibi fœdere coniunctum ita affligit? Tu illis rationem reddes, & dices, Parpari repēdit Deus. Nam vt vos illū priores deseruistis, ita ipse quoq; vos deseri-

& vt in terra vestra contra eius mandatum alienos coluistis deos: ita cogemini, secundum eius minas, in terra aliena alienis seruire dijs. Vnd müß üch deß frömbden wäsens gnüg werden. Perinde ac si Germanus dicat, Cur Deus inducit super nos Hispanos & Turcas, imò & in Turciam nos & nostros adduci sinit? Respondeatur autem, Vestes & omnia vestra peregrina sunt, Hispanica, Turcica, Italica, Gallica, ideo Deus inducit istas gẽtes super vos, vt coherceant vestram petulantiam, luxum, superbiam, peregrinarumq; rerum nimiam appetentiam. Nõ potest placere vobis simplex & syncera fides Christiana, tradita ex purissimis euangelij fontibus, peregrinitatem & hic mauultis, ad Turcas ergo abite, vt etiam Mahumetismum, qualis sit, videatis; Vnd üch der nüwerung vnd frömbde gnüg werde. Intelligis ergo ex contemptu verbi Dei malum omne oriri, desertionem Dei, cultum Dei peregrinum, idololatriam, facinora indignissima Christianis, & deinde etiam famem, bella & excidia atrocissima consequi. Dominus Deus noster liberet nos ab omni malo, & det nobis vt ipsum syncerè timeamus, Amen.

Iterum accusat Iudæos grauißimorum scelerũ, suadens ipsis timorem Dei, vel pœnitentiam.

CONCIO XX.

Annunciate hoc in domo Iacob, & prædicate in Iuda, dicentes, Audite nunc istud populе stulte, & qui non habes cor: quibus oculi sunt, sed non vident: aures habent, sed non audiunt. An me non timebitis, dicit Dominus? An à facie mea non contremiscetis? Qui posui arenam terminum mari in statutum perpetuum, ne transeat eum: sæuiunt quidem fluctus eius, sed non prævalebunt, intumescent, sed non transibunt ipsum. At populus iste habet cor declinans & rebelle, declinarunt & abierunt. Non dixerunt in corde suo, Metuamus nunc Dominum Deum nostrum, qui dat pluuiam matutinã & serotinam in tempore suo, iuramentis statutis messem seruat nobis. Iniquitates vestræ auerterunt ista, & peccata prohibuerunt bonum à vobis.

ITerum & veluti de nouo instruit prophetam Dominus, & iubet ipsum prædicare populo Iuda, eiq; opprobrare scelera grãdia, si fortè adhuc resipiscat & Deum timeat, ne pereat. Obseruemus ergo in primis Dei mandatum iubentis annunciare vel prædicare hoc, nimirum quod præcesserit de sumendo supplicio à sceleratis ac impœnitentibus, maximè autem hoc, quod mox sequitur, Audite quæso hoc populе stulte & excors, &c. Est quidem personale, quod dici sõlet, & singulare mandatum Dei, ad Ieremiam pertinens: cæterùm si consideremus Deum omnibus seculis hoc ipsum mandatum repetiuisse, & alios atq; alios misisse, quibus mandauit hoc ipsum prædicare, quod Ieremiæ in præsentiarũ præscribit, consequens est, Deum velle, vt hæc prædicatio singulis ętatibus hominibusq; & hominum ordinibus annuncietur. Nam vt nihil dicam de testimonijs Isaiæ 58. Ezech. 3. & 33. alijsq;, manifestum est certè Christum Dominum apostolos instituisse, & misisse prędicatum pœnitentiam & peccatorum remissionem: apostolos autem singulis ecclesijs præfecisse episcopos vel pastores aut presbyteros, quibus eandem prædicationem commiserunt etiam ad posteros in finem vsq; seculi propagandam. Vnde iam concludimus, Deum bene velle hominibus, vtpote quorum salutem promouet tam diligenter per annunciationem verbi salutis. Neq; inutilis & superuacanea est huiusmodi annunciatio. Clamant

Deus vult omnino omnibus & semper annunciari verbum suum.

multi Deum & ſalutem noſtram non alligatam eſſe noſtræ prædicationi aut oratione, aut adminiſtrationi ſacramentorum: ſed ſaluare ipſum quos velit, ſaluareq; poſſe etiam citra preces, prædicationē, & ſacramenta. Atqui non negamus Dei voluntatem eſſe liberam ac minimè vllis alligatam rebus externis, adeoq; poſſe ipſum quod vult. Cum autem non fruſtra inſtituerit miniſterium verbi & ſacramentorum, & his, veluti mediis, velit operari ſalutem noſtram, non video quo prætextu liberæ Dei voluntatis, iſta Dei ſalutaria inſtituta reiiciamus, prætereamus & conculcemus. Notiſsima ſunt piis omnibus quæ Petrus & Philippus egerint cum Cornelio & Æthiope in Actis: & quod apoſtolus Paulus dixit fidem eſſe ex auditu, auditum ex verbo Chriſti. Audiamus ergo verbū Chriſti, precemur Deum, vt fidem nobis conferat, augeat atq; confirmet, & vſurpemus Sacramenta, ſicut inſtituit Dominus. Salus enim noſtra cōſtat mera Dei gratia ac fide in Chriſtum, fides docetur & plantatur prædicatione verbi, petitur precibus, obſignatur & reparatur Sacramentis: quemadmodum alibi copioſius eſt expoſitum. Potuiſſet ſanè Deus abſoluta ſua potentia Iudæos conuertere, nunc verò mandat Ieremiæ, vt ſedulò ipſis verbum Dei annunciet, per quod inſtructi ad Deum conuertantur.

Dominus ſuppeditat prophetæ quid annunciet.

Et nunc quidem quid annunciet ſufficit, & verba atq; materiam dicendi veluti in os prophetæ pon. Dic, inquit, ad eos, Audite nunc (vel quæſo) iſtud populo ſtulte, &c. Iubet Deus prophetam increpare populi cęcitatem, ſurditatem, ſtultitiam, duriciem vel obſtinatiam inuincibilem, inobedientiam rebellem, ac pudendam prorſus ingratitudinem.

Licet ſtultum nominare ſtultum.

Vitium autem non eſt ſi pater, aut magiſtratus, aut propheta, aut amicus ſyncerus, ſtultum, reuera ſtultum appellitet. Si quis odio aut maleuolentia alterum appellitet fatuum aut ſtultum, nocendi ſtudio, peccat contra Domini legem commemoratam Matth. 5. Pater autem & propheta ex beneuolentia, ex officio, mandato item zeloq; Dei, appellat inſipientem ſtultum. Sic enim ſæpe legis in ſcriptura, adeoq; ipſum Dominum Lucæ 24. ſuos diſcipulos, & Paulum ſuos Galatas vocaſſe ſtultos. Reuera ergo epiſcopi & magiſtratus ſunt fatui, qui vocatis concionatoribus mandant, ne quem nuncupent in ſuis concionibus impium, maleuolum, &c. Extant contra iſta mandata, Dei præcepta, Dei & ſanctorum exempla. Nemo pateretur ſibi huiuſmodi legem in ſua domo imponi, ne increparet durius liberos & familiam, & ſuaues illi homines, huiuſmodi legem ferunt patribus in domo Domini Dei noſtri?

Quare Iudæi ſtulti, & quæ vera ſit ſapientia?

Porrò ſtultos appellat, non ea quæ Dei ſunt ſapientes. Nam alibi diximus ex Deute. 4. Ierem. 8. Lucæ 24. 2. Timoth. 3. ſummam eſſe ſtultitiam verbum Dei reiicere, ſe non accommodare verbo Dei: è contra ſummam eſſe ſapientiam reuereri verbum Domini, & omnia inſtituere ad voluntatem Dei. Iudæi autem ſuum arbitrium, non Dei regulam ſequebantur, vnde ſtulti erant. Præterea non obſeruabant opera Domini ac iudicia. Sequitur ergo, Et qui non habes cor, qui būs oculi ſunt, &c. Erat quidem ipſis cor, intellectus vtiq; & voluntas, ſed corrupta & quam ſanari à Deo per verbum & opera non ſuſtinebant. Deus enim varia ſua iudicia & opera obiiciebat oculis ipſorum: auribus quoq; ingerebat multiplicibus prophetarum ſermonibus verbum & voluntatem ſuam vt ſanaret eos: ac videbant, audiebant, & intelligebant iſta omnia miſeri, agnoſcentes illa eſſe ſalutaria recipientibus, ſed vitiis nimium immerſi, meliora, quod dici ſolet, cernebant, deteriora ſequebantur. Proinde ſtulti, inobedientes, ingrati Deo, & cæci ac ſurdi erant. Sicuti & nos hodie quoque ſumus, qui videmus quàm multi ex ingurgitatione vini, ex luxu veſtium, ex fornicatione, incidant in mercenariam militiam & pereant: audimus item quàm ſeuerè puniat Deus idolatras,

lolatras, & alienorum Deorum cultores, nihilominus in peccatis & iniquitatibus noſtris pergimus, ſcientesq; & volẽtes perimus. Diſcamus ergo ex hoc prophetæ loco, nos non liberandos malis, ſi videamus opera aut iudicia Dei, audiamusq; minas & promiſſa Dei, niſi eadem fide recipiamus & omnia vitæ noſtræ adilla componamus.

Significantius porrò declarat quomodo ſint ſtulti, cæci & ſurdi, rationem reddens cur ſic appellarit ipſos, & quomodo inobedientes, ingrati & obſtinati ſint explicans. Exponit enim ingentia Dei beneficia duo, quæ oculis eorum obiecerit, & quæ benignè ipſis impartiatur, ipſi verò nec obſeruent, nec magni faciant, nec gratos ſe Deo exhibeant. Simul enim exponendo hæc beneficia, ipſorum amplificat peccata & malitiam. Moſes in primo capite libri primi oſtendit naturam aquarum eſſe circumfuſam, vndiquaq; terram obtegere: Deum autem ſingulari quodam beneficio, iuſſiſſe aquas retrocedere in altum, vt terra emineret appellauiſſeq; aquarum molem maria, aridam verò vel aream aquis ſic cam, terram: terminum quoq; vel limitem mari poſuiſſe, ne tranſiret vnquam, terra verò habitationi hominum ſemper idonea emineret, hominem ſuſtineret & aleret. Eadem de re ipſe Dominus apud Iob cap. 38. diſſerens, Quis, inquit, cõcluſit mare valuis cum erupit vt egrederetur ex vtero? Circundedi illud terminis meis & poſui vectem & oſtia. Et dixi, Huc vſq; venies, & non progredieris vlterius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Ieremias certè ad eundem modum, elegantiſſimè dicit Deum poſuiſſe mari terminum vel limitem arenã, idq; perpetuo decreto, nimirum quòd intra hos veluti limites perpetuò conſiſtat, aut conſiſtere debeat. Vnde & Lutherus vertit. Darinn es allwäg blyben můß. Præterea ſequitur mox, Ne tranſeat eum. Decretum ergo Dei eſt, ne marini fluctus littus arenæ rumpant & tranſeant. Adijcitur, Sæuiunt quidem fluctus, intumeſcunt, & in littus ita impelluntur, vt videantur proxima quæque loca ſubuerſura: ſed licet hæc accliuia ſint & plana, nihil poſſunt procellæ, Dei virtute eas conſtringente, ne termino diſrupto effundantur in terram. Relucet in hoc Dei opere & beneficio mirabilis Dei virtus. Sed & Ieremiæ verba elegantem nobis exhibent antitheſim, qua Dei potentia prædicatur. Commemorat enim arenam, & inducit in hanc irruentes fluctus intumeſcentes & ſæuientes. Quid verò fragilius arena diſſoluta, & minimè cohęrente, minuta admodum & inſtar pulueris diffluente? Rurſus quid impetuoſius eſt procellis ac fluctibus? hi tamẽ arenam, Deo ſic mandante, non tranſeunt, ſed continentur veluti in ſemetipſis. Verum quidem eſt, mare non rarò ruptis aggeribus ſe effundere effudiſſeq; in continentem, & vaſtaſſe vaſtareq; agros, pagos & vrbes. Verùm ea ſunt iudicia Dei, commune Dei decretum nihil conturbantia. Mirificè autem his nobis commendatur Dei potentia & beneuolentia erga homines. Alibi quoq; hæc Dei admiranda virtus prædicatur cũ dicitur, Verbo Domini cœli facti ac firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum. Congregat aquas maris vt cumulũ, reponit in penetralia abyſſos. Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Pſal. 33. & iterum 104. Terram fundaſti ſuper baſes vel ſtabilitatem ſuam, vt ſempiternis temporibus non commoueatur. Abyſſum quoq; occultauit quaſi veſtimento, vt ſupra montes ſtent aquæ. Terminum his poſuiſti quẽ non transgredientur, neque redibunt iterum ad operiendam terram. Id ipſum repetitur & in Pſal. 148. Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mãdauit & creata ſunt. Eaq; ſtabiliuit, vt æternùm perſtent, ac legem præſcripſit quam transgredi nequeunt. Et hæc quidem vt ſimpliciora, ita longè certiora ſunt, quàm quæ comminiſcuntur ſtulti philoſophi.

Arena mari põ ſitus eſt terminus.

Applicat eutem Ieremias hoc ingens Dei opus ſuo inſtituto per interroga-

Amplificatur peccatum Iudæ

tionem & dicit, An non timebis tibi ab hoc Deo tuo? an non contremisces, visa & audita tanta Dei tui potentia? an non suffunderis rubore, cum audis fluctus marinos terminum à Deo præfixum non transire, sed sponte obedire Deo? En barbarum, immane, surdum, sine sensu & ratione elementum, consistit intra terminos sibi à Deo circunductos, & quidem fragiles: & tu, ô homo, ratione & sensu præditus, contineri non potes limitibus legis diuinæ firmissimis? Sic amplificatur Iudæorum peccatum, ac sequitur quod absoluat sensum. At populus iste habet cor declinans & rebelle, declinarunt & abierunt. Quasi dicat, Sic quidem mare impetuosum compesci potest, homo compesci non potest. Cor declinans, est voluntas se auertens à Deo per incredulitatem, quam mox sequitur rebellio. Mare recolligit se, & non effunditur vltra terminos, Iudæi verò declinarunt & abierunt vel effusi sunt in suas cupiditates, furentes & iam peruagantur per omnia scelerum & flagitiorum genera, nihil moderati habentes. Ista autem nobis quoq; nostroq; sæculo applicanda sunt, in quo videmus & ipsi omnes creaturas suo creatori obedire, solos autem nos ruptis omnibus legum repagulis, prolibidine & furore nostro insanire, eaq; facere quæ fœda sunt & abominanda, atq; à Deo nostro prohibita.

Pergit alterum Dei beneficium ingens commemorare, simul autem & peccatum ingratitudinis obstinationisq; cæcitatis & surditatis populo suo opprobrare. Beneficium Dei ingens & magna virtus eius est, quòd dat nobis imbrem vel pluuiam matutinam & serotinam. Nos dicimus, Frü vnd spaat. Sed ipse locutionis genus exponit, & subdit, In tempore suo: pro quo nos dicimus, Zů rechter zyt / vnd wenn es not ist. Intelligit autem Deum, quouis tempore, commodam dare hominibus tempestatem. Si quis velit habere huius loci commentarium, legat Deuter. cap. 11. & obseruet eo loco nihil tribui astrologicis influentijs, Marti, Mercurio, & Saturno, reliquijs ex Gentilismo, sed soli Deo vendicari omnia. Quanquam interim non negemus illum vti medijs, superstitiosa interim toto corde abominamur. Et cum sequitur, Iuramentis statutis messem seruat nobis. Alij eum locum reddiderunt, Hebdomadas statutas pro messe custodit nobis. Vetus interpres vertit, Plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Sensus facilis est, Deum quod promisit præstare, & statuto tempore dare nobis messem & prouentum terræ vberem. Alijs quidem videtur alluſum ad Gen. 8. cap. vbi promittit Deus generi humano, se terram non amplius diluuio perditurum, sed daturum temporum vices, sementem & messem, &c. Alij per hebdomadas statutorum messis, intelligunt tempus messi congruum: vel vt sit sensus, qui dat aliquot hebdomadas messi faciendæ. Alijs videtur alluſum ad hebdomadas quæ numerantur à pascha. Leuit. 23. S. Hieronymus vertit, quod & in Commentarijs exposuit, Metuamus eum qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam. Per quæ omnia ostendit bonam plenitudinem annuæ messis. Adijcies, In Hebræo scriptum est שבעות quod pro ambiguitate verbi & septimanas significat & plenitudinem. Lutherus vertit, Vnd vns die ernde trüwlich vnnd järlich behüt. Iam verò illud maximè in populo vituperandum erat, quòd tam benefico Deo ingrati, benefactorem neq; metuebant neq; amabant. Id exprimit, cum dicit, Non dixerunt in corde suo, Timebimus saltem Dominum Deum nostrum. Et quantò maius est Dei beneficium, tantò magis increscit ingratitudinis Iudæorum scelus. Nos quoque hisce nostris temporibus non probè agnoscimus Deum suppeditantem panem, vinum, & omnia nobis necessaria: quinimò abutimur eximijs Dei donis ad nostram auaritiam & ad luxum: non timemus Deum, non agimus gratias pro beneficijs, non seruimus Domino munificentissimo. Id quod res ipsa clamat.

Dominus dat pluuiam cõmodo tempore.

Messis conceditur à Domino.

Erant

Erant autem responsatores quidam, qui dicerent, Splendidè quidem differit propheta de Dei erga nos bonitate. Interim verò sentimus malignè respondere terram laboribus nostris. Fallit messis, atterimurq; calamitatibus variis. Præoccupat ergo, & ait, Si benedictionem Domini largam non experimini, iniquitates vestræ illam auertunt à vobis. Culpa itaque mali huius non residet in Deo, qui iuxta promissionem suam vel nolit vel non possit præstare quod promisit, sed in vobis hæret. Peccata enim vestra bonum auertunt à vobis, malum inducunt. Nam in lege sua dixit Dominus, Si non audieritis verbum meum, efficiam cœlum ipsum æneum, & terram ferream. Vos autem verba Dei non auditis, ex inobedientia ergo est varia illa vestra calamitas. Cyprianus contra Demetrianū & August. de Ciuitate Dei copiose hoc argumentum tractant, calamitates ori ri non ex euangelio, sed ex idololatria & peccatis. Deo sit gloria.

Si tellus laboribus non respõdet, peccata nostra sunt in culpa.

Taxat diuites negotiatores in populo, iudices quoque, prophetas & sacerdotes, denique populum ipsum accusat maximorum scelerum.

CONCIO XXI.

In populo enim meo impij inueniuntur, qui insidiantur, vt is qui ponit laqueos, struunt perditiones, quibus homines capiant. Sicut cors plena auibus, ita sunt domus eorum plenæ dolo. Sic autem illi magni fiunt & ditescunt, impinguati sunt & nituerunt, excedentes etiam facta pessimi (cuiusq;) ius non dicũt, nec pupilli causſam, nec pauperum iudicium expediunt, interim prosperè agunt. An super his non visitarem, ait Dominus, aut de gente huic simili non sumeret supplicium anima mea? Stupenda & horrenda vel fœda fiunt in terra. Prophetæ prædicant mendacia: & sacerdotes accipiunt in manus suas: & populus quidem meus ita vult. Quid autem fies tandem?

PErgit consequenter propheta exponere populo, quæ iussus fuerat prolo qui à Domino, adeoq; causſas reddere malorum, non ex Dei morositate, sed propria culpa populiq; corruptione deriuari. Accusat ergo nunc quoque populum Iudaicum extremæ conscelerationis. Demonstrat autem per gradus & ordines, in populo nihil vsquam esse synceri & integri. Recenset enim scelera diuitum negotiatorum, Iudicum iniquorum, Prophetarum & Sacerdotum, denique ipsius populi. Hæc autem omnia huc tendunt, vt agnoscentes vitia illa & flagitia, pœniteant & viuant, non pereant.

Argumentum huius loci.

1. Taxat initio diuites in populo negotiatores. Peccatum non est diuitem esse. Plures enim sancti vtriusq; Testamenti fuerunt diuites citra vitium, viuentes secundum regulam apostolicam, traditam in 1. ad Timoth. 6. cap. Ita peccatum nõ est negotiari, modò alteri feceris quod tibi ipsi velis fieri. Ieremias ergo significanter hos quos accusat mox ab initio nuncupat impios. Impietas enim inficit opes, & corrumpit negotiationes. Impius enim Deum non curat, imò cõtemnit, & audita lege eius, Non furtum facies, Nolite diligere diuitias, cogitat in corde suo, imò nõ rarò proloquitur, eos serò ad opes peruenire, qui voluerint ad præscriptum diuinæ legis viuere: præterito ergo Deo & neglecta lege eius, opibus congerendis sedulò esse studendum. Inde iam oriuntur insidiæ & doli contra proximos ad congerendas opes instructi. Non enim syncerè agunt impij cum hominibus, sed omnia corrumpunt artibus prauis, mẽdacijs, dolo, fraude, furto, vsura, rapina & imposturis multiplicibus. Ieremias ergo comparat huius

Diuites.

Negotiatores.

Auari negotiatores aucupes.

modi auaros homines aucupibus & venatoribus. Debuerant quidem diuites esse pauperum refugia, iam ex auaritia fiunt pauperum tortores, aucupes & venatores. Sicut enim auceps callidè componit laqueos vel retia: vt cortes plenas auibus habet, quibus alias attrahit & decipit (Kefinen voller lockvögle) adeoq; capit & mactat: Ita mercatores & auari homines habent suas artes, quibus simpliciores circumscribunt. Instructi sunt rebus ad decipiendum appositis: Könnend jr ding wol zů merckt rüsten vnd rümen: quibus nouo vtique aucupio capiunt homines. Domus eorum, inquit, plenæ sunt dolo. Nam ministri, ancillæ, tota denique eorum familia, exercitata est in vsuris, mendacijs & imposturis, vt facilè imponant cuilibet. Quemadmodum item venatores struunt perditiones, id est, instrumenta perdendi, cuius generis sunt laquei, retia, decipulæ, foueæ, & huius formæ alia, quibus capiunt & mactant feras: ita auari negotiatores, & homines iniqui atque rapaces, habent suas rationes lucrandi ac perdendi eos quibus cum agunt. Nihil sanè opus est prolixo commentario ijs qui obseruarint quæ hodie fiunt ab auaris non modò negotiatoribus, sed opificibus quoque & rusticis.

Abusus opum.

Quis autem finis illarum opum? Num subuentio pauperum? beneficentia in omnes? liberalisq; domus propriæ sustentatio? Minimè gentium. Nam malè quæsitum, pessimè disperditur. Cui ergo rei seruiunt opes, vsuris, bellis, rapinis & artibus pessimis paratæ? Seruiunt magnitudini, superbiæ inquam, pompæ, luxui, vestium splendori & ædificiorum, gulæ & libidini. Videas mercatores, milites, & vsurarios quosdam splendidius vestitos principibus. Videas mensas regales exhiberi ab ijsdem. Nihil nunc dicam de Conuiuijs luxuriosis, & prorsus diabolicis. Hoc autem intelligit propheta cum dicit. Sic autem illi magni fiunt & ditescunt, impinguati sunt & nituerunt, Sind feißt vnnd glat worden bene videlicet curata cuticula. Quibus adiungit, Excedentes etiam facta pessimi, nimirum cuiusque. Pessima visa est maioribus nostris harum regionum nobilitas, quo nomine cæsa est. Si autem ei conferas nobilitatem iam nostram fictitiam, & ex vsurarijs & militibus factos generosos, dices veterem nobilitatẽ fuisse innocentissimam. Conferunt huc nonnihil quæ leguntur in Psalmo 17. Orat enim Dauid, A facie impiorum sub vmbra alarum tuarum absconde me. Adipe suo clauduntur, atque ore suo loquuntur cum superbia. Gressum nostrum obseruantes, circundederunt nos, oculos suos ponunt, vt deijciant nos in terram, &c.

Corruptus magistratus & vitia eius.

2. Descendit iam ad secundum gradum vel ordinem in populo. Debuerat hæc auaritia, libido, luxuria & insania opulentorum coherceri à magistratu. Ideò enim Dij & appellantur & instituti sunt, vt malos & nocentes homines coherceant, bonos & innoxios tueantur. Cæterùm dicit Ieremias, & in hoc ordine nihil amplius esse integrum. Nam in genere dicit, Ius non dicunt. Pro quo nos dicimus, Man halt weder gricht noch rächt. Deinde speciatim & per expositionem subdit, Nec pupilli causam iuuant, neque iudicium pauperum iudicant. Sy fürderend das weyßle nit/richtend vnd hälffend dem armen nit. Quid ergo? Negliguntur viduæ & pupilli: pauper, quod dicitur, vbiq; iacet. Omnia geruntur pro arbitrio & ex libidine præpotentum, qui respiciunt in iudicio personas, accipiunt munera, neque arbitrantur ad se pertinere honestatis patrocinium, impuritatis & intemperantiæ frænum, perrumpunt ergo & opprimunt inopes, quos seruatos oportuerat, omnemq; negligunt iustitiam, honestatem ac disciplinam. Equidem fuerunt populo isti sub Iosia prætoria, & iudices & iudicia, verùm corrupta illa omnia. Vtinam verò pluribus hæc nobis enucleanda forent, & non vndique ex tota Europa innumera se exempla ingererent oculis nostris. Ap-

stris. Appendit autem propheta, Interim prosperè agunt. Id quod facit ad grauitatem & incrementum condemnationis ipsorum. Dum enim iura corrumpunt & omnia faciunt pro libidine, interim tamen diuites sunt & magnifici, quibus omnes res prosperè succedunt, arbitrantur se versari in felici, non infelici genere vitæ. Obsurdescunt ergo & indurantur in peccatis, nec tantillum cogitant de pœnitentia, sed dicunt potius, Nisi vita nostra Deo placeret, non ad hunc modũ benediceret nobis. Cæterùm eueniet his tandẽ quod diuiti Epuloni in euãgelio. Hodie multis imponit hæc auarorum iniquorum & luxu perditorũ hominũ felicitas. Et huc pertinet potissimùm Psalmus 73. *Prosperitas impiorum.*

His annectit iam versum intercalarem, quo asseuerat Deus se animaduersurum in peccatores, imò in quoslibet cuiuslibet temporis præuaricatores, ad eundem modum peccantes, quo peccarunt illi. Sed de hoc versu dixi abunde Concione 18.

Priusquam verò tertium ordinem exagitet, præfatiunculam præmittit, Stupenda & horrenda vel turpia fiunt in terra, Schützliche vnnd grewliche/oder wüste schnöde ding beschähend im land. Id est, ea quæ commemoraui stupenda & pudenda, fiunt in Iudæa: ac oportebat prophetas & sacerdotes cogitare de medela, quod cum non faciunt, est hoc sanè omnium fœdissimum, deterrimum & maximè abominandum. Prophetæ enim debuerant accusare hanc corruptelam: sacerdotes suam quoq; operam conferre. Sed quid fiebat? Prophetæ prædicabant mendacia, & Sacerdotes accipiebant in manus suas. Ex ordine enim Leuitico alij erant ianitores, alij iudices, alij doctores vel prophetæ, alij sacerdotes per vices distributi, vt claret ex Chronicis sacris, quæ appellant Paralipomena. Præcipui in his erant prophetæ, quorum munus erat docere legem, interpretari & vrgere, scelera & sceleratos persequi verbo, obiurgare, accusare, hortari, pusillanimesq; consolari, &c. Sacerdotum officium erat consilio & auxilio iuuare prophetas, religionem & innocentiam seruare incorruptam, deinde & sacra administrare. Sic enim pulcherrimo, necessario & saluberrimo ordine Dominus populo consuluerat. Nunc verò nemo prophetarum aut sacerdotũ, inquit Ieremias, facit suum officium. Prophetæ enim conscelerationem publicam non accusant, iram Dei & supplicia grauia conscelerationi debita, non annunciant aut minantur, pœnitentiam non vrgent, quinimò pro veritate scripturarum, fabulas concionantur, iubentes pro peccatis grandia & crebra offerre sacrificia, his placari Deum, qui alioqui facillimus sit ad condonandũ. Sacerdotibus perplacebat talis prædicatio, & accipiebant in manus, id est aptabãt se ei prædicationi, aram instruendo, & sacrificia accipiendo, mactando, expiando. Germanicè dicimus, Vnd sy namends an die hand. Alij verterunt, Accipiunt (munus) in manus. Alij verò interpretati sunt, Sacerdotes verò applaudunt illis manibus suis. Ita etiam vetus interpres vertit. Lutherus exposuit, Vnd die priester herrschend in jrem ampt. In Papistica ecclesia vidimus paria prorsus. Nam concionatores annuntiauerunt Indulgentias, cultum & inuocationem diuorum, suaserunt suscipere peregrinationes religionis ergò, enarrarunt miracula innumera, & fabulas stupendas. Quibus omnibus appositè applicarunt sese sacerdotes, instruentes aras, & expedientes merces illas suas, audiendo confessiones, absoluẽdo, satisfactiones iniungendo, missificando, cantãdo, & alias eius generis superstitiones exercendo. *Stupenda & horrenda fiũt in terra.* *Prophetæ & Sacerdotes.*

Quid verò ad hæc populus? An abominatur nugas putidas, & fabulas mendaciaq; palpabilia? An cum omnia videt instituta esse ad quæstum, refugit istorum impostorum sacra prophana? Minimè gentium. Ieremias enim, Et populus quidem meus, inquit, sic voluit. Vel, Populo meo placent ista. Mein volck wils *Populus delectatur mendacijs.*

alſo haben Oder/Min volck hats gern alſo. Adeò non abhorret ab his, vt pōtius placeant iſta, & ita ſe velit ac cupiat tractari. Semper enim hoc verum eſſe oportet, Mundus vult decipi: ergo magis tenebras diligit quàm lucem. Ac reuera completur hodie quod S. Paulus complendum dixit, fore vt homines in poſtremis temporibus ſanam doctrinam non ſuſtineant, ſed cum ſcabioſas habeāt aures, à veritate has auertant, & quærant ſibi doctores, qui aures ipſis fricent, & fabulas narrent. Si enim alicubi ſit ingenuus aliquis & ſyncerus veritatis præco, qui acrius inuehatur in idololatriam & vulgaria fœdaq; facinora, mox conclamant omnes, Hic concionator bilioſus, moroſus, imò ſeditioſus eſt, hunc nolumus, detur nobis alius, qui pacis ſit ſtudioſus, qui blandus ſit, & benignè doceat, & morem in docendo receptū teneat, bonos item ſocios ferre benigniusq; tractare ſciat: quorſum enim pertinet iurgari & ſcelera palàm deferri aut prodi? moneatur quiſq; priuatim, publicè doceatur gratia Dei. Ergo ſi obueniat huic ſæculo blandus aliquis adulator, qui loquatur mundo placentia, vt Iſaias dicit in cap. 30. is laudatur ab omnibus. Quòd ſi vitæ ſit interim proſtitutæ, facilè hoc ei condonatur: ſi exigat & eccleſiaſticis vectigalibus, imò impoſturis omnes grauet, ſemper petat, & loculos euacuet omnium, non difficulter fertur, modò deciſpiendo loquatur placentia, modò vulgatam in religione & ritibus rationem teneat, nuſpiam ab illa diſcedat. Exemplis nihil eſt opus, cum quoquo te vertas, omnia huiuſmodi plena ſint exemplis. Quid ergo mirum ſi miſerè pereat populus, qui vel reclamante Deo, omnino vult perire, ac perditores ſuos diligit? &c.

Was wirt nahin druß.

Certè Ieremias ſubiicit, Quid verò tandem fiet? Vel, Quid verò poſt hæc facietis? Was wöllend jr nahin anfahen? Vel, Was wirt nahin noch druß? Oder/Wie ſol es iich zletſt darob ergon? Qua Apoſiopeſi ſignificatur, deploratiſſimum eſſe ſtatum ipſorum, adeò vt nihil expectari poſſit, quàm certiſſimum excidium. Nam & Germani cum admiratione & terrore grauiq; animi perturbatione in rebus deſperatis dicimus, Was wirt aber ouch noch daruß? Id quod certè omnes pij hodie dicūt & dicēdo ingemināt. Dominus liberet nos à malo.

Poſt peccata commemorat iterum pœnas, deſcribens obſidionem vrbis, attingens cauſſas mali, & ſuadens adhuc pœnitentiam.

CAPVT VI.

CONCIO XXII.

COngregamini filij Beniamin è medio Hieruſalem, & in Thekoa clangite tuba, & ſuper Bethhakerem leuate ſignum: quoniam malum proſpexit ab Aquilone & contritio magna. Speciosæ & delicatæ ſimilem facio filiã Zion: venient ad eam paſtores & greges eorum, figent ad eam tẽtoria ſua per circuitum, ſinguli paſcentes in loco ſuo. Sanctificate contra eam bellum, Surgite, aſcendamus in meridie, Hei quoniam declinat dies, & vmbræ veſpertinæ creſcunt. Surgite, nocte aſcendamus, & demoliamur palatia eius. Quoniam ſic dicit Dominus exercituum, Succidite ligna, & fundite aggerem contra Hieruſalem: eſt enim ciuitas hæc viſitationis: omnis enim violentia in ipſa eſt. Quemadmodum fons euomit aquas ſuas, ſic illa ebullit malitiam ſuam: rapina & oppreſſio auditur in ea, coràm facie mea iugiter ægritudo & cædes. Erudire (adhuc) Hieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne forte ponam te deſertam, & terram non habitatam.

POST

POST commemorata flagitia iterum pœnam sceleribus debitam subiungit. Describit enim vrbis Hierosolymorum obsidionem & excidium miserabile, idq; copiosissimè & elegantissimè per Hypotyposim, ita vt omnia coràm cernere videaris. Aspergit interim, pro more suo, caussas excidij (in historijs enim caussæ præcipuè sunt spectandæ: vtpote sine quibus omnis historia cæca videtur:) scelera nimirum & nephanda flagitia: nec finem facet in quem illa omnia dicuntur, nimirum vt Hierusalem erudiatur, pœniteat & non pereat. Etenim Deus non delectatur miseria mortalium, neque vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Tale omnino schema hoc esse videtur, quale habemus apud Lucam in cap. 19. & 21. item apud Matthæum in cap. 23. 24. vbi saluator noster excidium vrbis prædicit, & caussas commemorat. Quæ quidem omnia nisi applicemus nobis nostrisq; moribus, sine fructu & dicuntur & leguntur. At S. Paulus commemorauit omnia in nostram scripta esse eruditionem. *Argumentum præsentis loci.*

Principiò autem alloquitur (pulcherrimo & maximè perspicuo ordine vtens) suos Beniamitas, qui cohærebant adhuc cum tribu Iuda, & iubet & ipsos & ciues Hierosolymitanos paratos esse hosti excipiendo, qui aduentet maximis cum copijs. Vbi turbas & tumultum describit, qui solet oboriri in populo aut in vrbe, quæ audit in vicinia esse hostem. Iubet itaque ciues Hierosolymitanos congregari, & prodire ex vrbe in campum, ad instruendas acies. Iubet in Thekoa clangere tuba, id est, signũ dare hostis aduentantis, & vt Iudæi accincti sint, ordinesq; instruant. Iubet in Bethhakerẽ oppidulo vel vico, vt ait Hieronymus, in monte posito (alij verterunt Domum vineæ) signum attollere, id est, face vel vexillo, vt in bellis fit, signum dare. Primum verò membrum, Congregamini filij Beniamin ex medio Hierusalem, alij verterunt, Cõfortamini: &, Fortes este: alij verò, Profugite, vt idem docuerit vates hic, quod docuit Saluator, cũ dixit, Qui in Iudæa sunt fugiant in montes. Vtrum sensum amplectaris, siue Congregamini, siue Profugite, non pugnabit sententia cum sequentibus. *Ciues iubentur se parare sustinendæ obsidioni.*

Rationem verò subiungit quare iubeat congregari vel conglobari ciues, aut etiam profugere, Quoniam malum prospexit ab Aquilone. Germanicè dicimus, Hat sich sehen lassen / oder herfür gelüget. Significat enim Babylonios à Septentrione mouere contra populum Dei, qui malum illaturi sint Iudæis. Sequitur enim per expositionem quid intelligat per Malum, Contritio magna, vel excidium ingens. Vno verbo comprehendit omnes calamitates futuras. Ex his autem discimus, ex abusu felicitatis & pacis consequi grauissimas turbas, expeditiones, rumores bellorum, trepidationes, fugas & calamitates interminabiles. Hæc cogitemus inquam dum in pace agimus, ne petulanter abutamur Dei donis. *Admonitio.*

Deinde sub parabola quadam hostem Babylonium veluti adducit ad vrbem, quam ceu obsidione cingit. Comparat enim Zion vel vrbem Hierosolymorum speciosæ & delicatæ, nimirum puellæ, vt exponit Hieronymus, ad quam amatores accedant. Finge ergo ex Bucolicis formosam aliquam Amaryllidem pascere alicubi gregem suum, ad hanc verò vndiquaq; ex regionibus cum suis gregibus accedere pastores, ac pascere hos in vicinis pascuis, quemlibet verò horum propius accedere, & anniti artibus viribusq; omnibus, vt adamata potiatur. Proinde formosa hæc puella ipsa est Hierosolymorum vrbs, diffluens luxu, libidinibus, adulterijs, stupris, & petulantia omnigena. Accedunt ad hanc infestis animis pastores cum suis gregibus, nimirum imperatores, duces vel capitanei cum suis exercitibus, capiendæ, diripiendæ, diruendæq; vrbis gratia. Singuli ergo circum vrbem figunt sua tentoria, singuli loco suo pascunt, id est, *Obsidetur Hierusalem.*

ſtationem ſuam ſeruant, & ſtrenuos ſe præbent in occupanda vrbe. Offert ſe præterea alius quoq; & propemodum expeditior ſenſus, ſi intelligamus per ſpecioſam & amœnam, non puellam quidem, ſed læta paſcua, quorum cupiditate capti paſtores ſinguli, vicina occupent loca, vt tandem irrumpant in amœna illa & cõcupita paſcua ac depaſcantur. Ita verò iterum notauit propheta luxum & opes vel inſtructiſsimas famigeratiſsimasq; facultates vrbis, quarum cupiditate milites illecti, ſtrenuè laborant in oppugnanda & expugnanda vrbe. Diſce hinc quid agas, & quàm ſtabilem tibi pares domum, cum congerendis intentus diuitijs, religionem pietatémue, iuſtitiamq; & miſericordiã nihili facis: vel dum malè partas opes peius prodigis.

Militum virtutes bellicæ.

Iam etiam fingit barbaras militum voces, & ad expugnandam vrbem adhortationes: quibus ſignificat audaces fore milites, impigros, feruentes ac laborioſos, & in militaribus virtutibus excellentiſsimos, qui ſemper expeditiſsimi nulla re facilè impediantur. Vnde etiam Iudæi colligant nullum ſibi effugium patere, neque vllam eis miſericordiam obuenturam. Clamant ergo duces & centuriones, Sanctificate contra eam bellum. Sanctificare, quod ſæpe iam diximus, *Sanctificare.* variè vſurpatur ab Hebræis. Significat ſe ſeparare à rebus alijs omnibus, & vnicæ alicui rei ſe impendere. Iubent ergo duces, vt milites omnibus alijs rebus omiſsis, bello duntaxat ſe conſecrent, & in hoc vnum incumbant, vt vrbem capiant. Adeò verò ſunt animoſi, vt non expectent crepuſculum aut tenebras obſeruent, ſed ipſo meridie irruere audeant. Et nunc quidem oppugnarunt vrbem tota die, ſed adeò non defatigantur aut fracti ſunt laboribus, vt vehementer doleant ſibi iam lucem defore, conquerantur item, ac dicant, Hei infelices nos, declinat dies, & vmbræ veſpertinæ creſcunt, **Hey daß der tag ſchon abnimpt vnd es anhebt finſter werden.** Ignaui contra nihil magis exoptant, quàm noctis & vmbrarum aduentum. S. Hieronymus hunc prophetæ locum verſibus Maronianis illuſtrauit, & adduxit hæc carmina,

Et iam ſumma procul villarum culmina fumant,
Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ.

Porrò cum cernunt egregij milites ſe excludi vmbris & tenebris nocturnis, quò minus cœptam proſequantur expugnationem, mutuum ſe hortantur, vt vel nocte intempeſta nihil territi aut impediti, alacriter pergant. Clamant itaque *Aedificia luxurioſa.* rurſus, Surgite: pro quo nos dicimus, **Woluf**/ noctu aſcendamus & demoliamur palatia eius. Hic videlicet finis erit palatiorum tuorum & ædium ampliſſimarum, quas extruxiſti non tantùm ad luxum, ſed inſuper ex ſudore pauperum, ex rapinis, furtis, cædibus, oppreſsioneq; pupillorum & viduarum. Et Dominus quidem iuſtus iudex dat militibus Turcarum & exterorum hoſtium vires perficiendi ea, quæ nos dum fiunt & audiuntur, mirari cogimur. Rari tamen cauſſas iſtarum rerum legitimè expendimus, ideoq; diſsipamur.

Deus immittit in nos hoſtes.

Et quidem inter militares cohortationes medium interponitur oraculum diuinum, quod & ipſum refert, quod ad expugnationes vrbium pertinet, denique ſignificanter nobis inculcat iſta dum fiunt fieri authore Deo, qui & iubeat, & vires, & ingenium militandiq; facultatem ſuppeditet. Quoniam ita dicit Dominus, & quidem exercituum, cui videlicet omnia in cœlo & in terra militant & obediunt, Succidite ligna (nos dicimus, **Fellend das holtz/ vnd ſchüttend ein wall/ oder machend ein katzen**) & fundite aggerem. Quibus verbis etiam innuit expugnationem fore diuturnam, & ideò calamitoſiorem. Certè hiſtoria teſtatur illam in triennium eſſe protractam.

Cauſſæ excidij graues.

Poſt iſta aſpergit mox propheta cauſſas excidij & malorum tantorum, Eſt enim hæc, inquit, ciuitas viſitationis, id eſt, digna quæ viſitetur, & quam omnino viſi-

nō visitari oportet. Hactenus quidem visitauit illam Dominus per prophetas, verbo suo, beneficijs & bonitate varia, sed diem visitationis non agnoscit, nec respiscit: proinde tempus adest, quo iam visitem eam iudicio & iustitia, submittamq; militem, qui loquatur cum ciuibus alia lingua, ignis videlicet & gladij, &c. Caussa, Omnis in ipsa malitia & violentia inualuit. Hieronymus Calumniam vertit, & per sycophantiam exposuit. Breuiter, Nulla fuit in vrbe iustitia, veritas & beneficentia, sed mera impostura & violentia. Dixit hoc sæpius iam per istam orationem. Cæterùm cum non intenderent ad ea quæ dicebantur animum, oportuit caussas repeti & diligenter inculcari. Sicuti hodie quoque hoc ipsum necessarium est apud illos qui aures habere nolunt. Consequenter verò per collationem ostendit nullum esse finem, nullum modum conscelerationis ipsorum. Sicut enim fons aliquis aut scatebra iuges profundit aquas vel euomit (id quod vehementius est:) sic ista vrbs suam subinde malitiam euomit aut ebullit. Etenim scelus scelere conduplicatur, & flagitium excipit flagitium, vt vix patratum sit vnum & alterum, quin succedant protinus noua plurima. Da mag ein boßheit der anderen nit entrünnen. Considera verò quid nunc fiat à vulgo per vrbes & agros. Etenim scelus scelere excipitur, & sanguis, vt scriptura habet, sanguinem tangit.

Certè per consequentia recitantur vulgaria & frequentia in vrbe, veluti externa erumpentia subinde facinora, nempe rapina & oppressio, vel iniquitas & vastitas. Hæc audiuntur, inquit, continuè. Sunt enim graues miserabilesq; afflictorum & oppressorum gemitus atque querelæ. Præterea, Coràm oculis meis, ait Dominus, obuersatur perpetuò absq; peccantium pudore ęgritudo & cędes, vel infirmitas & plaga: non tam quòd cæduntur innoxij, & ægritudine doloribusq; conficiuntur, quàm quòd debilitantur eorum facultates, & varijs malis confringuntur. Nil indigemus exemplis & historijs, quibus illa illustremus. Nā vulgò & in conspectu omnium, scelera coaceruantur sceleribus.

Postremò subiungit mirè efficacem & breuem adhortationem ad pœnitentiam, qui sanè finis est omnium eorum, quæ dicta sunt. Erudire, inquit, etiamnum ô Hierusalem. Vel saltem patere vt erudiaris. Recipe disciplinam. Laß dich nochmalen wysen vnd leeren. Quasi dicat, Obsequere adhuc sanctis meis monitis, deserendo vitam corruptam, viuendoq; in pietate, vera fide sanctimoniaq; vitæ. Et quò vehementius perpelleret, minas addit iterum, Ne fortè cogar alienari à te. Germanicè. Das ich nit etwan min hertz müsse von dir ziehen. Sequaturq; vastitas & desolatio. Ex ira enim Domini sequuntur excidia. Cæterùm anima alicuius ab aliquo recedere dicitur, idiotismo quodam linguæ sacræ, cum abalienatur animus, & pro amore succedit odium, neq; amplius vlla cura aut ratio illius habetur, à quo mentem subduximus. Id quod grauissimum tristissimumq; est, si inquam Deus summum illud bonum ex amicissimo nobis reddatur inimicissimus, auertatq; animum suum à nobis miseris. At non est quod expectemus aliud, nisi sustineamus erudiri ab ipso, suscipiamusq; castigationem, & reuereamur illum. Dominus clemēs & misericors largiatur nobis suum spiritum, per quem conuertamur seriò ad Deum. Amen.

Adhortatio ad pœnitentiam.

Commemorat propheta adhuc pœnas, & pœnarum causſas, ſcelera enormia.

CONCIO XXIII.

Sic dicit Dominus exercituum, Racemando racemabunt reliquias Izraelis, veluti vineam: reduc manum tuam ad sportas, instar vindemiatoris. Quem alloquar aut quem contestabor vt audiant? Ecce incircuncisa est auris eorum, & non possunt aduertere: ecce verbum Domini opprobrium illis est, non voluntatem habuerunt in eo. Indignatione ergo Domini repletus sum, defatigatus sum continendo: effunde super paruulos in platea, & super cœtum iuuenum pariter, vt etiam vir cum muliere capiatur, & senex cum pleno dierum. Et transferentur domus eorum ad alienos, sic agri pariter cum mulieribus: quoniam extendam manum meam super habitatores huius terræ, dicit Dominus. Quoniam à minimo eorum vsque ad maximum quisque auaritiæ & lucro inhiat: & à propheta vsque ad sacerdotem quilibet facit mendacium. Et ipsi quidem medicantur contritioni filiæ populi mei rebus leuiculis vel nihili, dicentes, Pax pax, cum non sit pax. Nunquid verò erubuerunt quòd abominationem fecerunt? Quin omnino nihil eos pudet, nec erubescere nouerunt. Propterea inter occumbentes cadent: in tempore quo visitauero eos corruent, dicit Dominus.

Izraelitæ inducendos in captiuitatem.

INducit propheta ipsum Dominum loquentem, quò plus authoritatis habeat doctrina ipsius. Dicit autem residuos à cladibus abducendos in captiuitatem. Hanc rem parabola exponit per comparationem. Sicut enim racemando vindemiatores summa diligentia racemos inquirunt, & in canistra sua recondunt: ita Babylonij summa diligentia eos, quos fames, pestis & gladius non absumpsit, indagabunt ad abducendos in captiuitatem. Vinea ergo vel vitis est populus Izraelis residuus: vindemiatores sunt Babylonij. Cartallum, sporta vel canistrum aut cupa, est captiuitas. Anadiplosi Hebraica, Racemando racemabunt, notat diligentiam in inquirendo ad captiuitatem. Racemationem nos appellamus nostra lingua, nachsůchen/oder nachlåsen. Præterea fingit ipsos vindemiatores mutuum sese adhortantes, dicentesq́, Reduc manum tuam ad sportas, id est, botrum vel racemum resectum festina in sportam reponere: pro quo nos dicimus, Far mit der hand der tauſen zů. Dicimus præterea, Laß die hånd dantzen: id est, Sis manu celer & strenuus. Rursus ergo significat in inquirendis & capiendis residuis, hostes futuros maximè sedulos ac strenuos. Ieremias in vlt. capite author est, residuos semel, iterum & tertiò abductos esse in Babylonem: numerum vel summam ipsorum captiuorum colligit 4600. Ad eundem modum si aliquando propter peccata nostra nos inuiserit Dominus, diligentissimos & sedulos maximè immittet in nos inquisitores, qui residuos deposcant ad vincula & ad morte acerbiorem captiuitatem.

Scelus omnium atrocißimum contumax rebellio contra verbum Dei.

Caussam mali tanti protinus subijcit, scelus inquam omnium maximum, contumacem contra verbum Dei rebellionem. Id quod variè & copiosè proponit siue exponit. Principiò enim per interrogationem subdit, Quem alloquar aut quẽ contestabor, vt audiant? Significans rarissimos adeoq́ nullos esse auditores verbi Dei spontaneos & obsequundãtes. Subiungit deinde, quod hoc ipsum illustret, Ecce auris eorum incircuncisa est, vt nõ possint audire vel animaduertere. Circuncisio symbolum erat purgationis & sanctificationis populi Izraelitici, nempe quòd Deus Izraelẽ purget solus ab omni immunditia, & quòd purificati sanctimoniæ debeant studere per omnẽ vitam, purificareq́ oculos, aures, os, manus atq́ pedes. Iam verò Ieremias suo populo obijcit, quòd non habeant purgatas aures: perinde ac si nos rebellibus Christianis obijciamus, ipsos aures & labra

Circuncisio.

habent

habere partum lota. Sequitur enim quod schema orationis explicet, Et non possunt aduertere. Est enim loquutio, qualis illa nobis in nostra lingua, Su magst das nit hören / cum significamus aliquem animo præditum esse tam obstinaci, vt cum possit intelligere, nolit. Non quòd sophisticum his asseramus liberum arbitrium, sed quòd genus orationis vel schema explicemus. Alioqui quod possumus bonum eligere ex Dei est immerita gratia: quod item bonum auersamur & audire nolumus, existit ex mera nostra corruptione & culpa. Coniungit his & aliud atrocius propemodum crimen, Ecce verbum Domini opprobrium illis est, non habent voluntatem in ipso, id est, non delectantur illo. Nos assequimur loquutionem Hebraicam, cum dicimus, Su hast kein willen zum wort. Ita etiam reddere possumus, Ecce verbum Domini opprobrium illis est, Sich das wort Gottes ist jnen ein schmaach: oder sy haltends für schmähen vnnd schänden. Etenim cum prophetæ obiurgarent ipsos & accusarent grandia ipsorum scelera, protinus clamabant accusati, Isti concionatores contumelijs nos afficiunt, neq; verbum Dei prædicant, sed suam bilem atq; adeò opprobrijs nos adoperiunt. Quid verò audias hodie à multis aliud? Dedit ecclesiæ verbi sui prædicationem Dominus, qua ostendat viam vitæ, qua medeatur moribus corruptis, qua denique accuset scelera ac sceleratos ad emendationem vitæ. Et qui fideles sunt animarum pastores, strenuè verbum Dei prædicant, scelera & sceleratos accusant, appellantes ista propriis suis vocabulis. Quid verò accusati & sceleratifaciunt? Beneficium hoc Dei minimè agnoscunt, quinimò consurgunt magna indignatione contra fidelem concionatorem, quem appellant bilioſum, morosum, blateronem, conuitiatorem. Addunt, verbum & concionem eius non esse verbum Dei, sed amaram & atram bilem, maledicendi petulantiam. Quantum verò hoc scelus sit, pauci ex illis vident: intelligunt autem omnes filij Dei, qui agnoscunt Deum nobis loqui per verbum suum & ministeriũ ecclesiæ. Sed illud reuera causſa omnium malorum est, quòd non delectantur verbo Dei, imò Vatiniano potius, quod dici solet, odio hoc persequuntur.

Verbum Domini est mundo opprobrium.

Proinde iterum cõmemorat pœnam, quam & miro orationis genere eloquitur. Nam dicit se ira diuina esse repletum, & continendo se esse defatigatũ. Quasi dicat, Hactenus quidem sustinui hanc causſam, defendi populum, deprecatus sum Dominum, hortatus sum populum, nihil non feci & tentaui, quod existimaui pertinere ad populi salutem: nunc autem cum hactenus me continuerim, vt nihil grauius in eos dixerim, sentiam interim diuinam efferuescere iram, adeò vt ipse quoq; illa repletus videar, quid aliud possum porrò, quàm in incurabiles irã Dei veluti effundere, id est, pronunciare contra ipsos sententiam quam vocant finalem? Deum videlicet iustum, iram suam effusurum in illos, neq; vlli posthac vel ætati vel sexui ordiniue parsurum: id est, Deum ex ira sua iusta excisurum vnà in vniuersum omnes. Germanicè diceremus, Jch bin nun gar entrüst / kan nit gůts me darzů reden / Jch bin můd deß läbens / vnd kan nit me innhalten / ich můß herußbrächen. Proinde figura orationis non docet pastorem vel deserere causſam populi, vel maledicere populo, sed denunciat iram populo incurabili: & ostendit bonos pastores grauiter affici rebellione populi contra verbum Dei. In ea denunciatione ostendit nullam ætatem, nullum sexum aut ordinem fore immunem. Enumerat ergo pueros, qui per ætatem illam adhuc in plateis ludunt. Enumerat iuuenes, qui per cœtus & turmas prodeambulãtes, & ipsi suis delectantur ludis. Enumerat viros & mulieres, quas dicit in captiuitatem esse trahendas vnà cum viris. Enumerat denique senes atq; adeò plenos dierum, id est, decrepitos, & quos tædium veluti tenet præsentis vitæ: quibus ferè parcitur ob ætatis reuerentiam. Verùm in præsenti, inquit, nulla vel senibus vel

Indignatio Dei contra contemptores verbi Dei.

Deus iusto iudicio punit pueros & senes.

pueris obueniet gratia. Neq; verò hæc mira & Deo indigna videri debent. Senes enim qui puerorum iuuenumq; veluti pędagogi & specula essent virtutum, iuuentutis sunt corruptores, vel indulgẽtia nimia, vel socordia, vel moribus putidis. Sed & pueri corruptissimi sunt. Didicerũt Deo & hominibus maledicere priusquam sciant orare. Nequitia eorum superat ætatẽ. Nullus est in eis pudor, nulla reuerentia erga magistratus, doctores, & prouectioris ætatis homines. Audent omnia. Dei verbum nimis cito & irrident & contemnunt cum omnibus verbi Dei ministris. Cæterùm multa domi discunt à suis parentibus blasphemis, impijs, maledicis & fœdis. Proinde cur videatur mirum si cum senibus pereant iuuenes? Neq; verò ab infantibus omnis culpa remoueri potest, adeò vt si pereãt & illi, nulla possit in Deum deriuari vel iniustitia vel iniuria. Quid quod tolluntur è medio, ne malitia corruptissimi huius seculi ipsos corrumpat & vita spoliet æterna? Nihil nocet infantibus, si temporaria ab ipsis tollatur vita, vt conferatur æterna: nisi fortè in te videatur iniurius, qui tibi laceram & fœtentem aufert vestem, vestit autem vellere præstantissimo.

Omnibus rebus charis exuendi.

Neque verò his contentus propheta, commemorat insuper enumeratione quapiam, omnibus ipsos rebus cùm fixis tũ mobilibus exuendos pariter & charissimis vxoribus spoliandos. Domus, inquit, eorum deuoluentur ad alienos, ipsi interim vel captiui abducentur, vel trucidabuntur. Ita agros ipsorum possidebit hostis atq; adeò facultates omnes. Rapientur vxores. Quæ quidem omnia in maledictionibus legis leguntur. Appendit his, Quoniam extendam manum meam super, &c. Est autem extendere manum, ad feriendum librare brachium, adeoq; diuina potẽtia peccatores percutere & atterere. De principibus dicitur, Longę regum manus: quantò verò rectius de Deo nostro dicimus, Manus Domini omnipotens & pertingens per orbem terrarum? vnde nemo ipsam effugere poterit. Timeamus ergo Deum & ambulemus in præceptis eius, magnificientes verbum eius, quod ad nos mittit, vt sanet & saluet nos.

Auaritia & lucri cupiditas.

Posthæc alias rursus malorum causas, id est, scelera magna enumerat, sed quæ ex neglectu vel contemptu verbi Dei enascuntur, & quæ in caussa sunt cur diripiantur ædes vnà cum omnibus facultatibus. Quoniam à minimo eorum, inquit, vsq; ad maximum, &c. Iterum distributione vtitur. Principiò enim quo morbo omnes corrupti sint, tam vulgares quàm proceres, exponit: deinde verò peculiariter inuehitur in antistites religionis. Dicit autem omnes cùm inferioris tum superioris ordinis homines, auaritiæ studere, & in rebus quidem omnibus lucro inhiare, neq; æquum neq; iustum spectare. Yederman/kleins vnnd grosses/ist gytig vnd zappig/wil alles rych werden. Inde verò sunt negotiationes vsurariæ, mendacia, furta, imposturæ, bella mercenaria, & innumera mala alia.

Antistites religionis sunt corruptores maximi.

Accedit his maius etiam malũ atq; flagitium. Nam qui dati sunt pro sale populo, ipsi sunt insulsissimi, & qui medici esse debuerant populi Dei, pestes & corruptores eius sunt. Veritate enim diuina curarent morbos, vt sani essent cultores Dei, in sano & legitimo cultu: illi verò mendacijs malitioſè omnes decipiunt. Vel enim torquent in alienum sensum verbũ Dei, vel verbo Dei præterito, suas cogitationes & figmenta humana prædicant. Id quod mox significantius explicat, & dicit, Contritionem vel plagam, vulnus, morbum, contusionem (den plåsten) filiæ (auget hoc sceleris magnitudinem, & Dei fidem erga suos notat vel prædicat) populi mei non curant ceu fideles medici rebus & medicaminibus legitimis & præstantibus, sed rebus leuiculis & nihili, & quod vulgò dicitur, spuato, aut aruina Simearum. Dum enim prædicare debuerant pœnitentiam & fidem, vitæq; innouationem, ad sacrificia inuitabant, & ceremonias tradebãt, obseruantiamq;

seruantiamq; constitutionum humanarum: atq; his promittebant reconciliationem cum Deo, pacem & incolumitatem. Id quod prophetæ & sacerdotes Anadiplosi illa Hebraica exprimebant clamando, Pax, pax: id est, Certissimum est vosin gratia esse Dei, & omnia vestra fore felicia, in tuto & incolumia. Nullum sentietis infortunium aut periculum, tranquilla sunt omnia. Nam hunc esse sensum huius geminationis Pax, pax, author est apostolus in 1. ad Thess. cap. 5. qui dicit, Cum dixerint pax & tuta omnia, tunc repentinus eis (hominibus inquam extremi sæculi proximè iudicium antecedentibus) imminet interitus. Ideò enim hic quoq; sequitur, Cum non sit pax: id est, cum Deus interim iratus sit vobis, discedat à vobis, & omnigenis adoperiat malis. Nam notissimum est Hebræos pacem vsurpare pro tranquillitate omnigena q; benedictione vel felicitate. Hodie cum omnia in ecclesia sint conuulsa, & scateãt erroribus, delirijs, defectionibus vel apostasia, idololatrijs, & facinoribus atrocissimis, prædicant tamen pacem Monachi & sacrifici misero popello, si videlicet redimat indulgentias, satisfactiones humanitus institutas magni faciat, diuorum auxilia imploret, passagia & ieiunia instituat, missas frequentet, cãtum & preces monasticorum redimat. At hocdemùm est mederi vulneribus ecclesiæ rebus leuiculis & nihili. Quin potius ostendendum erat istis rebus grauius adhuc offendi Deum. Illa enim non modò non curat aut recipit Deus, sed sedulò ne fierent prohibuit. Docenda fuerat vera fides, pietas & pœnitentia euangelica, morumq; mutatio, iustitia & iudicium, sicuti in 1. capite docuit Isaias, Ieremias in 7. Ezechiel in 14. & 18. Ioannes Baptista apud Matthæum in 3. cap. Ipse Dominus in euangelio secundum Marcum dicit, Omnis homo igne salietur, & omnis victima sale salietur. Bona res est sal: cæterùm si sal insulsus fuerit, per quid ipsum condietis? Habete in vobis ipsis salem, & pacem habete inter vos inuicem. Ergo sine sale non constabit vlla pax stabilis.

Pax, pax.

Rebus leuiculis mederi uolunt episcopi plagis quodammodo desperatis.

Marc. 8.

Adijcit præterea istis & aliud non leue scelus, indolentiam quandam & frõtem, vt alibi idem propheta dicit, meretriciam. Per interrogationem enim quò vehementius ardeat oratio, Cũ autem designarint, inquit, tam atrocia & horrenda scelera, an ea de caussa descendunt in semetipsos ac erubescunt? Mox autem subijcit per subiectionem, & addit responsionẽ. Quin omninò nihil eos pudet: & per amplificationem addit adhuc, Nec erubescere nouerunt. Etenim pollicẽtur sibi ipsis sese à Deo suis illis sua sponte conceptis cultibus mereri præmium ingens, non agnoscunt se peccare, ideoq; gloriantur in ijs de quibus debebant erubescere: quinimò erubescerent, si vnquam in animum veniret, quod propter facta sua erubescere deberent. Sy hettends für ein schand / wenn sy sich schämen söltend. At cum huc res recidit, vt iniquitas videatur esse iustitia, & ignominia honor, denicq; cum gloriamur in nostris ipsorũ sceleribus, bonumq; malũ appellamus & malum bonum, iam dati sumus in sensum reprobum, & actũ est de nobis penitus.

Indolentia & animus non põtes erubescere

Ergo iterum infert pœnam propheta, & ait, Propterea cadent cum cadentibus: vel cadent inter occumbentes. Lutherus vertit, Darum̃ müssend sy fallen über einen huffen. Sensus est, Erunt in numero eorum qui concidunt & pereunt. Sed dicat aliquis, Quando verò hoc fiet? Præoccupat & dicit, Corruent in tempore, quo eos visitauero. Et quò plus fidei inueniret oratio, iterum appendit, Dicit Dominus. Dominus ergo certum sibi præfixit tempus, quo inuisat sceleratos: nisi ergo vitam mutauerint in melius, non est quod polliceantur sibi vllam clementiã. Certò enim eo tempore, quod solus ipse nouit Dominus, ad vindicandum veniet, neq; effugiet quisquam manum eius. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Cadent inter cadentes.

Consilium dat quomodo possint imminens effugere malum: rebellibus extrema quæque minatur, à quibus sacrificia liberare non possint.

CONCIO XXIIII.

Sic dicit Dominus, State super vias & videte atque interrogate semitas antiquas, & quænam via illa bona sit, in ea ambulate, & inuenietis requiem animabus vestris. Et dixerunt, Non ibimus: & constitui super vos speculatores. Attendite saltem ad vocem tubæ. Et dixerunt, Non attendemus. Iccirco audite gentes, & cognosce congregatio quæ in eis (es.) Audi terra: ecce ego adduco malum super populum istum, fructum scilicet cogitationum ipsorum, eò quod ad verba mea attendere noluerunt, & legem meam reprobauerunt. Ad quid veniet mihi thus de Saba, & calamus electus de terra longinqua? Holocausta vestra non placent mihi, neq; sacrificia vestra mihi sunt suauia. Propterea sic dicit Dominus, Ecce pono populo huic offendicula vt corruant in eis, patres vnà cum liberis, & vicini cum proximis peribunt.

Consilium salubre pro periclitantibus.

RVrsus post commemorata vel intentata tot ac tanta mala, benignus Dominus salubre sufficit consilium perituris alioqui, quo modo videlicet se gerant, vt mala effugiant tanta: qui sanè præcipuus est scopus & finis omnis prophetiæ. Crediderim autem hoc consilium hic inseri propter eos maximè, qui simplicitatem simulantes clamitant, Inter istos verò clamores concionatorum Stentorum dum hic clamitat Pax, pax, alius verò contestatur & ait, Nulla est pax: hic dicit, Grata sunt Deo sacrificia: hic autem excipit, Ingratissima sunt Deo sacrificia, ac ego in scripturis non sim versatus, neq; præ ruditate iudicare possim quid agam, aut quò me vertam, an non excusatus sum, dum neutris credo & more meo viuo? Quis enim facilè dixerit mihi quænam sit doctrina catholica & præstantissima, dum singuli istorum suam affirmant esse catholicissimam & optimam? Excipit itaque propheta & Deum loquentem inducens, ait, Scio te veluti in biuio consistere, & nescire qua ingrediaris, suadeo ergo vt perpensis omnibus diligenter inspicias quid sequaris, nimirum viam bonam, id est meliorem, quæ alia esse non potest, quàm antiqua illa, quam ingressi sunt omnes patres nostri. In hac ergo ipsa incedite. Addit ingens præmium, Et inuenietis requiem animabus vestris: qua re in mortalium rebus nihil inuenitur præstantius, suauius, salubrius. Refrigeriũ vel tranquillitas animi certè præstat, & longè antecellit optima quæq; in mundo. Itaque alibi dixit apostolus pietatem habere promissionem præsentis vitæ & futuræ. Tria itaque hic nobis commendantur singularia. Principiò in controuersijs quærendam esse viam veterem, id est religionẽ, institutа, leges, & maiorum mores viuendiq; rationem. De his plura legis apud Cyprianum in Epistolis. Deinde Viam antiquam non esse quamlibet, quam homines pro vetere via vel doctrina habent. Longè enim aberratur hic, dum quisque pro partis suæ cui fauet studio, suam regulam credit esse præstantissimam. Reuera via antiqua illa est, quam ambularunt Adam, Seth, Noe, Sem, Abraham & cæteri patres nostri. Habet illa hæc capita, In solo benedicto semine esse vitam, iustitiam & omne bonum: extra quem non sit salus. Sic testificantibus apostolis Petro Act. cap. 4. & Paulo Galat. 3. Iustificatos fide per Christum nouam viuere vitam ad præscriptum legis Dei. Nolo hic mihi credatur, interpretem habemus huius loci Christum saluatorem, qui hunc Ieremiæ locum veluti citans & explicans, omnes ad se vocat, omnibus promittens vitam, & quòd in Messia

Quærenda in controuersijs antiqua via.

Quæ sit via antiqua.

in Messia reperturi sint requiem animabus suis. Idem mox omnes hortatur ad susciendum iugum suum (requirens vtiq; obedientiã mandatorum eius) quod omnino commodum & suaue esse asserit. Hæc inquam est via antiqua qua peruenitur ad animorum tranquillitatem & vitam beatam. Postremò non satis est nouisse hanc viam, nisi & in ipsa ambulemus. Dicit itaq;, In ea incedite. Et appẽdit ingentem fructum, Vt inueniatis refectionem animabus vestris. Stulti homines in mille alijs requiem quærunt, maximo etiam dispendio corporis & facultatum suarum, sed frustra. In solo enim Christo Dei filio quies est, satietas bonorum omnium, & salus certissima & perfectissima. Est autem hæc doctrina optima & generalissima, omnibus congruens temporibus & hominibus, quam si hodie totis reciperemus animis, non tot essent dissidia & concertationes. Nupera enim via est, quam Monachi appellant veterem, Nesciuit vetustas monasteria, vota, missas, idola, & centum alia huius generis putida. *Ambulandũ esse in hac via.*

Cæterùm veluti per cor. ectionem subijcit, Sed quid iubeo ac suadeo antiquis vijs insistentes ambuletis, cum non pudeat contumaciter vos opponere salubri Dei consilio, Non ibimus? Ita rursus accusat propheta populi sui rebellem & incredibilem incurabilemq; contumaciam. Hodie dum euangelium gentibus & populis, cùm viua voce, tum scriptis annunciatur, audimus tamen multos in hæc prorumpere verba, Nolumus hanc prædicationem sonare in nostris ditionibus. Nam ex ea contemnitur recepta ab omnibus religio, inducitur autẽ leuitas quædam & dissolutio omnis disciplinæ. Alij verò adijciunt, Quæ traduntur euangelio de religione, nimis sunt accisa, traditionibus ergo prudentium hominum & constitutionibus patrum est opus, quibus resarciatur, quod ibi diminutum est. Proinde ea via non ibimus, quam nobis monstrant scripturæ. *Inuincibilis rebellio.*

Quanquam verò ad hunc modum rebelles essent impiè, Deus tamen pro ineffabili misericordia, nondum deseruit abiectionẽ abdicationemq; meritos, sed mittere pergit prophetas. Eos hic vt Ezech. 3. & 33. speculatores vel vigiles nũcupat. Constitui, inquit super vos speculatores, nihil aliud requirens à vobis, nisi vt attenderetis ad vocem saltem tubæ, admonitiq; futurorum malorum resipisceretis. Constituit enim in ecclesia sua Deus prophetas vel concionatores, veluti vigiles & speculatores, quippe qui populo prænuncient iram Domini venturam, per pestem, gladium & famem: vtq; territus graui denunciatione populus mutaret mores. Cæterùm & hic se rebelles & contumaces exhibent Deo omnia tentanti. Respondando enim dicunt, Non attendemus. Ad eundem modum minas hodie graues ex verbo Domini renuunt audire audaces & in quæuis scelera proruentes impij & impœnitentes homines, clamantes, Ad cynosarges cũ istis clamosis & minacibus cõcionatoribus. Pergemus nos in receptis moribus, ne tantillum quidem facientes istorum conciones morosas & rixosas. Itaque opponuntur in præsenti ineffabilis Dei misericordia, peccatores ac sceleratos sanare verbo satagentis, & desperata incurabilisq; rebellium malitia contumaciaque, spernentis atque adeò conspuentis omnem Dei clementiam & curam paternam. *Ineffabilis Dei bonitas.*

Quid ergo? Sequitur iterum denunciatio pœnæ. Excitat autem ipsos exordiolo tragico admodùm. Nam primùm appellat gentes. Quasi dicat, Cum populus meus audire me renuat, audite saltem vos gentes. Deinde subiungit, Et cognosce tu congregatio, quæ in eis, nimirum in medio gentium habitas, quæ peculiariter à me electa es, vt me audias. Sic enim iterum compellat gentem Iudaicam. Quoniam verò pergunt in sua duritie, appellat iam per Prosopopœiam inanimata, sicuti & Isaias in cap. 1. Dicit enim, Audi terra. Deinde subijcit pœnæ denunciationem. Porrò variant in eo interpretes quod exposui, Et tu congrega *Excitantur ad attentionem.*

tio quæ in eis, nimirum gentibus es, cognosce tuum iudicium. Alij enim interpretantur, Cognosce quæ videlicet peccata sint in hoc populo. Alij verò exponunt, Cognosce quid in eos videlicet statuerim. Alij item, Quid in istis, videlicet Dei consilijs, definitum sit contra vos.

Dominus commeritum peccatis præmiũ rependit.

Porrò subiungit pœnam & ait, Ecce ego adduco malum, &c. Ego inquam Dominus omnipotens, seuerus & iustus. Malum autem appellat bellum, & mare malorum in ipsos effundendum. Addit, Fructum consiliorum suorum, Vel retributionem cogitationum ipsorum, commeritum videlicet peccatis ipsorum præmium, jren verdienten lon. Fructus enim malitiæ & rebellionis est mala sed iusta & debita tractatio, vt malè pereant qui vixerunt malè. Sic apostolus quoq; Rom. 6. pronunciauit Stipendium peccati esse mortem. Ac dogma indubitatum religionis nostræ illud est, quòd Deus sit iustus vltor sceleris. Et quò magis inculcet quantum scelus sit nolle audire ad bonam frugem reuocantem Dominum, iterum repetit causſam pœnæ illius, dicens, Eò quod ad verba mea animum aduertere, neque legem meam audire voluerunt, quinimò etiam spreuerunt atque reprobarunt. Colligamus autem hinc omnes quantum scelus sit non audire verbum Domini, imò non modò non audire, sed spernere & conuitijs adoperire. Quod flagitium planè blasphemum hodie vulgarius est quàm cõueniat. Nil itaq; mirum si puniamur.

Frustra fiditur sacrificijs.

Atqui in his consolabantur se miseri Sacrificijs, quibus fidebant credentes his sese purificari, nec purificari modò, sed etiam demereri se Deum, qui propter ipsa amet ipsos & liberaturus sit ab omnibus calamitatibus, ideoq; vanas esse leremiæ comminationes. Solemus enim nunc etiam, hoc nostro inquam sæculo, consolari nos ferè, fore videlicet vt Deus nobis sit propitius propter oblationes nostras, propter cantus & lectiones, propter Missas & passagia, & supplicationes Gregorianas, & nescio ob quas huius generis cæremonias. Verùm Deus illis nihil commotus est cæremonijs, quibus ipsum Iudæi, ipso Deo instituẽte has, demereri voluerunt. Cur moueretur nostris, quas nunquam instituit aut probauit, sed reprobauit magis? An non Saul audiebat, Peccatum magiæ est & idololatriæ scelus, non obedire Domino? 1. Sam. 15. An non in euangelio dixit Dominus, Frustra me colunt docentes doctrinas hominum? &c. Ieremias autem sacrificia Iudæorum refutans, Dei loquentis inductis verbis, quò plus ponderis haberet refutatio, Ad quid venit mihi thus, ait, de Saba? Forma loquẽdi ista prorsus reprobat oblatum munus, veluti cũ nostra lingua dicimus, Wozũ sol mir kummen der myrrouch? Was frag ich dem myrrouch nach? Was nutzes solt er mir bringen? An ita stulti estis vt existimetis me illa quoq; mirari, quæ vos stolidissimè maximi facitis, nempe si res allata sit ex longinquo, si graui pecunia repensa? An existimatis me incorruptibilem & æternum spiritum istis indigere rebus corruptibilibus, & ijs delectari? De Calamo Plin. scribit lib. 12. cap. 22. Iam verò prorsus reijcit omnis generis sacrificia Iudaica. Non sunt illa ad voluntatẽ, id est grata vel accepta: neque suauis & dulcis est mihi fragrantia vel odor incensorum vestrorum. Similis sacrificiorum reprobatio legitur à Deo facta leremiæ 7. Psalmo item 50. & apud Isaiam in cap. 1. apud Micheam in 6. & Malachiæ capite primo. Legatur & Lactantius in Institutionibus suis. Voluit Dominus illa sibi à populo præstari vera fide, innocentia & charitate; sine quibus ingratissima fuerunt illa Domino. De qua re aliâs.

Scandala amãtes scãdala habebunt in quæ impingant.

Nunc ergo pœnam copiosius prosequitur, intertexẽs occultè causſas pœnarum Quasi dicat, Ego quidem per verbum & pophetas volui ex vobis auferre scandala (de scandalis copiosè agitur Matth. 18. Scandala sunt scelera & flagitia:) cæterùm vos contentione inuincibili scandala statuistis. Causſę erunt itaq;

impactionis

impactionis vestræ ac ruinæ. Par, quod dici solet, pari rependam. Quia enim scãdala habere vultis, sat scandalorum aut offensionum (aliter enim ac aliter nunc vtor scandali voce, principiò pro scelere offendente & corrumpente alios, deinde pro supplicio quo scelerati tales puniuntur) ponã inter vos. Sicut enim pater filio non fuit causſa & exemplum innocentiæ, filius quoq; rebellis bono parenti obsequens non fuit, interim parens alijs permultis sese polluit contaminationibus: sicuti vicinus proximo suo non fuit author melioris vitæ, sed mutua potius societate semetipsos ad peccata promouerunt, & in sceleribus defenderunt: ita propter ista peccata impingent & corruent vnà omnes, patres inquam cum filijs, & peribunt vicini cum socijs, omnes videlicet qui in peccando mutuã contulerunt operam. De qua re dicetur copiosius Sermone consequente. Discamus nos ex his, scandala tollere è medio, neq; vllam habere cum prauis & corruptis hominibus societatem, ne & pœnarum ipsis aliquando irrogandarum socij participesq; fiamus. Dominus seruet nos à malo. Amen.

Pergit in descriptione pœnæ, ac adhortatione ad pœnitentiam.

CONCIO XXV.

Sic dicit Dominus, Ecce populus venit de terra Aquilonis, & gens magna excitabitur à finibus terræ. Apprehendent arcum & lanceam: crudeles sunt, & non miserebuntur: vox eorum quasi mare fremit: equis vehuntur, instructi sunt, vt miles exercitatus, contra te ô filia Zion. Audiuimus rumorem eius, dissolutæ sunt manus nostræ, angustia & dolor occuparunt nos, instar parturientem. Ne egrediamini in campum, neque in viam exeatis: quia gladius, hostis & pauor est vndiq;. Sacco igitur te accinge, ô filia populi mei, voluta te in puluere: & fac tibi luctũ vnigeniti, & planctum amarissimum: quoniam repente veniet super nos vastator.

Bello Babyloni co Iudæi excindendi.

COeperat designare pœnam incurabilibus inferendam, in eo nunc argumẽto pergit, & quodnam inter eos scandalum positurus sit, exponit. Describit autem Bellum Babylonicum, quo gens Iudaica excindẽda erat: & vt hactenus, taporrò singula exornata & quodãmodo oculis exposita sunt felicissima hypotyposi & amplificatione euidentissima. Ac tria quidem agit in præsentiarum. Principiò quales futuri sint hostes Babylonij dicit: deinde quales ex opposito Iudæi sint futuri ostendit: postremò sufficit consilium euadendi, vt scilicet agant pœnitentiã, qui videlicet totius orationis huius præcipuus est scopus. Ante omnia tamen & mox in initio ostendit quis sit author horum omnium, ipse Dominus Deus, quò plus authoritatis habeant omnia quæ dicturus est. Quem enim non commoueat diuina vox?

Quales futuri Babylonij.

In depingendis autem hostibus primò ostendit quinam vel vnde sint venturi, ex Aquilonari plaga, significans nunc, vt antea quoque, Babylonios vel Chaldæos. Hos dicit excitandos, nimirum à iusto Deo, à lateribus terræ. Vetus interpres vertit, A finibus terræ: nimirum ex latere & confinijs vel terminis pro pemodum terræ Iudaicæ. Vnde & Lutherus interpretatus est, Hart an vnſerem land. Pomeria enim regni sui nunc latè extenderant Babylonij, gloria famaq; militiæ insignes, vt veluti contermini aut confines viderentur Iudæis. Alij in contrarium sensum exposuerunt, ad futuros è longinquo. Quod & ipsum verum est. Nam procul à Iudæa distabat Babylon. Sed in huiusmodi non videtur inhærendum, vt rebus non admodum magni multiq; momenti. Deinde subdit,

Gens magna, significãs copia & robore, vel multitudine & fortitudine fore formidabiles. Eosdem item ab armatura prædicat, Apprehendent, inquit, arcum & lanceam: alij vertunt, sagittam & scutum. Vtentur arcubus & frameis, Werdend gſchütz vnd ſpieß füren. Sunt autem hodie quoq; in militia formidabiles sclopetarij & lancearij, frameis vel lanceis vtentes. Significat autem nullo armorum genere insigni & necessario ipsos destituendos fore. Addit, Gens erit sæua, crudelis, barbara, trux, quæ nullam vllis misericordiã præstabit. Inuenias enim aliquando inter milites, clementes, benignos & misericordes, qui parcant ætati & sexui. Hi non erunt tales. Vnde in Threnis cap. 5. luget Ieremias, & ait, Oppreſſerunt mulieres in Zion, atque virgines in ciuitate Iuda. Principes manu eorum suspensi sunt, & vultus senum non sunt reueriti. Adolescentes tulerunt, vt molerent, & pueri in ligno corruerunt. Senes desunt in portis. Et reliqua. Iam adducit parabolam, qua amplificet & propriè exprimat horribilem hostis aduẽtum & progressum, Vox eorum fremit & tumultuatur instar maris æstuantis. Sy werdend dahär toſſen wie das vngeſtüm wüetend meer. Huiusmodi comparationes multæ inueniuntur apud Homerum & Vergilium. His præterea addit Babyloniorum exercitum habiturum non pedites tantùm, sed equites celerrimos & maximè strenuos, qui magis timentur quàm pedites. Omnes autem istos dicit fore instructos, & maximè strenuos, nullos enim futuros ignauos aut segnes, sed tales omnino quales esse solent optimi ac veterani milites. Cæterùm hæc omnia per diuinam potentiam, inquit, contra te ô filia Zion, tam diligenter expedita & intenta sunt, vt puniaris. Monet ergo in tempore, si fortè resipiscant: monet veteris, imò constantis dignitatis, si ipsi quoq; dignitatem suam tueri cogitent, dum videlicet vocat filiam Zion, filiam vtiq; Dei, à Deo ex gratia adoptatam, modò ipsa se meminerit Dei esse filiam, ac non indignè se gerat in oculis Dei. Cum autem Deus contra quamlibet gentem inuictos, Tartarorũ, vel Turcarum, vel Persarum, vel aliarum gentium exercitus excitare & instruere possit, resipiscamus in tempore. S. Hieronymus hunc Ieremiæ locum exponens, Possumus hoc testimonio abuti, inquit, in tempore persecutionis, quando omnis aduersus nos diaboli rabies concitatur, nullaq; misericordia est, & quasi vehementissimi maris fluctus, ita opprimunt resistentes. Hæc ille. Extat in veteri historia eius rei exemplum, nempe in Ecclesiastica historia Eusebij lib. 8. Sed & nostri sæculi exempla non pauca legere licet in excellentissima & vtilissima D. Sleidani historia.

Gens atrox.

Filia Zion.

Persecutio ecclesiæ.

Quales Iudæi puniendi.

Sequitur alter locus qui à Ieremia tractatur, quales in hoc bello futuri Iudæi, exanimati prorsus & effœminati. Eripit enim Deus vel robustissimis gentibus corda animosq;, cum punire vult, vt mulieres sint prorsus, neque vlla in ipsis reperiatur vis mascula. Idem videre licet in Amorrhæis & Chananæis & alijs prophanis barbarisq;, alioqui fortissimis gentibus. Nemo itaque fidat victorijs priscis, vetustæ virtuti, gloriæ militari, corporum robori & proceritati. Nam qui olim alijs fuerunt terribiles, in die visitationis inualidi ac nulli prorsus sunt metuendi. Dicit itaque propheta, Simul atq; rumor increbuit aduentare hostem, aut hunc esse in expeditione, conciderunt manus nostræ: qui gestus est attonitorum & mente consilioq; carentium. Nos dicimus, Wir empfielend grad händ vnd füß: id est, concidi prorsus, nec vllas resistendi vires habui. Id quò inclaresceret euidentius, parabolam prophetis vulgatissimam adhibet, Angustia & dolor occuparunt nos, vt solent parturientem. Nos dicimus, Sie mann werdend all kindbetteren werden. Nam omnia metu plena fore subiungit, adeò vt quisque alterum adhortaturus sit, Ne exieris in campum vel agrum. Etenim solent in irruptione hostium aliquando prodire fortes speculatum, quæ sit hostium conditio, quan-

tio, quantus eorum exercitus, qualia castra, quis apparatus. At hic adeò nullus prorepere audebit, vt exituros etiam sint dehortaturi ne progrediantur. Causam addunt, Quia omnia armis & pauore hostili plena sunt. Non licet tutò alicubi exerere caput. Ita verò prodigiosus describitur metus, & mirè homines excarnificans. At sic exarmat Deus illos, quos propter peccata vult perdere. Nemo ergo tribuat quicquam insolentiæ militari, Thrasonicis minis. Vires non sunt in arbitrio militum, sed in Dei omnipotentis voluntate. Deus belli præses, corda dat & detrahit, animos aspirat & pauores. *Maxima & prodigiosa trepidatio.*

Quæ porrò sequuntur, videri poterant designatio esse maximi luctus, qui se qui solet bellum infeliciter gestum: ego verò amplius quiddam significari doceríq; arbitror. Puto enim populum vocari ad pœnitentiã, atque ita suffici salutare consilium euadendi mala illa belli. Quasi dicat, In his verò malis nihil aliud restat, si modò ea velis à te depellere, ô filia Zion, vos inquam ciues Hierosolymitani, & tu populo Iuda, nisi vt in tempore agas pœnitentiam. Cum enim malum hoc ingens de repente oriturum sit contra te, non proderit nimis sera pœnitentia & nimium procrastinata. Maturate emendationem, nisi perire libeat. Est autem pœnitentia (quod iam sæpius inculco) dolor de commisso peccato, conuersio item ad Deum, & auersio à sathana & peccato, cum vera fide inuocationeq; & studio sanctè viuendi. A luctu autem à Iudæis recepto & vsurpato (immoderatum interim propheta non approbat) veluti exemplo ostendit quomodo pœniteant & lugeant propter peccata. Solent autem prophetæ ab externis penetrare ad interna. Vnde Ioel dicit, Scindite corda vestra, & non vestes. Sicut ergo in luctu graui, vtpote vnigeniti, cum videlicet orbi, nullos amplius habemus filios, pretiosas vestes exuimus, viles, atras & detritas induimus (id quod per saccum intellexit) & vt in luto & puluere volutamus nos, comam, vellimus, & cutem vnguibus dissecamus, quantus animi dolor sit, foris sic testantes: ita iubet propheta dolere nos serio animis nostris quantùm possumus omnibus & integris, sicut & Paulus docuit 2. Corinth. 7. Id quod fiet si detestemur peccata, quibus offendimus Deũ: si supplicemus demisse Deo & humiliati, implorantes eius auxilium & misericordiam: si abstulerimus luxum in cibo, vestibus, potu & rebus omnibus: si temperantiæ abstinentiæue, iustitiæ quoq; & beneficentiæ operam dederimus. Cuius quidem exempla egregia habemus in scripturis plurima, insigne verò apud Ionam in capite 3. Quo etiam pertinet caput Ioelis 2. *Adhortatio ad pœnitentiam & quæ vera sit pœnitentia.*

Hęc autem nobis dicta, non Iudæis duntaxat, credamus, & agamus ipsi quoque pœnitentiam, cum & ipsi peccauerimus grauiter, & calamitates nobis etiam immineant grauissimæ, nulla alia ratione eluendæ aut propulsandæ, quàm pœnitentia. Dominus adsit nobis, & auertat à nobis omne malum. Amen.

Allegoria è re metallica petita, ostendit populi inuictam incurabilemq; corruptelam, & ideò certissimum eiusdem interitum.

CONCIO XXVI.

Probatorem vel excoctorem posui te in populo meo munitum, vt cognoscas & probes viam eorum. Omnes ipsi apostatæ sunt maximi, incedentes fraudulenter, omnes ipsi sunt æs & ferrum corruptum. Follis combustus est igni, plumbum consumptũ est, vt frustra conflauerit excoctor, cum malum non sit expurgatum. Argentum reprobum vocabunt eos: quoniam reprobrauit eos Dominus.

Concluſio Orationis.

COncludit his Orationem primam ſuam beatus Ieremias, in medium prolata appoſitiſsima allegoria, petita à re metallica, qua adumbrat prophetæ officium & diligentiam: cui mox adiungit populi inuictam malitiam & incurabilem corruptelam: quam non poſsit non certiſsimè conſequi reprobatio iuſta & interitus miſerrimus.

Bona erga nos Dei voluntas.

In primis verò declaratur per iſta nobis bona Dei erga nos voluntas & cura paterna inſignis. Omnia enim tentat Deus vt ſeruentur homines. Ideò enim prophetas inſtruit atq; mittit. Sed obmurmurant quidam, & dicunt, Si Dei voluntas eſt ſeruare homines, quare ergo non vtitur ſua potentia ac conuertit eos? Quis enim dubitat quin ſi velit, poſsit? Iubeat ergo ſanctos eſſe, ac erimus. Quor ſum verò opus eſt iſtis ambagibus? Si vult nos ſaluos fieri, declaret hanc ſuam voluntatem ſua potentia. Ego verò reſpondeo obiectionem imò rebellionem illam omnino eſſe blaſphemam. Potuiſſet, ſi voluiſſet Deus, efficere vt nunquam hyems aut nox, ſemper verò eſſet æſtas & dies. Nunquid verò facit quod poteſt? Vſus eſt ab initio Deus ordine pulcherrimo & mediis appoſitis. Quiſquis illa aſpernatus fuerit, Dei ordinationẽ contempſerit. Prærerea agit Deus ſecundũ rationem conſiliĳ ſui ab æterno initi, & ſecundum verbum ſuum, per ſeruos ſuos prophetas & apoſtolos reuelatum. Ab æterno autem Deus inſtituit, homines in Chriſto ſeruare per fidem. Id quod verbo reuelauit. Seruantur ergo credentes, incredulí non ſeruantur. Fides ex auditu eſt, auditus per verbum Chriſti. Huic ordinationi qui ſe accommodant, fidem recipiunt per ſpiritum ſanctum: qui verò diſpoſitioni Dei recalcitrant vacui fide, ſpiritum ſanctum non ſentiunt. Nemo ergo dicat poſthac, Deus cum poſsit iubendo me facere fidelem, cur non iubet & ita abſq; mediis ſaluat? Nemo enim dicit, Poſſet me Deus etiam abſq; cibo & potu viuum conſeruare: itaq; poſthac pro conſeruanda vita nolo bibere vel edere. Quin potius dicimus, Etſi Deus abſq; pane nos poſsit conſeruare viuos, nihilominus ſumemus cibum quem ille iuſsit ſumere, ne contemptores voluntatis eius inueniamur.

De officio prophetarum.

Iam verò officium prophetæ rationemq; miniſterĳ pulcherrima & propriſſima adumbrat allegoria. Scriptura aliâs multiplicibus vtitur parabolis atq; ſimilitudinibus. Aliquando eccleſia appellatur Domus, atq; tunc nuncupãtur miniſtri architecti, vel ædificatores. Appellatur alicubi eccleſia Grex ouium, ſecundum eam rationem miniſtri dicuntur Paſtores ouiũ. Rurſus vocatur eccleſia Ager & Vinea, & tunc miniſtri ſunt agricolæ & vinitores. Dicitur eccleſia Ciuitas, iuxta quem modum miniſtri ſunt Vigiles & ſpeculatores. In præſenti cum populus comparetur Maſſæ metallicæ, & quidem nondũ excoctæ aut purgatæ, in qua ſunt æs, lapides, & metalla alia, miniſtri nuncupãtur metallarĳ, conflatores, excoctores, probatores, alchymiſtę, ſchmeltzer: quia igne verbi Dei producere iubentur purum putum aurum vel argentũ, excoquere autem cuprum, æs & rudera vel adulterina omnia. Ait autem Dominus ſe conſtituiſſe Ieremiam probatorem munitum. Nam ante in 1. ca. ille ipſe appellatur ciuitas munita: propter auxilium Domini. Munitiſsimus eſt enim quiſquis diuino circundatus fauore, Deum amicum habet & auxiliatorem & defenſorem. Habent autẽ omnes quotquot miniſterium ſibi creditum fideliter in timore Dei obeunt, Deũ defenſorem. Quæ quidem ad conſolationem omnium miniſtrorum dicuntur, quibus etiam incitantur ad conandum perficiendumq; Domini mandata, iubentis fortiter probare igneverbi ſui populum, &c. Lutherus hanc particulam, propugnaculum vel locum munitum, refert ad ipſum populum, quaſi Dominus ſenſerit populum ad quem miſſus ſit excoctor Ieremias, eſſe durum, inuictum, robuſtum vel peruicacem & effrontem. Sed prior ſententia ſimplicior videtur.

Ieremias munitus probator.

Expoſitionis

Expositionis gratia adiungit, Vt cognoscas & explores viam eorum. Sic enim exponit allegoriam metallicam. Non, inquit, æs vel cuprum probabis, instar metallici, sed de populo loquor, cuius tu mores (via enim iterum vsurpatur pro toto vitæ curfu & instituto) obseruare debes, quid agat, quid loquatur. Quodcunq; verò obseruaueris, adhibebis ad regulam verbi Dei, explorabisq; quantum cum hac dissideat aut congruat: si verò dissideat, accuses & obiurges sedulò, melioraq; suggeras. Hinc discimus quodnam sit officium ministrorum verbi, & quæ ratio ministerij. Dominus enim per hoc vult emendare corruptelam populi: vt quilibet repurget se à prauis moribus & fiat vas purum, vel aureum vel argenteum, ad vsus sanctos, in honorem, non in ignominiam: sicuti & apostolus docuit 2. Timoth. 2 cap.

Status populi corrupti & interituri.

Sequitur iam descriptio status populi cui excoctor datus est Ieremias. Tripliciter hanc exponit. Principiò, Apostatæ sunt, ait, apostatarum. Alij verterũt, Principes declinantium sunt. Alij, Proditores sunt proditorum. Loquutio tantum valet, ac si nos dicamus, Es sind die gröſten verräters böſẅycht: omnium sceleratissimi nebulones sunt. Defecerant enim & deficiebant in singula momenta à veritate scripturarum vel legis à Deo, à verò eius cultu, à puritate & iustitia, à beneuolentia & humanitate atq; misericordia, ad mendacia, traditionesq; hominum, ad diabolum, ad cultum superstitiosum idolorum, atque ad creaturas, ad impuritatem, libidines, luxum, ad iniustitiam, inhumanitatem, auaritiam & crudelitatem. His confer quæ à nobis hodie quoque fiunt. Deinde, Incedunt, inquit fraudulenter. Hebraicè est רכיל, id est, mercator, id est, vt solet vafer mercator. Sensus ergo est, Sic agunt vt solent mercatores fraudulenti, omnia corrumpentes dolis & mendacijs, impostur is atque circunscriptionibus, wie beſchiſſen krämer/qui merces corrumpunt, deinde mendacijs quod corruperunt, tanquã præstans & incorruptũ sit, ornant. Dicit ergo omnia referta esse dolis & impostur is. Addit & aliud, Omnes ipsi sunt ceu æs & ferrum corruptũ, nullis vsibus bonis idoneum, vt maximè indigeant probatione vel excoctione. Semel sanè in hoc populo (οὐδὲν ὑγιές) nil est sanum. Alij exposuerunt hunc locum, Frontis sunt chalybeæ & ferreæ, nimirum impudentissimi.

Opera & impensa perijt.

Aggrauat autem maximè culpam ipsorum quod sequitur, nihil videlicet parsum laboribus, sed fructu caruisse omnem diligentiam. Diligens, inquit, fuit sedulusq; propheta, adhibuit ignem, vsus est follibus (perstat enim in cœpta allegoria) excitauit ignem, & adhibuit plumbum: sed frustra tentata sunt hæc omnia. Ratio, Malitia enim non fuit expurgata, (Das böß iſt nit geſcheiden vom güten) neque sequuta est vlla emendatio. Certè metallarij ignes habent & folles, quibus ignes excitant. Ignis significat ipsum Dei verbum, eiusq; prædicationem follis. Sicut enim ignis excitatur folle, sic prædicatione prophetica verbum Dei annunciatur & quodammodo excitatur. Combusto folle, languescit ignis, nec excitatur. Non tacuit quidem propheta, nihil eius neglectum est socordia: sed propter contemptionem prophetiæ inobedientis populi, finem suum prædicatio nõ est consequuta: perijt tandem ipse etiam propheta, occisus ab illis. Reuera ergo igne est cõsumptus follis: id est, propheta propter verbi Dei ministerium est cæsus. Cur plumbum admisceatur docuit S. Hieronymus, dicens, Plumbum, miscetur metallis quæ adulterata sunt, vt materia separetur aliena. Et si fortè purgata non fuerit, plumbum omne consumitur & in nihilum redigitur. Hæc ille. Cum ergo dixit plumbum esse consumptum, significauit massam non esse purgatam. Et eum sensum confirmant sequentia. Alij aiunt, plumbum addi vt temperamentum, quod metallum fluere faciat. Quod si verum est, significatum est nullam prophetæ temperaturam quicquam apud gen-

tem istam valuisse. Nam vtcunque tentarit vates omnia, perpetuò tamen sui similes permanentes, emendati non sunt. Dicit itaq; propheta, Frustra conflauit excoctor, eò quòd scoria non sit excocta. Sa iſt alles ſchmeltzen/ alle müy vnd arbeit vergäbens gſyn.

Sequitur ergo sub finem iudicium & pœna à Deo irroganda, Argentum reprobum vocabunt eos: quoniam reprobauit eos Dominus. Est autem sententia, Cum non sustineant se purgari homines, per omnia incurabiles, ac omnino similes esse pergant argento vitiato, quod nihil differt à scoria, idipsum eis eueniet, quod monetę adulterinę & argento vitiato, quod (dz verrüfft wirt) reprobatur. Nam Dominus quoq; reprobauit eos, neque amplius eos agnoscit pro filijs & pro suo populo. Proinde venient metallarij alij, & à prophetis quidem plane alieni, milites inquam Babylonici, & exurent eos penitus & funditus. Quòd si perrexerint in hoc supplicio commerito esse impœnitentes, deijcientur item ad inferos, vbi velut in antro Æthnæo excoquantur & torreantur à Cyclopibus, vel malis spiritibus. Atque hic finis est omnium eorum qui contempto verbo Dei non emendantur. Oremus nos potius Dominum, vt nostri misertus fidem inspiret, qua instructi emendemus vitam nostram corruptissimam, & seruiamus Deo nostro in sancta & iusta obedientia. Ei sit honor & laus in secula seculorum. Amen.

ORATIO IEREMIAE SECVNDA.

Venientes ad templum hortatur propheta, vt non externa specie, sed seria emendatione vitæ praua sese Deo commendent.

CAPVT VII.

CONCIO XXVII.

VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, dicens: Sta in porta domus Domini, & clama (prædica) ibi verbum istud, & dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui inceditis per portas istas, vt adoretis Dominum. Sic dicit Dominus exercituum Deus Israelis: Emendate vias vestras & studia vestra, & faciam vos habitare in loco isto. Nolite fidere verbis mendacibus, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini hic est. Nam si emendando emendaueritis vias vestras & studia vestra, si faciendo feceritis iudicium inter virum & proximum eius, si aduenæ, pupillo & viduæ vim non feceritis, si sanguinem non fuderitis in loco isto, & post deos alienos non ambulaueritis, vestro malo, faciam & ego vos habitare in loco isto, in terra quam dedi patribus vestris, à seculo in seculum.

Occasio Orationis secundæ.

IEXTENDITVR Oratio secunda Ieremiæ ad caput vsque decimum. Videtur autem dicta esse ad populum ex hac causa. Conciderat imperium Assyriacum sub effœminato rege Sardanapalo: reparatum erat autem strenuè admodùm à Nabuchodonosore Prisco, Magni Nabuchod patre, vt nunc etiam & Chaldæum & Babylonium dici inciperet, tametsi ex veteri

veteri cõsuetudine & ex memoria imperij veteris & Assyriacũ nuncuparetur. Captus fuerat ante nõ multos annos à Babylonijs vel Assyrijs auus Iosiæ regis, Manasses. Ergo dum Iudæi viderent, Iosia regnante, vires Chaldæorũ mirum in modum crescere, metuebant sibi ab istorum potentia, & variè consultabant de regno suo & de ecclesia conseruanda, ac vt nos dicere solemus, wie man statt vnd land/die kyrch vnd das rych erhalten möchte. Alijs hic aliud videbatur, & hic quidem huic, ille alteri rei fidebat, variabantq; vulgi iudicia. Peropportunè itaq; bonus Dominus, qui nusquam dormitat, semper autem hominibus dubijs rebus, certa suppeditat consilia, nunc etiam Ieremiam mittit, qui salubre sufficiat in his periculis & difficultatibus consilium. Ostendit ergo Dominus per prophetam, quomodo seruari possit populus, integro regno & religione salua. Est præterea exhortatio vehemens, qua vrget omnes omnium ætatum, generis, ordinisq; homines, vt se accommodent bono Dei consilio, relictisq; vanis spebus, quibus innitebantur, Domino Deo fiderent, & mores corruptos deponerent, ac se totos sponte & religiosè ad voluntatem Domini Dei componerent. Erant enim potissima septem, quibus fidebant, Templo videlicet, Intercessionibus sanctorum, Sacrificijs multiplicibus, Sapientiæ humanæ, Promissionibus item pseudoprophetarum amplissimis, Consensioni mutuę, ac Facultatibus suis vel opibus splendidè instructis. Ea omnia singulaq; cõfutat validissimè, ac mox etiam grauissimè minatur certum & horrendum interitum, nisi maturè emendentur. Quantum ergo ad summam rei attinet, non aliud consilium suggerit, quàm in sermone primo, in quo etiam suasit pœnitentiam, vnicam, maxima euadendi mala periculaq;, rationem. Hodie etiam concurritur ad Comitia regni & ad Concilia ecclesiastica, fiuntq; consultationes crebræ de seruanda ecclesia & republica. Verùm si quis adferat in his, quæ hîc Ieremias ex ore Dei in præsenti tradit, ridetur à cunctis. Proferuntur potius quæ magis ad exitium quàm salutem pertinere videntur. Et quidem omnia propemodum Concilia, quæ sub Pontificibus Romanis sunt celebrata ab annis plus minus quingentis, hæc ferè habuerunt capita, Extirpandos esse in primis hæreticos, id est, Papæ aduersarios & verè Christi fideles: mox autem restituendos in integrum clericos: deinde verò in ceremonijs faciendam esse reformationem, vt ornatiores sint aræ, frequentiores missæ, cantus figuratior, parietes templorum picturatiores, & clerus paucioribus contentus sit concubinis atque sacerdotijs, &c. Postremò vt expeditio fiat in Turcam & extorqueatur ex eius manibus Hierosolymorum vrbs, id est, vt etiam Orientis pontifex fiat Papa. Certissimum est autem ex historijs, & compertissimum ex quotidiana experientia, pessimè Christiano orbi cessisse huiusmodi consilia. Audiamus ergo consilium Dei, acquiescamus ei, vt salui & incolumes viuamus.

Scopus Orationis.

Concilia & Comitia ecclesiastica, & imperialia.

Ante omnia, quò plus authoritatis habeat oratio, ostendit Orationis huius authorem, missionemq; ac vocationem suam iterum approbat: id quod in toto opere sæpissimè facit. Credamus ergo & hic & vbiq; in scripturis loquenti Deo. Et quidem apparet populum, dum istam Orationem propheta haberet, nonnihil emendatum esse, relictis iam sacellis idolorumq; templis & excelsis, atq; crebrius venisse in ipsum Domini templum ad audiendum verbum Dei, parum tamen emendatis moribus corruptis, & nondũ plenè Baalis cultu relicto, vt cui adhuc maior populi pars addicta esset: iubetur ergo stare in porta, & concionari, id est, illam ad populum orationem habere, quæ sequitur. Monent interpretes in templo fuisse portas septem, tres quidem ad Aquilonem, tres ad Meridiem, vnam verò & quidem celeberrimam ad Orientem, ad quam collocatum existimant prophetam.

Author Orationis huius.

Exordium. Orationis exordium breue, sed acre est, omnes excitans ad attentionem. Quòniam ad templum, inquit, acceditis, vt Dominum adoretis, audite quid loquatur vobis Dominus. Et significanter quidem dicit, Audite verbum Domini omnis Iuda, significans vtique hoc quod profert non humanum esse placitum, sed diuinum oraculum, id quod non pertineat ad paucos, sed ad omnes, deniq; quod mereatur accuratissima audiri attentione. Obiter autem & cœtuum fidelium & templorum vsus indicatur. Tametsi enim Deus sit vbiq;, neq; includatur in vllum locum, atq; ideo vbiq; adorandus sit in spiritu & veritate, sicuti commemorat in euangelio Dominus, singulariter tamen in templis & ecclesiasticis cœtibus adorari debet, vtpote institutis in illum finem, vt publicè & in loco aliquo certo (pro disciplina ecclesiastica) adorationis cultus Deo exhibeatur. Discunt ergo hic omnes etiam quid spectent dum in templa ad cœtus sanctorum accedũt fideles, nempe vt adorent Dominum. Remouentur hic & remouenda sunt quæ cunq; faciunt ad cultum creaturarum, cuius generis præcipuè sunt simulachra. Non enim debent hæc præstare in adorationis loco: cum constet vnum solum Deum esse adorandũ. Remoueatur item omnis vanitas, superbia & luxus è cœtu fidelium, in quem venis adoraturus Dominum ex corde contrito, & non ostentaturus opes tuas in vestibus preciosis per luxum & superbiam. Adorare quid sit, & quomodo adoretur Dominus, dixi aliâs.

Cœtus & templorum vsus.

Verba prophetarum, Dei sunt verba. Iterum verò repetit & inculcat, id quod profert, diuinum esse verbum, adeò refert credere nos, nõ audire verba hominum, licet prolata ab hominibus, cum audimus verba prophetarum. Pugnant hæc contra impios, clamantes impiè, Cur crederem prophetis, cum ipsi quoq; homines fuerint, sicuti nos quoq; sumus: neq; mihi constet an hæc isti sint loquuti, & an hi libri sint prophetarum libri? Minimè profectò tolerandi sunt, qui voces vsqueadeò blasphemas profundunt, & fundamenta religionis nostræ cõcutere tentant, firma in sempiternum.

Dominus exercituum. Ornat autem Dominum insignibus appellationibus duabus. Nam Dominum vocat exercituum, nimirum omnes creaturas ad nutum suum & in manu sua tenentem, instar imperatoris exercitum habentis, quo vtatur pro sua voluntate ad conficiendas quaslibet res suas. Interpretes aliquando omnipotentem exponunt, quem nuncupat scriptura Dominum exercituum. Deinde vocat Deum

Deus Israelis. Israelis, qui videlicet vires bonitatemq; exercuerit erga Israelem, ac seruarit veritatem suam Iacobo, Israeli cognominato, deinde etiam vniuerso eius semini, quod scripturæ etiam appellant Israel.

Summa Consilij. Porrò subiungit istis summã Consilij quod ex Deo suggerit, ac dicit, Emendate, aut, si ita loqui licet, Bonificate vias vestras & studia vestra. S. Hieronymus, Quando, inquit, dicit, Bonas facite, siue corrigite vias vestras, ostẽdit eas esse peruersas, & nihil in se habere boni, &c. Per vias & studia intelligit omnes cogitationes, omnia instituta, omnes adinuentiones, vt Hieron. habet, omnia dicta & facta. Hæc emendantur aut bona fiunt, dũ ad legem Dei reformantur: id est, dũ omittimus quod prohibet Deus, facimus autem quod mandat vel præcipit.

Emendatio vitæ salus vnica. Proinde emẽdatio vel reformatio ad verbum Dei, illa est salus vnica, quæ ecclesias, regna & respublicas seruat. Quid autem potuisset breuius dici? Quid planius & plenius potuisset vel optari? At hoc vnicum Dei & salutare consilium homines aspernantur, & consultant de alijs seruandi rationibus: cum interim non alia non modò melior, sed præter hanc nulla prorsus inueniatur, quę seruare possit. De ea mox plura sequentur.

Sequitur autem vtilitas & fructus huius consilij & declaratio, quòd emendatio vel reformatio seruare possit, Et faciam vos habitare in loco isto. Id est, Non excindemini bello, non atteremini calamitatibus, sed felices eritis &

beati

& beati in patria vestra, ex qua non migrabitis vnquam in captiuitates & hostiũ terras. S. Hieronymus hunc locum bifariam vertit, Et habitabo vobiscum in loco isto: siue, Habitare vos faciam in loco isto. De quo dicemus in fine huius Cõcionis. Certè si vitam nostram instituerimus ad regulam verbi Dei, habebimus Deum nobiscum cõmorantem, sicuti ipse nobis aliâs promisit, vt Leuit. 26. Ioa. 14. 2. Corinth. 6. neque erit quod metuamus vel à Tartaris, vel à Turcis, vel ab vllis hostibus, qui nos in patria nostra turbent, spolient, conficiant, aut in captiuitatem abducant. Quando verò reformari nolumus, nõ est quod miremur passim bellis perturbari ac consumi omnia. Quoniam verò stultus populus tunc quoq; non magni admodùm faciebat hoc salutare Dei consilium, eò quod spes vanas penitus animo conceperat, fidendo videlicet rebus, populi quidem æstimatione longè præstantissimis, reuera autem vmbratilibus, has porrò detegere persequi & confutare atq; subuertere incipit. Nam fidi doctoris est è medio tollere, quæcunque iustam impediunt obedientiam & emẽdationem. Dicit itaque Ieremias, Nolite fidere verbis mendacibus, dicentes, &c. Verba mendacia vocat res fallaces. Proinde sensus est, Ne confidatis ijs rebus quæ seruare non possunt, sed eiusmodi sunt, vt fallant sperantes in ipsas. Huiusmodi verò erat fiducia in templum, cuius vox tertiò hic repetitur, ad significandam spem istorum firmam, quam & importunis testabantur clamoribus, dicentes, An verisimile est nos bellis exterarum gentium excindi posse, qui apud nos habemus templum Domini? Alij enim interpretes hæc verba exponunt, Templum Domini, templum Domini, templum Domini hic, videlicet hoc in loco est. Alij, Templum Domini istud, nimirum illud insigne opus Solomonis est, quod maximas habet promissiones, fore videlicet, vt si bellum, fames aut pestis oboriatur, & populus supplicatũ veniat ad templũ, veniam sit consequuturus. Quis ergo crederet nos à gentilibus excindendos, sicuti nugantur prophetæ? Atqui promissionibus cõditionem adiecerat Dominus, & Solomoni dixerat, Si ambulaueris in mandatis meis, &c. Isti verò non ambulabant in mandatis Domini, vnde nihil prodesse potuit templum. Legatur historia 3. lib. Regum cap. 8. & 9. Simili insania furunt hodie qui clamant, Non poterit Christianos superare Turcus aut Tartarus. Nam cum tot sint cœnobia, in quibus religiosi vtriusq; sexus, Domino seruiant, cum denicq; tot sint collegiatæ ecclesiæ, tot sint templa, in quibus Die atq; noctu canitur, legitur, oratur, missatur & litania recitatur, impossibile est Deum non audire voces ipsum inuocantium. Cæterùm non probauit aut instituit Deus hunc cultum verbo suo, neq; ritè ab istis oratur & supplicatur: proinde non modò inania sunt ista, sed noxia quoque. Sed dicetur de Templo aliâs copiosius. In præsenti intelligimus per templum, non ipsum duntaxat templi ædificium, sed cultum maximè, & omnia denique quæ in templo fiebant.

Nõ fidendũ rebus fallacibus.

Fiducia in templum falsa.

Rursus autem & plenius verum salutis modum tradit. Seruabimini potius, ait, si emendando emendaueritis vias vestras, sicuti & superius dictum est. Ana diplosi autem ista Emendando emendate vias vestras, grauiter emendationem inculcat, & quidem seriam, in quam omnibus intendant neruis. Mox insuper modum & rationem ostendit quomodo emendent, & formas vel species emendationis ponit quatuor. 1. Si ius reddideritis inter virum & proximũ eius. Weñ jr rächt gon laſſend einem yedem gägen ſinem nächſten. Si inquam forum & iudicia reformaueritis: sicuti Iosaphat fecerat, vt videre licet 2. Paral. 19. Grauiter enim illis irascitur Deus qui corrumpũt iudicia: sicut videre est in omnibus prophetarum sermonibus. 2. Si aduenæ, pupillo & viduæ non feceritis vllam vim. Quin potius iueueritis & amaueritis prouexeritisq; modis omnibus. Alibi quoque commendantur viduæ, pupilli & aduenæ, vt Exodi 22. Deut. 10. & vbique

Emẽdãda vitã quomodo?

Ius reddere cuique.

Viduas non calumniari.

Innoxiũ ſanguinẽ nõ fundere.

aliàs. 3. Si innoxium ſanguinem non effuderitis in loco iſto. Nam Numeri 36. dicitur terram non placandam, niſi ſanguinem potauerit homicidarum. Maledicitur item in lege ſanguinis effuſoribus. Et ſignificanter hic dicitur, Innoxium ne fuderitis. Iubentur enim iudices fundere noxium ſanguinem, & ei non parcere, niſi ſuum ipſius ſanguinem fundi malint. Grauis eſt hodie culpa Chriſtianorũ bellis iniuſtis ita aſſuetorum, vt inter honeſtas rationes numeretur, Carem eſſe, & victum parare bellis. Nihili penditur riuos etiam ſanguinis innoxij effudiſſe.

Poſt Deos alienos non ambulare.

4. Si poſt Deos alienos non abieritis. Deus alienus eſt omnis præter Deum verum. Iubemur ergo ſolum ſequi Deum verum, ei ſoli ſeruire. Singulariter verò additur, Iis qui ſequuti fuerint Deos alienos ceſſurum peſſimè. Vtcunque enim præuaricatio iuris, afflictio viduarum, & ſanguinis innoxij effuſio enormia ſint peccata, vincit tamen apoſtaſia, impietas & idololatria iſta omnia. Vnde adijcitur, Malo veſtro. Nam & in ſecundo mandato tabulæ primæ grauiter Deus interminatur vel minatur idololatris vel alienorum Deorum cultoribus, dicens ſe animaduerſurum in tertiam & quartam generationẽ. Timeamus ergo & caueamus nobis, ſcientes nullũ Deo cultũ eſſe gratiorem, quam cũ ſolum & vnũ colimus, & eo modo quo præcepit.

Habitabo vobiſcũ vel Vos habitabitis in loco iſto.

Rurſus ſubiungit ampliſſimum fructum, dicens, Faciam & ego vos habitare, &c. S. Hieronymus in Commentarijs ſuis ad Ieremiam, Quia naturale eſt, inquit, vt vnuſquiſq; natale diligat ſolum & nihil dulcius habeat patria, pollicetur præmia obedientibus, Habitabo, inquit, vobiſcum, vt ſecuros vos faciam de habitatione. Siue vos ipſos, iuxta Symachum, firma habitatione fundabo, qui ait, Et cõfirmabo vos in loco iſto. Et paulò poſt, vel habitabo Vobiſcũ in loco iſto, quem vocatis templum Dei, & in terra quam dedi patribus veſtris. Vel certè firma ſtatione habitare vos faciam à principio vſq; ad finem. Hæc ille. Eandẽ quoque promiſſionem ad nos etiam pertinere, ſi fuerimus pij timentesq; Dei, teſtantur infinita noui Teſtamẽti teſtimonia. Domino Deo noſtro ſit laus et gloria per Chriſtum Dominum noſtrum.

Refutat Ieremias falſam Iudæorum fiduciam, quam habebant in Templum.

CONCIO XXVIII.

Sed ecce vos confiditis intra vos verbis mendacibus, quæ nihil profutura ſunt. Num furando, occidendo, adulterando, periurando, ſuffitum ipſi Baal incendendo, Deos alios, quos non nouiſtis, ſequendo (nihilominus) venitis & ſtatis coràm me in domo iſta, cui nomen meum impoſitum eſt, & dicitis, Liberati ſumus, etiamſi cuncta hæc abominanda fecimus? Num ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, quæ nomine meo appellatur, in oculis veſtris? Ego quoq; vidi, dicit Dominus. Ite quæſo ad locum meum qui eſt in Silo, vbi collocaueram nomen meum à principio, & videte quid fecerim ei propter malitiam populi mei Iſrael. Nunc ergo quoniam vos feciſtis omnia opera iſta dicit Dominus, (etiam cum loquerer ad vos, maturè ſurgens & loquens, ſed non audiſtis, vocaui, ſed non reſpondiſtis) faciã domui, quæ nuncupatur nomine meo, in quam vos ſperatis, & loco huic quem dedi vobis & patribus veſtris, quemadmodum ipſi Silo feci. Et eijciam vos à conſpectu meo, quemadmodum eieci omnes fratres veſtros, vniuerſum ſemen Ephraim

Iam verò

IAm verò copiosius refutat vanã ipsorum in Templum fiduciam, sicuti prius cœperat, ac principiò per correctionem subiungit, Verùm quid dico de iusta emendatione, cum vos rebus nihili fidatis, nimirum Templo? Hinc eorum fiduciæ opponit, Nihil autem proderit vobis Templum. Id quod mox demonstrat. Etenim per interrogationem cum indignatione quapiam acriter eos obiurgãs, ait, An nõ pudet cõmaculatos omnib. sceleribus prodire in templũ meũ, ꝙ nomine meo appellatur, et nomini meo cõsecratũ est, ac ceruice erecta apparere palàm in meo cõspectu, deinde iactare purgatos vos esse à vitijs omnib. liberatosq; ab vniuersis calamitatib, nimirũ ꝙ templũ ingressi, sacrorũ spectatores fuistis? Scilicet. Germanicè significantius reddiderimus, Söllend jr mit allerley büberey vmbgon/vnnd denn in min kilch kummen/für mich ston/vnnd üch rümen jr syend le dig? &c. Pollicebantur enim sibi Absolutionem propter ingressum templi, ita vt quanuis facinora illa omnia (quæ commemorauit) patrassent, nihil damni tamẽ passuri essent. Mox autem & aliud multò indignius, & quod sententiam absoluat, subiungit. Num spelunca latronum est domus illa in oculis vestris? Dicit autem, In oculis vestris, pro more eius linguæ. Nos dicimus. Wo? für habend jr mir min huß angesähen? für ein huß Gottes/oder für ein mörder hüly? Iterum quoque addit, Scio vos in animum induxisse, quòd latere possitis, & vestra hypocrisi Deo & hominibus imponere. Sed fallimini. Ego enim omnes animi vestri recessus, conatus, omnes inquam cogitationes & machinationes prauas intelligo. Hæc hactenus de sententia prophetæ dixi. *Refutatur fiducia in Templũ.*

Porrò excutienda veniunt singularia quædam, deinde omnia adaptanda ad eruditionem nostram & doctrinam generalem, sine qua sermones prophetarũ non admodùm vtiles sunt. Species aliquot scelerum maximè receptas & vulgatas recensèt, similes alias comprehendit. Per furtum ergo intellexit dolos, fraudes, impostura, vsuras, & huius generis omnes artes alias malas. Cædes cõprehendit iram, odia, concertationes, inuidiam verbera, cædes varias, etiam latrocinia, parricidia & iniusta bella. Adulterium complectitur libidinem & immunditiem omnem, in mente, dictis & factis, obscœnitatem, spurcitiam, fornicationem, stupra & his adhuc impuriora, gladio & ignibus pianda. Falsum iuramentum comprehendit mendacia, perfidiam, iuramentorum & pactorum violationem. Licebit ei coniungere etiam execrationes, deiurationes, & blasphemias. Suffito, quod incenditur Baali, comprehenduntur ritus & cæremoniæ illicitæ omnes, adeoq; omnis idololatria, defectio à Deo & illegitimus cultus. Sequitur enim protinus, Sequimini Deos alios, quos non nouistis. Quæ sanè insignis est leuitas. Sæpe autem dixi, Alienum Deum omnem eum esse, qui colitur aut recipitur præter vnicũ, verũ & æternũ Deum. Nõ nouerunt Deos alios Iudæi, quia nullam de ijs certam & stabilem doctrinam habuerunt ex veritate, sed vanam duntaxat conceperant opinionem ex mendacijs figmentis ue hominum. Veniebant autem Iudæi satis supercilioſi in Templum, & stabant sine pudore in conspectu Domini, veluti bonam habentes causſam, quasi Deus non intueretur etiam intima. Quæ superbia admodùm Deo displicet, qui humilitatem cordis in omnibus probat eaq; de causſa peccatorem illum vnà cum pharisæo in templũ ascendentem, cuius in historia euangelica Lucas meminit, pharisæo arroganti & supercilioso præfert. Et quod sequitur, Liberati sumus, etiamsi cuncta hæc abominanda fecerimus, alij verterũt, eò quod fecerimus omnes abominationes istas. Q. d. Quoniam expiatione opus fuit, templi visitatione sumus expiati. Lutherus vertit, Es hat kein not mit vns/diewyl wir sömlich greüwel thünd. Est autem loquutio Hebraica, Super quam inuocatum est nomen meum: pro eo quod est, Quæ nuncupatur meo nomine. Appellabatur enim domus Dei. *Scelera grãdia* *Superbia hypocritarum.* *Luc. 18.*

Nos hodie eodem modo vocamus das Gottes huß. Loquutionis forma vbiq; in ſcripturis eſt obuia. Latrones antris vel ſpeluncis ſuis, raptores arcibus ita vtuntur, poſtquam miſeros deprædati ſunt viatores, recipiunt ac recondunt ſe in ſuos receptus & vt lateant & impunè ac ſecurè ſuis voluptatibus rapinisq; fruãtur. An itaq; conamini, inquit Dominus, mea abuti domo vt prædatores abutuntur arcibus & ſpeleis ſuis? Nam & vos graſſamini per omnia ſcelerum genera, deinde ad templum concurritis, vt ſine pœna voluptatibus veſtris frui poſſitis. Res iſta eſt abſurda vehementer, & abominanda prorſus. Quid meritus videretur obſecro, qui Curia ſenatoria veluti lupanari abuteretur? Redundat ignominia in ipſum Deum. Perizim appellant graſſatores, raptores, latrones & homines facinoroſos.

Applicatio huius loci.

Valet autem hic locus contra abuſum templorum pro iuſto vſu conſeruando. Non inutilia ſunt templa, ſed ad cœtus congregandos, ad audiendum verbũ Dei, ad publicas preces fundendas coràm Deo, & ad percipienda Sacramenta diuinitus inſtituta, & vt illi qui ingrediuntur templa diſcant iuſtitiam & operentur iuſtitiam. Abuſus itaque eſt, ſi ideò nos Deo gratos exiſtimemus quòd ingredimur templa, in quibus legitur & canitur & in quibus ſacra peraguntur. Non enim vel vidiſſe vel audiſſe ſufficit, niſi Deo verè crediderimus, & in integritate vitæ ambulauerimus. Diuus Hieronymus hunc locum prophetæ exponẽs, Præcepit, inquit, & tunc populo Iudæorum, & hodie nobis qui videmur in eccleſia conſtituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum ſplendore, auratiſq; laqueariis, & veſtitis parietibus marmorum cruſtis, & dicamus Templũ Domini, &c. Illud enim templum Domini eſt, in quo habitat vera fides, ſancta conuerſatio omniumq; virtutũ chorus. Et mox, Quid enim prodeſt audacter ingredi domus Dei limen, erecta ſtare ceruice, & non ſolum cor, ſed & manus habere pollutas furto, homicidio, adulterio? &c. Hæc ille. Iſta verò omnia applicemus noſtris tẽplis & noſtris moribus, & diſcamus non fidere templis, ſed Deo ſeruire in veritate, fugereq; omnem conſcelerationẽ ac hypocriſim. Quomodo autẽ hunc locũ adduxerit Seruator noſter in euãgelio ſecundũ Matt. in 21. cap. dixi in cõment. ad Euangel. Matthæi.

Nullus locus ſacer ſeruat ſceleratos.

Pergit conſequenter demonſtrare copioſius, locum nullum quantùmuis ſanctum, adeoq; templum nullum, peccatores incurabiles ſeruare poſſe ab impendentibus malis. Atque in hunc finem producit vetus exemplum, Ite obſecro ad locum meum, inquit, qui eſt in Silo. &c. Nomen ſuum Dominus ait ſe collocauiſſe ibi, & quidem ab antiquo. Nam ſub Ioſue duce & principe populi Dei, iuſſit Deus Tabernaculum erigere in Silo, ad quod venientes Iſraelitæ Dominũ adorent & nomen eius inuocent, quod legitur in libro Ioſue cap. 18. Locus ergo ille multis nominibus erat inſignis. Sed quid factum eſt tandem ei loco? Dum Iſraelitæ peccarent contra Dominum, & filij Heli abſque pudore prophanarent & religionem & nomen Domini Dei, ſicut exponitur in primo Samuelis libro, capitur arca à Paleſtinis, vaſtatur Silo & perit Iſraeliticus populus vnà cum ſuis ſacerdotibus, nihil ipſos iuuante vel Arca vel Tabernaculo. Hoc quidem exemplum eſt. Conſequentibus verò verbis, Nunc ergo quoniam feciſtis omnia opera iſta, &c. copioſe accommodat exemplum Iſraelitis, & infert, Quoniam ergo incurabiles eſtis ſicuti fuerunt patres veſtri, quos vnà cum Silo loco ſacro perdidi, perdam itaque & vos & templum in quo ſperatis inaniter, & terram quã dedi vobis & patribus veſtris, vt intelligant omnes omnium ſæculorum gentes, non loca ſacra, ſed pietatem ſeruare homines, impietatem verò perdere & loca ſacra & homines. Cæterùm obiter peccatum ipſorum exaggerat dum dicit, Loquutus ſum ad vos, & quidem ſatis opportunè ac in tempore. Id quod exponit dum dicit, Ma-

dicit, Manè surgens. Addit, Loquutus quidem sum vobis, sed non audistis. Deni que, Vocaui instar patris clamore valido per prophetas, sed non respondistis. Nos dicimus, Da was nieman da heym. Jr thatend der glychen / alls ob jrs nie gehört. Neglexistis me & spreuistis verbum meum. Vnde merito vestro maximo vastabo & excindam vos. Addit præterea & exemplum aliud petitum à ludæorum fratribus Ephraimitis, id est Decem tribubus, quibus Ieroboam regalia templa erexerat, quibus deniq; maxima erat Sacellorum, Excelsorum & multiplicium sacrorum copia. Sed cum hæc omnia retinerent contra verbum Domini, & nullam agerent pœnitentiam, eiecit eos Dominus ex terra Israelis, immisso eis Salmanasare rege Assyriorum, qui ipsos abduxit in Medorum terram. Ità itaq; dicit Ieremias, Cum peccatis & rebellione referatis fratres vestros, sequemini eos quoque in exilium.

Perierunt decẽ tribus cum suis sacris.

Hodie innumera habemus huius generis exempla, qui scimus in Asia, Aphrica & Græcia non profuisse vlla loca etiam vetustissima & sacerrima. Dum enim Christiani Deo nec verè crederent, sed hæresibus se polluerent, nec sanctè viuerent, per Saracenos & Turcas & Tartaros excisi sunt, nihil adiuuantibus locis celebrioribus. Dominus Deus noster animos nostros sic formet & imbuat, ne horum vnquam obliuiscantur.

Confutat vanã fiduciam, quam Iudæi fixerant in sanctorũ intercessionem & sacrificiorum oblationes.

CONCIO XXIX.

Et tu ne orauerís pro populo isto, neq; leuaueris pro eis clamorẽ & deprecatiõnem, neq; interceſseris apud me: quoniam nequaquam te exaudiam. An tu non vides, quid isti faciant in ciuitatib. Iuda & in plateis Hierusalem? Filij colligunt ligna, & patres incendunt ignem, vxores autem subigunt pastam, vt placentas faciant Reginæ cæli, & libent libamina dijs alienis, vt me ad iram prouocent. Num verò illi me irritant, dicit Dominus, an non seipsos potius, in confusionem facierum suarum? Iccirco sic dicit Dominus Deus, Ecce ira mea & furor meus effundetur (vel stillabit) contra locum istum, super homines & super iumenta, super ligna campi, & super fructus terræ, ardebitq; & nõ extinguetur. Sic dicit Dominus exercituum Deus Israelis, Holocausta vestra aceruate victimis vestris, & comedite carnem. Quoniam nihil loquutus sum cũ patribus vestris, neq; præcepi eis eo tempore quo educerẽ eos ex Aegypto super verbis holocausti aut victimæ: sed hoc verbum præcepi eis, dicendo: Audite võcem meam, & ero Deus vester, vos autem eritis populus meus, & ambulabitis in omni via, quam præcepi vobis, vt bene sit vobis.

Vana spes impœnitentiũ in sanctorum intercessiones.

SEcunda persuasio & inanis fiducia Iudaicæ gentis erat spes in sanctorum intercessiones ac deprecationes. Suadebat quidem Dominus per Ieremiam emendationem vitæ prauæ, quam nisi præstarent, omnigenis calamitatibus diuexandos fore, tandem & perdendos. Cæterùm cum assuetis corruptioni & sceleribus difficillimum adeòque impossibile videretur renunciare voluptatibus, & vitam viuere honestam, sobriam & temperantem, varia comminiscebantur & obiectabant prophetis morum magistris, quibus & sese consolabãtur, & prophetarum comminationes vertebant in dubium. Ita audiuimus istos pro se adduxisse Templi dominici prætextũ, quasi vastari & dissipari nõ possint, quibus sit incolume Domini templum. Iam etiam fidebant intercessioni sanctorum di-

cẽtes, Tot vbique in regno Iudaico sunt viri sancti & fœminæ religiosæ, quæ ôrant pro incolumitate regni, vt verisimile non sit hoc corruere & vastari posse. Similes hc die quoque voces ab his audimus, qui in cœlo & in terra viuos & defunctos sanctos precantur, vt per ipsorum interuentum liceat esse vel agere in pace. Tot, inquiunt, sunt vbique monasteria religiosorum cùm monachorum ac sacerdotum, tum nõnarum & deuotarum personarum orantium pro nobis, vt tuti simus satis, neq; tantillum sit nobis metuendum ab interitu. Ieremias autem refellit inanem hanc spem validissimè, idq; per oraculum vel reuelationem diuinam. Commemorat enim Dominum sibi prohibuisse, ne intercedat pro populo hoc. Atqui pastorum & prophetarum est sedulò orare pro populo suæ fidei commisso. Ita etiam Domino mandante. At cum nunc vetat quod alibi iubet, colligere potuit populus, nullas vllorum sanctorum preces à Domino recipiendas vel exaudiẽdas fore, atque adeò deprecationes & supplicationes in vniuersum omnes esse inutiles.

Pastor oret pro suo populo.

Obseruemus autem prophetæ eloquentiam & in dicendo vim ac proprietatem. Principiò in genere dicit, Tu ne oraueris pro populo hoc. Quoniam verò Oratio aliquot habet species, expositas ac enumeratas ab Apostolo quoque 1. Timoth. 2. subiungit Ieremias orationi deprecationem: pro qua alij laudem ponunt. Ego deprecationem malo. Deprecamur enim intentata mala. Postulamus quæ nobis deesse videntur bona. Apponit & aliam speciem, Neque leuaueris pro eis clamorem. Significat autem leuare clamorem, orationem intentissimam ac vehementissimam facere pro aliquo: veluti cum alicuius caussam agentes nobis non satis videtur loqui, nisi & clamando & illachrymando extorquere quodammodo videamur quod petimus. His omnibus accedit etiam Interces sio, cum medios nos inter dissidentes ingerimus partes. Germanicè vocamus *ynlegẽ vñ mittlẽ*. Germanicè ergo hũc locũ ferè reddere possemus, **Bitt nit für yn/erheb kein gschrey von yrentwägẽ/vnderstãd dich nit mich abzebittẽ/noch dich ynlegẽ vñ zemittlẽ gägẽ mir**. Caussam subiungit, Quoniã nolo te exaudire.

Orationis species.

Porrò cum scriptura multis in locis non tantùm pastores, sed omnes fideles iubeat preces offerre pro errantibus atq; peccantibus, sed & Dei promissiones extent liberales, pollicentes Deum, inuocantes nomen eius, exauditurum: præterea Moses & Samuel, & Helias pro populo errante precantes exaudiri legantur in sacra historia, denicq; Iacobus apostolus 5. cap. mandet & dicat, Orate pro vobis inuicem, &c. rogas fortassis, cur prohibeat Ieremiæ orare pro errante populo? Respondeo, nec simpliciter, nec in vniuersum prohiberi preces pro errantibus, sed duntaxat pro huiusmodi errãtibus quales tũc erãt Iudæi. Fidebãt enim inanibus precibus, quasi propter demurmuratas preculas adeoq; propter hoc opus orationis ac respectu eius absolui mererentur, tametsi interim in idololatria & sceleribus cõstanter pergerẽt. Huiusmodi hominibus nõ prosunt preces, neq; quisquã sperare debet se exauditũ iri, si interpellat pro talibus. Deus enim in primis requirit fidẽ & emendationẽ. Si verò quis fidẽ non habeat, & emẽdari nolit, sed quodãmodo peccet in spiritũ sanctum, renitens manifestæ veritati, ac nolit salutẽ recipere, quã tu tuis precibus ei cupis impetratã, quid obsecro, preces talẽ iuuarent Dei cõtemptorẽ & irrisorẽ? Similia legũtur Ieremiæ 15. dicẽte Domino: Si starent Moses & Samuel coràm me, non esset tamen animus meus ad populum istum. Et Ezech. 14. Si peccauerit terra, & fuerint tres viri illi in medio eius, Noe, Daniel & Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animam suam, &c. Et 1. Ioan. 5. Si quis viderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet & dabit ei vitam, &c.

Orandum pro errantibus.

Quatenus prohibitũ Ieremiæ pro populo orare.

Præterea subiecta mox ratione cur exaudire nolit, ostendit, An non vides quid pa-

quid palàm in conſpectu omnium hominum, & ideò impudenter fiat ab iſto populo in ipſis Hieroſolymorum plateis? Omnis ſexus, ætatis & ordinis homines mutuas tradunt operas ad prouehendam idololatriam & cultum illegitimum, quem tu tantoperè damnas, inſectaris & prohibes: illi verò ceu irridentes prouocantesq; Deum, in ſua impietate pergunt, veniamq; nec petunt, nec Deum adorant, aut ſecundum verbum Dei ſe emendant. Ergo cum tales ſint homines, non eſt quòd ſperent orationes multum apud Deum impetraturas, à quibuſcunque tandem offerantur. Rurſus verò redeundum eſt ad expoſitionem loquutionum. Reuincit Dominus reipſa, & veluti digito extento, demõſtrans coràm, irrefragabilem cauſam, cur audire nolit, ac per interrogationem etiam incendit orationem, & ait: An non vides quid iſti homines audeant, quàm illos nullius ſuperſtitionis pigeat aut pudeat impietatis? Deinde diſtribuit totum populum in iuuenes, in viros & fœminas: ſic inquam comprehendens & denotans omnis ætatis, ſexus & ordinis homines. Nec tacet quid agant ſinguli, ſingulis vtique ſuum illud tribuens. Liberi, inquit, colligunt & apportant ligna: viri focum excitant ſacrificia offerentes: materiam verò parant mulieres, dum paſtam ſubigunt, die wirckend oder knättend den teig / vt pinſantur placentæ, küchen/ zälten oder wäygen/ reginæ cœli. Breuiter in hoc intenti ſunt omnes, vt libamina fundantur diſs aliis: id eſt, ne ſoli mihi vel ſupplicetur aut immoletur, vel vt mihi ita, ſicut ego mandaui, ſeruiatur.

Cur noluerit Deus audire Ieremiam.

Ergo excuſati non ſunt ab idololatria, quicunq;, licet non ipſi ſacrificent propria manu, promouent tamen aut iuuant ſacrificia & cultum illegitimum, & quidem quouis modo. Sub eandem ergo culpam conſtringit pueros, ſenes, viros & mulieres, quæ pro ſua ratione & ætate & facultate, ſuperſtitionem iuuerunt. Alius quidem cædit viatorem, alius exuit & ſpoliat eundem, tertius obſeruat ne quis interueniat, eſt qui nouit latrocinio partam eſſe pecuniam, quam nihilominus accipit, aut ad conuiuia luxuriosa his pecuniis inſtructa, accedit: hi omnes latrocinij aguntur rei. Caueamus ergo, ne vllo modo iuuemus peregrina ſacra. Nam pronunciat contra nos verbum Dei, nos libaſſe aliis diis, & ad iram prouocaſſe Deum æternum. Rurſus enim monemus & inculcamus, hæc nobis eſſe applicanda & diſcendum Dei timorem religionisq; ſyncéritatem.

Inexcuſabiles omnes qui idololatriam quoacunq; modo iuuant.

Reſtat vt aliquid dicamus de Regina cœli. Interpretes omnes ferè, & mea quidem ſententia rectè, Lunam intelligunt, quòd ea inter aſtra veluti regina videatur: alij exponunt machinam cœli. Ac videtur inter ſydera Sol veluti rex, Luna verò ceu regina quædam decore & pulchritudine eſſe. Conſtat autem gentes, Ægyptios quoq;, Solem, Lunam & aſtra coluiſſe, nimirum vt bonas ac præſtantiſsimas Dei creaturas, quibus inſignis lux atq; virtus conceſſa ſit, & per quas eximia bona Deus conferat mortalibus Prohibuit autem Deus ſingulariter in lege ſua, ne populus ſuus Solem, Lunam ac ſtellas adoraret ac coleret. Vocantur ferè ſtellę vel ſydera Cœli exercitus, & dicitur in hiſtoria ſacra, Reges vel populum Iſraelis adorauiſſe & coluiſſe exercitum vel militiam cœli, nimirum quòd aſtra ritu exercitus ac copiarum, certa veluti acie inſtructa, ingrediuntur vel mouentur. Has verò ob cauſas vetuit Deus Solem, Lunam & militiam cœli adorare & venerari, quòd ſolus ipſe velit vnicè coli ab homine: deinde verò, quòd aſtra à Deo ſint condita, vt homini inſeruiant, illuminando videlicet vel lucendo, diſcriminandoq; noctẽ à die, & partiendo anni vices & tempora. Turpe autem fuerit ſubijci Dominum, hominem inquam, famulis, ijsq; inſeruire. Turpius eſt illa metuere & ab ijs pendere, quaſi beneficia ab ijs accipiamus, eademq; in nobis operentur noxia. Turpiſsimum item eſt & ethnicum prorſus ſtellis ſubijcere, ceu præſidibus, dominis & moderatoribus, annum & menſes

De Regina cœli, & cultu militiæ cœli.

4. Reg. 17. & 21.

atque dies. Vnde Dominus in Lege celebritatem instituit Neomeniarum, certè in creatæ lucis memoriam, & ne menses vel Iano vel Marti vel alijs dijs subijcerent, sed Deo gubernatori omnium, à quo solo penderent. Diabolus verò, qui instituta Dei peruertit, hac occasione abusus, cultum astrorum Iudæis inspirauit: qui haud dubiè sic ratiocinabantur. Cum Deus instituerit Neomenias, quas celebremus in initio quorumlibet mensium, luna tunc veluti renascente, quid prohiberet, quò minus liceret in gratiam tam pulchri luminis, & veluti reginæ cœli, aliquid offerre sacrificij? Parabant itaque mulieres placentas, quas vocamus aliâs libas, easq; in honorem Lunæ offerebant. Hunc suum errorem potuerunt vtcunque tueri & ornare, dicendo: Deum sanè colimus, cum verò is tanto decore ornarit Lunam & stellas, & virtutem habeant mirificam, quare non veneraremur illas, quas videmus à Deo tam pulchra donatas ac veluti honoratas luce? Sic enim audias hodie etiam plurimos suum errorem cultus videlicet mortuorum sanctorum, defendere ac dicere, Non deserui quidem Dominum, neque sanctos eius veneror pro ipso Deo. Colo enim & adoro Deum conditorem omnium: simul autem colo ac veneror etiam in cœlis iam regnantes sanctos, eò quòd Dominus superstitibus adhuc in terra admiranda contulerit dona, & per ipsos mundo ingentia præstiterit beneficia. Quando itaque Deus ipsos sic honorauerit, cur non liceat mihi eosdem venerari & colere? Hi ergo imagines construunt Diuis, erigunt aras atque sacella, instituunt ferias & adferunt his sacrificia. Quæ dum faciunt & offerunt, asseuerant se illa facere & offerre in honorem Dei ac sanctorum eius. Cur non pari ratione incipiunt & Soli, Lunæ ac astris construere imagines, aras & cultum, quem ijs exhibeant nomine Dei vt pulcherrimis & saluberrimis eius creaturis, nobis suo ministerio vtiliter inseruientibus? Cæterùm cum hic attoniti subsistant, desinant sanctis quoque exhibere cultum propter virtutes ipsis concessas à Deo. Colant auten. solum Deum, mirentur autem pulcherrimas creaturas, & per contemplationem ipsarum moderatam rapiantur in conditoris omnium venerationem, iusteq; Deo quæ Dei sunt tribuant, & creaturis quæ creaturarum sunt, meminerintq; semper Deum præcipere, solum adoremus & colamus, astra quoq; & sanctos Dei esse creaturas ac ministros sicuti & angelos, qui cultum à se longè semper repulerunt. Colligant ergo multo minus astra atq; homines esse colendos. Diserta enim sunt verba angeli dicentis Ioanni adorare volenti angelum, Vide ne feceris, Conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum & eorum qui seruant verba libri huius. Deum adora. *Apoc. 22.*

Virgini Mariæ olim in Arabia placentæ sunt sacrificatæ.

Atque hic commodùm recordor eorum quæ olim apud Epiphanium in Panaria legi: mirè enim huc quadrant. Disputans enim contra Collyridianos hæreticos, Quædam mulieres, inquit, currum quendam siue sellam quadratã ornantes, expanso super ipsam linteo, in die quadam illustri anni per aliquot dies panem proponunt & offerunt in nomen Mariæ (quam hodie receptũ est appellari reginam cœli) Omnes autem pane participant. Et reliqua. Appellat autẽ doctor hic orthodoxus & catholicus sicut ipsum appellat S. Hieronymus, ritum istum hæresim simulachrificam. Idẽ in epistola ad Arabes. Narrant, inquit, quòd quædam mulieres in Arabia, hanc vanitatem inuexerunt, vt in nomen semper virginis collyridem (κολλυρίδες, ne hoc ignores, tortæ panis vel placentæ appellantur. Vide an non sathan errorem & cultum veterem Ieremiæ temporibus, Lunę exhibitum, reparare & retorquere voluerit in beatam Virginem?) quandam sacrificent, ac simul congregentur nephario ac blasphemo negotio: & in nomen eius sacra celebrẽt per mulieres. Quod totum impium est & nepharium, alienũ à prædicatione spiritus sancti, vt sit totum diabolicum opus & spiritus immundi doctri-

di doctrina. Hæc ille. Quæ cum alioqui vehementia sint, vera tamen, si quis hodie dicat, habebitur pro hæretico omnium impurissimo.

Apparet autem Iudæos hunc cultum Reginæ cœli, vt complures hodie Virginis, mordicus retinuisse, & quantò diligentius oppugnauit ipsum Ieremias, tantò pertinacius illos ipsi inhæsisse, adeò vt nõ erubuerint in faciẽ vati dicere, Retinebimus hunc nobis Reginæ & militiæ cœli cultum, tametsi millies tu asseueres istum displicere Deo ac damnari à Deo. Non audiemus itaq; verbum illud Dei quod cultum istum nobis prohibet. Similia propemodum illos contrà prophetam furibundo ausu pronunciasse legimus in cap. 44. At ita ipsum Deum prouocabant ad iram, & vt nos dicimus, Trätzerend Gott. Proinde propheta inducit Deum loquentem atque dicentem, Num verò illi me irritant, ac non potius semetipsos, idq; in confusionem vultus ipsorum? Nihil inde ad me redit mali: sibi ipsis non mihi nocent. Nam ex illa pertinacia & prouocatione confundentur. Docent hæc nos, nostra prouocatione & pertinacia (veluti cum dicimus, Pergam in hoc meo instituto semel cœpto, vtcunq; occlament prædicatores, peccare me contra Deum, pergam inquam, rumpantur vt ilia pfaffo) nihil nos vel Deo vel ministris damni dare, sed iudicium Dei in nos prouocare & aggrauare nos pœnis Dei grauissimis.

Cultus Reginæ cœli mordicus est retentus.

Sequitur enim in propheta, Iccirco sic dicit Dominus Deus, Ecce ira mea & furor meus effundetur, aut stillabit, id est, paulatim & per incrementa deueniet super locum istum, templum inquam & vrbem, & super homines & iumenta, &c. Exponit modò quomodo sint confundendi. Respondet autem supplicium peccato. Nam illi quoque ignem nephandi sacrificij excitarunt, nec vllis potuit modis extingui à Ieremia. Sed & mutuas contulerunt operas pueri & senes, viri & mulieres, quò procederet idololatria. Proinde Deus etiam ignem furoris sui excitauit inextinguibilem, qui non parcat vlli sexui aut ætati, imò ne animantibus quidem, arboribus aut frugibus terræ, nimirum vt horum interitus vergat ad perniciem idololatrarum. Sic inquam confundentur pertinaces idololatræ & excindentur radicitus, vastatis prius rebus ipsorum omnibus. Ergo cum videamus diuinam iram in nullam rem magis inflammari, quàm in superstitiosos cultus & in idololatriam, relicta & calcata hac pendeamus posthac à solo Deo, quem & solum adoremus & colamus ac inuocemus per Christum Dominum nostrum.

Supplicium sumptum de pertinacibus.

Tertia persuasio & vana fiducia Iudæorum erat in sacrificia. Dicebant enim, Cum iuge sacrificium perpetuò offeratur, deinde altare holocausti subinde fumet ex victimis statis & votiuis, & homines in templum dona maxima inferant, fieri non potest quin his placatus Deus, nobis parcat, & incolumes atq; in pace conseruet in patria. Non minima fiducia & in Papismo collocatur à multis in sacrificia, dona ac anathemata. Verùm cum nihil profuerint sacrificia Iudæorum præcepta à Deo, certissimum est prohibita à Deo sacrificia minus profutura. Nunc enim Ieremias conuellit fiduciam Iudæorum collocatam in multitudinem sacrificiorum. Et cum hæc res multis videretur incredibilis, maluit Dei quàm suis verbis vti propheta. Subiungit ergo, Sic dicit Dominus exercituum Deus Israelis: qui titulus sanè magnificus, est & cõsequenti doctrinæ maximam authoritatem conciliat. Iubet autem Deus & holocausta & victimas, id est, omnis generis sacrificia & oblationes in vnum congerere & collocare aceruum, ac ipsos edere carnes. Resipit stomachum loquutio, veluti cum nos dicimus, Legends alles vff ein huffen/vnd frässends selbs. Vos inquam edite carnes hircorum, vitulorum, boumq; : ego illis nec delector, nec illis egeo. In summa, Vobis, inquit, retinete sacrificia vestra, in vestros vsus, ego quidem nec

Contra spem in sacrificia & oblationes.

volo, nec probo, neq; indigeo. Proinde frustra confidebant sacrificijs Deo ingratis. Reprobat alibi quoq; Deus sacrificia illa carnalia, vt Isaiæ 1. Micheæ 6. Malachiæ 1. Psalm. 50. & multis alijs in locis. Causſam suíjcit mox cur reprobet, Quoniam nihil loquutus sum cum patribus vestris, &c. Proinde cum careant sacra vestra mandato Dei, prophana sunt. Obseruemus in præsenti quid sanctificet & gratum faciat Deo cultum nostrum, nimirum verbum vel præceptum Domini. Quapropter quæ fiunt extra vel contra verbum Dei, Deo sunt ingrata, adeoq; cultus sunt prophani, quibus Deum non placamus, sed offendimus, ac ad iram prouocamus. Hoc primarium veræ religionis fundamentum contemnunt quotquot Deum colunt ex propríj cerebri & adinuentionis propriæ intentione ac regula. Atqui talia sunt propemodum omnia, quę in Papismo habentur prima vel potíssima.

Vera sanctificatio Dei institutio.

Videtur autem hic exoríri euidens antílogia. Dicit enim Dominus, Nihil locutus sum cum patríbus vestris, eo tempore quo íllos educerem ex Ægypto, nimirum per desertum Sinai, de verbo, id est, de causſa vel negotio holocausti & victimæ vel sacrificij. Atqui si consulamus Leuíticum, asserit Moses, quòd quæcunque de sacrificijs, victimis & holocaustis ibi tradidit, ex authoritate Dei tradiderit. Quomodo itaq; hic dicitur nihil præcepisse Deus de sacrificijs? Respondet S. Hieronymus in Comment. suis ad Ieremiam, & dicit, Quorum reprobauit templum, consequenter reprobat & sacrificia, & obliquè arguit eos quòd nõ veneratione sui, sed epularum desiderio immolent victímas. Quod autem ait, Non sum loquutus cum patríbus vestris, &c. manifestè intelligitur quòd primũ decalogum dederit in tabulis lapideis, scriptum digito Dei, & post offensam idololatriæ caputq; vituli, postea iusserit sibi magis fieri quàm dæmonibus, auferẽs puram religionem mandatorum Dei & concedens sanguinem victímarum carnisq; desiderium. Hæc ille. Quid si dicamus, Deum in præsenti non negasse simpliciter nihil se loquutum cum patríbus de sacrificijs, sed secundum mores ludæorum deprauatos? Loquutus est ergo Deus cum patríbus de offerendis sacrificijs, modumq; tradidit sacrificandi finemq;, sed non íllum quidem, quem Ieremiæ seculo tenebant. Sic inquam præcepit Deus sacrificia & non præcepit. Præcepit ritè offerre, non præcepit illegitimè immolare. At cum illegitimè nunc immolarent Iudęi, rectè dicit Dominus, nihil tale se præcepisse patríbus. Quid ergo illud est quod præcepit seruandum in sacrificijs & oblationibus omnibus? Ante omnia docuit se esse solum Deum verum & patrem populi sui, qui solus largiatur omnia animæ & corporis necessaria: qui velit dare filium vnigenitum mundo, vt moriens expiet peccatum, resurgens autem vitam reparet donetq; fidelibus suis vitam æternam. Proinde requisiuit Deus in primis à suo populo fidem, deinde charitatem & obedientiam. Quam quidem rem Sacramentis adumbrauit, sacrificijs inquam, typis signisq; beneuolentiæ diuinæ & redemptionis nostræ, denique officij quoque nostri significationibus & admonitionibus. Legitimè ergo sacrificabant, qui vera fide imbuti, à solo Deo pendebant, huic pro beneficijs gratias agebant, ideoq; soli sacrificabant, in sacrificijs non spectantes ritum externum, sed magis mysterium ritus, ipsum inquam Christum, hostiam piacularem, veram & sempiternam: denique qui obstringebant se Deo ad obedientiam, deinde etiam obediebãt. Et sic immolarunt Deo omnes sancti patres, & placuerunt Deo, cùm ipsi tum ipsorum sacrificia. Illegitimè sacrificabant, qui præterito spíritu sacrificij, duntaxat externo operi erant intenti, atq; adeò sperabant propter hoc opus, vt aiũt, operatum sese placere Deo, & ipso dono oblato se demeruisse Deũ. Et ita offerebant Iudęi, quos in præsenti vituperat Ieremias. Nihil autem tale Deus vnquã cogitauit, neq; sic patres sacrificare iusſit. Quid ergo?

Quomodo iusſerit Deus sacrificare & quomodo non iusſerit.

Quomodo legitimè offeratur.

ergo? Sequitur in Ieremia, quod hanc nostram expositionem confirmet, Sed hoc est verbum quod præcepi eis, &c. Audit autem vocem Dei, qui prædicationem verbi magni facit, & diligenter audit, deinde credit verbo, atq; eam ob causam Deum habet pro patre suo, ac se in rebus omnibus ita gerit, vt decet Dei filium, qui videlicet non suo arbitrio viuit, sed ad voluntatem patris, in omni vtique via Dei ambulans. Obserua hic iterum nos restringi ad viam mandatorum Dei, neq; liberum permitti nobis, vt quod volumus faciamus, & ita seruiamus Deo, sicuti nobis videtur bonum & decens. Ad hunc verò modum sacris participanti promittitur felicitas. Sequitur enim, Vt bene sit tibi. Quo dicendi genere comprehenditur omnigena felicitas.

Conferamus cum his Sacramẽta nostra. Si quis voluerit Deo placere quòd Missas frequentet, audiet à Domino haud dubiè, Nihil ego tale præcepi meis apostolis & patribus tuis. Non enim probatur Deo exterior Sacramenti participatio, aut Missæ sacrum, quod plurimùm variat à prima Christi institutione, neque eum finem habet, quem Christus instituens spectauit: sed probatur primùm quidem obedientia, vt sacrum hoc ita celebremus sicut Christus instituit: deinde probatur Deo interior fides pietasq;, qua fit, vt non externè duntaxat participemus Sacramentis, sed internè quoque adimpleamur cœlestibus bonis, viuamúsque deinceps vitam Christo dignam. Cui gloria in secula seculorum. Amen.

Demonstrat vt patres Iudæorum, ita ipsos quoq; Deo semper esse rebelles, grauiterq; hoc ipsorum peccatum accusat.

CONCIO XXX.

Sed non audiuerunt neq; inclinarunt aurem suam, sed ambulauerunt in consilijs & in prauitate cordis sui mali, & fuerunt à tergo & non ante: ab eo die quo egressi sunt patres vestri de terra Ægypti, vsq; ad hũc diem, missiq; ad vos omnes seruos meos prophetas, quotidie manè consurgens & mittens: sed non audiuerunt me, neq; inclinauerunt aurem suam, quin potius indurauerunt ceruicem suam, deteriores patribus suis facti. Et loqueris (nunc quoq;) *ad eos omnes sermones istos, sed non auscultabunt tibi, clamabis ad eos, & non respondebunt tibi. Dic ergo eis, Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, neq; accepit disciplinam. Perijt fides, & excisa est ex ore ipsorum.*

DIxit propheta quid Dominus requisiuerit à patribus, ei mox opponit patrum inobedientiam & rebellionem, quam grauiter accusat, ac sermonem sic temperat, vt omnia accommodet sui seculi hominibus, quos aliud interim agens grauiter increpat. Quanquam mox disertis verbis illos ipsos etiam suos homines compellet & dicat, Et loqueris nunc quoque ad eos omnes sermones, &c. Pertinet autem hic locus ad pœnitentiam, vtpote ex quo discimus, quomodo accusanda sit in ecclesiasticis cœtibus hominum inobedientia vel rebellio. Cuius quidem increpationis finis est, peccatum agnoscere commissum, precari à Deo veniam, & resipiscere. Claret illud quoque, exemplum maiorum frustra adduci in causis dubijs, dum non constat factum maiorum à verbo Domini non dissentire. *Inobedientia patrum & filiorum.*

Patres, inquit, non audierunt, id est, non obediuerunt. Vel ipsos prophetas prædicantes audire noluerunt. Inueniuntur enim qui conciones ceu pestes refugiunt, ac concionatores crimine hæreseos conspuunt, dicentes se nolle audire *Non audierũt.*

Inclinare aurem.

hæreticos. Addit propheta aliud, Neq; inclinauerunt aurem suam. Erant enim auditores quidem, ex more audientes sacras conciones, fortasis quòd viderent regem Iosiam ita præcipere. Aderant ergo concionibus, sed peregrinabatur interim animus, neq; animum aduertebant. Est enim loquutio, Inclinare aurem, metaphora petita ab illis, qui cum animum habent paratissimum discendi, & libenter audirent ea quæ dicuntur ipsis, cuperentq; nihil diffluere aut in ventum spargi, sed se assequi ac retinere posse singula, aures, inclinato capite ad dicentem, arrigunt. Proinde non inclinare aures, est nulla cum voluntate & attentione beneuolentiaq; auscultare. Intendit verò precibus aurem suam Dominus, quando beneuolè audit annuitq; votis nostris. Requiritur itaque à pijs verbi Dei auditoribus, ne auribus duntaxat corporis auscultent, sed animi potius audiant beneuolentia, delectationemq; sentiant ex ijs quæ dicuntur, id est, vt cum fide audiamus.

Ambulare in consilijs suis.

Cum autem non obediuerunt Deo, quid ergo fecerunt? Ambulauerunt, inquit, in consilijs & in prauitate cordis sui mali. Ambulare quid sit, sæpe iam diximus. Consilia alij verterunt voluntates, alij artes. Prauitatem cordis interpretantur alij intentionẽ, & vt Germanicè reddam, **nach jrem gůt beduncken**, alij respectum, quod videlicet ipsis visum est: id quod cum priore congruit: alij libidinem, **gluſt vnd můtwillen**. Cæterùm duo in ijs accusat. Principiò quòd animos suos non permiserunt formandos & instituendos solo Dei verbo, sed hoc præterito, ipsi sibi ipsis religiones & cultus Dei effinxerunt ex animi sui sententia. Quod quidem peccatum, vt grande, & omnium coràm Deo truculentissimum est, & sanguis appellatur Leuit. 17. ita innumeros inuenias, quibus videatur hoc virtus non vitium esse. Sed apparet in contentione regis Saulis victoriosissimi, & prophetæ Dei sanctissimi Samuelis, summè displicere Deo delectitios illos cultus, & ex nostra intentione enatas religiones. Legatur 15. cap. prioris libri Reg. & 66. Isaiæ. Deinde accusat in patribus & in sui seculi hominibus, quòd non tantùm in religione Deo rebelles apparerent, sed in moribus quoque & externa conuersatione sese Deo opponerent. Vitam enim suam non instituerunt ad præscriptum legis, sed pro animi sui libidine viuebant in luxu, libidine, profusione opum, in crapula, alijsq; fœdis moribus. Ac fit omnino, vt qui Deum non colunt fide obedienti, illi ipsi turpissimam etiam vitam exigant.

A tergo & non ante.

Conatur autem prouerbiali sermone totam ipsorum corruptelam complecti, & omnium oculis exponere, & ait, Et fuerunt à tergo & non ante. Vel, vt alij exposuerunt, Retrocesserunt, & progressi non sunt. Lutherus vertit, **Sy giengend hinderſich vnd nit fürſich**. Aliter/**Sy kartend mir den rugken/vnd nit das angeſicht**. Certè vulgò dicere solemus de nihil promouentibus, **Es gadt die ſach nit fürſich**. Hæret caussa, non progreditur. Sed amplius quid dicere videtur Ieremias: nimirum. Non modò nihil promouent nostri homines in pietate & iustitia, sed in deteriora subinde relabuntur, illis etiam sese nequiter implicantes, à quibus aliquando bene fuerant expliciti. Mox subiunget expositionem, dicendo, Deteriores facti sunt suis patribus. Sanctus Hieronymus, Cordis sui, inquit, fecerunt desideria, & contra Apostoli sententiam, qui præteritorum obliuiscebatur, & in priora se extendebat, fecere contraria, vt præterita cuperent, & futura contemnerent. Hæc ille. Si verò ab itinerantibus videtur petita parabola, iam in eundem recidit sensum. Diclmus enim illis, qui proficiscentes in itinere præ torpore & ignauia assequi non possunt, **Jr ſind immerdar dahinden**. Quasi quis dicat, Ignaui estis & desides. Ita propheta dicit, Facti sunt retro & non ante, id est, magis promo-

Philip. 3.

uerunt

uerunt in vitijs quàm virtutibus. Hoc ipsum malum consequentibus amplificat, & dicit morbum hunc ipsorum non esse nuperum, sed planè inueteratum. Ab eo enim die, quo patres vestri egressi sunt ex Aegypto in hunc vsq; diem, vestri estis similes. Murmurarunt patres vestri contra Mosen, fuderunt sibi vitulum, quem & adorauerunt in deserto, sub Iudicibus & Regibus semper fuerunt rebelles: tales esse pergitis vos quoq; qui nunc viuitis, & ab illis rebellibus prognati estis, mali corui iuxta prouerbium, malum ouum.

Interponit modò Dei paternam curam, fidem & diligentiam, qua ipsos ad bonam frugem reducere curauit, vt interim appareat illos tales fuisse, nulla Dei, sed sua ipsorum culpa propria. Deus enim, Ego, inquit, misi ad vos, non vnum modò aut aliquot seruos meos, sed omnes seruos meos prophetas. Quibus significat prædicatores se ipsis in magna misisse copia. Quo illud quoque pertinet, quod addit se quotidie surrexisse, quotidie inquam, id est continuè. Cui & aliud accedit, quod manè, id est maturè satis surrexit atq; prophetas misit, qui à malis reuocarent ad bona, atq; ita perituros alioqui seruarent. Sumptum id est à fidis diligentibusq; patribusfamilijs, quibus receptum est manè surgere & familiã excitare, atque ad operas dirigere. Inuenitur hæc eadem loquutio alijs sæpe, præcipuè verò 2. Paralip. vlt. Nec abludit multum ab his sermo Domini in euangelio, dicentis, Ecce ego mitto ad vos, &c. Matt. 23. Quod enim nunc, temporibus inquam Ieremiæ, dicit se fecisse Dominus, id omnibus facit temporibus, hodie etiam parando viros prædicando euangelio idoneos, atq; mittendo, vt mundũ periturum reuocet ad salutem. Quo nomine, nisi cæci essemus, perpetuas Deo ageremus gratias: nunc verò adoperimus Dei seruos omnibus contumelijs & iniurijs. Id quod & tunc ingratos fecisse, cum hæc dicerentur à Ieremia, mox ijs quæ dixerat opponit, Sed nõ audierunt me, neque inclinarunt aurem suam. Vtrunq; superius exposuimus. Addit aliquid deterius, Quin potius indurauerunt ceruicem suam. Obedientiæ & humilitati consecrata est ceruix. Significatur ergo illos fuisse Deo non tam inobedientes, quàm rebelles. Quales hodie quoque sumus, dum nobis annunciatur salutare Christi euangelium. Subnectit præterea gradum postremum & omnium pessimum, Superarunt malitia, rebellione & cõtumacia patres illos suos, quos diximus tamẽ fuisse pessimos. Quales ergo hi sint, facilè licet colligi, cum pessimis sint peiores.

Deus semper reuocat peccatores.

Cæterùm per consequentia significantissimè ac expressè admodum totam illam accusationem ita in ipsos retorquet, vt nemo potuerit de patribus duntaxat exponere, non etiam de posteris patrum, prognatis ex malo catulo catulis pessimis. Dicit enim, Ac in præsentiarum quidem annunciabis his quoque tuis hominibus, inobedientium patrum filijs contumacissimis, omnia quæcunq; in mandatis accepisti à me ipsis prædicanda: sed non animum aduertent. Clamabis quidem strenuè satis, illi verò tanquã nihil vel audierint, vel ad ipsos quę dicta sunt, nõ pertineant, nullam edent significationẽ obedientiæ, nihil respondebũt, non emendabunt corruptissimos suos mores. Hæc autem videntur inculcari prophetæ, non quòd labor eius omnino inanis sit futurus, sed ad confirmationẽ potius, ne dum experitur auersari plerosq; salubres prædicationes, fortè non pergat in commisso munere, sed desistat magis. Vtcunq; enim refragetur salubribus prædicationibus maior insanientis & nunquam ferè sapientis vulgi pars, habet tamen veritas locum suum apud electos aliquot, Isaia quoq; attestante & dicente, Vt terra ab imbribus irrigata semper suum profert fructum, ita verbum meum non redibit ad me vacuum, sed prosperabitur in his ad quæ misero illud. Cui accedit, quod tametsi apud nullos auditores nullum proferret fructum, tamen iustitiam Dei commendat atque in iudiciũ auditur à rebellibus. Qui sanè fructus

Accommodantur hæc omnia præsentibus.

Pergendum in munere prædicatoribus.

est amplissimus. Proinde quibus functio prædicandi demandata est, caueant ne vnquam ignaui sint in suo munere, prætexētes, se nullo aut minimo cum fructu prædicare. Alibi enim dicitur, Siue verò audiant siue non audiant, tu annuncia bis eis verbum meum.

Postremò itaq; ne sibi ipsis placerent & crederent se iustos esse, mandat Dominus semel absq; parabola & libere, ipsis in faciem edicat atque pronūciet quales sint, atq; ita ipsorum ipsis encomium significanter canat. Dic ergo, inquit, ad eos, Hæc est illa gens quæ non audiuit vocem Domini Dei sui. Iubentur ad hūc modum omnes concionatores laruam detrahere omnibus hypocritis, ipsosq; vt gere grauiter & obiurgare in faciē. Graue & intolerabile ipsis videbatur, haud dubiè, audire se gentem esse impiam, vt pote quæ nunquam obedierit Deo suo. At reuera ita habebat res. Dominum enim Deum, quæ est impietas summa, nūquam animis audierant loquentem placidis & obsequentibus. Semper concitati contumaciter fuerant Deo reluctati, & rebellabant verbo eius etiam nunc. Subiungit aliud æquè malum, Non accepit disciplinam, neq; recipit adhuc. Lutherus vertit, Sy wöllend sich nit besseren. Alij, Sy nemmend kein züchtigūg an. Dicit autem illos non posse cogi in ordinem, neq; verbis quidem acrioribus neq; Domini castigationibus. Quibus omnibus colophonem adiicit omnium pestilentissimum, Periit fides, & excisa est ex ore ipsorum. Quæ verba Luth. exponit. Sie trächt leer ist dahin/vnd sy predigend nüt me daruon. Non inelegāter sanè: sed videtur tamen fides extendenda latius, quòd neq; Deo neq; hominibus vllam amplius fidem ac veritatem præstent, & quòd religione vera exciderint, & toti in rebus politicis ex mendacijs consuti sint. Proinde, inquit, non possunt amplius vllam ioqui veritatem. Omnia quæ cogitant & loquuntur, vana & falsa sunt. Sed multo euidentius est quod habet ipse Ieremias, Fides est excisa ex ore eorum. Quæ enim extirpata sunt, nunquam succrescunt amplius. Dicit ergo ita corruptos esse, vt nulla restet spes emendationis. S. Hieronymus hunc locum explanans, Pulchrè, inquit, vt ante iam dixi, nequaquam populum suum sed gentem vocat. Quod licet & in tempore prophetarum ex parte sit factum & in vmbra præcesserit & in imagine, tamen plenius completur in Christo, quādo noluerunt recipere disciplinam, & vocem sui Domini contempserunt. Vnde eleganter infertur, Periit fides, quæ propriè Christianorum est, & ablata est de ore eorum, omnis videlicet filij Dei fideiq; confessio. Hæc ille. Et certè cum verbo Dei prædicato auscultare nolumus, vel cum segniter hoc audimus, nulla esse potest in nobis fides, vnde & de fide nullus habetur etiam sermo, multo minus fit fidei vlla confessio. Est autem hæc deplorata impietas. Dominus Iesus inspiret nobis iustam obedientiam, fidemq; & fidei veram confessionem, Amen.

Incredulitas Iudæorū temporibus Christi prædicta à Ieremia.

Denunciat impœnitentibus pœnas graues, pœnarumq; nouas veluti causas attexit.

CONCIO XXXI.

Tonde ergo comam tuam, & abijce, attollito lamentationem in excelsis, quoniam reppulit Dominus & dereliquit generationem indignationis suæ. Fecerunt enim filij Iuda malum in oculis meis, dicit Dominus, posuerunt abominationes suas in domo quæ vocata est nomine meo, vt contaminarent eam. Et ædificauerunt excelsa Tophet, quæ est in valle filij Hinnō, vt comburāt filios suos & filias suas igne, id quod nūquā præcepi neq; venit in cor meū. Propterea ecce venient dies, dicit Dominus, vt non dicatur amplius Tophet & vallis filij Hinnom,

lij Hinnom, sed vallis occisionis: sepelient enim in Tophet donec locus non sit. Et erit cadauer populi huius in cibū auibus cœli & bestijs terræ, & nō erit qui absterreat. Ego quoque efficiam vt cesset in vrbibus Iuda & in plateis Hierusalē vox lætitiæ & vox gaudij, vox sponsi & vox sponsæ: quoniā terra redigetur in desolationem.

DIxit propheta perijsse in populo fidem, eamq; ex ore ipsorum esse excisam, eaq; de causa iam denunciat ipsis supplicium à Domino. Miscet interim pro more suo pœnæ vel supplicij causas iustas, adeoq; nouas attexit prioribus, vt omnibus appareat gentem Iudaicam nulla Dei morositate, sed propria perite culpa.

Ergo cum tristissima velit eis denunciare à Domino, iubet ipsos sumere habitum lugentium. Propheta loquitur cum populo nomine Dei: Deus non loquitur cum propheta, iubens ipsum radere caput. D. Hieronymus hunc explicans locum, Et Iob inquit, audita filiorum & filiarum morte, capillos legimus totondisse. Et apud veteres erat hæc omnium consuetudo lugentium, tondere cæsariem. At nunc è contrario, comam demittere, luctus indicium est. Hæc ille. Duo autem mandat ludę propheta. Principiò, Sumite vobis, ait, habitum lugubrem. Per speciem enim genus intelligit, omne videlicet quod ex more patrio ad luctū pertinere videtur. Germanicè dicimus, Trag leyd, Lugeto, significantes accidisse aut mox vsu venturum res lugubres aut tristes, ob quas quis meritò plangat vel lugeat. Deinde iubet, Tolle lamentationē in excelsis. Etenim qui lugent, eiulatibus aera complent. Eiula, inquit, vt in excelsis atque adeò in ipso cœlo intonet: id est, clama validissimè, non autem clamorem lætitiæ vel gaudij, sed planctus & lamentationis. Caussam verò mox subiungit & ait, Quoniam respuit Dominus, &c. Respuit dixit, pro eo quod est neglexit, reprobauit, vel vt contēptissimos præterijt, & vt Oecolamp. vertit, **hats faren lassen vnd jren kein acht me gehept**. Hactenus enim oculos posuit, sicut loquitur scriptura, super eos, id est curam ipsorum habuit diligentissimam accuratissimamq;. At negligere Dei vel respuere, quid aliud est quam perdere? Sequitur ergo, Et dereliquit: id quod alij verterunt, dissipauit. Disiunctum enim, coniunctissimum alioqui populum ab antiquo, & ideò fortem, dissipauit vel disperſit, primùm quidem in factiones, deinde verò in gentes, per bella infelicia & captiuitates miserrimas. Factum autē dicit schemate prophetico, quod certissimè futurum præsciuit. Dissipat autem Dominus generationem indignationis iræ aut furoris sui, id est populū cui meritò succenset, & qui ipsum prouocat ad iracundiam.

Iubetur lugere populus.

Attexit his porrò veluti nouas malorum & reiectionis caussas. Hactenus enim commemorasse videtur quomodo peccauerint contra Deum, quem non ita vt instituerat coluerint, præuaricando iura, ritus & leges diuinas: nunc verò subijcere videtur quomodo peccauerint contra Deū electitijs suis religionibus. Præterita enim & neglecta lege diuina proprium cultum confinxerunt, ipsumq; contumaciter Deo obtruserunt. Nā peccatur in cultu Dei dupliciter. Principiò enim cum Deus nobis aliquid disertè præcipit modumq; adijcit quomodo præstemus illi quod requirit, nos verò id quod præceptum est facimus, sed non prorsus eo modo quo facere iussit: vel cum facimus quidem omnia legitimè ad verbum mandātis, sed habemus interim nostras & alienas à Deo eiusq; institutis opiniones, peccare contra Deum & legem eius præuaricari nos dicit scriptura. Exemplis res fiet perspicacior. Iussit Deus sibi soli sacrificia in vno loco offerri, in memoriam peccatorum, in expiationem deniq; & gratiarum actionem. Contra hanc legem sic peccarunt Israelitæ. Sacrificarunt quidem Deo, sed

Peccatur in cultu Dei dupliciter.

non in templo ad aram holocaustorum, sed in excelsis. Vel sacrificarunt quidē, sed non soli Deo. Rursus sacrificauerunt Deo quidem soli, & in templo quoque & prorsus eo modo quem præscripsit, sed ex opinione interim falsa, præcipuè autem sine fide, pœnitentia & dilectione, vnde & peccasse dicuntur. Existimauerunt enim se purgari, non propter Christum, cuius sacrificia typi erant ac symbola vel sacramenta, sed propter opus, vt vocant, operatum. Ea opinio noxia erat & blasphema. Nos quoq; orare docuit Dominus, & orare iussit, mandans interim oremus fide, inuocemus Deum solum per interuentum solius Christi. Peccant autem contra hanc legem Christiani, cum orant quidem, sed non solum inuocant Deum. Vel cum solum inuocant, sed non per interuentum solius Christi, verùm diuorum potius. Vel dum inuocant solum Deum per interuentum solius Christi, sed sine fide & dilectione. Vel cum inuocant quidem Deum, sed opinione praua, existimantes se precibus illis suis liberare animas ex purgatorio, quo nomine & preces vendunt. Grandia hæc sunt peccata. Deinde peccatur ab hominibus cultu Dei, cum eum cultum, quem nobis tradidit Dominus, negligunt: ex animi autem arbitrio proprio cultum confingunt, quem præter & contra verbū Dei, Deo obtrudunt. Huiusmodi fuit Vitulus aureus. Talis est apud nos Missa, sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum. Cœnam instituit mysticam Dominus, in memoriam mortis suæ. Negligunt Papistæ hāc institutionem, Missam confinxerunt, qua Deum colere volunt, alio longè instituto & ritu, quàm ipse ordinauerit. Et in præsentiarum habemus manifestum huius praui cultus diuini exemplum. Sequitur enim in Ieremia, Fecerunt enim filij Iuda malum in oculis meis, dicit Dominus. In ipsorum oculis, id est suo quidem iudicio sibi peccare aut peccasse non videntur. Arbitrantur enim se mihi cultum exhibere non ingratum. Cæterùm in oculis meis, & meo iudicio, grande commiserunt scelus. Obseruemus hæc, & sciamus electitios cultus Dei, nostro conceptos arbitrio, extra & contra verbum Dei, peccata, ac vt ita dicā, demerita esse, non merita. Mox autem qua re in oculis Domini peccauerit Iuda, exponit. Posuerunt abominationes, inquit, in domo, quæ vocata est, &c. Abominationes idola & vniuersam idololatriam appellat, cultum videlicet Dei peregrinū. Deut. cap. 7. Sic dicit Dominus, Sculptilia Deorum combures igni, non concupisces aurum & argentum eorum, neque introduces abominationem in domum tuā, & sis anathema sicut illud. Detestando detestaberis illud, & abominando abominaberis illud, quia est anathema. D. Hieronymus eum locum sic vertit, Quasi spurcitiam detestaberis, & veluti inquinamentum & sordes, abominationi habebis, quia anathema est. Contra hanc legem disertam & grauissimam Iudæi in templum intulerunt idola tam Deo ipsi quàm dijs peregrinis consecrata, erexerunt aras, in quibus sacrificarunt, & cultum exhibuerunt dijs alienis: sicuti & Papistæ in Dominica, id est templa Christi, intulerunt & idola & aras nuncupatas diuis. Quanta autem hæc sit indignitas, Ieremias duplici ratione ostendit. Principiò Posuerunt, inquit, abominationes suas in ea domo, super qua inuocatur nomen meum, id est, quæ mihi consecrata est soli (3. Reg. 8. 9.) & nuncupatur meo nomine, appellata nimirum Domus Dei & Templum Domini Dei Israelis: isti verò faciunt ex meo peculio domum Baalis, Astoreth, Chemos, Milchom, &c. vt iam appellari possit Domus & Templū Baal, Astoreth, &c. Quid verò Christiani, dum hæc audiunt, cogitant, qui & ipsi ex Dominicis, templa fecerunt S. Petri, S. Ioannis, S. Cyriaci? Interim S. Augustinus lib. contra Maximinum Arianorum episcopum diserte dicit, sacrilegos esse, quotquot creaturis templa excitant. Præterea illis suis abominationibus polluerunt, inquit, siue commacularunt mihi domum meam. Vide, quæso, an propheta inter ornatum templorū recenseat

Electitius Dei cultus.

Facere malum in oculis Dei.

Abominationes.

Dominica templa sunt soli Domino Christo consecrata.

recẽseat ſimulachra, picturas, & cætera quæ hodie falsò appellantur Templorũ ornatus. Idem Ieremias 32. cap. hunc locum veluti ijſdem verbis repetens, Stercora, inquit, ſua poſuerunt in domum, quæ vocatur nomine meo, vt eam polluerent.

Aliud inſuper longè horribilius commemorat, quo iram Domini prouocarunt, & pœnam grauiſſimam in ſeſe deriuarunt. Aedificauerunt, inquit, excelſa, id eſt aras & ſacellum Tophet, idq; in valle filij Hiñom. Locus in quo erat Tophet appellabatur Vallis Hinnom. Ergo Tophet nomen fuit templi vel ſacelli, aut luci & aræ collocatæ in Gehinnom. Deductum volunt nomen Tophet, alij quidẽ à dilatatione, quòd vallis alioqui arctior, eo loco, vbi ſtabat templum, nonnihil dilatata erat: alij verò à tympano, quod ſacerdotes pulſabant, vt aiunt Hebræi, cum eo in loco immolarentur ac torrerentur infantes, ne videlicet eiulatus morientium exaudiretur. D. Hieronymus in 10. Matthæi caput hanc rem ſic deſcripſit, Idolum Baal fuiſſe iuxta Hieruſalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non ſemel legimus. Hæc vallis & parua campi planities irrigua erat & nemoroſa, plenaq; delicijs, lucusq; in ea idolo conſecratus erat. In tantam autem dementiam populus Iſrael venerat, vt deſerta templi vicinia, ibi hoſtias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiósque ſuos demonijs incenderent vel initiarent. Et appellabatur locus ille Gehinnom, id eſt Vallis filiorum Hinnom. Hoc Regum volumen & Paralipomenon & Ieremias ſcribunt pleniſſimè. Et comminatur Deus locum ipſum ſe impleturum cadaueribus mortuorum, vt nequaquam vocetur Tophet & Baal, ſed vocetur polyandrium, id eſt tumulus mortuorum. Hæc ille. Apparet ergo Baal generalius eſſe falſi Dei vocabulum, ſed Moloch vel Molech ſpecialius. Nam Ieremiæ 19. ſic legis, Aedificarunt quoq; excelſa Baal ad cõburendum filios ſuos igni in holocauſta ipſi Baal, quod non præcepi, neq; loquutus ſum, neq; aſcendit ſuper cor meũ. At 4. Reg. 23. ſic legimus, Ioſias prophanauit Tophet, quod eſt in valle filiorũ Hinnom, ne quis traduceret filium ſuum vel filiam ſuam per ignẽ ipſi Moloch. Certè in gentilium libris perfrequenter legimus mactatos eſſe victimas viuos homines. Notum eſt illud Maronis ex 2. Aeneidos,

Excelſa Tophet.

Vallis filij Hinnom.

Baal et Moloch.

Gentiles ſacrificarunt victimas humanas.

Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa,
Cum primùm Iliacas Danai veniſtis ad oras,
Sanguine quærendi reditus animaq; litandum
Argolica. Et lib. 11. de Aenea loquens,
Vinxerat, canit, & poſt terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flammas,

Meminit & Macrobius humanarum victimarum lib. Saturnal. 1. cap. 7. & iterum lib. 3. cap. 5. A gentilibus autem crudelem & dirum barbarumq; morẽ, infantes ſuos ſacrificandi, ſumpſiſſe videntur Iudæi, maximè cum & Deut. 12. legamus, Caue tibi, ne quando imiteris gentes. Nam quicquid abominandum eſt Domino, & quod odit fecerunt dijs ſuis. Etenim & filios ſuos & filias ſuas igne dijs ſuis combuſſerunt. Fortaſſis prætexuerũt atrociſſimæ ſuæ crudelitati, præſtantiſſimi in fide viri exemplum beati Abrahæ, qui iuſſus immolare filium, in Moriam vſq; montem conſcendit, & gladium ad ictum librauit, Iſaacum iugulaturus, niſi vetuiſſet angelus. Legitur & Iephthae Iudex populi Dei votum feciſſe, & filiam in victimam conſecrauiſſe. Quæ quidem exempla non difficile fuit Sathanæ, qui homicida eſt ab initio, detorquere ad parricidia multiplicanda, apud eos præcipuè, qui copia liberorum prægrauati, eos quos diligebant tepidius, & quibus carere maluiſſent, ſi licuiſſet per opportunitatem, libentiſſimè aris deſtinabant, vt vel hoc prætextu ſacro, hac liberarentur moleſtia, deinde &

religiosi viderentur, qui ne propriis quidem propter Deum, parcerent liberis. Aiunt autem idolum Molochi sic fuisse compositum, vt concauum & exporrectis ad accipiendum manibus in ara staret, immolantesq; victimam includerent in æs concauum vel filium vel filiam, victimæq; subiiceretur ignis, ac comburetur, saltantibus circum aram sacrificis, tympanaq; pulsantibus ac concinentibus, ne videlicet miserabilis pueri eiulatus exaudiretur. Recordor hic historiæ, quam Lilius Greg. Gyraldus Syntagmate 17. circa finem hisce verbis recitat, Legimus paucis ante annis, ab Hispanis nautis orbem lustrantibus, insulam repertam, quam ipsi à Carolo Carolinam dixêre, in qua frequentes visebantur statuæ æneæ suorum numinum, quæ intrinsecus cauæ, manibus iunctis passisq; fuerant: in quibus infantes & puerulos, quos diis illis suis immolabant, includere solebant, & crudelissimè incendebant, in caueis statuarum & simulachrorum igne accenso, & ære Cyprio calorem concipiente. Et reliqua quæ ibi sequuntur in Gyraldo. Apparet autem victimas priusquam aris impositæ, & statuę fuissent inclusæ, lustratas & purgatas vel expiatas fuisse igne, pyris lignorum ex vtraq; parte appositis & incensis, victimàque per ignem hunc sacrum traducta, deinceps demùm aræ imposita & combusta in holocaustum. Sic enim legimus 4. Regum 21. Manasses traduxit filium suum per ignem. Et de Iosia iam diximus scribi, Iosias prophanauit Tophet, ne quis traduceret filium suum ipsi Moloch per ignem. Videntur enim igni & fumo (dem bezünden vnd berőucken) instar Papistantium, virtutem expiandi ac purificandi tribuisse. Quæ quidem inepta & furiosa penitusq; ethnica est opinio, error vetus & deterrimus. Et quid aliud ord faciunt hodie, qui filios & filias suas includunt in cœnobia? Hoc enim fingunt se facere religionis ergò, cum perfrequenter spectent longè alia, ac molestia liberorum sic liberari cupiant, multorúmque incommodo maximo liberorum, vni ac alteri commodare, & bene consulere, qui soli hæredes bonorum paternorum opulentiores fiunt, quàm si fratres & sorores non fuissent inclusi cœnobijs. Offerebantur olim filij & filiæ Iudæorũ Deo peregrino Baal & Moloch: nunc verò consecrantur & deuouentur Dominico, Francisco, & alijs huius farinæ incognitis diis. Raduntur prius, expiantur igne & fumo. Breuiter, mortui iã dicuntur huic mundo, & veluti victimæ oblatæ Deo. De ustione & ignibus nihil dicam. Satis sit hæc adumbrasse. Qui volũt, his lineamentis insistentes, colores inducant viuaciores.

Traducere per ignem.

Filios & filias in monasteria includere.

Repudiatur hic Dei cultus.

Cæterùm hunc cultum Dominus repudiat & execratur, ac dicit, Id quod nũquam præcepi neq; venit in cor meum. Vehemens est Loquutio, quæ totidem verbis repetitur ab eodem propheta capite 19. & 32. Germanicè autem redditur, **Ich habs nie geheissen/vnd ist mir in min sinn nie kummen.** Significamus autem huiusmodi loquutione, nihil minus Deum cogitasse, quàm id ipsum quod fecisse dicimur. Nam Deus grauissimis legibus positis, Deut. 12. & Leuit. 18. & 20. prohibuit sibi immolari victimas humanas, pœna transgressoribus constituta seueriss̃ima. Sed & consequentibus denunciat rebellibus supplicium atrox, sed commeritum. Par pari rependet Dominus. Vos enim locum vallis Hinnom innoxio cruore nephandisq; sacrificijs polluistis: ego verò largo & noxio quoque sanguine eundem perfundam. Hostis enim Babylonius in hoc veluti polyãdrio concidet vos. Tria autem potissimùm eis comminatur. Principiò, Vallis hæc non appellabitur porrò vt hactenus Tophet, dilatationis vel tympani, vel Vallis filij Hinnom vallis amœnitatis: sed vallis occisionis. Id quod Lutherus vertit **Würgtaal.** Perinde enim est ac si dixisset, **Wirt nit me heissen lust oder schön oder Trummentaal/sunder dülppmetzg/oder schlachttaal.** Ratio, Sepelient enim donec locus non sit. Tot, inquit, ibi cæsa à Chaldæis cadent corpora, vt lo-

ra, vt locus hic ijs recipiendis non sufficiat. Ergo sicuti olim effusus est ibi liberorum sanguis specie sacrificiorum: ita nunc etiam parentum cruor effundetur iusto Dei iudicio, in vindictam parricidij nephandi. Deinde carebunt, inquit, corpora sepulturis, honore vltimo, lacerabunturq; & deuorabuntur ab auibus & feris. Plurima de sepulturis disserit August. lib. de Ciuit. Dei primo, & sequentur quædam paulò post. Tanta verò securitate lacerabuntur cadauera à feris, vt nemo sit qui has abigat. Postremò gaudia illorum omnia turbabo & auferam, ait Dominus, vt nihil illis supersit, nisi tristissimus luctus. Id autem enunciat more ei linguæ consueto. Vocem lætitiæ & gaudij nuncupat iubilationes & cantica: das juchtzen vnd fröudengschrey vnd gesang: vocem sponsi & sponsæ appellat nuptialia gaudia. Sunt enim permissa à Deo gaudia moderata, nuptiarum maximè. De qua re dictum est alibi. Subiungit, Quoniam terra redigetur in solitudinem, id est, vastabuntur oppida, pagi atq; fertiles agri. Est autem hic finis falsi cultus diuini & vitæ nesciæ emendationis.

Priusquam autem dicendi finem faciamus, admonebimus ne quem moueat quod legit Iosiam prophanasse Tophet. Nam vtcunq; Iosias sustulisset omnes abominationes, restituebant tamen easdem filij eius quàmprimum cæsus esset parens. Deinde viuente ipso etiam patre, multi spectabant ad veteres errores, ijsq; sese oblectabant, sperantes fore vt restitueretur breui cultus ille Moloch ipsis gratissimus, Deo autem longè ingratissimus. Nam ipse Dei filius locum infe- Gehenna.
rorum, supplicij inquam æterni & horrendi, appellauit nomine Gehennę. Nam vt in valle Hinnom ardebant ignes nephandi, torrentes miserabiles puerulos: ita infernalis ignis perpetuò excruciabit omnes impios. Horrendum erat spectaculum videre comburi pueros, longè horribilius erit spectaculum cernere perpetuis torreri ignibus impios. Dominus liberet nos ab inferi pœnis, & donet nos gaudijs cœlestibus, per Christum Iesum Dominum nostrum.

Pergit in commemoranda pœna, & in doctrinâ pœnitentiæ.

CAPVT VIII.

CONCIO XXXII.

IN tempore isto, dicit Dominus, extrahent ossa regum Iuda, & ossa principum eius, ossa sacerdotum, ossa prophetarum, atque ossa eorum qui habitant Hierosolymis, è sepulchris suis, exponentq; ea ad Solem & Lunam atq; ad omnem exercitum cælorum, eò quòd dilexerint ista, & quòd seruierint illis, atque ambulauerint post ea, quòd inquisierint vel consuluerint ea, quodq; adorauerint ea. Et non colligentur neq; sepelientur, sed erunt veluti stercus in superficie terræ. Omnes autem qui residui erunt ex reliquijs generationis istius prauæ, mortem potius optabunt quàm vitam, in quibuscunq; tandem locis (fuerint) in quæ relictos illos eiecero, ait Dominus exercituum. Dices itaq; ad eos, Sic dicit Dominus, Nunquid sic cadunt, vt nõ resurgant? Nunquid ita deflectit, vt (in viam homo) non redeat? Quî fit igitur, vt auertatur populus iste Hierosolymitanus auersione pertinaci ac perpetua? Mordicus inhærent falso, nolunt reuerti. Attendi & auscultaui, sed nemo loquebatur rectum, nemo erat quẽ pœniteret mali sui, dicens, Quid feci? Quisq; illorum in suum cursum tendit, vel effusus est perinde ac equus impetu irruens in prælium. Equidem ciconia sub cælo tempus suum nouit, turtur, grus & hirundo obseruant tempus profectionis suæ, at populus meus non cognouit iudicium Domini.

COEPERAT exponere supplicium sumendum de parricidis & idolatris funestissimis, dixeratq; inter alia ipsos honore vltimo carituros, sepultura: ei iam subiungit ab auaris militibus refodiendos qui dudum fuerant sepulti. Id quod copiosissimè & eloquentissimè prosequitur, ceu rem horrendam & animis hominum abominandam. Erant enim gloriæ cupidissimi Iudæi, cæterùm Dominus minatur illis, eos omni carituros gloria, & contumelia afficiendos omnium maxima & indignissima.

De sepultura & funeribus.

De sepulchris & sepeliendi ritu, superstitionibus funerum & vero tumulandi modo, disseruerunt multi, inter quos est & Lilius Gregorius Gyraldus, prolixè: nos paucula pro præsentis loci explicatione dicemus, ex scripturis sanctis. Honorificè, absque luxu tamen & superstitione, decenter & mundè sepelienda esse fidelium corpora, dictat ipsa spes nostra. Credimus enim corpora nostra in die illa vltima resurrectura & glorificanda: scimus illa ipsa nunc esse templa sancti spiritus, cur ergo abijceremus aut negligeremus illa ceu canum cadauera? Exempla habemus in scripturis maximorum virorum, honorificè & moderatè sepelientium suos mortuos. Abraham enim Saram suam, & Isaac Abrahamum, Esau & Iacob Isaacum, Moses Aaronem, populus Iosue & Eleazar, discipuli fideles præceptorem suum Ioannem Baptistam, Ioseph & Nicodemus Christum Dominum, fideles Stephanum sepeliuerunt. Omnes enim illam Domini sententiam spectarunt, Terra es & in terrã reuerteris. Quod alicubi legimus funera aliquanto maioribus curata sumptibus, non vt imitemur, propositum est. Si quid obtigit viris principibus, non est quod hoc in exemplum rapiat quiuis. Vetustas in sepeliendis corporibus videtur paulò fuisse cæremoniosior, cæterùm adhibuit multa propter resurrectionem corporum animis simpliciorum inculcandam: quam cum post resurrectionem Saluatoris manifestissimè vidimus, non est quòd vllis vmbris ludamus. Sanctus Hieronymus sub finem vitæ Pauli primi Eremitæ, Paulus, inquit, vilissimo puluere coopertus iacet, resurrecturus in gloriam: vos operosa (conuerso sermone ad diuites) saxi sepulchra premunt, cum vestris opibus arsuros. Parcite quæso vobis, parcite saltem diuitijs quas amatis. Cur & mortuos vestros auratis obuoluitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lachrymásque non cessat? An cadauera diuitum, nisi in serico putrescere nesciũt? Ad eundem modum Chrysostomus Tom. 2. Homil. 84. ex capite Ioannis vigesimo. Tu autem, cum audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa quæso ab insana funeris impensa. Quid sibi hoc superfluum vult & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt plurimum adfert detrimenti, mortuis nullam vtilitatem, sed damnum potius? Non pigebit hic recitare egregium ex sancto Athanasio locum, qui hic legitur circa finem vitæ beati Antonij. Mos Ægyptijs est, inquit, nobilium & præcipuè beatorum martyrum corpora linteamine quidem obuoluere, & studium funeri solitum non negare, terra verò non abscondere, sed super lectulos domi posita reseruare. Hunc honorem quiescentibus reddi inueteratæ consuetudinis vanitas (obserua hæc) tradidit. De hoc Antonius sæpè & Episcopos deprecatus est, vt populos ecclesiastica cõtestatione corrigerent: & laicos viros & mulieres rigidius ipse conuenit, dicens, Nec legitimum hoc esse (obserua hæc iterum diligenter) nec Deo placitum, quippe cum patriarcharum & prophetarũ sepulchra, quæ ad nos vsq; perdurant, hęc facta conuincerent. Dominici quoq; corporis exemplũ oportere intueri iubebat, quod in sepulchro positum, lapide vsque ad resurrectionis diem tertium, clausum fuerit. Atque his modis vitium (en vitium vocat non meritum & obsequium Deo gratum) circa defunctos Ægypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat, dicens, Quid maius aut sanctius corpore potest esse dominico?

S. Athanasij & S. Antonij iudicium de reliquijs sanctorũ.

dominico? quod iuxta consuetudinem gentium cæterarum humo conditum esse scimus? Hæc iusta persuasio, multorum insitum euellit errorem, & repositis interra cadaueribus Domino gratias pro bono magisterio retulerunt. Metuens ergo consuetudinem supradictam, ne eodem quoq; circa se laberentur errore, celeriter valedicens monachis, qui confluxerant, ad amicum virtutis habitaculum repedauit. Hæc ille. Claret autem ex his quàm nihil vetustatis habeat Canonisatio sanctorum Papistica, quæ reuera aliud nihil est, quàm operatio & impostura Antichristiana. Ac vt redeamus ad nostrum institutum, leguntur plurima, & ea quidem elegantissima de Christianorum sepulturis & funeribus apud Augustinum libro de Ciuitate Dei 1. cap. 13. quæ nos prolixitatis vitandæ gratia omittimus.

Ergo sepelire reliquias non est hæresis.

Canonisatio.

Proinde inter mala numeratur carere sepultura legitima, sicuti manifestè colligitur ex hisce Ieremiæ verbis. Quid ergo dicemus, quòd non rarò videmus optimum quenq; hoc bono destitui, id est multos fidelium obiici bestijs, suspendi in patibulo, & corpora cæsorum proiici in plateas, omnibusq; inhiberi, ne quis vltimo dignetur honore, & sepeliat? Notum enim est illud prophetæ, Effuderunt sanguinem seruorum tuorum circunquaq; veluti aquam, nec est qui curet, aut qui sepeliat. Nota sunt quæ traduntur de Antichristo Apoc. 11. & hodie quoq; exercentur in plurimorum corporibus sanctorum mortuis. Respondemus autem hoc bonum sanctos amittere, perinde vt alia quoq; bona exteriora & corporalia, qualia sunt sanitas, dignitas & honores, facultates & opes, ac similia. Amissio autem bonorum temporalium, non est argumentum iræ diuinæ in sanctis, quasi ideò oderit eos Deus, quia affligi permittit. Sed cedit hoc quoq; vt omnia alia, in bonum diligentibus Dominum: odientibus verò Deum omnia cedunt in malum. Diximus de calamitatibus & calamitatum causis plurima in Decad. Decade 3. Serm. 3. S. Augustinus lib. de Ciuit. Dei 1. cap. 12. multis ostendit, nihil detrimenti sanctis afferri, quòd ipsorum corpora propter veritatẽ contumelijs afficiuntur, & quòd insepulta abijciuntur & conculcantur: semper in conspectu Domini mortẽ sanctorum esse pretiosam. Legantur in ipso alia huius generis plurima. Redimus iam ad explicationem consilij prophetæ.

Carent non raro & sancti sepultura.

S. Hieronymus, Solebant, inquit, iuxta antiquum morem, aurum & quędam ornamenta vel mulierum vel virorum in sepulchris condere. Hæc quoq; frangebat & effodiebat auaritia. Hæc ille. Romæ certè apertum est fortè fortuna sepulchrum Honorij, repertaq; sunt pretiosa plurima circa ossa sponsarum eius Mariæ atq; Thermantiæ: id quod recitat Ioannes Stumpffius, vir pijssimus & symmysta noster fidelissimus, mihiq; charissimus frater, in sua Gallia, lib. Chron. 3. cap. 52. Herodotus commemorat Darium regem, Nitroclis Assyriorum reginæ effosso effractoq; sepulchro, thesauros, quos credidit ad eam depositos, quæsiuisse, reperisse incisum tabulæ, Nisi pecunia esses inexplebilis & turpis lucri cupidus, non aperuisses vrnas defunctorum. Nam in Legibus ciuilibus graues extant leges, latæ contra sepulchrorum violatores. At inter arma silent leges, milesq; auarus ne sepulchris quidem parcens, vbique thesauros perscrutatur absconditos. Vnde Ieremias ait militem Chaldæum effractis sepulchris, dispersurum ossa mortuorum: atque ad hunc modum cõmerita mulctandos ignominia, iusto Dei iudicio, quotquot idololatriam exercuerunt, qui tametsi sepulti fuerint cum honore, summa tamen nunc cum ignominia ex tumulis extrahantur ac sub pedes obambulantium sub claro dispergantur cœlo. Per enumerationem verò omnis dignitatis ordinisq; homines recitat, reges, principes, sacerdotes, prophetas atque ciues. Et significanter causam subnectit, Eò quòd dilexerint astra & coluerint. Disce ergo hinc Deum vehementer irasci idololatris,

Effractio & violatio sepulchrorum.

1545.

vtpote in quorum ossa etiam post fata sæuit atque animaduertit. Id quod se facturum in lege sua, mandato secundo, contra idola & idololatras lato, magna cum grauitate minatur: & hic quoque, sicuti minatus est, exequitur. Vide ergo & obserua quàm enormiter pecces creaturas colendo. Mirabantur illi Solis & Lunæ astrorumq; pulchritudinem & effectus mirificos, colebantq; astra vt summi Dei diuina opera: perinde vt hodie cultores diuorum, dona Dei in ipsis diuis mirantur, & ea de causa, vt diuos inuocant & colunt. Sed grauissimè peccant colentes creaturas, cum vnus sit adorandus, inuocandus & colendus creator. De cultu astrorum supra quoque in cap. 7. dictum est. Ponuntur autem in præsenti omnes propè partes cultus. Cultores enim diligunt eum quem colunt, seruiunt ei, ambulant post eum, inquirunt & consulunt eum in omnibus rebus dubijs & difficilibus, incuruant item se illi ac adorant. Quæ omnia cum cultores diuorum hodie exhibeant diuis, non video quorsum adferant distinctionem latriæ & duliæ, vt ornent suam idololatriam. Scilicet. Fit tamen persæpè, vt cum ossa effodiuntur, vel fortè fortuna, vel vt sepeliantur homines, rursus deponantur in terram, neque promiscuè proculcanda exponantur: at in præsenti dicit vates, Non colligentur neque sepelientur, sed tanquam stercus platearum conculcabuntur. Nam ignominiosum non est, si effodiantur ossa mortuorum in sepeliendis alijs hominibus, modò iterum adobruantur terra: illud verò ignominiosissimum est, dedita opera obijcere ossa pedibus proculcanda, & huc atque illuc disijcienda. Et hoc quidem minatur in præsentia. Non colligentur, Germanicè, Sy söllend nit widerumb vfgelåsen werden / nimirum ad sepeliendum denuó.

Colere quid?

Captiuitas prædicitur grauissima.

Subiungit his aliud quoq;, & ait, Qui verò non fuerint sublati è medio aut dudum sepulti, abducentur in captiuitatem, eritq; sors ipsorum tam misera, vt magis optaturi sint mortem, quàm vitam. Nam qui damnantur ad triremes, vel ad metalla, vitam viuunt morte duriorem. Sic autem punit peccata, in primis idololatriam, Dominus. Dum verò generationem prauam Iudæos nuncupat, illud intelligit, quod nos nostra lingua appellamus, ein böſen faſel. Reliquias item vocat, quòd maior pars sit absumẽda peste, morbis, inedia & gladio. Ne autem sperarent se quorundam locorum beneficio mitius tractandos, addit infelices futuros, quocunq; tandem locorũ perueniant. Rursus ne quid de his dubitarent, subijcit hæc proficisci & pronunciata esse ab ipso Domino Deo exercituum. Similia his mala expectent, quotquot ingrato Dei cultu Deũ coluerint, parricidia & idololatriam admiserint.

Taxat impœnitentiam, trahit ad pœnitentiã.

Hactenus de supplicijs, redit porrò vnde fuit in cap. 7. digressus, & increpat grauiter & variè obstinatam ipsorum impœnitentiam, inuincibileq; peccandi rebellionisq; & contumaciæ studium, simul autem trahit curabiles ad pœnitentiam. Et S. Hieronny. hunc quoq; scopum indicans, Post tanta, inquit, mala ad pœnitentiam prouocat eos, qui potuerint remanere, siue priusquã veniant, quæ minatus est, hortatur ad conuersionem & dat locũ pœnitentiæ. Hæc ille. Vtitur autem more suo præfatiuncula, qua testatur ea quę profert, se ex mandato & ore Dei proferre. Nam mandatum Dei est, Dices itaq; ad eos. Quod sequitur, Sic dicit Dominus, testimonium est, consequentia non prophetæ sed Dei esse verba. Petit autem Dominus argumenta à vulgo vel ex triuio, ab eo inquam quod vulgò fit & quidem quotidie. Interrogatione autem orationẽ animat vel incendit, Num, inquit, sic cadunt homines, vt non resurgant? Procliue quidem est in itinere impingere & concidere. Qui autem conciderunt, non semper hærent in luto, neq; se in illo prouoluunt, sed simul atq; ceciderunt, resurgunt. Ita quidẽ itinerantes sæpissimè à iusto tramite deflectũt in auia, sed in his nõ oberrãt perpetuò, neq; dele-

neq; delectantur ambagibus atq; erroribus, sed diligentiam adhibent accuratã, vt mox & quàmprimum licet, redeant in viam. Et hæc quidem altera est orationis pars: sequitur altera, quæ istam absoluat, Qui fit igitur, vt contra morem vulgi, & contra sensum communem, populus Hierosolymitanus velit omninò in lapsu suo manere, imò in luto scelerum sese volutare, & erroribus & ambagibus pertinaciter inhærere, nihilq; cogitet de resurrectione ex lapsu, aut de reditu ex erroribus in viam iustam? Legunt autem alij, Qui fit vt auertatur populus auersione tam pertinaci. Alij verò, auersione perpetua. Alij auersione forti. Vulgata versio habet, auersione contentiosa, quasi tu dicas inuincibili? Quin sententiam mox subdit, qua se propheta exponit, & ait, Pertinaciter dolo vel mendacio & fallaciæ atque impostura (Hieronymus dicit, idolis) inhærent & mordicus errores, qui nihil aliud sunt quàm mendacia & doli, retinent, ac reuerti ad Deum & veritatem renuunt. Taxatur autem his omnibus incurabilis populi malitia. Alij hunc locum aliter interpretati sunt, quasi dixerit Dominus, Cur ad me non reuertuntur Iudæi? Putant ne me nullam eis misericordiam præstiturum? Certè si ea sunt sententia, falluntur. An homo aget pœnitentiam, & non remittet Deus peccatum? Imò remittet. Verùm superior sententia expeditior est.

Incurabilis populi corruptio

Dicat iam aliquis, Et quis tibi Ieremia asseuerauit vsqueadeò certam esse nostram obstinaciam in malo, vt pronuncies nos contentiosa auersione auersos reuerti omnino nolle? Per occupationem ergo subiungit, Attendi & auscultaui, &c. Multa, inquit, vsus sum diligentia. Obseruaui enim vos & vestra omnia: auscultaui accuratissimè, & quales nam essent sermones vestri: sed ecce nihil inuenio sani & integri in vobis. Corruptissima sunt omnia. Id verò membris aliquot subiectis comprobat. Principiò, Sermo, inquit, vester est corruptissimus. Nemo enim rectum loquitur. Refertissimi sunt sermones vestri blasphemijs, spurcitijs, obscœnitate, calumnijs, mendacijs, hypocrisi & contumelijs. Lutherus refert ad doctrinã, quam ait esse corruptam. Deinde nemo est, inquit, quem mali sui pœniteat, & qui vel verbo atteſtetur se dolere de commissis peccatis, ac dicat, Quid feci? Respondet huic locutioni sermo Germanicus, Ich was hab ich doch gethon? Ita autem loquimur, quando significamus ex animo nos dolere admissum esse id, q; hactenus per animi cæcitatẽ non ita æstimauimus, vt fuerat alioqui æstimandum. Consequenter verò per parabolam adumbrat, quàm deplorata sit istorum vita & corruptela. Sicuti enim equus ceu in furorem conuersus, nihil metuit enses, hastas, vel arma vlla, sed in aciem hostilem irruit: ita vnusquisque vestrum in suum cursum effunditur, & suas cupiditates impotenter imò furiosè prosequitur cupiditates. Significatur autem studium scelera sua persequendi & perficiendi inflexibile & prodigiosum. Isaias dixit, Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit. Vnde piè & verè dicit hic S. Hieronymus, Si autem hæc ita se habent, vbi sunt, qui in nostra dicunt positum esse voluntate, omni carere peccato? Nemo, inquit, quod bonum est loquitur: quia etiam pro otioso verbo reddituri sumus rationem in die iudicij. Hæc ille. Ista autem omnia nobis quoq; applicare possumus, qui Iudæis istis nihil meliores reperimur. Quocirca & ea nobis sors timenda est, quæ implicuit tandem miseram gentem Iudaicam.

Pelagiani.

Petuntur argumenta ab animantibus.

Rursus verò grande ipsorum peccatum exaggerans, exempla producit auium. Est autem miserandum profectò, cum homo ratione vtens superatur ab animantibus irrationalibus atq; brutis. Ciconia, inquit, quæ agit in cœlo, id est, in media aeris regione, sub cœlo, scit quãdo sibi rigorẽ ad hyemis declinandum, vel eundum sit vel redeundum. Videmus enim ad Calendas propè Martias ad-

uentantes, & ſub principium Auguſti auolantes ciconias. Deinde turtur, grus & hirundo tempus ſuæ profectionis, quando videlicet recedant aut adueniant, diligentiſsimè obſeruant: at populus meus ita demens eſt, vt iudicium & voluntatem Dei ignoret, ideoq; neſciat quando redeat & quomodo redeat ad Deum. Petijt elegantia quoq; & euidentia argumenta ab auibus Dominus noſter Chriſtus apud Matth. in cap. 6. & 10. Simili argumento vſus eſt & Iſaias, dicens, Bos agnoſcit dominum ſuũ, & aſinus præſepe domini ſui, adeò vt ſi longè abſit à ſtabulo redire tamen poſsit: populus verò Iſraelis nec Dominum Deum ſuũ agnoſcit, neq; ad eum redit, à quo ſemel diuertit. Variæ ſunt hic interpretationes auium vel vocabulorum apud Hebræos auium, ego ſequutus ſum vſitatiorem interpretationem. De auibus nolo copioſius diſſerere, quòd copioſiſsimè ea quę dici poterant, leguntur in Plinio & D.D. Geſnero, colendiſsimo domino & fratre meo longè chariſsimo: denicq; nemo noſtrum ſit qui neſciat quod de eis hic dicitur. Alij per iudicium Dei, diſciplinam, caſtigationem & correptionem intelligunt: ego doctrinam, pietatem & legem directionemq; in omni vita ſanctam.

Doctrina breuis de pœnitentia.

Ex his omnibus autem colligi poteſt etiam doctrina ſana pœnitentiæ, quæ quidem lapſos hortatur ne ſemper iaceant in cœno peccatorum, ſed reſurgant, ne ſemper oberrent, qui ſemel errare cœperunt, per auia mundi & errorum, ſed redeant maturè in viam iuſtitiæ: denicq; ne auertamur à Deo & verbo eius contentioſa auerſione, ſed molles & flexibiles nos præbeamus Deo, loquamurq; id perpetuò, quod rectum eſt, doleamus item de admiſsis ſceleribus, deplorantes & deteſtantes vitam noſtram corruptam, néue beſtiarum inſtar cupidè proſequamur noſtras cupiditates, adeoq; ne committamus vt vincamur ab auiculis, quæ rationem habent ſuæ profectionis, & reditus maximè, habeamus ergo & nos rationem noſtræ ad Deum reuerſionis. Dominus ſpiritu ſuo illuminet corda hominum ad faciendam ſanctam eius voluntatem. Amen.

Confutat Ieremias fiduciam Iudaici populi fixam in Sapientiam & amplas ſacerdotum promiſsiones, denuncians ei grauiſsimas pœnas.

CONCIO XXXIII.

Quomodo dicitis? Sapientes ſumus, & lex Domini apud nos eſt: attamen ecce mendacium operatus eſt ſtilus, falſò vel fruſtra (ſcripſerunt) ſcribæ. Pudefacti ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt. Ecce verbum Domini reprobauerunt. Quæ ergo illis ſapientia reliqua eſſe poterit? Iccirco vxores eorum alijs dabo, agros eorum vaſtatoribus. A minimo enim ad maximum quiſq; auaritiæ & lucro inhiat, & à propheta vſq; ad Sacerdotem quilibet facit mendacium. Et ipſi quidem medicantur contritioni filiæ populi mei rebus leuiculis vel nihili, dicentes pax pax, cum non ſit pax. Nunquid verò erubuerunt quòd abominationem fecerunt? Quin omninò nihil eos pudet, nec erubeſcere nouerunt. Propterea inter cadentes cadent, in tempore quo viſitauero eos corruent, dicit Dominus. Colligendo colligam eos, dicit Dominus, vua non erit in vite, nec ficus in ficulnea, quin & folium ipſum defluet: & quæ dedi eis auferentur ab eis. Ad quid hic ſedemus? congregate vos, & ingrediamur vrbes munitas, vt ibi tuti ſimus: quia Dominus Deus noſter compeſcuit nos, & potauit nos aqua fellis: quia peccauimus in Dominum. Expectabamus pacem, at nihil boni: tempus ſanationis, & ecce terror.

Confuta-

CONfutauit hactenus vana Iudaicæ gentis præsidia, fiduciam quam figebãt in Templum, in Intercessionem sanctorum & in Sacrificia: restabat Sapiẽtia & viri sapientes experientia multarum rerum clari & prudentes: quorum beneficio, consilijs nimirũ & auxilio, se ex scopulis cautibusq; enauigaturos mercibus saluis confidebant, dicentes, Sic instructum est regnum nostrum copia sapientum virorum, exercitatorum in foro, in consilijs, in militia, in diuinis denique & humanis rebus, vt nullum facilè huic possit conferri. Proinde si bellum aut alia calamitas ingruerit, nullo negotio illam diffiabunt aut discutient viri sapientes, iccirco non est quòd metuamus nobis. Hac fiducia inflantur hodie quoque, eodemq; morbo laborant homines Christiani, qui & ipsi nihil sibi metuunt à minis prædicatorum, quos nimium Bibliis affixos cornicantur carere sapientia mundana, qua interim res expediundæ sint. Sapientiam enim scripturalem & bibliarem, vt vocant, non admodùm congruere gubernandis regnis & politijs, alia & longè instructiore & mundana magis opus esse sapientia, hac verò seruari posse respub. licet Bibliis & sapientia illa scripturali carentes. Sunt alij qui existiment huiusmodi scripturarum sapientia turbari magis regna quàm expediri & gubernari. Addebant se præterea habere, vel penes ipsos veluti depositam esse legem Domini. Quæ sanè insignis huius populi prærogatiua fuit, propheta quoq; in Psalmis canente, Dominus annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israeli. Non fecit taliter omni nationi aut vlli genti, & iudicia sua non manifestauit eis. Sicut autem nostro tempore multi gloriantur se habere Biblia sacra, & Noui testamenti volumen compingi curant auro & ornari gemmis, non admodùm solliciti vt vitam suam componant ad præscriptum huius libri: Ita & Iudæi gloriabantur in libro magis sacro, quàm morib. sanctis se doctrinæ libri accommodarent. Reuera tamen non extat in orbe liber præstantior quàm Bibliorum. Antecessit Moses scriptores veteres omnes. Possem plurima proferre quæ præstantiam sacrarum literarum cõmendarent, nisi alio festinaret oratio.

Fidebãt sapientiæ, sed confutantur.

Lex Domini nobiscum est.

Ieremias fiduciam ipsorum confutaturus, cum admiratione quapiam, & schemate, quod Inopinatum appellant, dicit, Mirum est profectò vos arrogare vobis ipsis sapientiam, Germanicè diceremus, **Wie gedarfft doch nun sagen/ ich bin wyß?** Subintelligimus autem, Cum nihil sis minus, quàm sapiens? Mox enim subijciet, Ecce verbum Domini reprobarunt, & quæ in illis esset sapientia? Et quid gloriamini de lege Domini? In Hebræo sequitur, אבן חנה לשקר עשה עט שקר סרעיים: id est, Attamen vel profectò ecce mendacium operatus est stilus, falsò vel frustra scribæ, videlicet scripserunt. Germanicè, **Sich so wurde doch zum betrug machen oder dienen die fäder oder die geschrifft/ falsch wärend die schryber.** Vt sit sensus. Iactatis quidem vos habere legem Domini, sed si interim vera essent quæ dicitis, ac bona quæ facitis, sequeretur scripturam sanctam vel legem Dei seducere magis, quàm in via iustitiæ deducere, sequeretur denique scriptores sacros frustra scripsisse hos libros. Etenim seditiosum impostorem & hæreticum appellatis, quicunque ea docet & profitetur quæ in scripturis continentur. Arbitramini vestras traditiones plurimùm facere ad cultum Dei absoluendum. Atqui ita falsa scripsissent & frustra mandassent Moses & scriptores sacri veteres, in his tantùm ambulare, in quibus ambulare lege lata præcepit Dominus. Nihil itaq; proderit iactare legem esse penes vos. Idem prorsus Papistis obijcere possumus, præterea etiam dicentibus literalem scripturæ sensum impellere in hæresim. Alij hunc locum paulò aliter exponũt. Verè ecce in vanum aptauit stilum (suum scriptor,) frustra (scripserunt) scribæ. Quasi dixerit, Vt cunque gloriemini sanctas scripturas esse penes vos, certum est tamen mendacijs

Euehunt legẽ, & sentiẽtes secundũ legẽ hæreseos & mendacij damnant

vos omnia corrũpere. Ita & S. Hieronymus, Ad ſcribas loquitur & phariſæos, inquit, qui legis iactitant notitiam & ſcribentes ſcribunt iniquitatem, &c. Sequitur autem Dominum puniturum ſapientes iſtos præpoſterè de lege gloriantes, ſupplicioq; declaraturum ac proditurum ſtultitiam ipſorum. De pœna verò ipſorum paulò poſt copioſius loquetur: nunc veluti in ſumma dicit, pudore ſuffundendos, conſternandos pauoribus, & confuſciendos abducendósque incaptiuitatem.

Nulla vera ſapientia extra verbum Dei.

Significantius porrò oſtendit nullam eſſe penes iſtos veram ſapientiam. Nã vera ſapientia traditur & diſcitur ex ipſis diuinæ ſapientiæ fontibus, ex verbo Dei. Sed vos reprobauiſtis verbum Domini, nequit ergo vlla apud vos eſſe vera ſapientia: Superius autem diſſeruimus nonnihil de vera ſapientia quæ petitur ex verbo Dei, in Sermone primo, Concione decimaquinta: quò te nunc relegamus, &c. Nolebant quidem videri reiecisſe verbum Domini, de quo gloriabantur tantoperè, ſed reprobabant illud reuera, cuius ſententiæ tanta reluctabantur ſæuitia. Perinde vt noſtri hodie, euangelium ad aſtra euehunt laudibus, moribus tamen, dictis atq; factis ea exprimunt faciuntq;, quæ redarguunt eos reuincuntq; infenſiſſimos eſſe euangelij hoſtes, qui tamen videri nolunt. Subiũgit his fuſam pœnæ deſcriptionem, quam prius tribus verbis attigerat. Immiſcet item nouas pœnarum cauſſas, auaritiam & indefeſſum inhiandi lucro turpi ſtudium. Verùm eundem locum totidem verbis expoſitum cap. 6. Cõcione 23. enarraui, vnde petas licebit.

Fiducia in largas prophetarum promiſſiones.

Reſtabat iam alia quoq; fiducia confutanda, fiducia inquam in ampliſſimas prophetarum & ſacerdotum pollicitationes. Promittebant illi largiſſimè tranquillitatem & felicitatem vberrimam, modò ſtrenuè aras pergerent inſtruere victimis. Verùm confutat illas promiſſiones, & oſtendit illas non tantùm vanas eſſe, ſed noxias quoque. Petatur expoſitio copioſior ex Concione 23.

Impliciti maximis ærũnis populi typus.

Certè magno ſpiritu deſcriptionem ſupplicij cœptam proſequitur atq; exornat conſequentibus. D. Oecolamp. Texitur hic, ait, quaſi tragœdiæ ſcena, & variæ voces iunguntur. Minatur Deus, deplorat propheta, deſperat & trepidat populus, &c. Habemus in his faciem vel imaginem populi aſpernantis verbũ Dei, innitentis autem ſuę prudentiæ, & in ſummo diſcrimine deſpondentis animum. Timeamus ergo Dominum Deum noſtrum, ne in diſcriminibus hæc animo noſtro, magno cũ pauore, obuerſentur. Agamus pœnitentiam in tempore, vt in tẽtationibus refrigerium ſentiamus. Ducit autem propheta metaphoram à vindemiantibus & arbores excutientibus, qui fructus omnes ſic recolligunt, vt ne tantillum quidem reliquum remaneat, imò & folia decidant. Sequitur autem huius allegoriæ aut parabolæ & collationis explicatio, Auferentur penitus ab eis omnia quæcunq; vnquam illis contuli. Diſce ergo quomodo opes tuas retineas, & quomodo eaſdem amittas rurſus.

Et vt clarius inſpiciatur miſera populi calamitas, inducit illum nunc ſecum conſultantem & conſultando prodentem, ſic circumuentũ ſe eſſe malis, vt quocunq; tandem conuertatur, nihil ob oculos obuerſetur, niſi triſtiſſima mortis imago, & excidium funeſtiſſimum, triſtiſſimum, certiſſimumq;. Ergo qui in agro aut locis alioqui parum munitis agunt, videntes ſe & ſua omnia prædæ expoſita eſſe, ſeſe mutuùm excitant atque hortantur, vt collectis rebus omnibus, in vrbes & loca munita ſeſe recolligant, in quibus tutò deliteſcant. Dicunt ergo, **Was thũnd wir hie?** Quid hic agimus? cur in hoc loco manemus, vbi ſumus expoſiti prædæ omnium? Veram autem cauſam malorum ſubiungunt, Compeſcuit nos Dominus, & felle nos potauit, quoniam peccauimus contra Dominum. Eſt autem felle potare, grauiſſ. aliquam exhibere moleſtiam. Prouerbialis loquutio.

loquutio. Scimus alioqui Dominum felle potatum esse, sicut vates prædixerat Psal. 69.

Cæterùm qui videbantur sibi in munitis vrbibus tuti & tranquillè victuri, sentiunt iam se sua quoq; spe delusos, ideoq; queruntur & aiunt, Expectabamus quidem pacem & felicitatem, sed nihil experimur salutis aut consolationis, sperabamus sanãda fore nostra vulnera, sed pauor nos vndiq; vrget, & noua subinde infliguntur vulnera. Est autem hæc sors & horribilis diuexatio omnium impœnitentium. Dominus liberet nos à malo, &c.

Prosequitur populi Iudaici excidium multis.

CONCIO XXXIIII.

A Dan auditur fremitus equorum eius, à voce hinnituum robustorum eius tremuit vniuersa terra. Venerunt enim & deuorarunt terram & quicquid in ea est, vrbem & qui habitant in ea. Quia ecce immittam in vos serpentes reguios, qui incantari nequeunt, mordebuntq; vos, ait Dominus. Confortare me volebam contra mœrorem: sed cor meum in mẽ dolore affectum est. Ecce vox clamoris filij populi mei de terra longinqua, Nunquid Dominus nõ est in Zion? an verò rex non est in ea? Quare verò ad iracundiam ipsi me prouocauerunt sculptilibus suis, & vanitatibus alienis? Præterijt messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus. Contritus sum propter cladem filiæ populi mei, atratus sum, stupor me tenet. Num resina nulla est in Galaad? num medicus nõ est isthic? Cur ergo plaga filiæ populi mei non obducitur atq; curatur?

Sicut cœperat ita pergit prosequi calamitatem excidiumq; populi Iudaici. Deflet hoc, pro suo in populum studio, immiscet item graues excidij ipsorum caussas, vt in omnibus diuina reluceat iustitia, ipsiq; interim prouocẽtur ad pœnitentiam. Valet autem hæc doctrina omnibus sæculis, contra impœnitentes, qui & promissionibus amplissimis grauissimisq; minis ad pœnitentiam impelluntur. Neq; ueverò est quòd existimemus legalem esse doctrinam, qua prouocantur homines minis & descriptionibus seueris & calamitosis ad pœnitentiam. Sunt enim qui existiment doctorem euangelicum extra limites procurrere, quando minatur peccantibus interitum & miserias varias, cum potius attrahendus sit peccator alliciendusq; benignis promissionibus, & suaui gratiæ doctrina. Etenim ipse Dominus in euangelio grauissima interminatur impenitentibus, & minis sæuissimis impellit ad pœnitentiam. Loca si quis requirat, inueniet apud Matthæum in cap. 11. contra ciuitates Bethsaidam, Corozain & Capernaum: item contra ipsam Hierosolymorum vrbem Matth. 24. & Lucæ 19. Quis verò minas Domini graues nesciat apud Lucam in 13. & 16? Proinde doctor euangelicus prædicat quidem gratiam Dei summa diligentia, sed non negligit interim interminari extrema quæque inobsequentibus: sicuti & apostolos Domini fecisse, & in Actis eorum & in epistolis ipsorum perfrequenter legimus.

Omnibus sæculis accommodata doctrina.

Fingit autem Ieremias, iam nunc adesse: qui tamen post annos aliquot demùm affuturus erat,) grauissimum Orientis exercitum, & quidem equestrem. Ad morem ergo euidentiamq; poeticam dicit iam audiri ronchos vel fremitus equorum, & quidem hinnitum alacrium, subsilientium atq; robustissimorum equorum, tanto impetu incedentium, vt ipsa tellus contremiscere & horrorem vniuersæ terræ incutere videatur. Iam etiam locum nominatim exprimit (quæ

Typus aduentus equestris exercitus.

singularis est virtus sancti spiritus, nemini alioqui concessa) per quem hostis primùm fines ingressurus aut irrupturus sit populi Israelitici, Dan. Intellige verò nõ tribum Dan, sitã ad mare occiduum, inter tribum Simeon, Iuda & Ephraim, sed ciuitatem veterem, Lais olim nuncupatam, sed à Danitis ipsam occupantibus, Dan appellatam. Historia legitur Iudicum 18. Cæterùm sita erat illa ad radices montis Libani, in valle Bethrehob, in cõfinijs Phœniciæ: ac nominatur finis hic terrę promissæ Aquilonaris, sicut Bersabe terminus Australis. Huc collocauit vitulos suos Ieroboam extructo templo magnifico, sicuti alterum posuit in Bethel. Aiunt autem quidam huic vrbi Dan postea immutatum esse nomen, & appellatam Cæsaream Philippi. Sita ergo apparet in confluente Ior & Dan fluminum, leucis, vt aiunt, vndecim à Sidone. Zieglerus in Palęstina sua, Lesem Dan, diuersa est, inquit, à Dan loco fontis Iordanis, quod prodit distantia à Ptolemaide. Nam non procul à Ptolemaide ipsam collocat, versus mare occiduum, non versus Libanum, &c. Vtcunq; verò id habeat, aut quis tandem hic locus fuerit, certum est per hunc locum Nabuchod. deduxisse suum exercitum contra Iudæos. Simul verò atq; equestres illas copias aduenturas dixit, venisse iã etiam subijcit: & vnica eaq; breui sententia totum regnum absorbet, ne ruina quidem relicta. Venerunt, inquit, & deuorauerunt totã terram, & quicquid in ipsa, atq; adeo vrbem ipsam Hierosolymorum & omnes eius inhabitatores: sic etiam ciuitates regni reliquas.

Dan ciuitas vetus ad fines Phœniciæ.

Immittã vobis serpentes regulos.

Eandem rem alia rursus parabola oculis contemplandam proponit, dicens, Immittam vobis serpentes regulos, quos interpretes basiliscos vocant, venenatissimos inquam & pestilentissimos, adde & improbos, quos non depellas vlla arte aut vi vlla. Sequitur enim, Qui incantari nequeunt, vel cõtra quos nulla quicquam effecerit incantatio. Alludere autem videtur ad veterem historiam, Numeri 21. descriptam, & significare interim Babylonios milites, qui perdituri vel excisuri sint cum hominibus pariter omnia, à qua re nulla prorsus ratione auerti queant. Isaias quoq; Ezechiam regem appellauit presterem vel serpentem regulum, vt qui maxima potentia oppressurus erat vires Palæstinorum, Isaiæ 14. Dum verò in his mentionem facit incantationis, taxat in eis hoc nephandum scelus: quasi dixerit, Videmini vobis bene instructi esse artibus magicis & incantationibus. Verùm nihil omnes vestræ artes proderunt ad pellendas vobis impendentes calamitates, quinimò his potius accersitis vobis mala illa.

Contra magos & incãtatores

Ergo non probatur his prophetæ verbis Incantatio, sicuti neque his Psalmi verbis, Venenum est illis, sicut venenum serpentis: sicut aspidis surdæ, obturantis aurem suam ne audiat vocem incantantis, & magi quidem pręstantis. Pręclarè enim beatus Aug. Psal. 57. exponens, Non vndecunq; datur similitudo, inquit, à scriptura, laudatur ipsa res, sed tantùm similitudo inde trahitur. Non enim laudauit iniquum iudicem qui nolebat audire illam viduam, &c. & tamen inde similitudinem dedit. Ergo de rebus non laudandis trahuntur secundum quendam modum nonnullæ similitudines. Aut si propterea putatis eundum esse ad Marsos, quia hoc audistis in scriptura Dei, eundũ est & ad spectacula theatri, quia dicit apostolus, Non sic pugillor quasi aerem cędens, &c. Hæc ille. De Marsis verò qui & quales fuerint apud veteres, si quis videre cupit, legat Cœlij Rhodigini Antiq. lib. 6. cap. 18. Audio nunc etiam esse quosdam, qui angues in sinu cicures circunferant, quos se Paulina incantatione perdomuisse iactitant. Quasi verò Christi apostolus præstigiator fuerit, & incantatione serpentem è manu vel brachio pendentem, dum sarmenta colligeret, Act. 28. peremerit, cum per virtutem potius Christi, innoxius ei fuerit, ac is non in sinum recollegerit ipsum, sed in ignem excusserit. Si serpentes se morigeros prebeant Marsis, contra natu-

Regula intelligẽdi scripturas

Marsi.

tra naturam, fieri id sathanica arte dubitandum non est. Libenter sathan illorum opera vtitur, vt qui ab initio Euæ imposuerit per serpentem. Disertis enim verbis à Deo cùm in lege tũ in prophetis est prohibita multoties incantatio. Legatur ca. Deut. 18. & Isa. 8. Verba à Deo data sunt atq; inuenta ad animi sensa enunciãdum, ad significandum, testificandum & ad cõmouendos homines, non ad inducendum quandam rebus necessitatem efficiendamq; rerum cõmutationem. Grande est itaq; peccatum hominum, qui verbis varie abutuntur. Et principiò quidem abutuntur verbis fœdissimè viri, qui ecclesiastici & vocari & videri volunt. Tribuunt hi suis exorcismis & benedictionibus pronunciatis diuinam virtutem, existimãtes propter verba consecrationis pronunciata, aquam baptismi conuerti in aquam regeneratiuam, panem & vinum in cœna, in substantiam corporis & sanguinis Christi. Sed peccant, vt diximus, grauiter. De vera autem consecratione & mutatione sacramentorum aliâs dixi copiosius. Alij quoq; non minus impiè quàm stolidè in medicando, verbis pronunciatis cum certa ceremonia attribuunt vim sanandi. Ipsi benedictiones vocant, potius appellandæ maledictiones, cum compositæ sint ex superstitiosis & monstrificis vocibus scripturæq; & diuini nominis abusu. Irridentur tales ab ipsis gentilibus Plinio & Galeno. Citantur multa à Gratiano 26. Quæst. 3. & 4. contra incantationes, inter quæ leguntur etiam illa, Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, siue in precationibus, siue in characteribus, vel in quibuscunq; rebus suspendendis atq; ligandis. In quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda sunt à Christiano & omni penitus execratione repudianda atque damnanda. Et iterum ex Concilio Aquileionensi, Quæst. 5. Episcopi eorumq; ministri omnibus modis elaborare studeant, vt per nicios am & à diabolo inuentam sortilegam & magicam artem ex parochijs suis penitus eradicent, & si aliquem virum aut mulierem huiusmodi sceleris sectatorem inueniunt turpiter dehonestatum, ex parochijs suis eijciant. Subuersi sunt, & à diabolo captiui tenentur, qui relicto creatore suo, diaboli suffragia quærũt, & ideo à tali peste debet mundari sancta ecclesia. Item Quæst. 7. Admoneant fideles sacerdotes populos suos, vt nouerint per magicas artes incãtationesq; quibuslibet infirmitatibus hominum, nil remedij posse conferri, non animalibus languentibus claudi cantibusue vel etiam moribundis quicquam mederi, sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. Et si quis hoc exercuerit, clericus degradetur, laicus anathema tisetur. Iam etiam malefici verbis abutuntur ad nocendum hominibus, vt sagæ. Contra has & omnes maleficos extant leges Impp. Constantij & Iuliani, in Cod. lib. 9. Tit. 18. Valentiniani item ac Valentis, mandantes gladio vltore prosterni tam docentes quàm discentes magicam, incantationes, seu diuinationes. Eandem sententiam contra hos tulit & in lege sua Dominus Deus noster.

Quis sit verbõrũ vsus, & ad quid institutus.

Pastores ex ẽ clesia eijciant incantationes.

Wider das Sägnen.

Cæterùm experientia euincit posse incantationibus suis aliquid in serpentibus Marsos illos, denicq; constat ex scripturis Magos Ægyptiacos plurimùm apud Pharaonem contra Mosen & Aaronem valuisse. Nam virgæ ipsorum quoque conuersæ sunt in serpentes, mutarunt illi ipsi aquam in sanguinem, & ranas produxerunt arte sua. Simon quoq; Samarites cognomento magus, stupenda designauit per artem suam in vrbe Samaria, quod Lucas testatur in Actis cap. 8. Ac magos quoq; quos maiores nostri viderunt, miranda fecisse, qui viderunt testantur. Extant huius generis plurima in historijs. Quæ dum simpliciores audiunt atq; vident, mox offenduntur, & nonnihil etiam nepharijs artibus tribuere incipiunt, sibi à magis & incantatoribus metuunt, quin & fidei aliquid nepha

Incantatores aliquid posse.

riæ arti tribuunt, ipsos consulunt, ipsorumq; auxilia petunt. Non meminerunt autem Dominum in lege sua hæc & prædixisse & præmonuisse, ne credamus illis, neue metuamus illos, sed toti pendeamus à Deo: quin magistratui mandat cædere huiusmodi impostores & homines diabolicos. Locum si quis requirat, inueniet Deut. 13. Permittit enim Deus, iusto suo iudicio, talia, vt probet fidem nostram, denique vt puniat incredulitatem multorum: sicuti & apostolus commemorat in 2. ad Thess cap. 2. Quòd sicubi sathan, vel ipse, vel per organa sua fidelibus nocet, discunt hi in exemplo Iobi, quid sentiant & quomodo se gerant. Certum est tamen diabolum, magos, & incantatores, diaboli organa nihil amplius posse, quàm Deus ipse eis permiserit. Etenim magi Aegyptij in culicibus vel pediculis hærent, nec progredi possunt, nec paria facere cum seruis Dei. Ad Philippi aduentum in Samariam, obstupescit Simon, nec quicquam valet arte sua amplius. Filij Sceuæ in Actis 19. adiuratores spirituum, miserè à dæmoniaco lacerantur. Potentiss. Orientis magus erat Balaam, sed dum maledicere instituret populo Dei, vanissimi fuerunt eius conatus omnes. Timeamus ergo Deum, qui solus seruare potest & ab omni malo tueri. Isaiæ 8.

Planctus Ieremiæ.

Porrò deflet Ieremias cladem & interitum futurum sui populi. Significat autem dolorem esse maximum, quo angitur & exercetur. Libenter, inquit, consolarer me in meis illis doloribus, cæterùm tantus est & tam altè animo meo insidet mœror, vt nullam admittat consolationem. Magnitudine autem doloris sui notat etiam calamitates fore maximas. Lutherus ad Deum hæc retulit, ac vertit, **da wil ich mich miner müy vnnd mines hertzenleyds ergetzen**: vt hoc ipsum ferè hic dixerit Ieremias, quod in primo capite dixit Isaias, Deum loquentem inducens atque dicentem, Hei cõsolationem capiam de hostibus meis, & vindictam sumam de inimicis meis. Prior autem sensus simplicior esse videtur. Gerit autem typum boni pastoris Ieremias, cuius munus est acriter quidem in gregis scelera dicere animaduertereq;, sed ex paterno animo omnia instituere, gregem diligere, & de ipsius infelicitate tristari. Talem videmus fuisse Samuelẽ erga Saulem, quem eximiè diligebat, fundens pro ipso lachrymas apud Dominũ, at eundem interim obiurgabat grauissimé. Sunt qui concionatores lætari existiment, cum acriter inuehuntur in populi peccata ac dira minantur à Domino. At mallẽt isti feliciora annunciare, modò vita vulgi corruptissima, nõ nisi infelicia polliceretur. Denunciat etiam parens infaustissima liberis inobsequentissimis: sed non lætatur interim in liberorum interitu.

Culpa malorũ in nobis est.

Per consequentia immiscet rursus, pro more suo, eximias & tamen veteres multumq; & diu inculcatas pereundi causas. Figurat orationem, quò plus haberet gratiæ & euidentię, dialogismo, quem appellauit Cicero Sermocinationem. Fit tamen dialogismus etiam, cum quis secum disputat & volutat, vt inquit Iulius Ruffinianus, quid agat vel agendum putet: in præsenti colloquuntur Iudęi ac Deus ipse. Fingit enim prophęta se iam audire voces populi in captiuitatem longè abducti, ac querulantis expostulantisq; cum Deo ac dicentis, Nunquid Dominus nullus est in Zion? Quidam verterunt, **Wil dañ Gott nit me Gott in Zion sin**: An verò rex non est in ea? Respiciunt ad promissiones Domini, quibus pollicitus est se semper habitaturum cum illis in Zion, se Deum ipsorum futurum, liberatorem, regem & assertorem, adeoq; daturum se regem qui tueatur ipsos perpetuò atq; gubernet. Iam ergo dicunt, Cum in captiuitatem simus abducti (de futuris enim loquitur, pro more prophetico, tanquam de præteritis) & Zion perierit flammis, non videmus quomodo verax sit Deus in suis promissis. Nam ingenium humanum corruptissimum aliâs, si sathanæ suggestionibus incitetur etiam, dum iustas Dei iustissimi vindictas sentit, linguam suam nimis liberè

In afflictionibus murmuramus contra Dominum.

liberè imò impiſſimè in Deum laxat, & velut in dubium vocat, num ſit Deus, & ſi ſit, num verax & iuſtus ſit, aut vllam miſeri hominis rationem habeat. Ac audiuntur aliquando huiuſmodi voces ab ægrotantibus, alijſq; afflictis, longa vel diuturna calamitate exercitis hominibus. Leguntur etiam quædam huius generis & in ſacris literis, in Pſalmis præcipuè. Cæterùm Deus eſt Deus, & viuit, & rationem eximiam ſuæ creaturæ habet, verax item & iuſtus eſt, & malum vel iniquum in ipſo nullum eſt. Peccant ergo in Deum grauiter, qui dum affliguntur mox obmurmurant Deo, & dicunt, Vbi nunc beneficus ille Deus, cuius miſericordia eſſe dicitur ſuper omnia opera eius? Vbi nunc verbum illud Dei, quod nobis ampliſſimè optima quæque promiſit? Res ipſa & miſeria noſtra interminabilis euincit illa omnia eſſe vana. Quinimò tu, ô iniquiſſime homo, vanus es. Tu tibi ipſi cauſa es malorum, qui grauiſſimè peccaſti contra Dominum, & nunc quidem ingenti peccatorum cumulo adijcis blaſphemias & impium murmur contra Dominum. Deus certè in præſenti non dignatur illos vlla directa, quam vocant, reſponſione, qua ſe declaret veracem eſſe & iuſtum, ſe ſemper fuiſſe in Zion, & regem ſe præſtitiſſe fideliſsimum. Nihil enim opus erat verbis dicere, quod rebus tot & tantis omnium oculis contemplandum toties obiectum erat, & adhuc exponebatur, omnibus interim etiam creaturis teſtantibus Deum eſſe Deum, & quidem veracem & iuſtiſsimum. Oppoſita ergo quæſtione, per Antitheſim, Deus reſpondet & ait, Quare verò ad iracundiam ipſi me prouocauerunt? &c. atq; ſimul & omnium malorum cauſas in ipſos retorquet, & cauſam reddit cur exciderit gentem & vrbem, reliquiasq; diſperſerit in gentes à quibus tenebantur captiui. Ego quidem quod promiſi præſtiti, inquit, & ſeruaui, præſens ſemper in Zion, Deus, Dominus & rex: tu verò fidem nunquam præſtitiſti. Tu itaq; ſceleribus tuis tibi cauſa es malorum. Iam etiam ſcelera diſertis verbis nominat, Prouocaſti me in ſculptilibus tuis, & in vanitatibus alienis. Alij legunt, In vanitatibus alieni, videlicet, Dei. Peccarunt quidem contra Deum peccatis & innumeris quidem alijs, ſed idololatriam & cultum alienum, præ cæteris abominatur Dominus. Irritamus Deum aut prouocamus ad iracundiam, cum ille tam diſertè lege ſua prohibuit idola & cultum nouũ arbitrarium & peregrinũ, eandemq; rem tot & tantis inculcat per prophetas, nos verò illis omnibus præteritis atq; ſpretis idola erigimus, nouos cultus Deo velut obtrudimus, concertantes cum ipſo, veluti ſuperaturi Deum. Prohibuerat Deus idololatriam omnem, inſtituerat cultum ſibi placẽtem, mandarat ne quid ei adimeretur aut adderetur, Iudæi verò idola nihilominus fingebant, & nouos cultus à ſemetipſis & ab alijs confictos vel excogitatos recipiebant. Quemadmodum hodie quoq; fit. Inſtituit Dominus Ieſus cultum noui Teſtamenti, miro compendio, liberauit à legalibus, in hac ſimplicitate eccleſiã perſeuerare iuſſerunt apoſtoli. Sed quid fit? Idola reducta ſunt in templa: operoſiorem item cultum parauimus nobis, quàm vlli vnquam Iudæi aut gentes vllæ habuerint: ſuperſtitionibus ſcatent omnia. Atque hæc dum pro ſacroſanctis habentur, nemo credit ſe his peccare. At iſtis maximè peccatur contra Deum: & propter idololatriam & cultus nouos & peregrinos, redundant omnia malis, ſumusq; nos ipſi in culpa, quòd Chriſtus nobis non adeſt, neq; aſſerit contra Turcas & alios hoſtes noſtros. Vnde grauiſſimè peccant illi quoq;, qui fidem Chriſtianam extenuant propter victorias Turcicas. Nunc enim victis quoq; & ſubiugatis Chriſtianis, & ideò murmurantibus dicentibusq;, An non Chriſtus meritò tueretur ſuam eccleſiam, quam dicitur ſibi deſponſaſſe? opponit Dominus & ait, An verò tu te ita vt ſponſam decebat geris? Si ſum maritus tuus, vbi eſt fides coniugalis? Quid adoras Papam excrementum nequitiæ? Quid proſtituis te idolis? Cur

Grauiſſima peccata.

Irritare Deũ.

calcato euangelio meo, humana decreta sectaris? Patere ergo meretrix, si hostibus tuis obijciaris. Peccas enim perfidia, & quod peius est, hanc tuam perfidiam venditas pro fide solida, & tanquam catholicus & orthodoxus persequeris verè fideles tanquam hæreticos & schismaticos, nouam religionem sectantes, &c.

Captiuitas diuturna.

Quod sequitur, Præterijt æstas, &c. declarat calamitates & ipsam captiuitatem fore diuturnã. Nam certum tempus pro incerto poni videtur. Quasi dixerit, Permultum temporis adeoq; anni multi præterierunt, necdum quicquam liberationis & auxilij sensimus. Messis enim & æstas anni partes numerantur Gen. 8. Alij retulerunt ad obsidionem Hierosolymorum, in qua nihil auxilij, vti sperauerant, ab Ægyptijs, obtigit.

Deplorat propheta res deploratas.

Cernens itaq; propheta rem esse desperatam, pergit in luctu suo planctuq;. Mira vtitur verborum copia & enargia. Contritus sum, inquit, adeoq; confectus mœrore, idq; propter cladem illam acceptam filiæ populi mei. Filiam populi sui, idiotismo quodam ponit pro ipso populo, qui à Deo adoptatus erat in filiam, & à quo requirebat integritatẽ & virginalem & cõiugalem. Addit aliud, atratus sum: pro quo alij verterunt, in mœrorem incidi, Et, mœstus sum. Nam solent lugentes pullis vestiri indumẽtis atriq; vel atrati incedere. Subiungit aliud quoq; euidentius adhuc, Stupor me tenet. Vel obstupesco, vt prorsus animi sim inops, quid dicam aut faciam nesciam. Rationem huius sui stuporis subnectit, Quoniam cum abundet medicina, nec pauci sint medici & chirurgi peritissimi, medicantes diligentissimè populo Domini, res profectò stupenda est, huius vulnus coalescere nolle. Quis enim non obstupescat ad infelicitatem tantam? quòd inquam oleum & opera perijt. Quis hodie quoq; non ad stuporem etiam admiretur nostri seculi stupiditatem, quòd cum occasiones reuertendi ad Deum habeat innumeras, nulla tamen vti velit? Imprimitur verbum Dei, pingitur, scribitur, prædicatur, cantatur, & mille formis proponitur hominibus. Sed nulla ratio delectat. Omnes ferè sordes huius seculi malunt. Allusit autem propheta ad

Galaad.

loci ingenium. Profundebat Galaad magnam resinæ vel balsami, vnde vnguenta & emplastra fiebant, copiam. Significat ergo populum non destitui iusta necessariaq; medicina, nimirum operosa prædicatione pœnitentiæ. Nec deerant medici nobiles, nimirum pœnitentiæ & remissionis peccatorum prædicatores. Sequitur, Cur ergo plaga populi mei non obducitur atq; curatur? Ad verbum sonat, Quoniam quare nõ ascendit medela? &c. Germanicè verti poterat, **Wie gadts dann zů/ das der schad der tochter mines volcks nit zůheilet?** Et certè cum nihil in populo proficit vlla docentium diligentia, quid aliud possunt prædicatores quam obstupescere, lugere, expectare visitationem Domini & orare, Parce populo tuo Domine? &c.

Prosequitur propheta planctum. Confutat sextum ipsorum præsidium, Consensionem, &c.

CAPVT IX.

CONCIO XXXV.

QVis dabit capiti meo aquas, & vt oculus meus fit scatebra lachrymæ, vt deplorem die noctuq; interfectos filiæ populi mei? Quis det mihi in solitudine diuersorium viatorum? desererem enim populum meum, & discederem ab eis. Vniuersi enim ipsi adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum. Intendunt linguam suam ceu arcum suum mendacem: præualent in terra, sed non ad

non ad veritatem: quoniam de malo ad malum transeunt, nec cognoscunt me, dicit Dominus. Quisq; sibi à proximo suo caueat, & fratri suo nullus confidat. Nam omnis frater supplantando supplantat, & proximus quisq; incedit fraudulenter. Quisq; proximo suo illudit & verum non loquitur, assuefecerunt linguas suas loqui mendacium, & peruersè agendo fatigati sunt. Sedes autem tua in medio doli, præ dolo noluerũt me agnoscere, dicit Dominus. Iccirco sic dicit Dominus exercituũ, Ecce ego excoquam eos & probabo eos. Quid enim aliud faciam cum filia populi mei? Lingua eorum est & velati sagitta acuta, dolum loquitur, ore suo loquitur pacem cum proximo suo, sed intus concinnat insidias suas. Nunquid verò hæc non visitarem, ait Dominus, aut de gente huic simili non sumeret supplicium anima mea?

Plãgit prophe ta, & plangendo grauitatem malorum ostendit.

PERGIT propheta in concepto planctu, quo amplificat malorum futurorum grauitatem, si fortè commouerentur ad emendationem morum corruptissimorum, & ad fidelem obedientiam. Eloquentissimus est vates in hoc negotio. Exclamans & eiulans, Vtinam, inquit, totum caput meum vertatur in aquas. Nam cum nos quoque loquimur de fletu largissimo, dicimus Germanicè, **Ich vermeint ich müßt luter zů wasser werden.** Vel, Vtinam, inquit, aliquis affundat largissimam aquarũ copiam meo capiti, quam plorando rursus effundam. Vtinam oculi mei sint iugis quædam lachrymarũ scatebra. Monuerunt hic alij, Hebræos carere optatiuo, ideoq; vti prophetam circuitione aliqua & interrogatione, Quis det caput meũ aquas? id est, O si totum caput conuersum esset in aquas. Ac ne sic quidem satis dignè deplorari posset calamitatis venturæ grauitas atq; acerbitas. Eleganter ergo S. Hieronymus, Si totus, inquit, vertar in fletum, & nequaquam guttæ sint lachrymarũ, sed abundantia fluminis, tamen interfectos filiæ populi mei dignè flere nõ potero. Tanta enim sunt mala, vt omnem dolorem sua vincant magnitudine. Hoc autem tam ex prophetæ quàm ex Domini persona potest intelligi. Hæc ille. Deinde verò exoptat sibi in deserto aliquo, non stabilem concedi domum, sed tuguriolum aliquod, in quod diuertere solent viatores ex itinere, vt interspirent paululum inclementiam q; cœli declinent. In tam vili autẽ habitatiuncula asserit se viuere malle, quàm in palatijs & amœnissimis huius gentis ciuitatibus, in quibus quotidie cogatur aspicere, quæ animum castum excrucient. Subijcit enim, Desererem profectò impœnitentem hunc populum, & recederem ab eis, quibus iam tot annis frustra pœnitentiam prædico. Cæterùm non ideò plebe misera relicta, contulit se propheta in Eremum. Nam vota huiusmodi duntaxat ostendunt animum tristem & exulceratum, non autem suadent aut iubent, vt magistratus & ministri ecclesiarum fastidio capti impœnitentis populi, gubernaculo abiecto, ex naui mox illidendæ cautibus mergendæue vorticibus in continentem prosiliant, & nauem sibi commissam, in cautes atque syrtes illidi sinant. Iussit quidem Dominus excusso ex calceis puluere apostolos solum vertere, sed alio sensu. De quo aliâs dictum est. Profugit quondam in desertum Helias impio populo deserto, sed redire iubet ipsum Dominus, & increpat grauissimè timidum & fugientem. Profugerat ex Ægypto Moses, sed remittitur tandem ad Pharaonem in Ægyptum. Profugerat Ionas ne cogeretur Niniuen petere: sed præceps in mare agitur vel proturbatur, grauiter à Deo mulctatur, tandem & Niniuen petere iubetur. Proinde non est quòd prætexamus huiusmodi Ieremiæ verba nostro ocio. Commemorat S. Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ, Paulum terrore suppliciorum, quibus subdebantur tunc Christum confitentes, territum, profugisse in antrum in deserto. Nec dubito quin anachoretæ plures

Optat habitatiunculam in deserto.

Non protinus deserendi impœnitentes.

Quare anachoretæ se in solitudines receperint.

ab initio, nõ alia de causa relicto mundo in deserto sese abdiderint, quàm quòd videre amplius nollent increduli & impœnitentis mundi petulantiam & deploratam impietatem. Hodie longè alias ob causas ingrediũtur monasteria monachi. Fugiunt mediocritatem vel paupertatem suam, sectantur opes, dignitates & honores atq; voluptates: quas abundè in Cœnobijs inueniunt. Si hic non ingressus fuisset Cœnobium, iam foris in hoc seculo laborare, esurire, & despectus esse cogeretur: nunc verò Prior vel Abbas factus, in opibus sese voluptatibusq; volutat, & tantùm non adoratur ab illis qui tamen nihilominus ipsum appellant ebrium monachum, monachum scortatorem, & ventrem pigrum. Quia tamen illos vident instructos esse fauoribus, clientelis, opibusq;, vt & prodesse & obesse possint, iccirco simulant se reuereri monachos, quos tamen in animo odiunt aut non magni faciunt, itaq; fit vt hypocrita hypocritam hypocriticè co-

Abbas Volkuinus contra monachos.

lat. Extat Homilia Abbatis Volkuini in euangelium, Simile est regnum cœlorum seminanti, &c. typis excusa Basileæ, anno Domini 1555. & ædita à clarissimo viro, D.D. Vuolfgango Vuyssenburgio, præclaro theologo, amico nostro singulari fratreq; nostro charissimo. In ea grauiter inuehitur Abbas ille in monachos sui seculi, atq; inter alia dicit, Olim sanè claustrum dicebatur à claudendo, hodie potius à claudicando dicitur. Dudum quippe à claudendo propriè dicebatur: quoniam viri claustrales non solum corpore, sed & corde intus manentes, omnes sensus suos ab appetitu seculari, ab omni concupiscentia temporali strenuè clauserunt. Hodie verò rectius à claudicando dicuntur. Quoniam viri claustrales temporalibus inhiant, quasi in vtranq; partẽ claudicãt, dum seruire Deo volunt & mammonę, religioni & ambitioni, polo simul & foro. Quocirca talibus voce illius legalis Heliæ in Regum libro loquentis Sacerdotibus & Leuitis Baal, rectè dicitur, Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini illum: si autem Baal, sequimini eum. Baal superior vel deuorator interpretatur. Sacerdotes ergo Baal sunt ambitiosi, cupidi & gulosi. Multi sunt eius sacerdotes, quia multi eum colunt. Mox ostendens Beelphogor etiam num suos habere sacerdotes idem ille Abbas subdit, Beelphogor seruiunt, id est, Deo tentiginis, qui incuruantes se ad quancunq; luxuriam, scortum nutriunt in domo sua, etiam plus quàm laici fœtore libidinis vaporantes. Quid verò maius, quid enormius, quàm in nocte tractare filiã Veneris & de die filium Virginis? Audent sacerdotes carnẽ agni immaculati contingere, & intingere manus suas nepharias in sanguinem saluatoris, quibus paulò ante carnem meretricis contrectauerant. Item cum commonstrasset & Dagonem suos habere sacerdotes, Hi sunt, inquit, qui religionem Dei sui, sacrum corpus Domini venale exponunt, qui sunt socij Iudæ, qui mortem Domini sibi lucritiuam esse desiderans vendidit Dominum: imò magis vilipendentes quàm Iudas, qui Dominum non minoris quàm pro 30. denarijs dedit, ipsi autem pro tribus denarijs. Idem e-

Coniugiũ monstruosum & inauspicatum conciliatur.

tiam Abbas istis omnibus adiungit: Tribus istis generibus sacerdotum diabolus tres filias suas quas habet desponsauit, Superbiam videlicet, Auaritiã & Luxuriam. Superbiam sacerdotibus Baal, id est, ambitiosis & dominari volẽtibus. Auaritiam sacerdotibus Dagon, id est, cupidis & curiosis. Luxuriam verò sacerdotibus Beelphogor, id est, impudicis & libidinosis. O prophana & detestanda connubia. Quid enim ex his nisi monstra generãtur? Hactenus digressi recitauimus Abbatis Volkuini verba, in hoc, vt omnes videant frustra se monachos tueri hoc Ieremiæ voto, Vtinam liceret mihi solitariè in solitudine segregatum ab hominum consortio habitare.

Caussam verò subnectit cur illis desertis in desertũ abire desideret, quoniam vniuersi adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum. Adulteri autẽ erant, quoniam

fidem

fidem coniugalem pactam fœdere diuino per idololatriam violabant. Deinde coniuges malè tractabant, vagaq́ libidine polluebant omnia. Et cum ipsi ecclesia Dei sancta esse debuissent, cœtus erant nebulonum diuina & humana præuaricantium, & vt Germanicè dicimus, Ein huffen böser bůben.

Porrò veluti per enumerationem specierum exponit quare ciues Hierosolymorum nuncupauerit cœtum nebulonum. Principiò quidem linguam suam ceu arcum letiferum intendunt, vt eiaculentur mendacia sua mortifera. Sicut enim arcus intenditur, vt sagittam excutiat & proximum quenq́ conficiat: Ità comparat propheta ora & sermones Iudæorů arcui vulnifico. Sicuti & in Psalmis fit perfrequenter. Deinde addit fatales & noxios hos homines prævalere prorsus. Nos dicimus, Der böß huff nimpt überhand. Alioqui si prævaleant boni viri, vtilissimum id est. Nam veritas & pietas promouentur. At dum corrupti & nequam homines prævalent, veritas corrumpitur & violatur, promouetur idololatria & omnis impietas atque conscelerațio. Vnde Ieremias dixit, Prævalent in terra, sed non ad veritatem, vel tuendam intellige, vel propagandam. Sequitur huius rei alia quoque ratio, Quoniam de malo ad malum transeunt, vel perrumpentes grassantur. Non satis est illis semel & iterum peccauisse, nisi peccata repetant creberrimè, & nouas subinde scelerum formas inueniant, & in his sese exerceant, adeóque & volutent. Fit ergo vt pertinacissimè pergant in facinoribus, & quotidie nouis auctionibus semetipsos superent. Id autem in vniuersum ex eo exoritur, quòd Dominum Deum non cognoscunt. Nam vt Dei cognitio causa est pietatis veræ, ita ignorantia Dei causa est omnis impietatis & conscelerationis. Rursus autem adijcit sententiam consuetam, Dicit Dominus: quò plus authoritatis habeat inueniatq́ fidei oratio prophetæ. Applicemus hæc nobis fratres, & dispiciamus num nos etiam, qui per Germaniam & orbem Christianum debueramus esse ecclesia Christi electa, simus synagoga sathanæ, diaboli sodalitium cœtúsque nebulonum. Certè si mendacia, contumeliæ, conuitia, delationes, calumniæ & huius generis alia inter nos regnant: si prævalent audacissimi quique nebulones, comessatores, ebrij, Absolones, Ieroboami, Iugurthini & Catilinarij, auari & vsurarij, blasphemi item atque adulteri, denique & idololatræ: si de malo in malum ruunt impunè homines temerarij, & Deum per verbum veritatis agnoscere renuunt, non video quomodo hæc nobis non congruant quàm appositissimè. Congruet tandem & calamitas, miseria atq́ excidium.

Descriptio cœtus prævaricatorum.

Peruenit nunc ad diruendum sextum huius gentis præsidium, in quo spem fiduciamq́ suam collocabant, nunquam futurũ putantes, vt excinderentur, & priusquã excindantur, tantis atterentur ęrumnis: vnde & segnius imò nullam agebant pœnitentiam. Consensio est inter nos mutua, dicebant, & societas arctissima. Atqui cum notum sit omnibus concordia crescere res paruas, discordia dissipari maximas, mirum non est ab hostibus nos frequenter vexatos & victos esse bellis, cum bella gereremus cum fratribus Israelitis, decem inquam tribubus: porrò nunc cum istis in captiuitatem abductis, nos reliqui veluti inter nos conspirauerimus Iudæi, dubium non est quin per hanc concordiam nostram, deinde per fœdera gentium vicinarũ, contra potentissimos hostes quosuis superiores simus futuri. Atque huius generis hodie audiuntur permulta, non impari insania ineptiáque iactari. Verùm hæc omnia validè refutat propheta, ostendens nihil integri esse in populo vniuerso, falsa, fucata, simulata, commentitáque esse omnia. Verbis quidem amplissima pollicebantur mutuùm, reuera autem hypulon vel purulentum vlcus animis inhærebat omnium, erantq́ inania omnia: & vt Germanicè solemus dicere, Vil güter glatter worten/vil

Sextum præsidium in mutua concordia.

mer betrugs vnd falſcher triiw. Nemo autem hæc intelligat, quaſi propheta gaudeat inter eos vigere ſimultates, aut quòd diſſidium gliſcere cupiuerit. Odiunt piæ mentes ſimultates, odia & diſſidia graſſantia inter homines. Neque verò illa cupit in ipſis confirmari: ſed quæ in animis contegi lateréque iam dudum cernebat, in lucem protrahit & apricat, non in alium finem quàm ne rei vniſsimæ conſiderent. Tantum abeſt, inquit, vt exiſtimem vos eripiendos ex malis impendentibus per veſtram concordiam & ſocietatem, vt iubeam potius quemlibet ſibi cauere à proximo ſuo. Huic adiungit aliud euidentius. Quin fratri ſuo nullus, inquit, fidat. Si autem fratri germano fidere non licet, cui tutò fideres obſecro? Cauſſam autem ſubdit cur non ſit vel fratribus noſtris fidendum, Nam omnis frater ſupplantando ſupplantat, id eſt, ſumma cura & diligentia frater fratri imponere ſatagit. Quid ergo mirum, ſi proximus quiſque fraudulenter, vel vt mercator (de quo loquutionis genere ſuperius dixi) incedit? Rurſus explicat quod dixit ſignificantius, & ait, Quiſque proximo ſuo illudit. Id quod Germanicè vertunt, Einem eins über das oug gäben/ id eſt, malis artibus & doloſè decipere atque circumſcribere. Dicat hic aliquis, Sed ſuaui & largo eſt eloquio erga me, quem tu vituperas tantoperè: præoccupat vates & ait, Sed verum non loquitur, Simulata & fucata ſunt omnia, quæ dicuntur. Accedit his aliud propemodum maius, Linguas ſuas ita aſſuefecerunt blanditijs, aſſentationibus, dolis & impoſturis, vt abierit iam propemodum in aliam veluti naturam, & aliter loqui non poſsint, etiam ſi velint, quàm doloſè. Atque in vniuerſum in malè agendo vel perpetrandis ſceleribus ſic abundè & largè ſe exercuerunt, vt defatigati, iam nihil amplius poſsint. Qui quidem gradus iniquitatis vltimus eſt, cum cogimur deſinere, neq; amplius quod cupimus poſſumus perficere malum, & vt Germanicè dicitur, Das wir grad an der boßheit erligend / libentiſsimè facturi ampliora ſi adeſſet facultas. In hoc verò ſpeculo intueamur omnes noſmetipſos diligentiſsimè, ac diſpiciamus, ſi hæc conſceleratio in nobis quoque inueniatur. Metuo autem mores noſtros huic deſcriptioni tam eſſe ſimiles, vt ouum ouo non ſit ſimilius. Expende tu ſingula per ſpecies vel partes ſingulas, & ora Dominum, vt ſpiritum ſuum tibi concedat, per cuius inſtinctum & vires, corruptela hac abominanda eximaris, niſi cum Iudæis quoq; libeat experiri poſtrema. De quibus mox dicetur.

Quiſq; ſibi à proximo ſuo caueat.

Propheta ſedet in medio doli.

Apoſtropha ad prophetam facta, Sedere tuum, inquit Dominus, in medio doli eſt, id eſt, ſedes tu quidem non tantùm inter doloſos, ſed inter ipſos dolos. Nam hodie quoq; cum ſinguli propemodum experiantur proximos ſuos erga ipſos neq; ſimplices eſſe neq; fideles, ſentiunt tamẽ hoc ante omnes alios fideles verbi Dei concionatores. Quibus quidem permulti ſolent applaudere & prolixè polliceri ampliſsima, ſed hæc omnia ex corde hypocritico. Abſentibus enim maledicunt, doctrinam ipſorũ calumniantur, ſublatos, perditoſq; mallent: præſentibus ſic adulantur, vt crederes in vniuerſo populo nõ viuere fideliores verbi & miniſterij denicq; miniſtrorũ amicos. Sed ſcorpiones ſunt. Addit, Præ iſta cordis ſui vanitate, ipſos non poſſe nec velle Dei cognitionem recipere. Quid enim vel Deum, vel cognitionẽ Dei admitterent, qui nihil oderunt impotentius, quã Deum, verbum Dei, & verbi Dei miniſtros? Hæc inquam veriſsima eſt cauſſa, cur hodie ſint & ſemper fuerint rariſsimi verè ex animo pij. Ne autẽ pro doloſo ipſorum ingenio tergiuerſarentur & negarent rem ita habere, vt proponebatur, muſsitarentq; prophetam eſſe ſuſpicioſum & malignum, adijcit, Dicit Dominus. Dominus cordium ſcrutator, inquit, hæc dicit, qui mentiri neſcit. Cum autem res ſic habeant, quid putabimus profuturã fucatam hanc & fallaciſsimam conſenſionem? Et tamen inuenias hodie principes & reſpub. quæ exiſtimentomnia

mnia esse in tuto, si fœdere coeant cum potentioribus, & inter se consentiant milites, nulla interim ratione habita pietatis vel religionis. Subnectit porrò ex more suo supplicium de ipsis à Deo sumendum. Iccirco sic dicit Dominus, & Dominus quidem exercituũ, cui obediunt omnia, Ecce ego excoquam eos, &c. Videntur sibi cohærere arctissimè, ego autem calamitatibus & bellis cùm exteris tum ciuilibus immissis, comprobabo aut declarabo, quàm nihil cohæreant. In periculis enim quisq; rebus suis consulere conabitur, præterito imò conculcato proximo suo. Sicuti ergo igni probatur metallum ac dissoluitur: sic per calamitates dissipabitur impius hic impiè sibi consentiens populus. Allusio fit ad rem metallicam. Vide quæ dixi in fine cap. 6. Mox per Inopinatum, vt vocant, subdit, Quid enim aliud faciam filiæ populi mei? Q.d. Quòd si cui nimis seuerus aut morosus videar, audire vellem ab eo, quid aliud facere possem vel deberem populo meo, quàm quod sum facturus? Nam iudicia Dei semper sunt æquissima iustissimaq;. *Probat Deus ignem per secutionis hypocritas*

Rursus autem redit ad id, quod dixerat etiam ante, & repetit quanta sit huius populi malitia. Dicit autẽ linguam eorum sagittam esse acutam vel mortiferam: quemadmodum & in Psalmis legitur, Quæcunque loquuntur, falsa sunt & dolosa: adeóque ore suo pacem loquuntur, corde autem machinantur insidias. Sicuti & superius est dictum. Vide autem quàm hæc ratio displiceat Deo. Discè candidè agere cum proximo tuo & vera loqui, fugere omnem hypocrisim & fallaciam: sicut infinitis propè locis docet & Solomon in suis Prouerbijs, & apostolus Paulus Coloss. 3. & in alijs locis non paucis. *Lingua eorum sagitta acuta.*

Postremò iterum infert Dominus, se iustè puniturum & Iudæos & omnes vel quaslibet gentes peccantes ad eum modum ad quem peccasse videntur Iudæi. Non enim Iudæorum tantùm Deus est, sed & Gentium. Dixi de hoc intercalari versu in capite 5. Domino Deo nostro sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Confutat septimam ipsorum fiduciam vanam, defixã in facultates & munitiones, demõstrans propter peccata, omnia ista fore dissipanda.

CONCIO XXXVI.

Super montes fletum leuabo & planctum, & super tabernacula deserti lamentationem, quoniam exusta vel deuastata sunt, vt non sit qui transeat: nec vox pecoris auditur: tam volucres cæli quam animalia terræ auolarunt & abierunt. Quin & Hierusalem in aceruos redigam & habitationem draconum, sed & ciuitates Iuda desertas reddam, vt sint sine habitatore. Quis vir sapiens & intelliget istud? & ad quem loquutum est os Domini annunciabit istud, propter quam caussam perierit terra ista, & deuastata sit in modum deserti, vt nemo pertranseat? Et dixit Dominus, Eò quod deseruerunt legem meam quam proposui coràm eis, & non audiuerunt vocem meam, neq; ambulauerunt in ea, sed abierunt post cogitationem cordis sui, & post Baalim, sicut docuerunt eos patres eorum. Propterea sic dicit Dominus exercituũ, Deus Israel, Ecce ego cibabo populum istum absynthio, potaboq; eos aqua fellis. Dispergã deniq; eos in gentes, quas non cognouerunt nec ipsi nec patres ipsorum, mittamq; post eos gladium, donec eos consumam.

Fiducia in facultates & munitiones.

SEptimum præsidium, in quo confidebant Iudæi, erant opes, vel facultates amplæ, munitionesq; vrbis regiæ & oppidorum Iuda ad obsidiones sustinendas, dudum, vt videbatur, instructæ satis. Erant Iudæis montana pascuis lætissimis amœnissima; erat eis pecoris infinita quasi copia, ex lacte lactarijsq; proventus luculentissimus. Etenim multò vberrimus quæstus est & fuit semper qui colligitur ex re pecuaria, nedum ex agrorum cultura. Facultatibus ergo gens illa abundabat & victu necessario. Fuisse autem munitissimas vrbes in tribu Iuda, à regibus instructas, testatur sacra historia: ac ipsam vrbem regiam propemodum fuisse inuictam, docet annorum aliquot obsidio, qua vix tandem capi potuit. Et quidem neruum belli esse pecuniam, deinde annonam quoque siue agri proventum, magnus est sapientum consensus. His ergo rebus cum abunde instructi sibi viderentur Iudæi, nunquam se vel exhauriendos aut capiendos arbitrabantur: vnde Sermones aspernabantur prophetarum. Iccirco Ieremias consequenter hanc quoq; ipsorum confutat fiduciam, demonstrans in futuris bellorum turbis neq; amplas ipsorum facultates, neq; munitas ipsorum vrbes, erepturas ipsos ex impendentibus malis. Quin potius & materiam opum omnem dissipandam, & munitiones vniuersas irrumpendas, diruendas, soloq; æquandas. Quæ cum in bello Babylonico videamus completa, ne simus porrò tam stolidi vt vanis hisce rebus confidamus.

Planctus super montes & casas pastoritias.

Ad euidentiam illud pertinere videtur, quod non simpliciter dicit pascua perdenda, sed planctum vel lamentationem sibi super montes & pascua & tuguriola pastoralia sumit, veluti deplorans interitum rei animatæ adeoq; hominis. Sensus est. Vos quidem fiditis vestris prouentibus ex pecoribus & armentis, ego verò præuidens quid futurum sit, cogor ex animo lamentari vel plangere super dissipatione istarum rerum omnium. In montibus erant amœniss pascua, vt nunc apud nos visuntur in vicinis alpibus. Desertum, in quo commemorantur esse habitacula, non significat locum sterilem, sed non confertim instar vrbium habitatum ab hominibus, pascendis tamen armentis pecoribusq; & pastoribus non inidoneum. Talia legimus fuisse & Iudææ deserta. Talis fuisse videtur qui apud Tacitum nuncupatur Eremus Heluetiorum. In desertis habebant sua tabernacula, mapalia, stabula & septa, quæ hodie nuncupamus Stadel/ Sennhütten/vnd pferrich. Hæc inquit, omnia vastabuntur, tabernaculis incensis & dirutis, vastatis item pascuis. Ipsa verò armenta & pecora abigentur ab hostibus. Quinimò, quod euidentius est, Non audietur amplius, inquit, vlla vel pecoris vel armenti vox. Nunc quidem intonant omnia mugitu atq; boatu, cum verò ingruerit bellum, silebũt omnia, abactis mactatisq; iumentis & pecoribus. Quid quod & volucres cœli auolabunt? tantum abest vt altilia vobis retineatis: Maledicente enim Domino alicui populo, iam volucres & animantia ab ipsis quoq; veluti à Dei maledictis male auspicata refugiunt. Experientia id hodie quoq; docet. Non dissimilia audiuimus in cap. 4.

Diruuntur & capiuntur omnes munitiones.

Porrò quod attinet ad munitas vrbes & arces, stultissimè in illas fiduciam vestram defigitis. Quis enim ita insaniat, vt speret in aceruum lapidum? Quantulum verò ab hoc distat vestra illa spes, qua saluos vos fore putatis in munitis vrbibus, quæ & ipsæ aliud nihil sunt quàm acerui lapidum, nisi quod in murum concinnius cæmento sunt lapides compositi? Quantulum verò in hoc præsidij? Quòd si nondum hoc intelligitis, videbitis reipsa & experiemini, dum ædificia & muros vestros redegerit Dominus in aceruos lapidum, videbitis inquam frustra sperauisse vos in lapides. Si verò fiducia vestra defigitur in homines mœnia defensantes, efficiam hic quoq; ne vllus supersit habitator mœniorum. Nullo enim negotio tollit Deus habitatores vrbium, fame, peste, gladio. Addit his mirabilem.

bilem, sed vsitatam prophetis notam solitudinis vel desolationis, Redigam, inquit, vrbem Hierosolymorum in habitationem vel lustrum draconum vel serpentum, maximè solitudine gaudentium. Vbi ergo antea fuerunt palatia magnificorum, ibi porrò erunt lustra vel latibula ferarum. Vbi antea chori ducebantur, & conuiuia exhibebantur, & exaudiebatur cantus iubilantium, ibi porrò stridebunt serpentes. Similia de Babylone attulit Isaias in cap. 13. Proinde huiusmodi rebus, vtpote perituris & instabilibus nihil tribuunt viri pij & prudentes, dependent à Deo viuo vero & sempiterno. Sed de ædificijs dictum est aliâs.

Quoniam verò nullus est locus magis explicatu necessarius quàm Causarum, pro more suo ad ipsum hic denuò recurrit, exponens quam ob causam funditus delenda sit vrbs sancta, & vastanda terra Iuda cum hominibus & vniuersis animalibus. Vtitur dialogismo, propheta interrogante, & respondente tandem Deo. Sic enim omnia non euidentiora tantùm, sed etiam magis perspicua fiunt. Ita verò negotium proponit propheta, vt simul taxet grauissimè eorũ stultitiam, qui & sapientes videri volebant, & toties verbo Dei admoniti erant, nec dum tamen excidij sui veras agnoscebant causas. Si quis, inquit, sapiens inter vos esset, & verè quidem sapiens, intelligeret istud. Si quis diligenter attendisset quæ Domini vox ipsi annunciauit, haud dubiè ipse iam annunciare posset istud. Quid istud? ob quam causam pereat gens illa, & vrbes redigantur in solitudinem. Cæterùm nullus est qui sapere velit, aut ita prædicationem à Deo excipere, vt referræ aut possit aut velit veras interitus causas. Cuperem ergo Deum ipsum illas denuò nobis exponere. His mox subiungit Dei responsionem. Alij locum hunc citra interrogationem, alij cũ interrogatione legunt. Vtrunq; eundem sensum reddit. *Causa verissima interitus rerum omnium & rerum publicarum.*

Expositio autem Domini, qua veram excidij causam exponit, huiusmodi est, vt summa diligentia audienda, & penitius animis nostris insculpenda videatur. Peccatur enim hodie quoq; non leuiter, dum nulli aut paucissimi de causis calamitatum nostri sæculi rectè iudicare pergunt. Quinimò illis ipsis rebus volunt à se mala depellere, quas Domini os pronunciat verissimas esse causas malorum, calamitatum & excidij. Nam creaturarum cultu & inuocatione, & cæremonijs à patribus acceptis, nitimur iram Domini placare, quam hic tamen magis exasperari istis intelligimus. Videamus ergo verissimam causam excidij non Iudæorum aut Hierosolymorum duntaxat, sed omnium regnorum, rerumpublicarum, oppidorum & familiarum. Ac fatemur hic in primis permultum nos debere Domino Deo nostro, qui hanc causam primùm quidem suis, per prophetam, verbis, quò plus fidei apud nos inueniret, deinde etiam tam perspicuè & minimè obscuris verbis aut sententijs dubijs exposuit.

Eam, inquit, ob causam pereunt homines, quòd deserunt legem meam, &c. Principiò quòd Deum attinet, dedit vel proposuit is nobis legem ac voluntatem suam, etiam scripto comprehensam, & magnificè quidem proposuit, non tantùm per angelos & patriarchas & prophetas, sed per semetipsum, ore proprio, magna cum gloria & maiestate, in monte Sinai, deinde per inspirationem sancti spiritus. Promulgauit hanc per sapientissimos homines, per homines in toto orbe celebratissimos & miraculorum authoritate illustres, per Mosen, per Samuelem, per Heliam, per Isaiam, per Danielem & alios multos, adeoq; per reges in mũdo laudatissimos & glorioſissimos per Dauidem, Solomonẽ, Iosaphat, Ezechiam & Iosiam. Misit præterea filium suum vnigenitum, sapientiam suam, in mundum, qui eandem nobis tradidit ore proprio, deinde & per apostolos & discipulos suos in literas referre curauit, sed & mundo vniuerso, in omnium *Deus legem dedit.*

Scriptura sancta omnia salutis continet.

gentium linguas conuersam doctrinam proposuit. Et hoc est organum sancti spiritus, est hic codex sacer & irrefragabilis, cœlestis & diuinus, vtriusq; videlicet Testamenti scriptura sacrosancta, omnem pietatem, omnem veram fidem, omnem Deo placentem verum cultum, & disciplinam iustam omnemq; perfectionem fideliũ plenissimè continens atq; toti orbi clarissimè exponens. Et quamuis Iudæi sæculo Ieremiæ non habuerint tantas opes, quantas possidemus hodie Christiani, abunde tamen eis voluntas Dei exposita erat & viua voce & scriptis pluribus. Verè dixerat Moses, neque in cœlum ascendendum, neq; per maria nauigandum ad veritatem discendam: se enim omnem proposuisse perfectissimè. Sed quid fecerunt Iudæi, aut quàm grati fuerunt Deo benefico? Hoc fecerunt quod nos hodie facimus Christiani, qui Deo pro beneficijs ineffabilibus pessimam referimus gratiam. Nam deseruerunt legem Dei. Non quòd tabulas legis vel libros sacros reiecissent, aut ex professo scripturis contradicerent. Ad cœlum vsque laudibus efferebant legis tabulas, & scripturas sacras maximo honore dignabantur: sicuti plerique hodie nos quoq; facimus, dicentes, Quis tam impius qui negaret scripturas sanctas, aut non magni faceret? Verùm hactenus Deo nondum satisfecimus, qui aliud & maiora requirit. Sequitur ergo expositio quomodo illi legem Dei deseruerint, Et non audierunt vocem meam, neque ambulauerunt in ea. Non vna tantùm ratione non audimus vocem Domini. Sunt feroces quidam, qui etsi videri nolint impij & negantes scripturam, nolunt tamen hanc simplici & genuino sensu expositam sibi annunciari. Habent hi corruptum sensum, quem nisi quis illis afferat, clamant, non sibi scripturas prædicari, sed hæreses induci. Sunt sanè quidam qui etiam à scripturis abhorrent simpliciter, amici interim Dei videri volunt. Ignorant quid sit, & vnde vel qualis sit scriptura. Imaginantur sibi scripturam esse nuper compositam de noua illa, vt dicunt, hæresi. Interim tamen non sustinent erudiri. Quamprimũ enim scripturæ nomen audiunt, amplius auscultare dedignantur, clamantes, Quid refertis nobis scripturas, veluti irrefragabiles? Quis dicet nobis quibus profectę sint scriptoribus? & si à sanctis profectæ, an integræ adhuc & non vitiatæ à Iudęis & hęreticis ad nos peruenerint? præterea, an non pari facilitate mendacium scribitur atque veritas? Cur ergo scripturis crederem? Atque hoc modo vocem Dei audire complures renuunt. Sunt alij qui auribus quidem corporis audiunt non indiligenter, foris multa simulantes, interius autem occluserunt aures cordis. Atque hi quod ipsis videtur & placet recipiunt, quod non videtur ipsis verisimile, vel quod eis displicet, neque moribus ipsorum accommodum esse videtur, non recipiunt. Sunt rursus alij qui diligenter & sponte audiunt, denicq; ea quæ audierunt referunt postea & valde commendant, sed vitam suam ad audita & intellecta minimè componunt. Sequitur ergo in propheta, Neq; ambulauerũt in ea. Requirit enim Dominus quod & S. Iacobus dixit, vt simus non tantùm auditores, sed factores quoque verbi Dei. Cognitissima est doctrina Domini in monte, apud Matt. in fine cap. 7. Sed hic quoq; est diuersitas. Quidam enim prorsus nihil eorum quæ audierunt faciunt. Quidam quædam faciunt, quæ videlicet non magno labore fieri possunt. Tollunt ergo idola, diruunt aras, diuos non inuocant amplius: interim idola cordis non prophanant. Melior tamen ac tolerabilior est horum sors, quàm istorum, qui ne ista quidem relinquere in animum inducunt. Sunt qui à quibusdam flagitijs sese subducunt, quibusdam nimis arctè cohærent: in isto laudandi, in hoc prouehendi ad vberiorem frugem. Vituperandi verò omnium maximè, qui vitam corruptam nunquam emendare incipiunt, imò qui neque idola ex oculis auferri sinunt.

Quid sit nõ audire vocẽ Dei.

Si autem verbum Dei non audierunt, inquis, neque vitam, dicta & facta ad

præscriptum

præscriptum verbi Dei direxerunt vel accommodarunt, id quod est ambulare in verbis vel in lege Dei, quid ergo fecerũt illi? an sine omni religione ceu bruta quæpiam vixerunt? Sequitur in verbis Domini, Sed abierũt post cogitationem cordis sui. Id quod alij verterunt, Ambulauerunt post contumaciam, alij post prauitatem, alij post duritiem, alij post phãtasiam cordis sui. Sensus planus est, ipsos inquam non Dei præscriptum esse sequutos, sed illud potius quod ipsis bonum videbatur, animi inquam sui arbitrium, vel cogitationem, & sicut Germanicè dicimus, jr eigen gütbedunckẽ. Cui deinde contumaciter inhæserunt. Prauitas ergo cordis humani & contumaces illæ cogitationes principiò ad cultum Dei referendæ sunt, & ad hunc maximè quidem: sequitur enim mox de cultu Baalim & patrum traditionibus: deinde verò etiam de libidine cordis propensissimi ad vitia & voluptates. Ideò enim non audimus verbum Dei, neque ei obtemperamus, aut vitam nostram vniuersam ad id illud cõponimus, quia priusquam audierimus verbi Dei prædicationem, posuimus in nobis ipsis impedimenta quædam, quæ nisi tollantur è medio, verbum Dei nullum locum habere potest. Sunt autem impedimenta illa, primum quidem cultus Dei electitius, constitutiones humanæ, & placita patrum, quæ quàm diu apud nos valent & authoritatem retinent, verbum Dei nullum apud nos fructum profert, qui nobis persuasimus illum cultum, in quo nunc versamur, legitimum esse, illas leges & constitutiones, secundum quas instituimus vitam nostram, sanctas esse. Deinde impedimẽtum grande est cordis humani prauitas & corruptio dura, nisi emolliatur. Non enim mutat, qui praua cordis sui contumacia agitur, adhuc ingenium, sed pergit suo viuere more, vtcunq; centies foris in aures incurrat vox concionatoris de pietate & pœnitentia, de sanctimonia & virtutibus. Oportet ergo in primis & ante omnia, per Domini gratiam, corda aperire verbo Dei, & de hoc hãc opinionem concipere, vera iusta & sancta esse quæcunque nobis annunciantur per hoc, falsa iniusta & impura atq; prophana esse quæcunque per ipsum damnantur. Licet itaq; pro veris habeãtur & bonis plurima priusquam audierimus verbum Dei, nunc tamen cum annunciatur nobis, eodemq; illa damnantur, non amplius pro veris habenda sunt & pro bonis. Alioqui enim dicemur non audiuisse verbum Domini, neq; ambulauisse secundum illud, sed secundum cogitationes cordis nostri & quidem praui.

Hoc autem à Iudæis suis impetrare non potuit Ieremias, vti ne hodie quoq; hoc ipsum à Papistico fermento infectis, impetrare possumus: inde est quòd nostri post diuos aberrant, sicuti & Israelitæ ambulabant post Baalim. De Baal & Baalim ante sæpe dictum est. Addit Ieremias, Sicut docuerunt eos patres eorum. Alij legunt, Sicut didicerunt à patribus suis. Sensus in idem recidit. Pluris enim faciebant patrum suorum exemplum & traditionem, quàm regulam verbi Dei. Quoniam itaq; patres idola coluerant & creaturas inuocauerant, & veluti per manus tradiderant filijs, Deum ista re non offendi sed coli, pergebant obstipo collo Iudæi, nihilipendentes quæcunq; ex lege Dei ipsis anunciabantur à prophetis Dei. Fuit autem hæc (& nunc & Christi temporibus, vt ex euangelio claret Luce 19.) verissima causa excidij gentis Iudaicæ. Quid autem hodie fit aliud? Res tam aperta est, vt non requirat ampliorem declarationem. Discant autem omnes pij pluris facere Dei legem & scripturam sanctam quàm patrum authoritatem, siue illis prognatus sis, siue illi appellentur spirituales tui patres. Elegantissimam profert hic sententiam beatus Hieronymus, & dicit, Ergo non in nostra voluntate, sed in Domino confidendum est, Prauum enim cor est in hominibus. Et, De corde nostro exeunt pessimæ cogitationes. Ergo nec parentum, nec maiorum error sequendus est, sed authoritas scripturarum, & Dei docentis

Scriptura sequenda non patres.

imperium. Hæc ille. Vtinam verò omnes quotquot patrum authoritatem & testimonia pro suis erroribus proferunt, tam sponte audirent reciperentq; hoc patris Hieron. iudicium, quàm improbè perpetuò clamant Patres, Patres, atq; his etiam contra scripturas credi volunt.

Par pari repẽdit pœna sua Dominus.

Postquam verò ostendit cur sint perdendi, mox reuertitur, ipsumq; eorum excidium prosequitur, calamitates diligenter recitans, quibus adobruẽdi erant. Videtur autem in sumendo supplicio à conscleratis Deus par pari rependere. Tria commemorat membra. 1. Amarissimum fuit ipsis verbum Domini ac velut absynthium prophetica prædicatio: cum alibi appelletur panis cœlestis & potus vitæ. Ergo digni erant qui spoliati cibo vitali, pascerentur absynthio & felle, id est rebus amarissimis. D. Hieronymus, Quod aut malorum significat magnitudinem, inquit, & sempiternum captiuitatis iugum: aut certè per ignorantiam legis Dei, pro Christo Antichristum susceperunt. Hæc ille. Certè ab alimento petiuit metaphoram. De absynthio Plinius scribit cap 7. lib. 27. Dioscorides lib. 3. cap. 24. Notum omnibus absynthium est, & amarum est. De poculo fellis vel fellito dictum est ca. 8. 2. Deus non dispersit populum suum, sed recollegit ad vnitatem, & vt toto corde vnum colerent Deũ, & ab vnico toti & securi penderent præcepit. Cęterùm ipsi maluerunt sursum & deorsum currere, multos Deos sibi quærere, & quidem nouos quotidie, quos ne maiores ipsorum nouerunt. Proinde dignissimi erant, qui dispergerentur, & quidem captiui ducerentur ad gentes, quarum ne nomina quidem vel patribus eorum vel ipsis nota fuerant, vt vel ibi abunde liceret dijs inseruire nouis & exoticis. 3. Gladio tyrannicè sunt abusi contra sacerdotes vel prophetas potius Dei, & contra synceros Dei confessores atq; cultores, iccirco, mittam, inquit Dominus, gladium post eos, vt tam etsi strenuè fugiant, gladius tamẽ assequatur eos ac excindat. Similia expectent quotquot participant cum sceleribus Iudaicis. Dominus liberet nos ab omni malo. Amen.

Mutata orationis figura commemorat iterum quà mala impœnitentes maneant.

CONCIO XXXVII.

Sic dicit Dominus exercituum, Prospicite vt vocetis præficas vel lamentatrices vt veniant, & mittite ad mulieres sapientes vt & ipsæ veniant: accelerent & sumant super vos planctum, vt defluant oculi nostri lachryma, & palpebræ nostræ distillent aquas. Quoniam vox eiulatus auditus est è Zion, Quomodo vastati sumus? quàm misere confusi? Quoniam terram reliquimus, & eiecerunt nos tabernacula nostra. Sed audite vos mulieres verbum Domini, & percipiat auris vestra verbum oris eius, atq; docete filias vestras planctum & quæq; vicinam suam lamentationem, Quoniam ascendit mors per fenestras nostras, penetrauit in palatia nostra, ad excindendum paruulos de uicis, & adolescentes de plateis. Loquere, Sic dicit Dominus, Cadet hominum cadauera sicut stercus in superficie agri, & quasi manipulus (vel) fœnum post metentem, & non erit qui colligat.

Summa huius loci & cohæsio

PErgit commemorare propheta clades ac strages, ipsumq; excidium populi sui, quod sint perpessuri, suo nimirum vitio, nulla Dei morositate aut culpa. Mutat autem orationis figuram & aliud inducit schema. Iubet enim doctas in arte lugendi vel plangendi (præficas vocant Latini ceu luctui præfectas) vocari.

Indicat

Indicat etiam in quem finem, vt videlicet totius gentis clades multiplices ipsumq; lugeant interitum atque exitium. Subijcitur item formula næniæ vel planctus. Rursus verò colloquitur ipse Dominus cum lamentatricibus illis mulieribus, ac præcipit, vt non ipsę duntaxat plangant, sed vniuersas præterea mulierculas plangendi modum doceant: haud dubiè ea re significans vberiorem plangendi materiam eis suppeditandam, quàm omnium mulierum, nedum præficarum, lugubria carmina dignè possint deplorare. Mox pergit formulam threnodiæ adumbrare. Postremò autem ostendit ipse Dominus, ac prophetæ verbis prædicit, tantam fore cadauerum copiam, vt instar stercoris in campo iaceant neglecta, neque vllus vllam eorum habeat rationem, nedum vt mandet tumulo. Summa verò omnium est, gentem peccatricem miserè deuastandam esse propter impœnitentiam. Hæc verò omnia mira eloquentia exponit. Verissimè enim scribens in hunc locum D. Oecolampad. dicit, Quis tragœdiam aptius & magis graphicè exprimeret, qu ã hic vates noster? S. Hieronymus verò hunc locum enarrans, Propter futuram captiuitatem, inquit, & euersionem Hierusalem lamentatrices vocari iubet, quæ solent in luctu voce flebili, & lacertos manibus verberantes, ad lachrymas populum prouocare. Hic enim mos vsque hodie permanet in Iudæa, vt mulieres sparsis crinibus nudatisq; pectoribus voce modulata omnes ad fletum concitent. Hæc ille. Ad hanc consuetudinem gentis respexerunt literæ euangelicæ apud Matth. in 11. cap. commemorantes carmen lugubre. Lugubria cantillant pueri in foro, Cecinimus vobis, & non planxistis. In 9. capite mentio fit tubicinum. Nam Lilius Geraldus de vario sepeliendi ritu, Efferebantur, inquit, maioris ætatis homines ad tubam, minoris ad tibias. Et Macrobius in Som. Scip. scribens, author est defunctos olim ad sepulchrum elatos fuisse cum cantu. Neque verò commemoratione sua superstitiosos ritus hic approbat Ieremias. Superius enim ostendi, sæpe in scripturis adduci ritus & consuetudines pro argumento præsenti, quos tamen scriptura in vniuersum nec commendet nobis nec imitari iubeat. Ex ritibus certè Iudæorum & ethnicorum varijs molestis & superstitiosis Romana illa nupera ecclesia mirificum, sed quæstuosum admodum, concinnauit efferendi sepeliendiq; ritum. Clerus enim ac monachi in primis, ceu Vultures cadaueri, & Caspij canes mortuis inhiantes, cantibus subtristibus ac funebri pompa corpora defuncta ad sepulchra deducunt, concrepante interim ære Campano, & miras ad sepulchrum exercent ceremonias. Stultissimè autem creditur has næniας atque ineptias prodesse defunctorum animabus. Ac innumera hic, si admitteret tempus, obijci illis ipsaq; etiam confutari possent. Sed gratiæ Deo, qui illuminauit animos vestros vera luce, vt cum tenebræ illæ vilipendantur à vobis, nulla apud vos confutatione nugarum istarum opus sit.

Eloquentia admiranda in sacris literis.

Lugendi ritus.

Pro more autem iubet illos sibi prospicere, & diligenter, vt conducantur & adducantur ad peragendam fabulam, curare. Sapientes verò vocat doctas & exercitatas in arte lugendi vel eiulandi ac plangendi. Erat ista ars mulieribus histrionicis quæstuosa admodum. Nam ex lachrymis doctè profusis & ex eiulatibus artificiosis erat eis quæstus multò vberrimus. Iam etiam mandat accelerent siue festinent, significans vtiq; malum non admodùm procul abesse. Omnia enim magnitudinem malorum adumbrant. Applicat autem propriè malum omnibus ex quibus ne semetipsum quidem eximit, cum dicit, Vt defluant oculi nostri lachryma. En nostri, ait, oculi, non mulierum. Quasi dixerit, Sub aliena persona nostra res agitur, decq; corio nostro luditur. Nobis, nobis inquam dolor immensus maximam exprimet lachrymarum copiam. Est autem & nobis recepta loquutio, qua ineffabilem exprimere volentes dolorem, dicimus, Ich vers

meint ich můßt mir ſelbs mine ougen vßgrynen. Exiſtimabam mihi ipſos etiam oculos meos propríos lachrymis fore profundendos.

Formula threnodiæ.

Mox etiam formulam quandam luctus vel planctus & lamentationis aut threnodiæ ſubiungit. Fingit enim ſe audire lugubrem vocem ex Zion vel vrbe Hieroſolymorum, flebiliter ſonare, in hæc verba, O miſeros nos, quàm crudeliter vaſtata cernimus omnia? quàm turpiter ſumus confuſi? quàm verò miſerè præter expectationem noſtram fefellerunt omnia, in quæ ſpem noſtram defixeramus? Subiungitur autem ratio huius querimoniæ, Quoniam cogimur vertere ſolum, & relicta patria abire procul in captiuitatem. Quid quod ipſæ nos noſtræ ædes expulſos eiecerunt? Tribuitur enim per Proſopopœiam ædibus, quod ſtoſtes fecerunt. Sic dicuntur loqui lapides, & tigna clamare ex parietibus. Et quidem irato Deo alicui populo, videmus aduerſari & aduerſa inferri etiam immobília. Tam graue eſt, fratres, iratum habere Deum, & hunc prouocare vita pœnitere neſcia. Lutherus poſtremum hoc membrum vertit, Vnſere wonungen ſind geſchleipfft. Habitationes noſtræ ſolo ſunt æquatæ.

Omnibus lugendum.

Porrò mulieres quas aduocare iuſſerat, nunc veluti præſentes alloquitur vel Dominus vel propheta. S. Hieronymus, Primò dixerat, inquit, Vocate lamentatrices, nunc quaſi præſentibus loquitur, in condemnationem ſacerdotum atque doctorum & virorum omnium, vt illis ceſſantibus à doctrina, iſtæ audiant verbũ Domini, & aſſumant ſermones oris eius, doceantq; filias, &c. Nunquam potuit perſuaderi genti Iudaicæ, ipſam ita, vt prophetæ prædicebant, perituram: proinde quò ſibi fidem faceret, diligentiſsimam à mulieribus præficis auſcultationem requirit: ſimul autem innuit totum populum verbo Domini credere & diligentiſsimè auſcultare debere. Iam verò mandat vt ſingulæ & filias & vicinas, id eſt, mulieres Iudaicas ſemel omnes doceant luctum. Id eſt, ſignificat malum vaſtationis certò peruenturum ad omnes, ac tantum & tam enorme futurum, vt ſi omnes vnà plangant artificioſiſsimè & optimè, nondum tamen magnitudinem mali ſatis dignè poſsint deplorare.

Aſcendit mors per feneſtras.

His denuò alia rurſus forma ſuppingitur næniæ aut carminis lugubris, in hanc ſententiam, Quoniã aſcendit mors, &c. D. Oecolampadius, Mors, inquit, repente aduenit, non expectantibus nobis. Qui enim alta loca inhabitant, apertis feneſtris ſecurè dormiunt, eò quòd facilè nemo poſsit aſcendere. S. Hieronymus, Quod quanquam ſpiritualiter, inquit, poſsit intelligi, eò quòd per ſenſus ad animæ interitum mors introeat peccatorũ, tamen & de Babyloniorum impetu intelligi poteſt: quòd tanta ſit fortitudo & felicitas præliandi, vt non expectent reſerari fores, ſed per feneſtras & tecta conſcendant, vt domus vaſtent Hieruſalem, &c. Sequitur enim, Penetrauit ipſa mors, id eſt, illi ipſi qui occidũt, in palatia & ædes noſtras. In his ſine diſcrimine obtruncantur omnes. Non parcitur pueris & iunioribus colludentibus in plateis. Conficiuntur abſque miſericordia miſerè ad vnum omnes. Ad hunc verò modum breui carmine, ſed mira euidentia, futura, tanquam iam ſint facta aut præterita, omnium oculis conſpicienda proponuntur.

Stragis & cladis adumbrantur.

Adiungit his quoq; ſuam ſententiam Dominus, & quid propheta his omnibus ſubiiciat, mandat, ceu expoſitionem præcedentium. Loquere, inquit ad prophetam Dominus, & dic populo, Sic dicit Dominus, Cadauera hominum, &c. Quæ Germanicè ſic reddi poſſunt, Sie todten lyb werdend ligen/wie der miſt vff dem fåld/vnd wie die maad embds oder hőws hinder dem mäder/das nie man ſamlet oder vflißt. Duabus vtitur parabolis mutuò acceptis ab agricultura. Principiò enim, Perinde vt ſtercoris in agrum diſperſi nulla habetur ratio, ita cęſorum corpora iacebunt ingloria, neq; colligentur aut ſepulturę mandabuntur.

dabunt. Deinde ſicut fœnum reſectum à meſſore per manipulos in pratis diſperſum, & ipſum iacet, neq; à quoquam recolligitur: ita cæſorum corpora nullo honore, ſed ſumma afficientur contumelia: denicq; mira copia per campos cæſa aceruatim iacebunt. In his exhibetur nobis egregium Icon cladis atq; ſtragis & corporum per campos per aceruos in ſanguine diſperſorum. Hinc forte pictores noſtri, mortis imaginem exprimentes coloribus, meſſorem ſtatuunt fœniſeca demetentem fœnum. Elegans & propria eſt illa imago. Nam omnis caro fœnum eſt, & omnis gloria eius flos graminis. Sicut autem nullo negotio gramen fœniſeca reſecatur: ita homines peſte vel gladio immiſſo à Domino, mira celeritate & facilitate admiranda tolluntur è medio, neq; quiſquam reſiſtere poteſt. Hieronymus paucis totum illum locum reddens, Per iſta, inquit, oſtendere vult tantam in Hieruſalem & circa vrbem cædem futuram, vt nullus ſit qui ſepeliat corruentes. Hæc ille. Nemo autem exiſtimet his omnibus rem exponi nihil ad ſe pertinentem. Nam idem nunc eſt Dominus, qui fuit Ieremiæ temporibus, eadem illi virtus vel potentia eſt, eadem ſcelera odit adhuc, quæ illo tempore proſequutus eſt odio: niſi ergo conuertamur ad ipſum per veram pœnitentiam, poteſt etiam nunc excindere nos. Dominus miſereatur noſtri, & ſeruet nos.

Concludit Sermonem, & monet ne vllis rebus externis confidant, ſoli Deo fidant, qui ſeruare poſsit, & excindere velit infideles in vniuerſum omnes.

CONCIO XXXVIII.

Sic dicit Dominus, Ne glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neq; glorietur potens in potentia ſua, neq; glorietur diues in diuitijs ſuis, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, quòd intelligat & cognoſcat me, quoniam ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, iudicium & iuſtitiam in terra: & in his mihi complacitum eſt, dicit Dominus. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & viſitabo omnem circunciſum in præputio, Ægyptium & Iudæum, Idumæum, Ammonitas & Moabitas, & cunctos qui in extremis oris habitãt in deſerto. Omnes enim gentes incircunciſæ ſunt, & vniuerſa domus Iſrael incircunciſum habet cor.

VNiuerſam orationem, à ſeptimo capite hucuſq; deductam, nunc colligit epilogo memorabili & elegantiſsimo, in quo paucis repetit, nullis rebus externis eſſe fidendum, ſed ſoli Deo qui ſolus ſeruare poſsit. Ac adiecto veluti corollario colligit, quæ dixerat fuſè de excidio impiorum. *Epilogus orationis.*

Principiò colligit, quibus rebus non oporteat fidere, quibus interim Iudæi tribuebant plurimum, quibus etiam nunc per orbem plerique confidunt. Et quidem audiuimus oratione præſenti ſeptem potiſsimùm confutata eſſe, in quæ omnem ſpem Iudæi collocabant: nunc tria duntaxat commemorat in epilogo, ſed ſub his tribus comprehendit non tantùm ſeptem illa, ſed reliqua etiam omnia præſidia, quibus homines extra verum, viuum & æternum Deum innituntur. Commemorantur hic Sapientia, Potentia vel robur aut fortitudo, & Opes facultates vel diuitiæ. Ac Gloriari non ſignificat ſe extollere duntaxat, iactare vel laudare, ſed maximè confidere & inniti, & vt Germanicè dicimus, ſich vertröſten vnnd verlaſſen. Sic vſurpaſſe & Apoſtolum Paulum videmus 2. Corinth. 10. & 1. Corinth. 1. Equidem ſi iſta adſint homini, ſapientia inquam, robur, potentia, cum diuitijs, vtique dona ſunt Dei, hominibus aſpernanda minime, ſed pro his agendæ ſunt gratiæ Deo, cogitandũ item quomodo iis rectè vta- *Quibus rebus non oporteat confidere.* *Gloriari.* *Vtendum non abutendum Dei donis neq; his fidendum.*

mur neque vſpiam abutamur: interim cauendum videtur in primis, ne iſtis, vt pote rebus perituris, minimè confidamus, ſed vtamur tanquam non vtentes, poſsideamus tanquam non poſsidentes: ſicut nos docuit Apoſtolus 1. Corinth. 7. qui ad Timoth. quoque dixit, Diuitibus in præſenti ſeculo præcipe, ne elato ſint animo, neq; ſpem ponant in diuitijs incertis, ſed in Deo viuente, &c. 1. Tim. 6. Nam & Dominus in euangelio docuit atq; mandauit, Ne reponatis vobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea corrumpit, & vbi fures perfodiunt & ſuffurantur; ſed recondite vobis theſauros in cœlo, vbi neq; erugo neq; tinea corrumpit, &c. Matth. 6. Abuſus ergo iſtarum rerum, nõ vſus damnatur: fiducia in ipſa, non ipſorum poſſeſsio. Ac hiſtoriæ teſtantur omnes gentes ſubuerſas eſſe, quæcunq; donis hiſce & abuſæ ſunt & innixæ his, Deo præterito, & religione vel pietate vera neglecta. Caueamus ergo nobis, ne dũ illa nobis adſunt, ipſa in noſtrámmet ipſorum perniciem conuertamus: dũ verò abſunt, à Deo nobis nõ conceſſa, ne pergamus aut conemur illa conſequi rationibus Deo pietatiq; aduerſis. Largitur ſua dona Deus omnibus, prout ſapientiæ bonitatiq; eius viſum fuerit conducere. S. Hieronymus his prophetæ verbis vtitur contra illos, qui liberũ arbitriũ cõtra Dei prouidentiã iactabãt: dicit enim, Omnis hominũ aufertur ſuperbia, dum & ſapientia & fortitudo & opes eorum reputantur in nihilum: & iſta eſt ſola gloriatio, vt ſciat & intelligat quòd ipſe ſit Dominus, qui facit miſericordiam, iudicium & iuſtitiam ſuper terram, quòd omnia Dei prouidentia & iuſtitia gubernentur: & quæ nobis non videntur habere rationem, iuſtitiæ plena ſint atque rationis. Hæc enim ſola placent Deo, & in his voluntas illius eſt. Vbi ſunt ergo qui dicunt hominem proprio regi poſſe arbitrio, & ſic datam eſſe liberi arbitrij poteſtatem, vt Dei miſericordia tollatur atque iuſtitia? Hæc Hieronymus.

Liberum arbitrium.

Quibus rebus confidere oporteat.

Audiuimus quibus rebus minimè oporteat confidere, dicat ergo aliquis, Ergóne deſperare nos iubes? Si hæc non iuuant homines, ſi illis inniti non decet, quid ergo faciemus? aut quibus rebus innitemur? aut quæ iuuabunt tandem afflictos & periclitantes? Reſpondet propheta Ieremias, non ſuis, ſed Domini Dei verbis, quæ ex ore Dei de toto hoc negotio profert, Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, quòd intelligat & cognoſcat me. Proinde innitendum eſt in Deũ, à quo & auxilium ſperandum, qui ſolus ſeruare poteſt & eripere ex malis omnibus, atque adeò efficere, vt ſapientia, robur vel fortitudo & opes aliquid efficiant boni, non officiant nobis aut nos ſubuertant. Docet ergo hic locus confidere Domino Deo noſtro: & huius notitiam vel cognitionem eſſe omnium regnorum & hominum ſalutem. Manifeſtum eſt autem Dei notitiam aliud eſſe nihil, quàm veram in Deum cognitum fidẽ. Hæc reconciliat nos Deo, hæc purgat corda noſtra, hæc iuſtificat & regenerat per ſpiritũ ſanctum. Iſa. 63. cap. Iuſtus ſeruus meus, inquit, cognitione ſua iuſtificabit multitudinem. Nam Ieſus Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, inquit, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Hunc dicit apoſtolus à Deo nobis datum ſapientiam, iuſtitiamq;, ſanctificationem & redemptionem, vt qui gloriatur, glorietur in Domino. In 11. cap. ad Hebræos multis proſequitur fidei laudes. Gloriandum ergo in fide, id eſt, innitendum Deo, quem apprehendit fides, vera Dei cognitio. Eam ob cauſam infeliciſsimos eſſe iudico, qui cognitionem Dei ex annunciato verbo Dei per fidem recipere nolunt.

Dei cognitio fides eſt.

Qualem eſſe oporteat veram Dei cognitionẽ

Subiungitur autem à diligentiſsimo propheta ex ore Domini, qualem eſſe oporteat aut deceat cognitionem illam Dei, cui inniti tutò poſſumus, quæ videlicet intelligat & cognoſcat Deũ eſſe miſericordem, facientẽq; iudicium & iuſtitiam in terra. Proinde ſatis nõ fuerit agnouiſſe Deum trinũ eſſe perſonis, ſubſtãtia, vnum

tia vnum, ſapientem & omnipotentem, niſi ſinguli credamus, Deum illum vnum & trinum, ſapientem & omnipotentem, noſtrum eſſe Deum, nobis miſericordem, facientemq; nobis iudicium & iuſtitiam. De miſericordia Dei aliâs dictum eſt. Comprehendit hæc affectum paternum in nos benignum & clementiſsimum, expreſſum maximè in myſterio incarnationis & redemptionis filij ſui vnigeniti. Superat illa omnia eius opera, & in æternum eſt & valet miſericordia eius. Per ipſam gratuitò, abſque vllo merito noſtro, condonat nobis omnia peccata, in Chriſto. Titum 3. Bonus & beneficus eſt erga nos: diligit nos & quidem impenſiſsimè, patrum & matrum amorem affectiones ſtudiaq; ſuperans. Id quod Iſaias teſtatur 49. & Dauid Pſalm. 103. Ergo confert in nos ex miſericordia ſua cumulatiſsimè omnia quæ hominibus ſunt neceſſaria, cùm corporium tum animæ. Iudicium exercet Deus in terra, non cum punit duntaxat impios, ſed cum æquitate diſpenſat omnia, nemini vllam irrogat iniuriam, in primis autem benignè audit oppreſſos aut laborantes ac periclitantes, cum horum rationem habet eximiam, his conſulit, hos non negligit ac præterit. Iuſtitia verò ſua aſſerit Deus liberatq; ſuos ex malis, tuetur, & cuique ſuum illud reddit, bonum bonis, malum malis, & quidem conſtantiſsimè infallibiliq; veritate. Et talem quidem oportet credere Deum nobis eſſe, qui miſericors ſit in Chriſto, qui nulli iniuriam irroget, omnibus bene velit, beneficijs cumulet, noſtri rationem habeat exactiſsimam, nos tueatur & defendat, liberet ac ſeruet. Quis autem in hac fide non exultet & glorietur? Extra hunc Deum & extra hanc fidem in ipſum, non video quid valeat vniuerſa mundi ſapientia, omne robur, aut quid poſsint omnes diuitiæ. Poteſt autem ille etiam ſine his omnia quæ ſalutaria ſunt ſuis largiri. Beatus ergo populus cuius Iehouah eſt Deus eius: beati qui fidũt iſti Deo, quoniam florebunt in æternum, neq; confundentur vnquam.

Miſericordia.

Iudicium.

Iuſtitia.

Iſtis omnibus adijcit Dominus, Hæc enim volo. Alij verterunt, Quia in his mihi complacitum eſt. Alij, Quapropter his vnicè delector. Alij, Et hæc ſunt quæ ego deſidero. Senſus eſt, Deum, vt natura eſt miſericors qui & iudicium & iuſtitiam facit in terra, ita nullis rebus delectari magis aut requirere impenſius, quàm miſericordiam, iudicium & iuſtitiam. Declarat ergo ipſe Dominus in his poſitum eſſe Dei cultum & veram pietatem, & hæc opera requirere Dominum. Equidem fides vera non eſt ſterilis. Neque tamen quoslibet profert fructus, ſed iſtos potiſsimùm, quos commemoraui. In Oſea commemorat Dominus, quod & in euangelio repetitur à Chriſto, Miſericordiam volo & non ſacrificium. Similia antea audiuimus, & eius generis plurima leguntur Iſaiæ primo. Micheæ ſexto. Zachariæ ſeptimo & octauo. Fruſtra autem his verè bonis operibus præteritis exercemus nos in ceremonijs & hominum traditionibus vel placitis. Rurſus autem pro more ſuo appendit, Dicit Dominus, vt fidem quam debet inueniat doctrina ſalutaris, neue ex Ieremia aut humano videatur profecta arbitrio.

Verè bona opera quibus delectatur Deus.

Iſtis verò omnibus adijcit appendicem vel corollarium, quo illa in breuem ſummam colligit, quæ dixerat de ſupplicio ab impijs & impœnitentibus ſumendo, ſubiectis ſimul cauſis ſupplicij, ipſis inquam ſceleribus: Adhæc oſtendit in breui hac ſententia, etiam Gentes fore puniendas. Oſtendit nihil hic externam profuturam circunciſionem: imò quia reuera circunciſi non ſint circunciſione interna, ideò puniendos. Diem quidem ſupplicij non exprimit. Significat tamen certiſsimè venturum tempus, quo grauibus ſupplicijs afficiantur cum Iudæis, omnes pariter vicinæ gentes: ac rurſus Domini adiungit authoritatem, dicens, Ecce dies venient, dicit Dominus, vt viſitem omnem, &c. Viſitare vſurpatur in bonam & malam partem, hic in peſsimam. De viſitandi verbo aliâs di-

Supplicia ſumenda de impijs.

Circunciſi in præputio.

ctum eſt ſæpè. Circunciſum in præputio, verterunt alij, Circunciſum cum præputiato: alij, Circunciſum præputiatum: alij omnem qui circunciſum habet præputium. Alij aliter. Senſus omnino eſt expoſitus. Dicit ſe ſupplicium ſumpturum de omnibus illis, qui etſi ſint circunciſi foris, intus tamen manent in præputio. Mox enim quos intelligat exprimit, nempe Ægyptium, Iudæum, Idumæum, &c. Conſtat enim omnes illas gentes carnem quidem circuncidiſſe, ſed manſiſſe interim in præputio ſpiritus. Inde fortaſsis apoſtolus ad Roman. 2. ſumpſit quod ſcripſit de circunciſione, & dixit, Nec ea quæ in manifeſto fit carnis circunciſio, circunciſio eſt, ſed illa quæ cordis circunciſio eſt, quę ſpiritu conſtat non litera, cuius laus non ex hominib. eſt ſed ex Deo. Plura de Circunciſione dixi cap. 4. & in noſtris Decad. Cæterùm hiſtoriæ teſtantur gentes illas omnes, quarum hic fit mentio, circunciſione vſas eſſe. Ægyptij fortaſsis didicerant à populo Dei, qui diu inter ipſos habitarunt. Idumæi ex Edom filio Iſaaci deſcendunt, ſicut Ammonitæ & Moabitæ ex Loth. Meminit Ieremias & eorum hic, qui deſerti extrema inhabitant, intelligens haud dubiè Cedarenos, Arabes, Iſmaelitas vel Sarracenos. Eum locum verterunt alij, Et cunctos angulos anguli. Alij, In finibus anguli terræ. S. Hieronymus vertit, Et ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam. Sed ſenſus liquidus eſt, Viſitabo, inquit Dominus, cunctos, qui in extremis oris habitant in deſerto. S. Hieronymus hunc explanans locum ita dicit, Multarum ex quadam parte gentium, & maximè quæ Iudææ Palæſtinæq; confines ſunt, vſque hodie populi circunciduntur: & præcipuè Ægyptij, Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ, & omnis regio Sarracenorum, quæ habitant in ſolitudine. Et de quibus dicitur, Et ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto. Non igitur gloriari debet Iuda, qui mixtus eſt cum gentibus ſupra ſcriptis, eò quòd præputium non habeat, ſed ex lege Dei circunciſus ſit. Cum & alij hæc faciant, qui legis mandata non ſeruant, & ignorant Deũ Iſrael. Nec prodeſt circunciſio, quæ in ſignum data eſt, niſi mandata Domini implean tur. Sicuti & Comæ, quæ gentem ſignificant, non robora corporum & fortitudinem pugnatorum, &c.

Non gloriandũ in circũciſione

Corollario ergò hoc docet Iudæos propheta, non debere ipſos gloriari in Circunciſione, nihil ipſis profutura. Id verò probat ab exemplo. Sunt enim Ægyptij circunciſi, Idumæi item & aliæ gentes, quæ & ipſæ excindẽtur, quòd cum carnem habeant circunciſam, præputium interim à corde ipſorum ſublatũ non ſit: ergo cum vos Iudæi etiam præputiatum habeatis cor, peribitis vnà cum impijs. Interim ſignificatur imò diſertè docetur in præſenti, nihil prodeſſe vtentibus Sacramenta, niſi ſpiritus gratia & fides accedat. Id quod apoſtolus multis proſequitur etiam in eo loco quem paulò ante citaui ex 2. cap. ad Rom. maximè verò in 1. ad Corinth. 10. Galat. 5.

Punit Deus Iudæos, punit & gentes,

Videtur autem his etiam tacitæ occurrere quæſtioni aut obiectioni. Dicat enim Iudæus aliquis, Difficile ſanè eſt ſeruire Deo Iſraelis. Subinde enim contra nos populum ſuum minas ingeminat, de interitu gentium nullus eſt ſermo: quin illæ dicuntur afflicturæ populum Dei, ſuperaturæ & ducturæ illum in captiuitatem. Ergóne triumphabunt illi perpetuò? nunquámne punientur propter ſcelera cùm propria illa ſua, tum illa quæ admittunt in populum Dei? Hic ergo reſpondet Dominus, Ecce dies venient: & quæ ſequuntur. Plura dicentur Iere. 25. Rationem verò euidentiſsimam addit, cur velit cum Iudæis omnes pariter gentes punire, Omnes enim gentes præputiatæ vel incircunciſæ ſunt: nimirum ſpiritu. Nam carne circunciſas eſſe audiuimus. Vniuerſa quoque domus Iuda vel Iſrael incircunciſum habet cor. De quo ſatis hucuſq; dictum eſt. Exemplum incircunciſorum hominum exhibẽt nobis Acta apoſtolica ca. 7. Certè ab

Omnes gentes præputiatæ, &c.

incircun-

incircuncisis corde nullum alienum est flagitium. S. Hieronymus hunc sensum paulò reddit diuersius, Cum præter Aegyptios, inquit, Idumæos, Ammonitas, Moabitas & Ismaelitas in solitudine commorantes, quorum plerunque pars circuncisa est, omnes aliæ nationes in toto orbe incirunciſi sint carne, omnis domus Israel incircuncisa est corde, non carne, quæ circuncisio ducit ad mortem. Illa enim carnis, hæc spiritus est. Hæc ille. Sed superior sensus, collatis omnibus & expeditior est & loco huic magis congruus. Domino Deo nostro sit laus & gloria. Amen.

ORATIO IEREMIAE TERTIA.

Hortatur Israelitas & Iudæos Ieremias, vt sibi à vanitate gentili, quam & exagitat, caueant. Deum autem verum & veram religionem eis commendat.

CAPVT X.

CONCIO XXXIX.

AVdite sermonem quem loquutus est Dominus ad vos, ô domus Israel. Sic dicit Dominus, Viam gentium ne discatis, & à signis cæli ne formidetis, à quibus gentes sibi metuunt. Siquidē leges Gentium sunt vanitas. Quia aliquis è sylua arborem excindit, manibus artificis atq; securi formatur. Auro & argento ornat ipsum: clauis & malleis compingit vel firmat ne concidat: instar teretis aut rigentis palmæ stant, & non loquuntur, & portando portabuntur, nec enim incedere possunt. Proinde non timebitis ab eis: cum malum vobis inferre nec possint, neq; in eorum potestate sit benefacere. Nemo est autem, sicut tu Domine, tu magnus es, & magnum est nomen tuum cum potentia. Quis te non metuat ô rex gentium? tuum est enim imperium: quia inter omnes gentium sapientes, & in omni regno eorum nemo est tibi similis.

NOVA est hæc oratio & ordine quidem tertia. Continetur capite decimo. Apertè inscribitur à vate, domui Israelis: at hæc à temporibus regum Oseæ & Ezechię captiua tenebatur in Media & Oriente, quo tra ducta erat à rege Assyriorum Salmanasare ante annos circiter centum. Licet autem distracti essent inuicem Israel & Ieremias longissimis itineribus, tamē ipsorum eximiam sanè rationem habet, sic inspirante prophetam Deo, patre sui populi & semper inuigilante saluti populi sui. Isaias quoq; hoc ipsum argumētum tractat sub Ezechia rege, à capite 40. vsq; ad cap. 49. qui & ipse excitatus à Deo creditur in salutem afflicti sui populi, & iam iam grauissimis tentationibus subditi. Quis enim mœrore non grauiter percellatur, si cernat hostes Dei & veræ religionis, gentiles & ethnicos, potiri victoriis & triumphare contra Deum inuocantes? Monent ergo diuini prophetæ, vt populus Dei firmiter insistat religioni veræ, & indiuulsē pendeat à Deo vero, nuspiam deficiat ad Deos ethnicorum & ad religionem ipsorum. Putatur autem à multis Ieremias Isaiam in præsenti imitatus, hortari & consolari in captiuitate iam detentos. Interea videbimus Ieremiam hanc orationem sic attemperare, vt eadem etiā Iudæos siue duas tribus adhuc in patria hærentes & incolumes erudiat. Certè sub finem orationis

Israelitæ capti ui eruditur.

minatur etiam his, propter vitam pœnitere neſciam, exilium & captiuitatem multò grauiſſimam.

Orationis huius genus & ſcopus.

Oratio autem doctrinalis eſt, licet & hortatoria conſolatoriaq; videatur, & ſub finem partim impendentia mala denunciet, atque quomodo ſe cruci ſubijciant doceat. In primis verò docet & inculcat vnum ſolum verum eſſe Deum, cuius maieſtatem ampliſſimè prædicat: ex oppoſito demõſtrat, Deos gentilium eſſe vanitatem, & religionem eorum eſſe falſam & inanem. Atq; hic elegantiſſimis & euidentiſſimis vtitur oppoſitionibus. Deinde demùm incipit illis futuras calamitates prædicere. Id quod peculiariter pertinet ad duas tribus. Præcedentia enim & poſtrema Iudæi communia habent cum Iſraelitis. Congruunt autem hæc nobis appoſitiſſimè, qui viuimus in medio Antichriſtianiſmi, videmusq; ad uerſarios religionis euangelicæ, victorijs inebriatos, gloriari & inſultare afflictis propter euangelium. Congruunt hæc captiuis inter Turcas: denique vſum habent multiplicem.

Author huius orationis.

Præmittit autem exordiolum, quo duo perſtringit. Principiò quidem authorem huius orationis indicat, Deum. Id quod ſecundùm repetit, Audite ſermonem, quem loquutus eſt Dominus. Et, Sic dicit Dominus. Ergo Ieremias, quod ſæpe repeto, organum duntaxat fuit, quo vſus eſt Deus in annunciando verbo ſuo: nec iam Ieremiæ verba ſunt, quæ profert Ieremias, ſed oracula Dei inſpirantis Ieremiam ac loquentis per ipſum, vt qui his credat, Deo credat: qui diffidat, Deo diffidat. Deinde oſtendit hæc dicari potiſſimum domui Iſraelis. In qua comprehendit, ſicut ſuperius diximus, Iudæos quoque ſiue reſiduas tribus duas, atque adeò nos quoque qui hodie viuimus & ſpiritualis Iſrael nuncupamur. Ad attentionem parandam illud pertinet quod dicit, Audite ſermonem, &c.

Summa doctrinæ.

Porrò Propoſitionem ſcopum aut ſummam rei mox ſubijcit & dicit, Viam gentium ne diſcatis. Notum eſt autem omnibus Viam hic vſurpari pro modo ſeu ratione viuendi, pro legibus ritibus ac conſuetudinibus. Germanicè dicimus, Jr ſöllend nit der Heiden wyß lernen. Vel vt planius adhuc dicam, Neque ita ſentire neque ſic facere debetis, ſicut ſentiunt, iudicant & faciunt gentes vel ethnici. Hi enim non ſequuntur verbum Dei neq; regulam iuſtitiæ, ſed ſuum arbitrium, ſuæ rationis dictamen, maiorum ſuorum leges, ritus vel conſuetudines. Allegant aliorum regnorum exempla, denicq; longi temporis præſcriptionem. Durauit hæc religio, dicentes, multos annos, recepta eſt à multis populis & nationibus. Neque infelices fuerunt, qui eam hactenus profeſſi ſunt ac retinuerunt. Quid ergo? Non faciat quiſq; ait Dominus, quod ſibi videtur bonum, neq; ſequatur multitudinem, & patrum conſuetudines, aut etiam fortunam propitiam: ſed diſcat quilibet ex lege Dei, quid Deo placeat, quid agat, quid fugiat, atq; ita à Deo ſolo & regula verbi diuini pendeat vnicè. Hoc faciat, quod Deo placet & verbo ſuo reuelauit, nihil adijciat, nihil adimat. Proinde damnantur hiſce paucis verbis omnes doctrinæ, omnes leges, ritus & conſuetudines, quæ vel diſſentiunt à verbo Dei, vel eo nobis non traduntur.

Contra aſtrologiam.

Et hæc quidem dixit in genere, ſpeciatim verò per conſequẽtia formas quaſdam viæ gentilitiæ apponit, vt quid caueamus intelligamus melius. Et initio, A ſignis cœli, inquit, ne formidetis: à quibus gentes ſibi metuunt. Proinde gentilitium eſt timere aſtra & tribuere planetis vim quampiam in nobis agentem & ad bonum & ad malum: quaſi ex aſtris & influentia cœlorum gubernentur res mortalium. Eſt tamen ea res nimis multis perſuaſa hodie: ac confirmãtur in hoc errore quorundam authoritate non indoctorum alioqui hominum, ac per libellos, quos vocant Practicas, iudicia videlicet de partibus anni, ſtatibusq; vel ordinibus

dinibus hominum, & per calendaria vel diaria, quæ bonis & malis aſpectibus exundant, Saturni item Martis & neſcio quarum lemurum indignationem minantur. Ieremias ad iſta omnia, ex ore Dei, qui ſolus ſtellarum nomina tenet, & omnia gubernat, pronuncians, mandat, Nolo vt à ſignis cœli metuatis vobis. Rationem ſubijcit, Gentes ab illis ſibi metuunt. Quæ quidem ratio talis omnino eſt, qualis illa ſaluatoris, in euangelio dicentis, Ne ſitis igitur ſolliciti, dicentes, Quid edemus & quid bibemus, aut quibus operiemur? Nam omnia iſta gentes exquirunt. Satis certè euidens ratio eſt, Iſta non ſunt facienda, Quia ſic faciunt gentes. Si quis hac non mouetur, neſcio an alia vlla moueri poſſit. S. Hieronymus hunc locum exponens, Propriè aduerſus eos Ieremias loquitur, inquit, qui venerantur cœleſtia, & quæ poſita ſunt in ſigna annorum, temporum, menſium & dierum, ab his æſtimant regi genus humanum, & ex cauſis cœleſtium terrena moderari. Et pijſſimus atq; doctiſſimus vir, D. Ioan. Oecolamp. hunc locum vatis enarrans, Inſignis eſt hic locus, inquit, contra aſtrologos, impoſtores omnium maximos. Scire curſum cœli, ortum & occaſum ſtellarum, è quibus temporum diſtinctio habetur, culpa caret. Futura autem inde prædicere, & vim ſtellis, quam non habent, tribuere, impium eſt. Ex primo enim Geneſeos diſcimus, quòd earum eſt lucere & diſtinguere tempora. Operationem autem in elementis, ſcriptura non ſyderibus ſed Deo tribuit. Et propterea non eſt terribile Saturni, neq; mite Veneris aſtrum. Sic enim de aſtris loqui, à gentibus ac dæmonibus qui illa docuerunt profectum eſt. Hæc ille. Neque verò ſolus ad hunc modum iudicauit de aſtrologia, conſentiunt cum eo pijſſimi & doctiſſimi quiq; veteris eccleſiæ doctores. Iſaias in 47. non ſine ſarcaſmo aſtrologos taxans Babyloniorum, Stent, inquit, & ſeruent te queſo contemplatores cœlorum, ſtellarum inſpectores, &c. Certè Micheas in cap. 5. exterminandos dicit omnes ex eccleſia aſtrologos vel mathematicos. Excindam, inquit, maleficos de manu tua & aſtrologi (meonim) non erunt in te. Iccirco fata ſtellarum & iudiciariam quam vocant aſtrologiam, damnarunt ex doctrina diuina S. Patres. Cognita ſunt multis quæ leguntur apud S. Baſilium & Chryſoſt. ſcriptores Græcos. Cognita ſunt multis teſtimonia D. Ambroſij & Auguſtini. Si quis autem neſcit, legat Auguſtini cap. 5. lib. 2. contra Fauſtum Manicheum, item cap. 6. lib. 2. contra duas Pelagianorum epiſtolas, in primis verò cap. 3. lib. Confeſſionum 4. & cap. 6. libri. Confeſſ. 7. Extant leges quoq; in Codice lib. 9. Tit. 18. huc maximè pertinentes. Extãt & in Decretis canonicis canones contra aſtrologos & mathematicos, 26. Quæſt. 5. 6. 7. Extat etiam apud Aul. Gellium Phauorini philoſophi de hac re diſputatio lib. 14. ca. 1. Ioan. Picus, Mirandulæ comes, immortalitate dignus princeps, contra aſtrologos edidit libros 12. His itaque præteritis ad alia concedimus.

Aſtrologia nõ aſtronomia damnatur.

Deinde aliam ſpeciem viæ gentilitiæ cõmemorat, adeoq; omnes propè vnõ nomine comprehendit & ait, Siquidem leges gentium vanitas ſunt. Quæ quidem & ratio eſt ſuperiorum, & expoſitio aliarum viarum ethnicarum. Quaſi dixerit, Vt leges gentium omnes vanæ ſunt, ſic aſtrologia maximè. Leges appellat inſtituta, ritus, cæremonias, mores, conſuetudines, & totum hoc quod gentilitium eſt. Et cum vanitatem appellat, omnem eis detrahit exiſtimationem, deijcit, euacuat & proculcat prorſus. S. Hieronymus hinc generale aliquid & quidem memorabile colligit & dicit, Quòd ait leges ſiue legitima populorum vanæ ſunt, omnem humanam ſapientiam futilem eſſe demonſtrat & nullam in ſe habere vtilitatem. Hæc ille. Atq; vtinam agnoſcantur hæc ab hominibus plus nimium tribuentibus humanæ ſapientiæ.

Inſtituta gentium vanitas.

Iam verò ſingulari exemplo oſtendit inſtituta vel ritus gentium eſſe vaniſ-

Contra idola, & idololatriã.

sima, producitq; idola & in his taxat vniuersam idololatriam & vanitatem, atq; etiam viam traducit gentilium adeoq; vniuersæ humanæ sapientiæ, quæ dum maximè excellere vult, stultitiam suam, vt Paulus ad Rom. 1. dixit, profundit. Quoniam verò res maximè illustrantur si inter sese conferantur & sibi mutuò veluti opponantur, antitheses certè egregias subijcit Ieremias, conferens inter se Deum verum & Deos falsos atque idola, religionem veram & religionem falsam, cultum denique Dei verum & cultum falsum: & initio quidem præmittit idolorum vanitatem, subiungit mox eximiam Dei maiestatem: quæ sanè prima est antithesis admodum memorabilis.

Origo idolorũ & idololatriæ.

Est autẽ antiquissimus idolorum error vel furor. Cyrillus contra Iulianum lib. 3. In sacris literis, inquit, nullum omnino inuenimus qui ante diluuium idololatriæ crimini fuerit implicitus. Acusantur. n. de alijs. Idololatriæ item notam nulli prorsus inustam inuenimus post diluuiũ ex filijs Noe. Ergo Epiphanius in sua Panaria mox ab operis initio, Phaleg, inquit, genuit Reu, Reu genuit Sarug, quem interpretari possis irritationem. Incœpit enim inter homines idololatria & Græcismus: vt habet cognitio, quæ ad nos deuenit. Nondum autem in statuis & sculpturis lapidum aut lignorum, aut ex argento & auro aut fictilibus, ligno, aliaue materia factis, sed solùm per colores & imagines hominis mẽs in seipsam malitiam excogitauit. Hæc ille. Sancti prophetæ hanc vehementissimè oppugnarunt, sed frustra. Pergebat enim populus Israelis & Iudaicus construere sibi simulachra, donec excidijs & captiuitate Medica & Babylonica cohercerentur. A captiuitate non leguntur vlla amplius sibi comparasse idola. Nam Iosephus multis exponit, quantum ipsis fuerit certamen cum Romanis imperatoribus volentibus eis idola obtrudere. Maluerunt autem illi iugulum præbere, quàm vel aquilam vel Cæsaris statuam recipere in templum. Inter gentes verò prorsus obtinuit idololatria, deiecta tamen fuit iterum, iuxta prophetarum vaticinia, ab ipsis Christi apostolis. Et quidem vehementissimè abhorruerunt sancti in veteri ecclesia ab omnibus simulachris. Cœperunt tamen paulatim admitti picturæ, tanquam memoracula & rudium literæ, ac veluti visibiles historiæ. Quo nomine defensæ sunt à Gregorio Romano episcopo, eius nominis primo: qui alioqui imaginum adorationem damnat. Consequentibus tamen temporibus ortum legitur certamen acerrimum inter Orientis Imperatores & pontifices Romanos, illis vsum imaginum damnantibus in templo, his verò approbantibus & imagines venerari etiam iubentibus. Restituta est ergo opera Romanorum pontificum, Antichristi personam agentium, idololatria, quæ à Christo & ab apostolis è mundo, maximè verò ex ecclesia fuerat eiecta. Vanitatem huius variè & multis modis in præsentia ostendit Ieremias, & principiò quidem ex materia, Excinditur, inquit, arbor aliqua ex sylua, ac Deo vel imagini Dei præbet materiam. Isaias in cap. 44. & ipse insultans hoc nomine idolis, Scindit cedrum sibi artifex, inquit, aduehit pinum & quercum, quæ igni fouendo seruit, partem eius incendit igni, & calefit & dicit, Euge probè incalui: partem verò aliam destinat idolo, quod parat sibiq; proponit, ante quod procumbit, adoransq; precatur & ait, Libera me, Deus enim meus es tu, &c. 2. Formam quoq; quam artifex voluerit idolo dat, securi & ferreis instrumentis formans truncum & trunco inducens hominis speciem. Vnde rectè Ieremias putat, idolum aliud nihil esse quàm opus manuum hominis vel artificis, quod inquam ei contulit artifex. De hac re multis agit etiam Isaias in eo cap. quod modò adduximus. Consule tu locum. Faber ferrarius, inquit, forcipe operatur in prunis. Et reliqua. 3. Additur iam etiam ornatus, Aurum aut argentum. De quibus verè dixit Lactantius, Quæ nemo bonus vnquam miratus est. Contemnere illa virtus est.

Scelere

scelere ergo ornantur. Vt iam non commemorem, quòd furtis & cædibus non raro paratur aurum & argentum, quod cedit vsibus simulachrorum & idololatriæ. Dij ergo vel diui ornantur furtis & cædibus. Extant plurima & elegantissima veterum patrum testimonia vsum auri & argenti in sacris condemnantia. Iudicum 17.

4. Insignis verò imbecillitas & vanitas idolorũ ex eo relucet, quòd nisi artifices clauis & malleis ipsa compingant, dilabantur, nec sibi cohęreant: nisi affigantur parietibus & infigantur fulcro, in quod imponuntur, vel leuiter impulsa, concidunt & dissiliunt. 5. Iam vt summa arte exculpantur, ornentur coloribus, auro item gemmis & rebus preciosissimis, probè denique compingantur & collocentur in suis basibus, nihilominus instar palmæ rigent ipsa. Quod alij verterunt, Quasi palmæ integer truncus stant. Alij, In similitudinem palmæ fabricata sunt. Alij, Sicut palma æqualis sunt, recta, teres & procera. Sensus videtur esse exposi tur, Sunt instar æqualis teretis ac rigentis palmæ. Germanicè, Es sind nüt dañ glatt stöck. Lutherus vertit, Es sind ja nichts dann Seulen über zogen. 6. Plura quoque hic coniungit vana. Non enim loquuntur, sicuti nec audiũt nec vident tametsi os & aures & oculos habere videantur. Portando portabuntur, id est, quoquo illa collocare volueris, non sine labore portabis, ac nisi portentur non mouere se possunt. Vulgaris versio habet, Portata tollentur. Causa apponitur cur portentur, Nec enim incedere possunt, licet & tibijs insistant & pedibus. Dauid hæc omnia breuibus complexus, cecinit, Simulachra gentium sunt aurum & argentum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquuntur: oculos habent, & non vident. Aures habent, & non audiunt: nasum habent, & non odorantur. Manus habent, nec palpant: pedes habent, nec ambulant, neque vox est in gutture eorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & qui confidunt in eis. 7. loco subiungit quod sensum absoluit, & ostendit in quem finem ista adducantur, Ne metuatis ab eis. Ratio, Quia nec nocere vobis possunt, neque in potestate eorum est cultoribus suis benefacere. Iisdem verbis vsus legitur & Isaias, quẽ haud dubiè imitatur hic Ieremias. Locus Isaiæ extat cap. 41. Hæc dixit hactenus in idola & in vanitatem idololatrię. Ioannes Oecolampadius in hunc locum scribens, Per irrisionem adducuntur hæc, quasi dixerit, Deum illorum crescere in sylua, & ab opifice formari, & ideò incipere decorari auro, quia per se deformis est, firmari clauis, quia imbecillis sit: vnde nec loquitur nec quicquam operatur. Stultum est igitur ea timere quæ tantoperè fluxa sunt, &c. Congruunt autem sla quæ dicuntur contra Gentium idola, simulachris Christianorum. Vtrobique enim par ratio. Materia & forma eadem est vtrisque. Fiunt ex ligno, auro & alijs materijs: & quidem ab artifice. Quæcunque Ieremias & Isaias in Gentium idola dixit, inueniuntur & in nostris. Ornantur auro, firmantur clauis, interim rigent palmæ instar, starrend da wie götzen vnd stöck, non loquuntur, portando portabuntur, &c. Deinde vtrobique eadem est institutio & idem finis. Nam apud gentes positæ sunt imagines, vel vt repræsentent & sint signa Deorũ, apud quæ præsens sit numen virtute: vel vt doceant atque erudiant simpliciores, denique beneficia Deorum retineant in memoria, admoneantque virtutum. At qui negat ijsdem de causis erigi imagines apud Christianos, confessum adeoque compertum experientia negat. Postremò ponebant gentiles idola sua in templa & sacella & delubra, super aras & bases, ipsa ornabant, adorabant, ac ipsis offerebant incensa & sacrificia. Addebant ijs suos ministros, &c. Eadem suis simulachris impendunt Christiani. Qua de re disputaui olim copiosius in libro meo de Origine erroris. Non possum mihi hic temperare, quin huc ascribam ac recitem clarissimi viri D. Georgij Buchanani Scoti Epigramma, in quo imago introducitur alloquens peregrè & religionis ergô aduenientes. *Applicantur ista & Christianorum imaginibus.*

Fare, ebò, qui terras lustras vagus hospes & vndas,
Quid petis hinc? longæ quæ tibi causa viæ?
Non Deus hîc quisquam, nec imagine numen in ista est:
Nos lapis, & tantùm putria ligna sumus,
Vermibus esca, cibus tineis, domus hospita blattis,
Opprobrium cæli, ludibriúmque soli.
Non capiunt humiles numen cæleste penates,
Structa nec humana saxea tecta manu.
Quem mare, quem tellus, quem non capit igneus æther,
Clauditur in nullo spiritus ille loco.
Vt Christum inuenias, animi secreta reuolue,
Aut lege fatidici quæ cecinere patres.
Aut quà diues habet passim circunspice mundus:
Hæc vera est ædes, hoc penetrale Dei.
At quisquis picto gaudet dare basia trunco,
Crassáque puluereo lingere saxa croco,
Dignus morte perit, qui mortua viuus adorat,
Et vitæ in fragili spem sibi ponit humo.
Si te picta iuuant, cariem ne perline trunci,
Sed vera mentem simplicitate tuam.
Hac ratione, domi poteris reperire quod omnes
Erro vagus terras sic peregrando fugis.

Dei maiestas. His ex opposito obiicit maiestatem Dei amplissimam. Habet hæc antithesis pars altera, suas etiam partes. In genere dicit, Nemo est sicut tu Domine: id est, nemo aut res nulla in vniuerso mundo tibi potest conferri, maior es omnibus rebus conditis 2. Magnus es tu. Est enim immensus, æternus, omnipotens. 3. Magnum est nomen Dei cum potentia, nimirum quod declarat potentibus factis & virtute immensa. 4. Rex est gentium, Dominus nimirum omnium populorum. Quis ergo non timeat te? Hæc vanitati idolorum perquàm sunt disparia. 5. Tuum est imperium, & omnes creaturæ obedientiam tibi subiectionemq; debent. 6. Addit & aliud, Inter omnes gentium sapientes, & in omni regno sub sole, nemo tibi similis est. Quis ergo non hunc solum adoraret, hũc solum coleret, & à solo penitus penderet? Ipsi gloria.

Pergit vanitati idolorum per antithesin opponere Dei maiestatem, ac ita insinuare huius cultum, illorum verò contemptum.

CONCIO XL.

In hoc autem vno bruteſcunt & stulti fiunt, quòd eruditio vel doctrina aut disciplina vanitatum lignum est. Argentum ductile de Tharsis adfertur & aurum de Vphaz, opere artificis & manibus (paratur:) *hyacinthus & purpura indumentum eorum, vniuersa illa opus sunt sapientum. Dominus autem Deus verus est, ipse Deus viuus est, & rex sempiternus: ab ira eius contremiscit terra, nec sustinere possunt gentes indignationem eius. Sic dicetis eis, Dij qui cælum & terram non condiderunt, perdentur de terra & de sub cælis ipsis. Qui terram condidit sua virtute, sapientia sua orbem disponit, prudentia sua cælos extendit. Cum ille vocem dat, ingens aquarum vis coit, & eleuat nubes ab extremitate terræ, fulgura in pluuia facit, atque educit ventos de thesauris suis. Stul-*

suis. Stultus fit omnis homo à scientia, pudefit omnis conflator à sculptili, nam mendacium est fusile eius, cum non sit spiritus in eis. Vanitas inquam sunt, opus risu dignum, in tempore visitationis suæ peribunt. Non vt isti sunt, pars Iacob est, sed ille qui condidit omnia: & Israel virga est hæreditatis eius, Dominus exercituum est nomen eius.

ERudit & captiuos, captiuitate videlicet Assyriaca detentos Israelitas, & captiuitati Babylonicæ vicinos Iudæos, in vera pietate, ne vnquam victoriis & felicitate offendantur idololatrarum, corrumpantúrue religione Babylonica vel gentilitia. Ostendit autem antithesibus vnum solum esse Deum verum vnicè colendum, cuius quidem religio sola sit syncera & stabilis: omnes autem cum hac non consentientes vel peregrinas religiones, esse falsas, superstitiosas & fugiendas, idololatriam in primis, quæ haud dubiè omnes alienas religiones comprehendit. Habuimus autem antithesim primam, sequitur iam secunda. Existimant gentiles se admodùm esse sapientes, quòd simulachra diis statuũt, & rebus quibúscp preciosissimis deos suos colunt. Testatur hoc apostolus ad Roman. 1. Quinimò apud sapientiores, vt Athanasius etiam contra Gentes meminit, absurdũ erat, si quis dixisset gentes colere ligna & lapides. Dicebant enim, Scimus illos necp deos esse necp colendos à nobis. Sunt autem signa Dei vel deorũ, quæ fingimus ex ligno & lapide. Sunt præterea memoracula quædam & admonitiones, & visibiles literæ, erudientes simpliciores, quibus libri frustra proponerentur. Verùm Dominus Deus noster per Ieremiam dicit, In hoc ipso produnt se bestias propemodùm & stultos esse maximos, quòd ligno erudire volunt, aut existimant doctrinam esse quæ ligno proponitur. Qua re nihil potest inuentri aut excogitari vanius. Vulgari prouerbio de iis qui vana & inepta proferunt dicimus, Das hat er geleret ab dem fensterbäm. Quasi tu dicas, Didicit ex pariete, vnde sanè nihil disci potest. Similia legimus in 2. cap. Abakuk. Nam si spectes materiam simulachri, arborem, potuisset nondum in simulachrũ conuersa melius erudire: dum videlicet fuit adhuc Dei opus, pulcherrimum foliis, opus viuum, & fructibus amœnum vtilissimumcp. Posteaquam ab artifice excisa est arbor, & formata specie hominis, amisit suam pulchritudinem, vitam & vtilitatem. Si autem forma inducta materiæ, vtpote imago aut species hominis, erudire debet, cur non potius contemplamur viuos homines? quid spectamus fœdas deformescp artificum species? Lutherus hunc locum vertit, Dann holtz můß yetzt ein nichtiger gottsdienst syn. Mox autem pergit propheta copiosius exagitare idolorum vanitatem, Argentum, inquit, ductile, quod videlicet facilè malleis tunditur, diducitur & applicatur statuis, de Tharsis, id est, ex marinis nauigationibus adfertur. Tharsis enim varie vsurpatur in scriptura, in præsenti ponitur pro mari, sicut aliâs sæpe. Adfertur ergo non citra molestiam, nõ citra expensas atcp labores argentum: ita aurum quocp ex Vphaz vel Ophir, loco Orientis abundante auro. At Deus verus vbicp præsens est terra & mari, nullis circunscriptus locis: vnde nihil opus est vt nostris expensis adducatur ex longinquo. Est enim Deus ex propinquo, nõ à longinquo. Addit Ieremias, Simulachra illa quæ funduntur ex auro & argento, nullam habere formam nisi eam quam dederit artifex sua arte. Habet quidem lignum formam natiuam, sed non referentem vel Deum vel hominem. Manus ergo artificis efficit, vt referat vel Deum vel hominẽ. Scilicet. Postea ligna, lapides & aurũ in hominis speciem effigiata, vestimentis induuntur hominum. Quis autem rationis compotes dixerit illos, qui sudes & truncos vestiunt, & quidem vestibus preciosis? Si dii sunt, vestimentis opus non habent: si verò vestibus opus habent, dii nõ sunt. Quid ergo? Ieremias sub-

Scopus huius capitis.

Stulti sunt qui idola faciunt & colunt.

dit, Vniuersa illa opus sunt sapientum: id est, nihil aliud sunt idola, nisi quod manus artificũ eis contulit. Sapientes enim appellat, non reuera sapientes: superius enim stultos appellauit idololatras: sed peritos in illa arte artifices. Quis autẽ credat ea tantillum habere diuinitatis quæ parantur & parata sunt manibus hominum? Sequitur altera pars antitheſis, continens Dei laudes & præconiũ maiestatis eius immensæ, quæ opponitur vanitati idolorũ, ac suadet vt his conculcatis tantam maiestatem veneremur. Dominus est Deus verus, non imaginatio falsa, non mendacium, non habens falsi quicquã neq; fallens. Idem ille est viuus Deus non mortuus, vt dij sunt. Viuit ex semetipso, & omnibus confert vitã. Dij & imagines eorum nec ipsæ viuunt neq; vlli vitã conferunt. Deus noster est rex sempiternus, cuius regni nullus est finis. Gubernat ille totum orbẽ, & regit homines vniuersos. Idola nõ regunt, non mouent se, nihil conferũt hominibus nisi molestias. Etenim nisi purgẽtur & excolantur ab hominibus, sordẽt, squalent, auiũq; excrementis defœdãtur penitus. Deus noster cum irascitur mundo propter peccata, iræ suæ indicia edit horribilia, concutit terram terræmotu: neq; sustinere possunt potentissimæ gentes Dei indignationem. Quid verò idola? Sese cõmouere nequeunt, hostes suos nec puniunt nec punire possunt.

Veri Dei maiestas.

Deus verus, & religio vera liberè confitenda.

Cum ergo res ita habeat, mandat Ieremias ex impetu vel impulsu quodam prophetico vehementissimo, vt Iudæi inter hostes, à quibus captiui tenentur, liberè & apertè vel disertè confiteantur Deum & veram Dei religionem: neque hac re sint contenti, sed etiam maledicant dijs falsis & execrentur, non tantùm abnegent religionem gentilitiam: cum videlicet nunc veluti manibus apprehenderint vanitatem idolorum pudendam, & tantam esse Dei gloriam, vt humanus sermo hanc non possit assequi atq; exprimere. Ideoq; ponitur hic versus verbis Chaldaicis & non Hebraicis, nimirũ monens ea re propheta confessionem fidei non obscuram aut non intellectam hostibus esse debere, sed significantem & illustrem maximè. Vbi confutantur illorum deliria, qui dicunt non requiri à nobis in periculis disertam confessionem: satis esse si veritatem in corde retineamus, tametsi foris agamus aliqua religioni nostræ non vsquequaq; congruentia. Dominus & hic & in euangelio disertam requirit confessionem. De quare dictum est aliâs copiosius. Discamus hinc & ex euangelio omnes, inter Papistas & inter omnes euangelij hostes liberè & expresse, non tantùm confiteri veritatem, sed etiam damnare errores & execrari idola & quicquid sanæ doctrinę Dei est contrarium.

Dij falsi definiuntur esse qui cœlum & terram non condiderunt.

Simul autem adfertur tertia antitheſis Dei veri & deorum falsorũ, veri cultus & idolorum. Deos falsos dicit eos esse qui cœlum & terram non condiderũt. Quæ nota vulgaris & omnibus notissima est. Deinde dij falsi non permanent, sed pereunt, adeoq; interit eorum memoria sub cœlo. Ex oppositio exponit multis membris Dei maiestatem, quantus hic sit colligens ex operibus Dei. 1. Deus noster sua non aliena virtute per semetipsum atq; adeò per filium condidit terram & totum mundum. Idola semetipsa formare non potuerunt. 2. Idem sua sapientia disponit, dispensat, regit atq; gubernat totum orbem. Potentissima enim, sapientissima & pulcherrima sua prouidentia omnia peroptimè moderatur. Et apostolus, Per filium, inquit, secula condidit. Qui cum sit, &c. Heb. 1. Simulachra trunci sunt. 3. Ipse cœlũ expandit supra nos, instar cortinæ aut tentorij. Id quod in Psalmis frequenter occurrit. Vnde & Ieremias hæc & alia mutuò accepisse videtur. 4. Dominus dat vocem. Alij hoc exponunt de vento. Nam flante vento Zephyro conglomerantur nubes, & contrahitur aqua quæ deplui in terram. Alij interpretantur de tonitru, Tonat Dominus. Nam alibi tonitrua appellantur Domini voces. Ac tonitrua sequuntur ferè pluuiæ. Quid

Ex operibus suis describitur Deus verus.

si intelli-

si intelligamus Dominū edere vocem, id est, iubere vt nubes pluant? Illius enim mandatum est potens operatio in re qualibet. Vnde legimus, Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Simul ergo vt ille voluerit, derepente ingens vis in media aeris regione coit, & mox in terras decidit per imbres. 5. Addit, Eleuat Dominus nubes vel vapores aut exhalationes de terra in sublime, condensantur in aere, & generātur imbres. Sic etiam meteorologicè describit nobis aquarum quę supra nos sunt generationem. Omnia verò ista Deo vero tribuit, operanti in elemētis. 6. Iam etiam fulgura in pluuia facit. Videmus enim erumpere & emicare ex atris nubibus & ex medio imbrium fulgura atq; fulmina. Ac miraculum est ingēs, ex aqua exire ignem, & in aqua quodammodo latere. Alij legunt, Fulgura cum pluuia facit. Alij, Fulgura in pluuiā vertit. 7. Idem Deus educit etiam ventos de suis thesauris, id est, absconsis siue abditis. Nescimus enim, sicuti & in euangelio dicitur, vnde ventus veniat, aut quò vadat. Scimus autem Deum esse authorem ventorum. Stupenda & magnifica sunt hæc opera Domini Dei nostri: quid huius tribuere queas vel dijs vel simulachris?

Non pigebit ascribere huc D. Ioan. Oecolamp. expositionem, quam adducit in Comment. suis ad hunc locum, Veram philosophiam & originem rerum, inquit, hic habes. Quid enim est quod philosophus dicit, terram natura descendere ad punctum medium? Hoc quidem non est causam ponere. Signanter autem dicit, Qui facit terram in virtute. Quia terra non habet fundamentum, præter voluntatem Dei, cui incumbit potius quàm punctulo medio. Et fecit in sapientia orbem in habitaculum, quod mari cingitur, & fluminibus ac fontibus irrigatur, vt commodè possint homines habitare. Cœlum autem extendit, quod nobis videtur esse sicut tabernaculum, vt sub eo viuamus, quod tamen est supra & in perpetuo cursu ab Oriente in Occidentem voluitur. Id non satis capimus. Sunt ex stellis quæ ibi immobiliter subsistant, sunt quæ transeunt vniformiter, sunt quæ velut incerto gradu vagantur. Venti quoque è vaporibus à terra eleuatis fiunt, sicut pluuia. Hoc est quod Geneſis 1. legimus, & vapor ascendit super terram & irrigauit omnem faciem terræ. Dicitur esse ventus in thesauris Dei: quia nescitur vnde veniat aut quo vadat. Quando ascendunt vapores à siccitate, nascitur ventus: si autem ab humido, datur pluuia. Magnum est & hoc miraculum Dei, cum grandine igneo descendere pluuiam, & ignem non extingui. Hæc ille. *Theologia de Physicis.*

Quarta antithesis pendet ex proxima. Est enim sententia, Hæc omnia quæ proposuimus opera Dei, si spectentur oculo fideli, apparebit liquidò, homines cum sua illa simulachrifica scientia prorsus esse stultos. Quid enim habent in omnibus suis simulachris, quod vel vllo modo vel per somnium conferri possit cum Deo? Sed excutiamus per partes singula. 1. Si excutiatur scientia vel sapientia hominum, qua sibi fingunt idola, deprehendetur homines cum sua illa sapientia stultissimos esse. 2. Si verò conflator aut aurifaber suum fusile ad lucem protulerit, & contulerit cū supra memoratis Dei operibus, cogetur rubore suffundi aut confundi prorsus, adeò fœda & deformia illis collata videbuntur. 3. Quid enim aliud apparebit esse fusile eius, quàm mendacium, falsitas & impostura? 4. Nullus est spiritus, vel nulla vita in eis, nullus motus. 5. Breuiter, nihil aliud sunt idola quàm vanitas, Sarbinder gar üiberal niit ist. 6. Atq; adeò totum illud quod artifex fecit opus est risu dignum. Cui enim risum non moueat, si materiam & speciem idolorum componat cum viuis elegantissimisq; Dei operibus? Rectè Helias irrisit & Baal & sacrificos Baalis, quod legimus 3. Regum 18. Nemo ergo miretur aut calumnietur hodie, si paulò liberius, & quidem in loco suo, illudamus idolis. 7. Peribunt in die visitationis suæ. Suo *Rursus exaggeratur vanitas idolorum.* *Idola risu digna.*

enim tempore Deus idola & idololatras vnà conficiet. Id quod & Isaias minatur cap. 2. Et hæc quidem hactenus de Idolorum vanitate, quæ prima pars est antithesis 4. Sequitur opposita pars de Deo. Pars Iacob non est, vt sunt isti. Pars significat thesaurum & hæreditatem, portionem item opimam. Deus, qui est hæreditas & summum bonum Iacobi, non est talis, quales sunt dij gentilium ac idola. Lutherus vertit, Also aber ist der nit/der Jacobs schatz ist. Quare? Deus enim Iacobi non est vanus & inutilis, impotens & truncus, sed is est qui condidit omnia, qui conseruat omnia. Denique Israelem astrinxit sibi, vt sit hæreditas vel populus & peculium Dei, non Dagonis, non Baalis, non Astoreth, non Milchonis aut aliorum deorum. Virga significat perticam mensoriam. Funiculis autem aut virgis solent hæreditates distribui. Quid quod amplissimum habet nomen Dominus noster? Appellatur enim Deus exercituum. Omnia quæ in cœlo & terra sunt, visibilia & inuisibilia, eius parent imperio. Quis ergo non malit huic inseruire, & hunc solum colere, quàm idola? Deus perdat ipsa omnia.

Applicat totam hanc doctrinam Iudæis, prædicens eis captiuitatem, docens interim quomodo se gerant, & quare sint ducendi captiui.

CONCIO XLI.

Congrega è terra merces tuas, tu quæ habitas in loco munito. Quoniam sic dicit Dominus, Ecce ego funda eiaculabor etiamnum habitatores terræ huius, & angustum faciam eis vt inueniant. Væ mihi à contritione mea, plaga mea dolorifica est: & ego dixi, Certè hæc mea plaga est quam & portabo. Tabernaculum meum deuastatum est, & omnes funes mei disrupti sunt, filij mei egressi sunt à me, & nusquam sunt: non est qui tendat tentorium meum, & qui expandat cortinas meas. Quoniam infatuati sunt pastores, & Dominum non quæsierunt, vnde nihil prudenter egerunt, & quicquid pascuæ ipsorum dispersum est.

PRiore huius capitis parte exposuit Ieremias veræ religionis summam elegantissimis oppositionibus, quibus & falsam religionem superstitionem & idololatriam confutauit, docuitque Israelitas in captiuitate inniti Deo soli, adorare, inuocare & colere, atque adeò & disertè confiteri vnum: contra, maledicere idolis & totam religionem ethnicam abominari. Hic autem dicere poterant Hierosolymitani ciues atque tribus Iuda & Beniamin, Quid verò hæc nobis annunciantur, qui versamur adhuc in patria, in tuto, neque à Chaldæis abducti sumus, sed nostros adhuc reges, incolume regnum, & intactã libertatẽ habemus?

Argumentum præsentis loci. Posteriore ergo huius capitis parte applicat hanc doctrinam & Hierosolymitanis & duabus tribubus, prædicens eis, ipsos vnà propter impietatem abducendos fore in captiuitatem Babylonicam. Vbi per commodè timentes Deum erudit, quomodo se gerant in illa afflictione graui: deinde etiam causas ostẽdit cur Deus populum suum tam graui captiuitate puniat,

Iudæos in captiuitatem abducendos. Habitabant Iudæi in munitissimis locis, habentes vrbes natura & arte instructissimas contra hostem quamlibet potentem. Quid quod ipsa Hierosolymorum vrbs munitissima erat? Existimabant itaque se futuros tutos & extra teli iactum: sed propheta, Congrega, inquit, è terra substantiam tuam. Sunt enim qui substantiam legũt, alij merces, alij confusionem. Nam ex opibus iniquè partis,

partis, & contra Deum sine timore Dei vsurpatis, quid aliud sequitur quàm confusio? Intelligunt autem alij prophetam iubere illos ex agro omnes merces & omnem prouentum colligere in vrbem, ad obsidionem sustinendam. Simplicior autem sensus mihi esse videtur, si intelligamus iubere prophetam Hierosolymitani & duæ tribus reculas suas contrahant & sarcinulas suas componant, id est, apparent se profectioni. Eundum enim illis in exilium. Eodem loquutionis genere vtimur, dicentes, Sammel din ding/ bind vf/ du můst wandlen. Sequitur enim mox in prophetæ verbis quod hunc nobis sensum suppeditat, Ecce funda eiaculabor, &c. Discimus autem ex his, principiò frustra nos confidere locis munitis, dum Deum iratum nobis nec propitium habemus. Deinde opes iniquè partas hostibus cedere, & nihil aliud quàm confusionem inducere. Nam quod iubet colligere merces, loquutio est, significans migrandum illis esse. Milites autem deprædantur prius omnia, nudos propè abstrahunt in captiuitatem. Et vt opulenti non fiant præda militum, attamen excedentes nihil secum efferre possunt. Nihil, inquit Apostolus, intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus. Rectè ergo Saluator noster in Euangelium secundum Lucam cap. 12. Stulte hac nocte repetunt animam tuam abs te: quæ verò parasti cui cedent? *Diuitiæ noxiæ.* *1. Tim. 6.*

Sequitur inquam ratio cur reculas suas iusserit colligere & sese apparare itineri, Quoniam sic dicit Dominus, Ecce ego funda eiaculabor, &c. Authoritatem minis parat, dum dicit Deum hæc minari: quasi dixerit, Si mihi non creditis, Deo saltem credite. Ne verò cogitetis impossibile fore quod dico, obseruate quod Deus dicit, Ecce ego eiaculabor funda habitatores huius loci. Quid autem Deo impossibile videbitur? Sensus est verborum, Deus longè abducet vos captiuos, sed prius probè diu multũq; afflictos, vt inueniatis. Maluit tamen hæc effari per tropum. Dicit enim illos ceu lapidem, funda rotatum, excutiendos. Qua allusione & collatione significat, magno impetu & in longinquas oras ciji ciendos. Id vetus interpres spectauit ac vertit, Ecce longè projiciam, &c. Nam in Babylonem vsq; sunt abducti. Sed perijt interim gratia allusionis, etsi de sensu nihil perierit. Angustum verò fecit Dominus populo illi, non tam in captiuitate, quàm in obsidione illa Hierosolymorum graui. Sic autem par pari retulit. Nam hactenus illi quoque angustia molestissima presserunt prophetas sanctos, homines fideles, simplices atq; pauperes. Alij verterũt, Tribulationem inferam eis: sed in idem recidit sensus. Quod sequitur, Vt inueniant, amaram habet reticentiã, quale illud quod nobis in ore est, Du wirst noch ein fart finden. Nunc quidem contemnis omnia, quæ tibi dicuntur, sed erit tempus quando senties te tuo maximo exitio hæc contempsisse. Dicit ergo Ieremias, in obsidione, in bello illo, & in captiuitate futura Iudæos inuenturos quod eis toties commonstratum sit à prophetis. Certè scriptura aliàs quoq; dicit, Quæ homo seminauerit, eadem & metet. Alij ergo interpretati sunt hunc Ieremiæ locum, Vt recipiant vindictam iniquitatum suarum. Tametsi itaq; multis vanus videatur sermo prophetarum, erit tamen tempus aliquando, quo sentient impœnitentes, nimis vera esse quæ dixerunt, sibi quidem in exitium. Sentient & boni veracem esse sermonem ministrorum Dei, sibi quoq; in emolumentum. *Mira elegãtia.*

Cæterùm cum Deus eos quos affligit etiam grauissimè, ne sic quidem abiecerit prorsus, aut perditos velit penitus, malitq; in medijs afflictionibus miserè affectos in seipsos descendere, percutientem agnoscere, & cõmeritas pœnas patienter sustinere, ipsi bene fidere vt patri, ac redire ad patrem, Ieremias consequentibus & Iudæos suos, & nos quoq; diligenter erudit, quomodo se gerant quotquot iam sunt in castigatione diuina: ideoq; loquitur propheta in persona *Quomodo se afflicti gerant in tribulationibus.*

plorum, & ait, Væ mihi à contritione vel à ruptura mea. Vel, Hei mihi cõfracto atq; contuso, Ach mins groſſen ſchadens vnd verderbens. Addit his aliud etiã, quod malum illatum amplificat, Plaga mea dolorifica eſt. Vulgata verſio habet, Peſsima eſt plaga mea. Senſus eſt, Ingentem dolorem ſentio ex vulnere mihi inflicto. Certè pij mali atrocitatem ſentiunt, queruntur, & clamant ad Dominum: ſicuti ſæpiſsimè occurrit in Pſalmis. Impij etſi doleant, & hoc nomine inſaniant, tamen malum ſentire reuera non videntur, vt qui caſtigationem contemnunt, neq; ipſam referunt vel ad Deum iuſtum, vel ad ſua peccata, ſed ad aſtra potius, vel reijciunt omnem calamitatum ſuarum culpam in homines, quorum opera licet vtatur Deus, hic tamen, & cauſa malorum peccata, ſpectanda ſunt ante omnia. Stoici docent indolentiam, fortaſsis loquentes de ligno & lapide, non de hominibus. Nam ipſe Dominus in euangelio dixit, Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Sequitur quod præcedentia illa exponat, Et dixi, Certè hæc mea plaga eſt, quam & portabo. Dum conflictamur cum calamitatibus & querimur coràm Domino miſeram eſſe ſortem noſtram, ſimul & illud apud nos dicere vel cogitare debemus, Hæc infirmitas vel plaga mea eſt, id eſt, plaga illa debetur meis peccatis. Confitendum ergo eſt peccatum Domino Deo percutienti. Merui ego meis ſceleribus ſic affligi. Vnde mox additur, Quam & portabo, id eſt, quam patienter feram: orando interim Deum vt patientiam mihi conferat. Sic autem animatos eſſe nos decet in omnibus calamitatibus, in bellis, in incẽdijs, in excidijs, in fame, in morbis & quibuslibet malis. Niſi verò tales ſimus, & dorſum noſtrum patienter ferulæ aut virgæ diuinę ſubijciamus, ſed renitentes potius Deo, calamitates à nobis voluerimus noſtra induſtria & impatientia excutere, dubium non eſt quin calamitates conduplicemus. Breue eſt hoc Ieremiæ conſilium, ſed omnino ſaluberrimum, à Saluatore quoque datum afflictis, Lucæ 21.

Vt tentorium diruitur, ita fortiſsima quæq; mundi à Deo deijciuntur.

Præterea pergit propheta in perſona ſancti cuiuſq; deplorare calamitatem vrbis & gentis maximam. Verba autem ſic temperantur, vt & potentiam Dei imbecillitatemq; & inſtabilitatem rerum mundanarum ſimul nobis exponant. Nam ſicut nullo negotio tolluntur cortinæ expanſæ & tabernacula vel papiliones aut tentoria, ſic ait Deo non difficile fore vt vrbem potentiſsimam & regnũ florentiſsimum vno momento vaſtet. Sicut autem tentorijs nihil eſt inſtabilius, vt quæ nunc hoc, nunc illo loco figuntur: ſic res humanæ, res florentiſsimarum vrbium & regnorum maximorum vmbratiles & cortinæ expanſæ ſimiles ſunt. Iſaias alibi omnem carnẽ & carnis gloriam gramini comparat. Funes quos fractos dicit, intelligo opes & omnes res amplas, & conſilia in primis, quibus regna retinentur ne concidant. Per filios intelligimus ciues & milites regni. Hi partim fame, partim gladio abſumpti ſunt, magna pars abducta eſt in captiuitatem. Eleganter ergo Ieremias dicit, Et nuſquam ſunt. Nam tanta hominum vis deleta eſt penitus, vt ne veſtigium quidem reſtaret reliquum. Additur aliud his propemodum grauius, Nemo, inquit, eſt, qui tẽtorium deiectum rurſus erigat. Iacuit enim vrbs in cineribus & ruinis annis multis, vſq; dum poſt 70. annos iuberetur à Dario Hiſtaſpe reparari, poteſtate facta Nehemiæ. Solent aliquando ſe conſolari, quibus dirutæ ſunt habitationes, quòd mox vicinorum auxilio, alias & fortè non peiores prioribus, ſint ſibi reparaturi. In præſenti autem queruntur, nullam ſibi relictam eſſe ſpem talem. Colligamus hinc veriſsimum eſſe quod pronunciatum legimus in Pſalmis, Niſi Dominus ędificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Continentur in his Ieremiæ verbis, & aliæ non inutiles obſeruationes, expoſitæ diligentibus.

Poſtremò

Postremò causam reddit tantorum malorum, & cur Deus populum suum subdiderit idololatris, perdideritq; ipsum miseris istis modis. Idq; facit in hunc finem: partim vt asserat Dei iustitiam, quæ nulla morositate fecit quod fecit, sed adacta & veluti compulsa sceleribus hominum infandis: partim vt omnes pios doceat cauere sibi ab huiusmodi causis, ne ipsos quoq; in simile conijciant discrimen. Maxima verò malorum causa sunt pastores. Pastores vocat reges, principes, iudices & magistratus, deinde prophetas, sacerdotes & patres familiâs. Illi inquam sunt in populo & familijs veluti in grege pastores, gubernatores, consultores, patres, doctores, moderatores. At hi, inquit, cum deberent esse fideles, iusti, vigilantes, sapientes, prorsus stulti sunt & parum differentes à pecoribus, quin bestiæ sunt & lupi. Redundat autem principum culpa in subditos. Cum enim cæcus duxerit cæcum, ambo cadunt in foueam: interim scimus potentes potenter tormenta perpeti. Iam etiam quare stultos & bestias nuncuparit subiungit, Et Dominum non quæsierunt. Neq; Deum curant nec verbũ eius. Nos dicimus, Sy fragend Gott nit nach: id est, & Deum & legem eius contemnunt. Vnde mox sequitur, Vnde nihil prudenter, adde, nihil etiam felicíter egerunt. Quis enim euentus felix sperari possit ibi, vbi nulla habetur Dei ratio? Lutherus simpliciter retulit ad doctrinam & vertit, Darumb können sy auch nit rächt leeren. Ante omnia ergo & in omnibus spectandus est Dominus Deus noster, spectandum est verbum eius sanctum: ad hoc veluti cynosuram dirigamus omnes gressus nostros. Subnectit mox etiam impietatis & cõtemptus Dei fructum, Et omnis pascua eorum dispersa est: id est, totus grex in pascuis dispersus est. Ciues enim Hierosolymitani & totius regni populus, partim est fame absumptus, partim concisus gladio, partim abductus in captiuitatem, & in hac in mille partes dispersus. Regnorum itaque vel interitus vel conseruatio debetur vel prauis vel integris pastoribus. Vide ergo quid sit vel bonos vel malos habere gubernatores atque doctores. Hodie perit & dilaceratur orbis Christianus non aliorum quàm pastorum culpa. Dominus Iesus misereatur nostri.

Causæ redditur tantorum malorum.

Pastores depastores.

Vaticinatur adhuc Iudæis captiuitatem, & rationem eis quomodo se in illa gerant ostendit.

CONCIO XLII.

En vox rumoris venit & commotio magna de terra Aquilonari, vt ponat vrbes Iuda in solitudinem & in habitationem draconum. Scio Domine quòd hominis non est via sua, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Castiga me Domine, sed in iudicio, non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Effunde furorem tuum super gentes, quæ non nouerunt te, & super nationes quæ nomen tuum non inuocarunt, quia comederunt Iacob, deuorauerunt eum, & consumpserunt eum, & habitationem eius vastauerunt.

Sicut cœperat propheta ita pergit commemorare vastationem gentis & vrbis, dictareq; rationem & modum quomodo se erga Deum gerant in extremis hisce periculis. Quæ omnia applicat S. Hieronymus ecclesiæ etiam persequutionibus, & ait, Hæc omnia quæ & præteritus & præsens sermo descripsit, ad persequutionis ecclesiæ referamus tempora, quando tabernacula Domini subuertuntur, & omnis habitatio ecclesię vertitur in solitudinem. Et vt ista vniuersa veniant, culpa est pastorum, qui stulte egerunt & Dominum non quæsierunt, &c. Eadem applicari possunt singulis fidelium afflictionibus & calamitatibus siue priuati, siue publicis.

Applicantur hæc persequutioni ecclesiæ.

Icon aduentantis hostis.

Fingit autem propheta per hypotypoſim, iam nunc ſpargi rumores de aduentu hoſtium, nempe Aquilonarium, id eſt Babyloniorum, iam iam contremiſcere terram) quod Germanicè dicimus erbidmen) ab equitum cataphractorum, à peditum & impedimentorum inceſſu & onere. Fingit hæc inquam more poetico, quò permoueat magis ad pœnitẽtiam. Finem etiam exprimit ob quem Aquilonares illi in terram luda veniant, Vt vrbes & oppida diruant & vertant in luſtra vel antra draconum: vt ibi prius habitarunt homines voluptuarij, & ad probrum vſq; exculti, ibi poſthac agant fœdæ, ſqualidæ & horribiles beluæ maximè gaudentes ſolitudine. Eſt autem hæc loquutio in ſermonibus prophetarum creberrima, qua indicatur quis tandem ſit exitus futurus ſuperbiæ & luxuriæ humanæ. Diſſipantur & vrbes & habitatores earum in voluptatibus viuentes, rediguntuŕq; omnia quæ miratur humana ſtultitia, in ſolitudinem. Extant huius rei idonea teſtimonia in hiſtoria veteri: neq; deſunt nobis hodie exempla. Videmus multis in locis in patria noſtra Heluetia vepreta & rudera iacere diſiecta, vbi aliquando arces & habitationes audiuntur fuiſſe & munitiſſimæ & amœniſſimæ, hominum ſplendidiſſimorum & omni fortunæ ludibrio temulentorum.

Quis exitus luxus & ſuperbiæ hominum.

Via hominis nõ eſt in ipſius poteſtate.

Subiſcit his ſententiam generalem & eam quidem elegantiſſimam & ſapientiſſimam, quæ non tam Babyloniis quàm Iudæis atq; adeò nobis omnibus adaptari poteſt. Principiò enim, Cum hæc, quæ dixi, eueniunt, inquit propheta, ſcio potentiam tantam non referendam eſſe ad hominem Nabuchodonoſorem, vel ad ipſos Babylonios: qui ſanè hoc facere non poſſent quod faciunt, neq; hucuſq; venirent, niſi tu illos excitaſſes atq; greſſus illorum dirigeres. Tibi ergo ſapienti omnipotenti & iuſtiſſimo Deo hæc accepta referimus, quæ inferunt nobis Babyloniſ, affligentes nos iuſto tuo iudicio, qui iraſceris peccatis noſtris meritò vltæq; neſciæ emendationis. Cauſa ergo primaria Deus eſt omnipotens eorum quæ fiunt: ſecundariæ cauſæ ſunt homines & elementa, per quæ operatur Deus vſurpans vnumquodque pro ſuo ingenio vel pro ſua natura. Operatur enim Deus, vt Deus ſanctus & iuſtus: operantur homines tanquam homines, quibus imputandum eſt quicquid peccati vel vitij eſt, non Deo, qui bonus eſt. Voluntas eius iuſta & ſancta eſt: in actionibus hominum accedit & miſcetur ex corruptione hominum quod prauum eſt & dicitur. Iob ſpoliabatur facultatibus ſuis à Sabeis & Orientalibus militibus, hos inſtigarat cæca habendi prodigendiq; cupiditas & ſathanas. Sathanæ dederat hoc ipſum Deus vt Iobum affligeret. Et Iob licet à culpa non liberet prædones neque omnem mali culpam retorqueat in Deum, cuius iudicia & iuſſa permiſſionesq; nouit ſemper eſſe æquiſſimas & inculpabiles, refert tamen omnia ad ipſum Deum, & dicit, Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. En non dicit. Diabolus vel prædones abſtulerunt, ſed Dominus abſtulit: & ſicut voluit, ita factum eſt. Voluit ergo hoc Deus, & fecit hoc quod patiſſus eſt beatus Iob. Sed aliter vult & facit res quas facit Deus: aliter volunt & faciũt homines. Dominus voluit Iobum probare & ornare atq; glorificare & ſeruare: ſathanas voluit, ſi potuiſſet, perdere: & milites alio animo id quod patrarunt fecerunt, quàm Deus. Sua illi quæſierunt, Deum non curarunt, iuſtitiam præuaricati ſunt. Probe autem fideli retinendum eſt memoria, quod dicit propheta, in hominis poteſtate non eſſe vt dirigat greſſus ſuos. Toti ergo & nos & actiones noſtrę vſq; ad minutiſſima quęq; noſtra omnia, pendemus à Deo: per quem, vt apoſtolus ait, viuimus, mouemur & ſumus. Non potes tu, ait Seruator in euangelio, vnum pilum album aut nigrum facere. Et iterum, Quis ex vobis ſolicitè cogitando, poteſt addere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Et, Omnes pili capitis veſtri numerati ſunt. Iacobus

Deus vt cauſa potiſſima operatur res hominum.

quoque

quoq; apostolus, Dicitis, Hodie ibimus, inquit, in ciuitatem illam, & hoc vel illud faciemus, qui nescitis quid postera sit futurum: pro quo dicere debueratis, Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc vel illud. Proinde gubernamur à diuina prouidentia, ac consolatione refertissimum est, quoties afflicti cogitamus hæc quæ patimur, perpeti nos à Deo benigno patre, flagellante nos vt filios: licet opera vtatur hominum.

Deinde si referamus ad Iudæos ac omnes castigationi Domini subiectos, sensus verborum prophetæ hic erit, Vt via nostra non est in potestate nostra, neq; gressus nostros dirigere possumus quo volumus: ita sanè in potestate nostra nõ est conuerti ad Deum ac agere pœnitentiam, nisi hoc velle dederis ô Domine. Da itaq; spiritum tuum, quo renouati & purgati, te inuocemus, ad te conuerti amur & veram agamus pœnitentiam, ferentes interim iugum quod tu nobis imposueris patienter. Nam mox sequentur preces. Certè alij quoq; loci scripturæ conuincunt, diuinæ gratiæ, non nostrarum virium esse, credere, conuerti, pœnitere aut opus bonum facere. Non est volentis neq; currentis, inquit apostolus, sed miserentis Dei. Item, Gratia Dei sum id quod sum. Quid verò habes quod non accepisti? Non sumus idonei ex nobis ipsis tanquam ex nobis ipsis cogitare quicquam, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Et, Deus est qui operatur in vobis & vt velitis & vt efficiatis pro gratuita beneuolentia. Item, Donatum est vobis pro Christo, non solùm vt in eum credatis, verumetiam vt pro illo patiamini. Nam saluator quoq; dixit, Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eũ. Et, Sine me nihil potestis facere. Vtrunq; sensum huius loci attigit etiam Hieronymus in Comment. suis ad Ieremiam & dixit, Erubescant noui prædicatores, qui aiunt vnumquenq; suo arbitrio regi, cum & hic propheta dicat, Non est hominis via eius: & Dauid, A Domino gressus viri diriguntur, &c. Siue hic sensus est. Quod à Babylonijs sustinemus, non est eorum fortitudinis, sed nostri meriti & tuæ indignationis. Tantùm ille.

Non est in nostra potestate via nostra.

Formula autem orationis conncinnata docet amplius & planius quomodo Iudæi se gerant erga Deum in captiuitate, docet denicq; omnes nos in omnibus calamitatibus clamare ad Dominum. Locum hunc elegantissima paraphrasi enarrat D. Hieronymus & ait, Sensus est, Meremur quidem omnia quæ sustinemus, & multò meremur maiora quàm patimur: verũtamen hoc obsecro, vt quasi pater me corripias, non quasi aduersarius: vt me emendes quasi filium, & non punias quasi inimicum. Castigas enim omnem filium quem recipis, & per omnem dolorem & flagellum emendas Hierusalem. Hostes autem qui non nouerunt te, & prouinciæ siue regiones quæ non inuocarunt nomen tuum, nequaquam tuum debent sentire iudicium, sed indignationem. Tradidisti enim nos vt emendaremur. Illi autem aggrauauerunt iugum suum. Seni non pepercerunt & paruulos afflixerunt: comederunt nos & penitus deuorarunt, & in tantam solitudinem redegerunt Hierusalem, vt & publicarum & priuatarum ædium omnia dissiparent & populum tuum interficerent. Hæc Hieronymus. Alludit autẽ propheta hic, & Dauid Psalm. 6. & 38. quem Ieremias videtur imitatus, ad patres, qui filios castigant moderatius aut leuius, cùm nõdum efferbuerunt & quasi in furorem versi sunt. Rogat ergo, vt cum omnino velit, & propter peccata ingentia castigare cogatur populum Iuda, in iudicio castiget, id est cum moderatione quapiam & clementer. Nos dicimus beſcheydenlich oder mit beſcheydenheit. Rationem subijcit, Ne fortassis prorsus me redigas in nihilum & disperdas. Deinde veluti ex opposito subiungit, Effunde furorem tuum, &c. Etenim affligit Deus pariter pios ac impios: sed ratione & fine prorsus inæquali. Pios quidem affligit & calamitatibus inuoluit grauissimis, sed non vt pereant toti, sed ex

Quomodo nos geramus in tribulationibus.

Affligit Deus bonos & malos, & quomodo

erceantur, purgentur atq; restituantur tandem. Impios contra punit, vt concidant, non resurgant, sed penitus intereant, atq; adeò hic in terris incipiant esse miseri ferè, & post hanc vitam sempiternis torqueantur ignibus. Rationes hic subiunguntur variæ, cur Dominus hos in vniuersum perdat, Quia non nouerunt Deum, imò nouisse noluerunt. Quia non inuocarũt nomen Domini, quin blasphemarunt potius, & inuocarunt Deos alienos. Quia cum Dominus gentem suam tradidit castigandam in manus gentium, hæ nullo seruato modo truculentissimè sæuierunt in miseros. Quò pertinet illa congeries verborum, Comederunt, Deuorarunt, Consumpserunt Iacob, & habitationem eius vastauerunt. Hinc colligimus Deum rationem habere populi sui insignem, licet puniat hunc per impios. Quia enim hi modum excedunt, rependit his quoq; Dominus suo tempore malitiam ipsorum in caput eorum.

Quomodo intelligatur Effunde furorem tuum super gẽtes.

Sed restat hic non leuis difficultas discutienda. Nam si his conferas ea quæ dicuntur cap. 29. vbi Iudæi iubentur orare pro regibus & Babylonijs ipsis, videntur inter se dissentire ex diametro. Hic enim illos veluti execratur & diris deuouet. Ibi Deo precibus commendat. Sed & alibi iubemur orare pro hostibus nostris: hic videtur contra ipsos precari Ieremias. Alij existimant denunciare potius prophetam quæ eis sint euentura, quàm imprecari mala. Ego simpliciter dico, locos istos sibi ipsis non repugnare. Etenim perpetuum est & manet præceptum, orandum esse pro hostibus & eis condonandam iniuriam qua nos affecerunt: orandum inquam pro eis, vt Dominus condonet eis peccatum eorum, illuminet mentes ipsorum & conuertat eos ad ipsum. Neq; decet hostili in eos simus animo, & per inuidiam interitum ipsorum optemus. Cæterùm si nolint conuerti omninò, sed pertinaciter pergere, & nomen Domini non desierint blasphemare, sanctamq; Dei ecclesiam grauius persequi, strages edere, & impietatem propagare, quis oro prohibebit orare Dominum, vt is veritatem suam asserat, gloriam suam propaget, atque inuocantes nomen Domini defendat? Et huiusmodi quidem est oratio Ieremiæ præsens, cui similes sunt aliæ in Psalmis. De qua re Dictum est aliàs quoq; Domino sit laus & gloria in sæcula.

ORATIO IEREMIAE QVARTA.

Iniungitur propheta munus prophetandi, præscribitur quid prædicet, verba vtiq; fœderis diuini, quæ nisi audierint Iudæi, perituri sint more maiorum.

CAPVT XI.

CONCIO XLIII.

SErmo qui factus est ad Ieremiam à Domino, in hunc modum, Audite verba fœderis huius, & loquimini ea ad viros Iuda & ad habitatores Hierusalem, dicesq; ad eos. Sic dicit Dominus Deus Israel, Maledictus vir, qui non audierit verba fœderis huius, quod præcepi patribus vestris, eo tempore, quo eduxi eos de terra Aegypti, de fornace ferrea, dicendo, Audite vocem meam, & facite secundum omnia quæ ego præcipio vobis: & eritis populus meus, & ego ero Deus vester: vt excitem iuramentum, quod iuraui patribus vestris, & dem eis terram

eis terram lacte & melle manantem: vt dies hodierna (teſtatur.) Tunc ego re ſpondens dixi, Amen Domine. Et dixit Dominus ad me, Prædica vel Clama omnia verba iſta in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hieruſalem, dicens, Audite verba fœderis huius, & facite ea. Quoniam obteſtando obteſtatus ſum patres veſtros, ab eo tempore, quo eduxi eos de terra Aegypti, in hunc vſq; diem, manè ſurgendo & conteſtando, dicens, Audite vocem meam, ſed nõ audierunt, nec inclinarunt aurem ſuam, quin magis ambulauit quiſq; in adinuentione cordis ſui mali: & induxi ſuper eos omnia verba fœderis huius, quæ præcepi vt facerent, & non fecerunt.

ORATIO Ieremiæ 4. quæ comprehẽditur duobus capitibus conſequentibus 11. & 12. videtur eſſe dicta non ſub pio rege Ioſia, ſed ſub filijs eius impijs. Nam hi à Deo, lege & fœdere eius receſſiſſe leguntur, de Ioſia verò nouimus quòd legem reparauit, & totum populum fœdere cum Deo vniuit. Qualia verò tempora fuerint ſub Ioachas & Iehoiachim, exponit hiſtoria ſacra in 4. lib. Regum cap. 23. & 24. & 2. Paralip. 36. Sanguis innoxius ſanctorum & pauperum crudeliſſimè effuſus à temporibus Manaſſis, & prodigioſus Verbi Dei contemptus in principibus & populo Iuda, grauiſſimè Dominum offenderunt. Grauiter ergo agit cum ipſis Dominus per prophetam. *Quando dicta hæc oratio & qualia tunc tẽpora fuerint.*

Oratio hæc eſt generis iudicialis. Accuſat enim eos defectionis & violati fœderis: interim hortatur etiam ad pœnitentiam. Alioquí ſupplicium graue eſſe paratum, hoc eſt certò vaſtandos fore. Id quod ſola pœnitentia, nullis precibus auertere, neq; vllis ſacrificijs expiare aut eluere poſſint. Commemorat item quid patiatur propter verbi Dei præconium à ſuis in patria ſua hominibus. Tractat mox quæſtionem omnibus temporibus agitatam, Cur malis benè, bonis malè ſit? Concludit tandem ſermonem & pollicetur meliora, adeoq; vaticinatur de reſtitutione Iſraelis ac de vocatione Gentium, euangelium vtcunq; annuncians. Vtilis autem & accommoda eſt hæc oratio noſtris quoq; temporibus ſicuti in tota eius tractatione apparebit. *Summa & ſcopus huius Orationis.*

Titulum pro more ſuo præfigit orationi, Sermonem videlicet eſſe Domini Dei quem per Ieremiam annunciari velit. Mox ſubijcit argumentum totius ſermonis, iterum inculcans nihil hic eſſe ſuum, omnia proficiſci à Deo, à quo ipſe ſit vocatus & huic muneri conſecratus. Commiſſio autem ac vocatio Dei huiuſmodi eſt, Audite verba fœderis huius. Loquitur cum prophetis eius temporis omnibus. Fuerunt certè ſynchroni Ieremię, Sophonias, Vrias, Baruch, & alij procul dubiò viri pij & fideles plures. His omnibus argumentum præſcribit Concionis & totius doctrinæ, Verba videlicet fœderis. Veri enim prophetæ, non hominum commenta, ſed verbum Dei annunciant. De verbis fœderis mox plura dicam. Deinde quibus prædicent indicat & dicit, Loquimini ad virum (eſt enim ſingulare apud Hebræos: non viros) id eſt, ad quemlibet Iudæum, ad ſingulos inquam & ad omnes, loquimini item ad habitatores Hieruſalem. Nam mox dicet Ieremiæ Dominus, Prædica omnia verba iſta in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hieruſalem. Videtur ergo hæc oratio veluti ſtationaria fuiſſe, quam obambulans per vrbem Hieroſolymorum & per omnes vrbes Iuda & per agrum vniuerſum, habuit ad populum. In qua re inclareſcit admiranda Dei bonitas & clementia, qui tametſi homines ſceleribus immerſi ſint, atque ideò digni qui extinguantur iuſtis Dei ſupplicijs, citò tamen admoneri ipſos & ad meliorem frugem reuocari curat per prædicationem verbi. Nemo autem exiſtimet hæc ideò nihil ad ſe pertinere, quòd audiat voces Iuda & Hieruſalem. Etenim teſtatur apoſtolus, quod ſæpe inculco, omnia quæ olim ſunt ſcripta, ad noſtrũm omniũ perti- *Deus prophetæ quid concionetur præſcribit.* *Bonitas Dei reuocantis peccatores ad pœnitentiam.*

nere eruditionem. Cumq; mandatum hoc Dei pertineat ad omnes concionatores, sub finem tamen huius sententiæ singulariter applicatur Ieremiæ prophetæ: sequitur enim, Dicesq; ad eos.

Quid Deus requirat à suo populo.

Consequentibus verò copiosius contexit argumentum & scopum orationis, & repetit iterum ista se dicere ex sententia & verbis Domini Dei Israelis, quò maiorem fidem & authoritatem conciliet suæ doctrinæ præsenti. Summa omnium est, Deum requirere vt audiant omnes faciantq; verba fœderis. Nam negligentes & inobedientes maledictioni esse obnoxios. Proinde vult Deus prædicari populis legem suam & pactum suum, ac annunciari benedictionem omnigenam obsequẽtibus, rebellibus contra maledictionem Dei grauissimam. Et hoc quidẽ est copiosiss. argumentum omnium piarum Cõcionum. Alludit autẽ propheta ad maledictiones Dei, quæ continentur fusè in 27. & 28. cap. Deuteronomij; vndè requiras licet.

Verba fœderis quæ?

Et nunc etiam exponit planissimè quæ intellexerit verba fœderis, ea inquã quę præcepit Dominus patribus ex Aegypto migrantibus per terram desertam in terram Chanaan. Intellexit ergo in primis Decalogum, deinde explicationem Mosis ex ore Dei adiunctam. Lex enim Dei fœdus & pactum & verbum Dei ac fœderis nuncupatur. Interim aspergit his beneficij exhibiti magnitudinem, vt omnes intelligant Deum iure optimo requirere talem ab assertis vel vindicatis obedientiam, Nam liberaui, inquit, de fornace ferrea, extremam significans calamitatem & carnificinam, ex qua eruerit eos Dominus. Alioqui non legimus illos in vllam conclusos fornacem ferream. Vnde & interpretes, Regionem, inquiunt, Aegypti, vocat fornacem ferream, quòd in ea probati fuerint probatione durissima, & in qua seruitutem seruierint ferream, duram, intolerabilem. Et Zuinglius noster in Annotat. suis ad Ieremiam, Dicitur Hebræis fornax ferrea, inquit, sicut Græcis & Latinis ferrea necessitas, id est angustia summa de qua non liceat exire.

Fornax ferrea quid.

Cõpendium vniuersæ legis. Audire.

Colligit præterea, ne quid obscurum esset aut dubium, vniuersæ legis compendium & ait, Audite vocem meam, &c. Primum quidem est auscultare. Quidam etiam audire, quæ dicat Dominus, renuunt. Cæterùm audiendum est, non quidlibet, sed quod Dominus loquitur vel loquutus est in lege sua. Vnde significantissimè dicitur, Audite vocẽ meam. En vocem, inquit, meam, non vocẽ Baalistarum, philosophorum & pseudoprophetarum. Secundum est facere, id est obsequi, nimirum ea quæ iubemur fugere, fugere, & quæ iubemur facere, facere. Ergo nõ satis est audisse, & audita laudauisse. Facere oportet quę audiuimus. Vnde & Dominus in euangelio dixit, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11. & Matth. 7. Sapiens vir audit & facit verbum meum. Et Ioã. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Plura de his require à S. Iacobo ex cap. epist. eius primo & secundo. Vires autem faciendi ex Deo, non ex nobis ipsis, suppeditantur. Iam etiam in faciendo est ratio certa. Vnde disertè dicitur à Domino, Et facite secundum omnia quæ ego præcipio vobis. Deus enim nobis liberum non permittit præceptis eius aliquid vel addere vel adimere, aut alter quippiam quàm ipse præscripsit facere. Facite, inquit, secundum omnia quæ ego præcepi vobis. Nam in lege prohibet ne ad dexteram vel sinistram deflectamus. Peccatur hic plurimum nostro tempore, quo plerique ea faciunt (contra legem Deut. 12) quæ ipsis videntur bona: deinde etsi ea faciant, quæ mandauit Dominus, suis tamen hic quoq; affectibus indulgent nimiùm, dum ea quæ faciunt, non simpliciter ad modum à Deo præscriptum faciunt, sed rursus vt ipsis bonum videtur. Saul fecit quidem quod mandarat Dominus cædẽdo Amalechitas, sed non omnia perfecerat sicuti mandauerat Dominus, vnde & grauiter increpa-

Facere.

Quomodo facere oporteat.

tur à Do-

tur à Domino. De qua re aliâs dixi. Certè qui Deo placere volunt, non tantùm audiant verbum Dei, sed faciant etiam, deinde faciant ita vt mandauit Dominus, non vt ipsis videtur.

His coniungit multiplex bonum promissionemq; variam, in lege vel fœdere copiosissimè alioqui expositam. Si, inquit, ambulaueritis in vijs meis, si meũ verbum & audieritis & feceritis, principiò, Eritis populus meus, adeoq; filij dilecti & hæredes. Quo nihil potest dici maius. Deinde ego ero Deus vester, nimirum pater, Dominus, defensor, & omnisufficientia, adimplens omnia in omnibus. Ita enim in fœdere initò cum Abraham quoq; promisit Genes. 17. & aliâs sæpissimè. Postremò erigam iusiurãdum, id est, præstabo certissimè promissionem quam iureiurando confirmaui patribus vestris, daturũ me vobis terram fluentem sponte lacte & melle. Comprehendit his verbis omnia bona, quæ vocant fortunæ & extra posita, significaturq; illa loquutione vbertas abundantiaq; rerum omnium. Vnde & S. Heronymus, Terram lacte & melle manãtem, inquit, hyperbolicè debemus accipere pro rerum omnium abundantia, vt & illud Matonis in Bucolicis,

Promissiones propositæ obsequentibus.

Terra fluens lacte & melle.

Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum. Et iterum,
Et passim riuis currentia vina repressit.

Adiungit propheta Dei nomine, Sicut est dies hæc: vel, secundum diem hanc. Quæ talis omnino videtur esse loquutio, qualis illa est apud nos vulgata, **Wie es dann am tag ist oder ligt:** id est, sicuti omnibus manifestum est. Significat enim Deus omnia se patribus certissima fide præstitisse: vnde filij colligere deberent, sibi quoq; omnia Dei promissa præstanda fore abundantissimè, si sint pij & timentes Deum.

Porrò interponitur Ieremiæ vox occinentis Domini Dei verbis, Amen: quæ quidem vox respectum habet triplicem. Vel enim respicit ad solennem ritũ maledicendi, quo accinebat maledictionibus plebs Israelitica, Amen. Quoniam verò dixerat Dominus in præsentiarum, Maledictus vir qui nõ audierit verba fœderis huius, &c. subiungit mox Ieremias, approbationem suam, & ait ex more, Amen. Vel certè benè precatur Iudæis, quibus dixerat Dominus se præstiturũ, quod interposito iuramento patribus promiserit. Vnde D. Hieronymus, Dixerat Dominus, inquit, Iurauí patribus vestris, daturum eis terram lacte & melle manantem: sicut rebus ipsis hodie comprobatur, propheta diligens populum suum, occupat vocem Domini, & cupit vera esse & in perpetuum manere quæ data sunt. Vnde ait, Verè Domine implesti quod pollicitus es. Siue, Fiat Domine, hoc est, semper maneat quod dedisti. Hæc ille. Vel respondet Dei mandato propheta & ait, Amen, id est, certò & fidelissimè exequar quod mihi iniunxeris. Hic autem prophetæ affectus doceat omnes ministros quali animo ipsos quoq; oporteat esse præditos, cùm erga Deum in primis, tum erga populum.

Ieremias accelamat Amen Domine.

Consequentibus repetit mandatum suum Dominus, quo mandarat Ieremiæ Verbum Dei prædicaret. Non est autem illa inutilis tautologia, sed necessaria prorsus repetitio, significans Deũ nolle prophetas aliud prædicare, quàm ipsum Dei verbum. Vnde disertè dicitur, Et dixit Dominus ad me, En Domini mandatum est quod sequitur. Quale nam? Prædica omnia verba ista. Vel, Clama, id est diserte & clarè annunciato. Quæ? Quæ mox sequuntur, Audite & facite. De quibus iam abundè dictum est. Quibus autem prædicandum? Ciuitatibus Iuda & Hierusalem. Sed & hæc prius sunt exposita. Repetũtur autem, sicut modò dixi, eadem quæ antea quoq; iniunxerat, vt omnes ministri certò sibi persuasum haberent purum & solum Dei verbum syncerè esse prædicandum. His tamen connectit quod prius non audiuimus, principiò quanta cura & diligentia Deus fœ-

Iterum iubetur prædicare verò ba fœderis.

cerit verbum ſuum annunciari patribus: deinde quàm contumaciter illi ipſi verbum Dei ſpreuerint. Quod autem patrum ſeculo patribus exhibuit beneficiũ, hoc ipſum filijs ipſorum præſtitit nunc etiam. Emphaſim verò ſingularem habet, quòd toto iſto tempore quo ipſos ex Ægypto eduxit, ad ſeculum vſq; Ieremiæ, Dominus curauit ipſis annunciari verbum Dei: quòd manè, hoc eſt, tempeſtiuè (id quod ſumptum eſt à ſedulis patribus familiâs) ſurrexit, & monuit, neque monuit tantùm, ſed & obteſtatus eſt. Repetuntur autem verba illa, Audite vocem meam, iam tertiùm, nimirùm vt in his prorã & puppim veræ obedientiæ conſtitueremus. Singularis verò Dei diligentia, peccatores tanta fide & diligentia reuocantis, declarat nobis nihil eſſe Deo clementius, nihil in conſeruandis hominibus diligentius, &c. Porrò exemplum patrum profert inobſequentium vel rebellium, non ſimplicem ob cauſam. Iudæi enim ſubinde proferebãt exemplum patrũ, Dominus autem oſtendit tale exemplũ non eſſe imitãdum, cum fuerint contumaciſſimi. Deinde vt per contrarium diſcerent, qualem ab ipſis requirat obedientiam Dominus, nimirùm quæ ab exemplo patrum ſit alieniſſima. Nam illi non audierunt, pijs ergo audiendum. Illi non inclinarunt aurem ſuam, pijs inclinanda eſt auris ſpontanea. Illi ſequuti ſunt animi ſui arbitrium, libidinem, beneplacitum & intentionem ſuam, quæ ipſis videbatur bona. De his loquutionibus, antea ſæpe dictum eſt: ergo pijs non niſi beneplacitum Dei eſt ſequendum, calcandæ ſunt propriæ intentiones, omnis inobedientiæ ſeminaria & maximorum peccatorum cauſæ. Si autem exemplum patrum non eſt ſequendum, niſi cum ipſum Dei verbum ſequuntur ipſi, cur tantoperè Patres quidam iactitant & nobis obijciunt? Paulus apoſtolus noluit Corinthios ſe imitari, niſi quatenus ipſe imitaretur Chriſtum.

Deus diligẽter curauit prædicari verbum patribus.

Patres contumaciter ſpreuerunt prædicationem.

Patres nõ ſemper ſunt ſequendi.

Subijcit Dominus, ſe induxiſſe in capita patrum inobſequentiũ omnes execrationes legis. Vnde iam filios ipſorum vult colligere, paria ipſis inobſequentibus obuentura, niſi moribus prauis ad normam legis Dei emendatis, pergant illam & audire & facere. Quæ quidem omnia & ſingula nobis quoq; inculcantur. Dominus det nobis oculos, vt hæc videamus, & vires animi, vt quod vidimus faciundum faciamus, nevnà cum patribus miſerè pereamus. Deus ſit nobis clemens & propitius.

Accuſat iam populum perfidiæ, & minatur interitum, quem non auertere poſſint vllis precibus vel ſanctorũ interceſſionibus.

CONCIO XLIIII.

Et dixit Dominus ad me, Deprehenſa eſt coniuratio in viris Iuda & in habitatoribus Hieruſalem, reuerſi vel relapſi ſunt ad iniquitates patrum ſuorũ priorum qui renuerunt audire verba mea, inſuper illi ipſi ſectati ſunt deos alienos, vt ſeruirent illis: (ſic) domus Iſrael & domus Iuda diſſipauerunt vel irritum fecerũt fœdus meum quod pepigeram cum patribus eorum. Iccirco ſic dicit Dominus, Ecce ego adduco ſuper eos malum è quo eluctari non poterunt: clamabunt̃q; ad me: & non exaudiam eos. Tum ibunt vrbes Iuda & ciues Hieruſalem & clamabunt ad deos, quibus ſuffitum incenderunt, ſed nullo pacto eos ſeruabunt in tempore calamitatis eorum. Siquidem ſecundum numerum vrbiũ tuarum, ô Iuda, fuerunt tibi dij tui, & ſecundum numerum platearum Hieruſalem poſuiſtis aras ad ignominiam, aras ad thurificandum Baali. Tu igitur ne ores pro populo iſto, neq; pro eis ſuſcipias clamorem & ſupplicationem: quia ego non exaudiam eo tempore quo ad me clamauerint & afflicti fuerint.

Prima

PRima orationis parte expoſuit propheta mandatum Domini præſcriptionemq; dictantis vel iubentis Ieremiã annunciare populo verba fœderis, ac prohibere ne imitarentur exemplum ſuperſtitioſorum patrum: iam ſubiungit hac veluti altera orationis parte oppoſitum. Nam iubet acriter ipſos accuſare ac obiurgare, quòd rebelles nedum inobſequentes, verba fœderis diuini audire renuerint, quin vniuerſum fœdus perfidè violauerint, atq; adeò impiſſimũ patrũ exemplum imitati ſint. Verba ſingula acrimoniam & vehementiam habent exquiſitam. Vnde nos diſcimus, paria in populo flagitia non frigidè ſed feruidè vrgere, atq; iuſta ſeueraq; accuſatione inſectari oportere. Hoc enim vult bonus & iuſtus Dominus, qui non vult peccatores interire, ſed conuerti atq; ſanari. *Accuſantur hi dei perfidiæ.*

Rurſus autem & ante omnia repetit, nihil hic eſſe ſuum, ſe non indulgere affectibus, Dei eſſe verba quæ profert. Ait enim, Et dixit Dominus ad me. Proinde qui hæc aſpernatur, non hominem concionatorem, ſed ipſum Dominum loquentem per concionatorem faſtidit atq; aſpernatur. Aſſerit autem crimẽ quod intentat tam eſſe euidens & manifeſtum omnibus, vt nulla inſuper demonſtratione aut probatione ſit opus. Germanicè dicimus, Es hat ſich erfunden: id eſt, compertius eſt quàm negari poſsit. Deprehenſa eſt, inquit, in viris Iuda coniuratio, conſpiratio vel colligatio ac defectio à fœdere Dei & Deo ipſo. Nam Iosias vniuerſum populum conſtrinxerat ac colligarat cum Deo fœdere ſempiterno: ergo cum populus immemor huius fœderis, iam ſectari inciperet deos alienos & recipere cultum peregrinum, rectè dicit Dominus deprehenſam eſſe in populo coniurationem. Accipitur coniuratio in peiorem partem. Nam in republ. coniuratio fit, dum pauci aut etiam complures conſpirant contra legitimum magiſtratum, ac ſibi ſumunt perficiendas res iniquas, pertinentes ad perturbationem vel oppreſsionem iuris, æqui & tranquillitatis. Germanicè appellamus hoc crimen, ſich rotten vnd abwärffen/oder ein pundtſchůch vfwärfen. Referenda ſunt autem hæc ad religionem, & interpretanda ſunt de defectione à Deo & lege vel verbo eius. Nam ipſe Ieremias ſic exponit, & conſequentibus declarat de quánam loquatur coniuratione vel defectione, Reuerſi vel relapſi ſunt, inquit, ad iniquitates patrum ſuorum priorum, veterum inquam. Sed quænam fuit horum iniquitas, vt ſimul colliqueſcat quænam ſit cõiuratio filiorum? Renuerunt audire verba mea. Deinde illi ipſi legis Dei contemptores, ſectati ſunt deos alienos. His ſeruierunt cultibus lege mea prohibitis. Nunc ergo ſubiungit quod ſenſum abſoluit, Sic nunc etiam domus Iſrael & Iuda renuunt audire verbum Dei: ſectantur deos alienos, & ſeruiunt eis. Quæ quidem eſt Deo infenſa iniquitas & perfida illa coniuratio. Cæterùm Dominus membra illa non repetit, ſed pro his omnibus reponit, Diſſoluerunt, diſsiparunt ac irritum fecerunt pactum meum, quod interprete Moſe, cum patribus eorum pepigi, ad Sina montem ac in deſerto. Sicut autem olim domus Iſrael fœdus Dei violauit, vt exponitur 4. Reg. 17. ita nunc quoq; ſub Ioachas & Ioachim regibus Iuda pactũ Domini perfidè præuaricabantur. Diſcimus hinc, Relapſum in deſertam quondam impietatem, ſcelus eſſe nephandum proditoriamq; coniurationem, & quidem coràm Domino Deo. Hodie aliter iudicat mundus. Si quis enim deſerto euangelio, redeat ad pontificiam Romanæ eccleſiæ nuperæ religionem vel potius ſuperſtitionem, dicitur redire in ſinum ſanctæ matris eccleſiæ. Sin deſerta Romana eccleſia, & conſtitutionibus humanis relictis, amplectatur puram euangelij doctrinam, protinus appellatur apoſtata, ſeditioſus, perfidus, deſector & hæreticus atque ſchiſmaticus. Cæterùm non ita iudicat & iudicare docet verbum Dei, ſed hoc potius tradit, apoſtatas & coniuratos reuera eſſe, qui deſerto verbo Dei & rupto fœdere diuino, pluris faciunt conſtitutiones homi- *Verbum Dei eſt quod annunciãt prophetæ.* *Coniuratio cõtra Deum.* *Patrum rebellio.* *Recidiuũ grauis ſcelus.* *Apoſtata.*

Sæpe in erro-res ſemel reli-ctos relapſi ſunt veteres.

num, inſtitutaq; à verbo Dei aliena recipiunt. Sæpè verò hoc ſcelere nephandò ſe polluerunt Iſraelitæ, & ab antiquis quidem temporibus vituperantur hoc nomine à prophetis & lege diuina. Audierant ex monte Sina ipſum Dominum Legem ſuam promulgantem, iubentemq; inter alia, cauere ne ipſum vlla exprimere conarentur imagine. Cęterùm paucos poſt dies, abſente Moſe, imagine vituli comedentis fœnum, maieſtatem diuinam adumbrare contendunt. Poſt mortem Ioſue & ſeniorum, iuniores legum operumq; Dei immemores, accommodant ſe in moribus atq; religione gentibus vicinis. Nec leuiter nec rarò, ſed grauiſsimè & perfrequenter ſub Iudicibus relabuntur ad errores agnitos. Ita ſæpiſsimè factitarunt ſub regibus Iſraelis & Iudæorũ. Ac in nouo etiam Teſtamento Chriſtus, Petrus atq; Paulus prędixerunt defectionẽ eccleſię. Atqui defecerunt mox ab initio plurimi ſectantes hæreſes atq; hæreticos, & in poſtremo hoc ſeculo noſtro, adde & aliquot præcedentibus ſeculis, adhæſerunt antichriſtianiſmo. Quã fœdum verò ſcelus ſit relabi in errores priſtinos & ſemel depoſitos, exponit nobis Dominus apud Matthæum in parabola eius qui liberatus à dæmonibus, rurſus occupatur negligens à ſeptem dæmonibus longè nequioribus. Legatur parabola apud Matth. in cap. 12. Sed & ſanctus Petrus in 2. Epiſt. 2. cap. perhibet multò eſſe ſatius nunquam intellexiſſe veritatem, quàm hac intellecta relabi rurſus ad mendacium & impietatem. Fœdas ibi profert, ſed accõmodas rei fœdiſſimę, parabolas vel ſimilitudines, petitas ab immundis animantibus cane & porco, quorum ille reſorbet vomitum proprium, hic verò ablutus flumine, volutat ſeſe iterum in volutabro cœni. Ac videmus hodie gentes, regna & homines defectores ab euangelio, omnigena nequitia ſuperare conſceleratiſsimos alioqui nebulones. Orandus ergo eſt Dominus, ne nos in errores ſemel deſertos ſinat recidere, ſed confirmet in agnita veritate.

Pœna recidiui.

Enormi peccato pœnam adiungit conſequenter & ex more enormẽ grauiſſimamq; & ait, Iccirco cum ad vomitum recurrant, & à propoſito nephando abduci non poſsint, inducam ſuper eos malum, infortunium atq; calamitatem extremam, è qua nequeant emergere. Intelligit autem bella, fames, peſtes, excidia vrbium, & Hieroſolymorum obſidionem pertinacem, captiuitatem & perniciem miſerrimam. De qua mox plura dicet ſub parabola florentis oleæ.

Ad preces & ſacra recurritur tempore calamitatis.

Addit aliud multò horribilius, quo interim exponit, quomodo non valeant ex miſeriis eluctari, dicens, Clamabunt ad me, &c. Etenim in diſcriminibus ſolent homines recurrere ad preces vel ſupplicationes, deinde ad expiamina ſacrificiorum. Cæterùm in præſenti denunciat Dominus, ſe neq; preces acceptarum, neq; ſacrificiorum vllam habiturum rationem, ſed quod inſtituit ſupplicium, de ipſis ſumpturum. Ita, inquit, non emergent vnquam ex barathro calamitatum. Principiò agit de precibus, quas oſtendit irritas fore: deinde loquitur & de Sacrificijs ipſorum inefficacibus. Preces ſunt duplicis generis: vel quas ipſi pro nobis ipſis offerimus: vel quas alij intercedentes pro nobis offerunt. Preces autem noſtras principiò Deo offerimus, qui cum non audit eas, conuertimur mox ad creaturas, vel ad diuos. De his primo, deinde de interceſsionibus agit Ieremias, Deum inducens loquentẽ cum eis. Principiò dum malis omnigenis immerſi fuerint, dicit Dominus, ad me clamabũt pro liberatione & aſſertione: ſed non audiam, non eripiam ipſos. Non audit autem Deus, eos nimirum qui nõ inuocant Dominum in veritate, ex fide, dilectione & pœnitentia, ſed ex hypocriſi. Deprecantur quidem malum, ſed vt porrò liceat verſari in voluptatibus. Dolent & clamant, non quod offenderint Dominum ſceleribus, ſed quòd mallent commeritis liberari ſupplicijs & prorſus non affligi. Alioqui inuocantes in veritate, audit Dominus. Et hoc alterum eſt genus orationis. Sequitur iam alterum.

Irritæ erunt preces.

Porrò

Porrò cum homines mundani ac infideles, Deum inuocantes ex hypocrisi, non sentiunt ad clamores suos vllum Dei auxilium, conuertuntur mox ad alienos deos & ad alia præsidia, etiam impia & à Deo prohibita: sicuti & Saul fecisse legitur, qui cum nullum haberet à Deo oraculum, conuersus scisscitatum abijt ad Pythonissam, per cuius ministerium diabolum sub Samuelis imagine audire meruit, qui Deum, sæpissimè monentem per ipsum Samuelem verum, contempsit. Sequitur ergo in Ieremia, Tum ibunt vrbes Iuda, &c. Sequuntur horum exemplum hodie innumeri, qui cum leuiter, hoc est, semel & iterum aut aliquoties requirunt Dei auxilium, & non ita vt volunt anheli præsentem opem sentiunt, protinus ad illicita conuertuntur. Ita hodie multi consulũt aruspices, magos, pythones, sagas, & quidẽ in periculis suis, in morbis diuturnioribus. Neq; enim mundo immundo desunt, qui dicũt, Si sathanas me posset restituere, beneficium hoc ego reciperem, licet interim in ipsum diabolum credere nollem. Cæterùm impia hæc & abominabilia sunt. Diabolus maleficus est, non beneficus. Perseuerandum est enim in fide & spe, per patientiam, neque quicquam recipiendum quod lege vetitum est aut proficiscitur ab hoste generis humani, &c. Iudæi cum Dei auxilium non sentirent, humiliassent se & perseuerauissent in precibus ad Dominum: sicuti & singuli nostrum in varijs nostris afflictionibus facere iubemur, ac cum viro Dei clamare, Si placeo Domino Deo nostro, sunt illi vires liberandi me: si non placeo, si ille vult his me malis exercere, age præstò sum, conferat is modò mihi suam gratiam, vt patienter feram iugum eius. Sed Iudæi non perseuerabant in iustis precibus. Etenim præterito Deo semel & iterum inuocato, supplicabant dijs suis peregrinis, Baal, Dagon, Molech & similibus. Ita hodie innumeri faciũt, à Deo vero ad diuos deficientes. Vbi iterum causa ostenditur, cur Iudæi puniantur, & cur non exaudiantur à Domino, quia insynceri imò idololatræ sunt. Ostendit præterea vanum esse cultum & inuocationem diuorum. Saluando enim non saluabunt eos, inquit, in tempore afflictionis. Solus enim Dominus seruare potest & perdere. Loquutio est autem, Saluando non saluabunt eos, id est, nullo pacto saluare poterunt. Simul verò acriter inuehitur in enormem ipsorum idololatriam, dicẽs, Siquidem secundum numerum vrbium, &c. Sed & Aras ipsorum appellat aras ignominiæ (schandaltãr) quę scilicet pertinebant ad ignominiam. Nam & Deum in his ignominia afficiebant, & semetipsos perfundebant confusione fœdissima, dum in eis suffitum incenderent Baali. Baal nominat, & omnes deos fictitios, medioxumos, lares, tutelares, auxiliares & falsos subintelligit. Venit deinde Ieremias ad supplicationem vel intercessionem sanctorum synceram, quam tamen etiam reijcit. De qua in præsenti, vt & de alijs coniunctis, nihil amplius dicam, quòd de omnibus his disseruerim copiosius cap. 2. Concione 8. & cap. 7. Concione 29. Domino Deo nostro sit laus & gloria. Amen.

Conuertuntur homines in difficultatibus ad illicita.

Are confusionis.

Ostendit Iudæos ne sacrificijs quidem auertere posse exitium, quod & sub parabola oleæ arboris adumbrat.

CONCIO XLV.

Quid (negotij) est dilecto meo in domo mea, cum faciat ipsa abominationem in multis? Et caro sanctuarij transire faceret à te? & tu cum male facis exultas. Oleam frondosam pulchram & fructu speciosam vocauerat Dominus nomen tuum: sed ad vocem magni tumultus accendit ignem ad eam, & fracti sunt rami eius. Dominus enim exercituum, qui te plantauit, loquutus est con-

tra te malum, propter malitiam domus Israel & Iuda, quam sibi designarunt, irritando me, dum faciunt ipsi Baal incensum.

Sacrificia non liberatura ex malis impendentibus.

POst preces ipsorum refutatas, venit iam ad sacrificia Iudæorum confutanda. Sperabant his se Iudæi placaturos Dominum: sed propheta ex ore Dei loquens & reijciens ipsa, nihil hic profutura asseuerat. Variè autem hic locus prophetę exponitur ab interpretibus. Alij referunt ad Deum. Quasi dixerit propheta, Quid obsecro faceret vnicè dilectus mihi Deus, in templo, posteaquam nulla vspiam pœnitētia apparet, sed magis scelerum multiplicatio? Sed ita malè congruit quod Ieremias templum vocat suum templum, seu suam domum. Alij verò existimant Deum hoc loqui de propheta, ac dicere, Quid porrò vnicè mihi dilectus Ieremias in templo meo ageret, cum nemo cogitet de emendatione, sed multiplicatione potius scelerum? Quid si intelligamus Deum loqui per Ieremiā ad populum suum ac dicere? Si qui sunt amici mei adhuc in hoc populo, cur obsecro templum ingrediuntur? an vt rebelles meos liberēt ab impendentibus malis? Frustra sanè ingrediuntur in domum meam. S. Hieron. sicuti mox dicemus, exponit hæc simpliciter de Iudæis præuaricantibus, & non de Dei purioribus cultoribus. Ratio adijcitur, cur frustra ingrediantur templum, Cum faciat ipsa, nimirum domus, vel ipsi potius qui sunt in domo, abominationem, idq; nō simpliciter, sed variè & multipliciter, cùm in ipso templo facientes ea quæ tot prohibui legibus, tum extra templum flagitia accumulantes sceleribus. Nullus ergo cœtus etiam iustorum coeuntium ad sacra in templū, liberauerit nebulones illos idololatras & rebelles atq; omni flagitiorum genere madentes. Id ipsum antè quoq; dictum est à Ieremia in cap. 7. & ab Isaia in cap. 1. Constat ergo impios à pœnis liberari non posse, etiamsi dilecti vel amici Dei in templum ad sacra venientes perficienda causam illorum agant. Nam Deus requirit pœnitentiam, & odit ex animo, si impij impiè confidentes operibus aliorum bonis, ipsi interim in omni scelerum cœno sese prouoluunt, & in flagitijs iterandis, ac in omni malitia semetipsos superant. Eam inquam abominationem non fert Dominus.

Boni malos liberare non possunt, si ipsi pergant esse mali.

Sacrificia non tollunt peccata & pœnas peccatorum.

Significantius verò sacrificia oblata ab hominibus sine fide & pœnitentia rejicit, & cum admiratione ceu de re absurdissima dicit, Et caro sanctuarij, vel carnes sanctitatis, transire facerent à te? Id est, An putas sacrificia ablatura à te peccatum atq; peccati supplicium vel pœnam? Minimè fiet. Nō abluitur peccatum bubula aut ouilla carne, neq; remittitur pœna propter sanguinem hircorū effusum. Sanguis Messiæ abluit peccata, & fides in ipsum, tolletq; Deus è medio intentatas calamitates, si viderit nos veram agere pœnitentiam & sacrificare nosmetipsos, hostiam viuam, sicuti docent prophetę & apostoli. Alij legunt, Et caro sanctuarij transibit à te: id est, hostia ita offeretur à te, vt veluti transire nihilq; vtilitatis aut efficaciæ videatur tibi relinquere. Breuiter, Sacrificia tua nihil tibi proderunt. Additur iterum causa, cur nihil profutura sint sacrificia ipsorum. Et tu malè agis atque in hoc ipso exultas. Non doles de commissa idololatria & de sceleribus conduplicatis & repetitis, imò putas te non peccare: gloriaris in peccatis tuis & exultas in ijs, propter quę debueras dolere. Vetus interpres hūc versum ad sensum nō malè sic vertit, Quid est quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Nunquid carnes sanctę auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Et S. Hieronymus qui hanc lectionem sequitur hunc locum sic exponit, Dilectum & amantissimum vocat populum Iuda, qui in templo eius posuit & veneratus est idola, & in eo putat se iram Dei placare, si multas hostias immolet, & gloriatur in sacrificiorum multitudine, quæ malitias peccatorum auferre nō possunt. Lutherus ita vertit, Was habend mine fründ in minē hus zū schaffen?

schaffen: sy trybend all boßheit / vnnd meinend denn das heilig fleisch sölle es von jnen nemmen: vnnd wenn sy übels thůnd/so sind sy güter dingen darob. Poterat sic quoq; verti, Was thůt min fründ in minem huß? so es doch in vilen grewel begadt. Sölts dann das heilig fleisch von dir nemmen: vnnd frolockest aber in dinem übelthůn. Et certè indignum est cogitare de Deo, quod accepto frusto carnis, aut munere quopiam perituro redeat in gratiam cum nebulone, qui nihil cogitat de pœnitentia. Grauissimum denique coràm Deo peccatum est, in peccatis commissis exultare & gloriari: quod tamen nostro sæculo est vulgatissimum.

Consequenter ergo de pœna, de qua superius loqui cœperat, copiosius disserit, & parabolam proponit, qua non tantùm obiicit oculis contuentium exitium certissimum, sed insuper ingentia ipsis collata beneficia. Est autem typus regni & populi felicis Olea, sicuti & Psal. 72. & 128. In Daniele quoq; cap. 4. sub imagine arboris frondosæ & maximæ pulcherrimæq; adumbratur maiestas regis Nabuchodonosoris. Cognita est etiam arbor ficus in itinere â Bethania versus Hierosolymam maledicta à Domino, apud Marcum in 11. Loquutio est autem, Dominus vocarat nomen tuum oleam viridem & pulchram, pro eo quod est, Dominus voluit te similem esse oleæ aspectu speciosissimæ, id est instituit vt esses regnum florentissimum. Quoniam verò homines huius regni, Deo ingratos se exhibuerunt, deiecit arborem omnemq; huius regni gloriam. Mirificè autem depingit casum vel interitum regni, vel gentis Iudaicæ. Fingit enim magnũ tumultum strepitumq; exortum, atq; simul ignem excitatum ad vel circum arborem. Intelligit autem exercitum Chaldaicum, magno cum apparatu venientem & obsidione cingentem mœnia Hierosolymorũ. Deinde paucis verbis haurit & absorbet omnem regni maiestatem, dicens, Et defracti sunt rami eius. Rami erant ciues, opes, apparatus, potentia & vniuersa regni gloria. Ea defracta cecidit. Hæc pœna est perfidiæ.

Pœna exponitur.

Rationem facti huius diuini subiungit propheta, exponens superiorem parabolam & ait, Dominus enim exercituum qui te plantauit, &c. Dominus, inquit, suo in te iure vtitur. Ab ipso es, quicquid es, ipse tibi benedixit, ac prædixit se maledicturum etiam tibi, si pergeres ipsi esse rebellis & ingratus. Tu verò domus Iuda, sicut antea fuit domus Israelis, maligna & malitiosa es cõtra Deum beneficum: proinde optimo iure malam, id est tibi calamitosam & pernicioſam contra te pronunciauit sententiam, vt scilicet ab hostibus capiaris & miserè intereas. Hanc eandem hodie quoq; pœnam expectent, qui in similibus peccatis cum Iudæis communicant. Obseruanda est hic loquutio, Malitiam sibi designarunt, id est in suam ipsorum perniciem fecerunt quod fecerunt. Omissis autem peccatorum generibus omnibus repetit cultum Baalis: quo se dicit irritatum vel prouocatum ad iram, id quod vehementius est, quàm si dixisset se fuisse offensum. Certè qui toties ex verbo Dei audit, Deum solum coli velle, nec tamen solum colit, sed diuos tutelares etiam vnà cum Deo colit, Deum verissimè irritare a cad iracundiam dicitur prouocare. At apostolus ad Corinthios, loquens de re vehementer abominanda, An prouocabimus Dominum? inquit, Num fortiores illo sumus? Adoremus ergo & colamus vnicum & æternum Deum in filio eius Iesu Christo, qui vnus omnia habet, omnisufficientia & fons est omnium bonorum & inexhaustus & largissimus. Cui soli gloria in sæcula sæculorum.

Deus iure prodit quos perdit

Narrat quas Anathothitæ Ieremiæ insidias struxerint, quomodo has ei retexerit Deus, & quomõ sanguinarios puniturus sit.

CONCIO XLVI.

Et Dominus exercituum indicauit mihi, & cognoui, tunc ostendisti mihi studia eorum. Ego verò sum sicut agnus mansuetus, qui ducitur ad lanienam, nec cognoui quòd tales contra me cogitationes cogitassent. Corrumpamus lignum in panem eius, & excindamus eum è terra viuentium, vt nominis eius nulla amplius fiat memoria. Sed ô Deus exercituum iudex iuste, qui exploras renes & cor, videam vindictam tuam de eis, quia tibi reuelaui causam meam. Iccirco sic dicit Dominus de viris Anathoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt, Ne prophetes in nomine Domini, ne moriaris in manibus nostris: iccirco sic dicit Dominus exercituum, Ecce ego visitabo eos, & morientur iuuenes gladio, filij autem & filiæ eorum morientur fame, & residuum non erit eis: quia inducam malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum.

Argumentum huius loci.

NArrat Ieremias quas sui ciues Anathothitæ ipsi parauerint, idq; propter veritatis præconium, insidias. Hæc autem commemorat, vt ipsorum peccata & protrahat & arguat, atq; adeò ostendat enormibus sceleribus ipsos in se incitare grauissimam Dei iram, per quam tandem iustissimè excindantur, sicuti minatus est proximè præterita concione. Grauissimum est autem hoc scelus quod iam ipsis impingit. Etenim liberauerat populum Dominus, opera Iosiæ, à fœdis abominationibus, ipse verò à morte Iosiæ reuertebatur ad vomitum. Ac ne sic quidem excindebatur à Domino Deo. Nam hic mittebat ei Ieremiam, qui reuocaret ad pietatem ab idololatria & omnigena impietate. Cæterùm populus facinoroſus adeò non emendabat vitam suam corruptissimam, vt iam etiam monitores prophetas ferre nollet, ipsisq; intentaret extremum supplicium ni tacerent. Hoc autem est enorme in oculis Domini flagitium, nimirùm ad admonitionem paternam non tantùm non emendari, sed insuper monitores nolle ferre, sed insuper & persequi & trucidare. Vulgatissimum verò hoc nunc esse videmus apud Imperatores, Reges & potentes, adde & apud vulgares & nullius existimationis homines: & quod peius est, apud Pōtifices, Episcopos, prælatos & beatos illos, si dijs placet, patres. Quam enim ob causam hodie multi in Germania, in Gallia, in Italia, in Anglia & cæteris regnis nationibusq; tolluntur ferro & igni è medio, nisi quòd tacere nolunt, sed veritatem liberè annunciant? quam sicut isti ferre non possunt, ita præcones veritatis trucidant. Quasi his interceptis, licenter & pro libidine porrò ipsis liceat voluptuari. Sed audiemus excidium paratum esse huiusmodi hominibus rebellibus omnibus, & quidem certissimū.

Nolle monitores audire.

Triplex huius loci vsus ac applicatio.

Variè autem hic locus tractatur ab interpretibus. Ego simplicissimè triplicem eius vsum esse arbitror. Principiò enim ad literam exponendus est de Ieremia: qui sanè sensus maximè genuinus est. Deinde applicari potest etiam Christo saluatori, cui typū Ieremias prætulit. Neq; hic sensus aliunde deducitur, quā ex priore, qui nisi planus sit & certus, incertissimus erit posterior ille allegoricus. Postremò cum ea quæ Christi capitis sint communicentur etiam membris Christi, hoc est Christi fidelibus, congruunt hæc quoq; omnibus pijs, in primis verò verbi Dei ministris, qui hinc liquidè discunt, quid ipsi quoq; expectent, si fideles in suo munere fuerint, & quomodo se gerant in huiusmodi tētationibus ac periculis: fortiter inquam ferant ea, Deo bene fidant, ipsum inuocent, eiusq; assertionem expectent. Ordine autem admodùm luculento vtitur. Primò enim narrat sibi diuina reuelatione ostensas vel retectas esse insidias, quas ipsi struxerant contribules & ciues eius Anathothitæ. Mox subiungit quales fuerint istæ

Ordo huius loci.

ipsorum

ipſorum inſidiæ & conatus truculenti. Addit deinde quomodo ſe & cauſam ſuam precibus commendauerit Domino Deo. Poſtremò inſidiatoribus ſanguinarijs & truculentis latronibus grauia Dei denunciat iudicia. Atque in his veluti in ſpeculo lucidiſſimo cernere licet omnes fidelium miniſtrorum Chriſti labores, & ingrati, impœnitentis ſæuiſſimiq; mundi deploratam planè infelicitatem, imò ſtupendam impietatem, ſcelera peccatis quotidie accumulãtis, deinde verò quaſi hoc parum videatur, omnem fidelem admonitionẽ repellentis, & cœdibus fidem prophetarum rependentis.

Deus reuelat homini vtilia, & docet quomodo mala declinet.

Dicit ſibi à Deo reuelatas eſſe inſidias ſuorum ciuium, quas tum primùm intellexerit cum Deus indicauit, ſignificans hoc loquutionis genere, nunquam ſe obſeruauiſſe iſtorum inſidias, neque animaduertiſſe, niſi maturè præmonuiſſet Dominus. Sequitur enim mox, Nec cognoui quòd tales contra me cogitationes cogitaſſent. Miſeri ergo ſumus homines & omnibus expoſiti periculis, quæ quidem noſtra ſapientia aut prudentia neq; animaduertere neque cauere poſſumus, ſi Dei deſtituamur prouidentia, admonitione auxilioq; paterno. Atque Deus pro humano genere vigilat, nuſpiam hoc negligit, vbique autem ſalutem ipſius procurat, in tempore monet, & ex grauiſſ. periculis liberat. Si verò periculi tantem nec præmonet nec liberat, cogitare debemus, Deum quidem non ignorare nos, neq; ſalutem noſtram negligere, ſed velle vt exerceatur noſtra patientia, velle vt his malis liberati, ad ipſum transferamur in ſedes beatas, &c. Sicut autem Ieremiæ apertæ ſunt inſidiæ ſtructæ ei à ſuis contribulibus: ita legimus in euangelio ſaluatorem noſtrum ſæpe conſilia aduerſariorum ſanguinaria præuidiſſe & declinaſſe. Sæpiſſimè enim ex vrbe deſcendit in Galilæam. Et Ioannes, *Ioan. 2.* Ipſe, inquit, Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eò quod ipſe noſſet omnes, nec opus haberet, vt quiſquam teſtaretur de homine. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Legims autem in ſcripturis ſanctis, fidelibus frequentiſſimas eſſe factas admonitiones, liberatoſq; etiam eſſe ex impendentibus malis. Nota eſt hiſtoria Helizæi, iubentis oſtia domus obſerare contra regem parricidam. 4. Regum 6. Sæpe in Euangelio & Actis apoſtolorum maturè admonentur pij Dei cultores, vt ſibi ab inſidijs hoſtium caueant. Monet autem Deus aliquando per occultam ſpiritus inſpirationẽ: aliquando per angelos, & per inſomnia: aliquando autem per homines. Oraculo & inſomnis intelligunt Magi orientales, ſibi non eſſe redeundum ad Herodem. Ioſeph quoq; intelligit puerum, cuius vitę in *Matt. 2.* ſidiabatur Herodes, in Ægyptum eſſe tranſportandum. Ab angelis ſæpe admonetur rerum maximarum apoſtolus Paulus, qui etiam per nepotem ſuum ex ſorore intellexit Iudæorum inſidias ſibi paratas, quas & Lyſiæ tribuno detexit, Actorum 23. Bene ergo fidamus Domino Deo noſtro vigilanti pro nobis, ſcienti item omnia etiam arcaniſſima hoſtium conſilia, commendemus illi cauſam noſtram, & faciamus interim ſedulò noſtrum officium, nihil metuentes quid faciant nobis truculenti homines. Sumus ſemper in manu Dei omnipotentis.

Exponitur quales inſidias ſtruant impij pijs.

Iam verò quales fuerint illæ inſidiæ exponit & quidẽ elegantiſſimè. Ego qui dem cum fideliter illos docerem & ipſis ex animo optimè vellem, cogitare non potui iſtos truculenta in me contexere conſilia, ac benefico male gratos fore, ſed iſti mea illa ſimplicitate & credulitate ſunt abuſi. Nam nihil tale cogitãtem, intercipere & me neci tradere ſtatuerunt. Addit parabolam vel cõparationem, indignitatem rei indicantem, & commiſerationem commouentem. Perinde vt innoxium ac manſuetum agnum me in lanienam trahere ac mactare inſtituerunt. Alij pro manſueto vel manſuefacto legunt bos. Ego autem ſicut agnus & bos, qui ducitur ad mactandum. Requirit ergo hic locus innocentiam à miniſtris & omnibus pijs, vt inquam ſint manſueti, ſimplices ac integri. Congruunt

autem ista ex typo & figura Christo, qui agnus est innocens oblatus pro nobis ad sanctificationem redemptionemq; omnium fidelium. Nam prefiguratus fuit in agno paschali, in agno item qui iugiter vel quotidie offerebatur in lege. De quo Isaias quoq; dixit, quod & Philippus in Actis apostolicis repetiuit, Tanquam ouis ad occisionem ductus est, &c. Exponunt autē hæc ipsi apostoli Christi, Ioan in ca. 1. Petrus 1. Pet. 1. Paulus 1. Cor. 5. Ergo sicut Ierem. insidijs est circumuentus eorum quibus inseruiebat ad salutem, sic etiam Iudei redemptorem & Messiam suum traxerunt ad Golgatha, & ibidem cruci affixum mactauerunt. Appellantur autem in scripturis sanctis fideles quoque oues vel ouiculæ, sicut claret Matt. 10. & Rom. 8. Sicut ergo Christus ad lanienam est protractus, ita fideles eius quotidie deposcuntur ad supplicia atque tormenta: hæc verò est sors sanctorum.

Mittamus lignum in panem eius.

Præterea commemorat per Mimesim ac exprimit verba impiorum consultantium & concinnantium necem innoxio prophetæ. Dicunt enim, Corrumpamus lignum in cibum eius. Alij verterunt, Perdamus ligno panem eius. Vetus translatio habet, Mittamus lignum in panem eius. Luth. paulò longius à verbis recessisse videtur, qui vertit, Laß vns den boum mit den früchten verderben. Poterat enim verti ad verbum, Lassend vns holtz (jm) ins brot bräcken oder legen. Nam solet lignum in spinas cōfringi, & pani (qui ponitur pro quouis cibo) imponi aut immitti, vt faucibus vel stomacho infigatur, & vescentem præfocet aut perimat. Sensus ergo est, Intercipiamus vitam eius pane vel cibo. Pro quo nos dicimus, Lassend vns jm ein Wälsches süppli zürüsten. Iudæi & nonnulli alij per lignum, toxicum, quod nonnulli à taxo deriuant, intelligunt. Et Ionathan hunc locum vertit, Immittamus venenum mortiferum in cibos eius. Breuiter, Consultarunt ipsum propinato veneno, aut alia aliqua ratione occidere. Sequitur enim in verbis prophetæ perspicua expositio, Et excindamus eum è terra viuentium, id est tollamus eum è viuis. Ergo lignum in panem mittere, aliud non est quàm tollere è viuis, id est interficere. Ad crudelitatem illud pertinet, quod nolunt vllam nominis eius à morte extare memoriam. Sic hodie quoque hostes euangelij famam sanctorum vel fœdare vel penitus abolere conātur. Sed falluntur prorsus. Nam historiæ omnium temporum contrarium ostendūt: sed & propheta Dei dixit, In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit, &c. Psal. 112.

Prophetia de Christo crucifigendo.

Non dissimulabo hic quosdam vertere hunc locum, Ponamus in ligno panem eius, & sensum reddere, Crucifigamus corpus eius: ideoq; contendere de Christo hæc non de Ieremia intelligi oportere. Certè S. Hieronymus, Omnium ecclesiarum, inquit, iste est consensus, vt sub persona Ieremiæ à Christo hæc dici intelligant, quòd ei pater monstrauerit quomodo eum oporteat loqui, & ostenderit illi studia Iudæorum, & ipse quasi agnus ductus ad victimam, non aperuerit os suum, & non cognouerit, subauditur, peccatum. Iuxta illud quod ab apostolo dicitur, Qui cum non cognouisset peccatum, pro nobis peccatum factus est: ac dixerint, Mittamus lignum in panem eius, crucem videlicet in corpus saluatoris. Ipse est enim qui ait, Ego sum panis qui de cœlo descēdi. Et eradicemus siue conteramus eum de terra viuentium. Hoc enim scelus animo cogitauerūt, vt nomen eius delerent in perpetuum. Hæc ille. Siue verò Anathothitæ instituerint in panem vel cibum eius ponere vel corrumpere (spꝛydlen) lignum vel spinas (spyssen) aut venenū: siue voluerint in panem eius ponere lignum, aut conuerso loquutionis genere, corpus eius ponere in lignum, id est extendere in crucem, semper in idem recidit sensus. Nam instituerunt Ieremiam vel veneno vel cruce tollere. Sed quod modò diximus, hunc posteriorem sensum de crucifixione adaptat

ne adaptat ſoli Chriſto non item Ieremiæ Hieronymus, cum tamen & Ieremiæ congruat ſuo modo. Competunt item hæc non tantùm Ieremiæ & Chriſto, cui Ieremias prætulit typum, ſed omnibus membris Chriſti, quibus ſanguinarium truculentorum perſecutorum ſtudium ne hodie quidem deſinit necẽ ſtruere. Verè enim ex Pſalmis dixit apoſtolus, Propter te morti tradimur tota die, habiti ſumus veluti oues deſtinatæ mactationi. Et quotidiana quidem experientia euincit iſta eſſe veriſſima & compleri quotidie. Rom. 8.

Porrò preces ſubiungit propheta, quibus cauſam ſuam commendat Deo, petens videre vindictam quæ ſumatur tandem iuſto Dei iudicio ab hoſtibus. Vnde diſcimus in inſidijs hoſtium grauibuſq; periculis, inuocare diuinum auxilium, Deoq; veluti parenti & aſſertori vnico commendare ſalutem noſtram. Cuius quidem rei innumera exempla habemus in Pſalmis, & plurima in hiſtoria euangelica & apoſtolica. Iſti quidem hoſtes mei, ait Ieremias, me nihil tale cogitantem cædere volunt, ſed ne deſeras me, ô Deus, aſſere & vindica me. Rationem ſubijcit, Quia tibi reuelaui vel commiſi cauſam meam. Promiſit enim fidelibus certiſſimum auxilium Deus, ſi præteritis omnibus in hoc mundo præſidijs ab ipſo ſolo pendeamus, & ipſi nos totos committamus, vni ſalutem noſtram commendantes. Ieremias ergo, Aequum eſt, inquit, vt me aſſeras: quia tibi reuelaui cauſam meam. Nos dicimus, (Min ſach vnd all min anligen hab ich dir befolhen vnd übergäben. Et cui obſecro tutius cauſas noſtras omnes, quàm Deo noſtro commiſerimus? Hic enim eſt Deus exercituum, omnipotens ille, qui imperium merum in omnes creaturas habet, & his pro ſuo vtitur arbitrio, vt reges ſuis exercitibus. Hic eſt iudex iuſtus, qui neminẽ fraudat, nemini iniuriam facit, omnibus ſuum illud tribuit, neminem negligit, omnes iniquos maturè punit. Hunc nihil latet, nouit & videt omnia. Nam ſcrutatur renes & corda hominum: id eſt, perſpectas habet omnes omnium hominum cupiditates, voluntates, affectus, conſilia, inſtituta adeoq; & reconditiſſima ſecreta. Et vt ſolus nouit corda hominum Deus, ita ſolus conſulere rebus noſtris poteſt, etiam in quibuslibet caſibus. Quomodo autem pij expetant vindictam, aut vindictam de hoſtibus ſumi à Deo cupiant, nuper in hiſce meis concionibus & dudum in Apocalyp. Ioan. expoſui. S. Hieronymus hæc Chriſto ſic aptat, Sed è contrario iuxta aſſumpti corporis ſacramentum loquitur filius ad patrẽ, & imprecatur iudicium eius dum laudat iuſtitiam, & inſpectorem renis & cordis inuocat Deum, vt ipſe reddat populo quod meretur, & dicit, Videam tuam vltionem ex eis: eorum videlicet qui in ſcelere perſeuerant, & non eorum qui vertuntur ad pœnitentiam. De illis ait in cruce, Pater ignoſce illis, quod enim faciunt neſciunt. Reuelatq; patri & aperit cauſam ſuam Quia nullo ſuo merito, ſed ſcelere populi crucifixus eſt, dicens, Ecce venit princeps mundi huius & inuenit in me nihil. Hactenus Hieronymus. Orat iam propheta.

Poſtremo loco commemorat propheta pœnas vel ſupplicia parata à Deo crudelibus illis inſidiatoribus & latronibus. Repetit autem denuo cauſas malorum, ne quis ſuſpicaretur Deum crudelem ſumere ſibi voluptatem ex miſerorum ſupplicijs. Oſtendit ergo illos quos punit Deus, mereri pœnas tales neque vlla dignos venia. Nam quærunt, inquit, animam tuam. Pro quo nos dicimus, Sy ſtellend dir auff din läben. Beneficum cędere volunt nihilq; mali meritum, indigni ſunt ergo qui viuant. Addunt huic ſceleri aliud, non minus enorme. Deus iuſſit prophetam prædicare in nomine Domini: iſti verò prohibent & dicunt, Ne prophetes, iſt eſt concionari pergas, vt conſueuiſti hactenus, niſi in noſtris velis interire aut perimi manibus. Loquutio eſt apud nos quoq; vſurpata, Sen fyenden grad vnder jren händen ſtärben. Quo ſignificamus interire ali- Pœnæ præparatæ rebellibus, & ſanguinarijs.

quos & festina & crudeli morte. Minabantur ergo prophetæ atrocissima quęq; & mortem certissimam atque crudelissimam, nisi concionari desineret. Hoc ipsum Christo Domino obuenisse testantur euangelistæ, ac inter alios Ioan. in ca. 7.8.10.11. & aliâs. Hodie nihil est frequentius, quàm quærere animas concionatorum ad necem. Nihil est crebrius quàm tyrannicis vel Diocletianicis edictis prędicationis euangelicæ cursum interturbare ac sistere prorsus. Sunt tamẽ hic nobis considerandi modi prohibendi varij. Alij simpliciter nolunt sibi annunciari verbum Dei, quod hæresim ac nouam doctrinam impudenter appellitant. Alij, Verbum Dei inquiunt, quis prohibeat prædicari? At cohercenda est hic concionatorum licentia. Volumus ergo annunciari nobis verbum Dei, sed ad sensum vel intellectum sanctæ Romanæ ecclesiæ, conciliorum atq; patrum. Alij clamant, Volumus nobis annunciari quidem euangelium, sed pacificè. Caueãt itaq; ministri ne quid dicant contra pacta, contra consuetudines inolitas, contra Pontificem, in Magistratum, in bonos socios, in militiam & negotiationes lucrosas exercentes. Nolumus vt sæuius insectentur adulteros, potatores. Quisque suum onus portabit. Quid ergo restat, nisi vt concionatores simpliciter nobis recitent consuetum euangelij textum, annuncientq; Dei gratiam, & quemlibet suo permittant iudicio? Atqui hoc illud ipsum est quod Dominus apud Isaiam in cap. 30. acerbissimè accusat & insectatur in populo suo. Non credendum est hoc loco ministris, sed magis audiendus Dominus, qui hic & alibi iubet ministros suos incredulo mundo annunciare scelera sua Deiq; iudicia. Extant in vtroque Testamento præcepta huiusmodi dilucida innumera. Neque conuenit, vt spurcus homo terminos præscribat & modum ponat oracuło Dei æterno. Nolunt quidem videri homines astringere aut prohibere verbum Dei: sed dum annunciari volunt vt commodum & tolerabile sit ipsorum affectibus, certè verbum Dei & corrumpunt & reuera annunciare prohibent. Quod quidem flagitium est enorme & præsentissimo excidio dignum.

Prohibetur libera euangelij prædicatio.

Sequitur ergo pœna verbis ipsius Dei exposita, quò minus pollicerentur sibi meliora, aut non euentura crederent, quæ Ieremias sua tantùm authoritate euentura minaretur. Sequitur ergo, Iccirco sic dicit Dominus exercituum, Ecce ego visitabo eos, &c. Notissimum est verbum visitandi. Isti, inquit, arbitrantur sibi fore impunè si sic vt instituerunt & consueuerunt viuere pergant: sed aderit aliquando Dominus, rationem ab illis rerum omnium exiget, & meritis eos supplicijs perdet. Recensetautem gladium & famem, & reliqua Dei flagella omnia intelligit. Addit, Ita atteram vt nihil sit futurum residui: id est excindam funditus. Ratio & confirmatio, Quia ego inducam eis hoc malum, cui resistere non poterunt. Dicat hic aliquis, Quando hoc faciet Deus? Respondet, Anno vel tempore quo visitabo eos. Q.d. Tempus in Dei consilio constitutum aut decretum est, quo isti puniendi & excindendi sunt propter iniquitates ipsorũ. Licet ergo vobis minæ Dei & tempus supplicíorum videantur incerta, definita tamen & certissima sunt apud Deum. Timeamus ergo & agamus pœnitentiam, ne cum impœnitentibus excindamur, &c. Christus Dominus hostibus quoque suis Iudæis, fata sua copiosissimè & dilucidissimè prædixit apud Matth. in 23. cap. & Lucæ 19. & 21. cap. Neq; verò ea alia sunt quàm illa ipsa quæ hic commemorantur à Ieremia. Sed experiri quàm credere & emendari maluerunt. Experitur hodie orbis ingenti & infando suo malo, quid sit nolle audire verbum Dei, & truculenter persequi præcones verbi Dei. Mutuis enim insidijs & bellis omnia ardent & corruunt. Dominus misereatur nostri.

Expostulat

Expostulat Ieremias cum Domino, quòd tantam impijs prosperitatem concedat: ac uicissim accipit responsionem à Domino.

CAPVT XII.

CONCIO XLVII.

IVstus quidem es tu Domine, etiamsi tecum contendero iudicio, attamen loquar tecum iudicia, Quî fit vt via impiorum prosperetur, & in pace agant omnes etiam maximi prævaricatores? Plantasti eos & radicem egerunt, proficiunt & fructum edunt: propè es tu ori eorum, at à renibus eorum longè abes. Et tu Domine cognouisti me, vidisti me, & probasti cor meum, quòd tecum esset: extrahis illos quasi ouem ad lanienam, & separas eos ad diem occisionis. Vsquequo lugebit terra, & herba vniuersi campi arescet, propter malitiam habitantium in ea? Abeunt (deficiunt) etiam iumenta & volucres: quia dixerũt, Non videbis postrema nostra. Si cum peditibus cucurristi, & illi te fessum reddiderunt, quomodo certabis cum equis? & si in terra pacis te securũ putabas (& falsus es) quid fiet in tumore vel superbia Iordanis? Siquidem tam fratres tui, quàm domus patris tui perfidè tecum agunt. Clamant enim post te, Congregatio: ne ergo credas eis, etiamsi bona tecum loquantur.

RECENSVIT propheta quid passus sit à suis contribul. ciuibus, amicis & intimis, subiungit ijs opportunè famosam illam quæstionem, quæ omnibus seculis omnes etiam bonos viros exercuit, Cur iustissimus Deus felicitatem omnigenam concedat impijs, hostibusq; diuinæ maiestatis, adeoq; verbi Dei contẽptoribus, sua dona amplissima illorum impietati ac rebellioni veluti bene meritis præmium amplum retribuẽs, cultores verò suos veluti negligens, in varijs periculis calamitatibusq; relinquat? Hanc inquam quæstionem difficillimam obiter, id est, quantum pijs videtur esse satis, tractat. Ac videtur Ieremias in sua tentatione hæc effudisse, perinde vt propheta Abakuk in cap. 1. & 2. denicq; Psalmista vel Asaph in Psal. 73. & Malachias sub nomine rebellium cap. 3. & 4. Certè cum Ieremias bona fide & summa diligentia functionẽ sibi à Deo impositam obiret, interim experiretur popularium suorum perfidiam extremam, in qua tamen veluti exultabant, & per cætera optima vtebantur fortuna, propheta interim & cultores Dei, veluti deserti à Deo omnium paterent iniurijs, ludibrio & contumelijs, tentatur grauiter & miratur, quî fiat, quòd pij sint vsqueadeò miseri & calamitosi, impij contra felices per omnia & victoriosi? Habet hanc infirmitatem propheta communem cum multis omnium seculorum bonis viris: sicuti modò aliquot scripturæ locos adduximus, & in Dauide Psalm. 37. ac in Solomone quoque inclarescit, Ecclesiastes 8. & 9. cap. Hodie audias quamplurimos non omnino malos homines, admirantes, Cur Deus tot & tantas victorias concedat Turcis? Cur Deus Papæ tanta permittat, vt sacra prophanet omnia, & sanctos Dei passim, regum principumq; manibus, discerpat & semper vincat? Cur Deus crudelibus militibus & auarissimis vsurarijs hominibusq; nequissimis tantas opes, tantosq; honores in hoc seculo largiatur? Cur interim pauperes & nomen Dei inuocantes, Deus videatur negligere? Omnes homines seipsos impensè amant. Singuli existimamus nos dignos esse bonis, indignos malis. Cum videmus alios ijs abũdare bonis quibus nos caremus, inuidemus & obmurmuramus, imò suspicari audemus Deum esse iniquum, qui bonis bona, malis mala promiserit: iam verò videatur dare malis bona, & bonis

Quæstio, Cur Deus impijs benefaciat, pios affligat.

mala, &c. Cæterùm cauendum hic nobis etiam atq; etiam, ne, quod dici ſolet, os noſtrum ponamus in cœlum, & nimium permittamus linguæ cogitationibuſq; huiuſmodi & affectibus noſtris. Nam huiuſmodi audaciam non ſemel grauiter accuſat in ſcripturis Deus. Caueamus item, ne quorundam ſanctorũ exemplis abutamur. Credamus potius de Deo, quòd iuſtus, verax, benignus, iudex ſyncerus, & clementiſsimus pater ſit, qui nulli facit iniuriam, omnia & ſingula rectè gubernet, ſuum cuiq; iuſtè retribuat: cuius item iudicia ſint imperueſtigabilia, nobis in primis, qui magna omnium bonarum diuinarumq; rerum inſcitia laboramus. Clamemus potius cum propheta, & dicamus, Iuſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Reuerẽter hic agit Ieremias.

Equidem reuerenter præfatur in hac cauſa Ieremias, ac veniam petit à Deo, vt liceat ſibi hanc proponere quæſtionem, & quodammodo expoſtulare cum Deo. Iuſtior quidem es, inquit, ô Deus, quàm qui debeam tecũ expoſtulare aut conqueri tantillum de tuis iudiciis. Ac reuera etiamſi coner loqui aliquid de tuis iudiciis, ac videantur mihi aut vlli hominum iudicia tua paulò iniquiora eſſe, iuſtus tu tamen es, & æquiſsimus manebis, ſunt & permanebunt perpetuò ſanctiſsima omnia tua iudicia. Proinde concede mihi propitius, Deus clementiſsime, vt loquar tecum iudicia, id eſt, vt contendam tecum, eaq; proponã quæ carni noſtræ ferè videntur in rebus tuis non vſquequaq; æqua eſſe. Nobis enim æquiſsimum videtur ſi floreant piĳ, marceſcant impiĳ: tu contra felicitate, proſperitate copiaq; rerum donas & cumulas impios, egeſtate & infelicitate variiſq; calamitatibus exerces optimos quoſq;. Hæc ſumma eſt totius quæſtionis, quam Ieremias mox copioſe exponit. Verſum autem hunc primum Lutherus, non obſcurè, mea quidem ſententia, vertit, **Herr wenn ich glych mit dir rächten wolt/ ſo behaltreſt du doch rächt/ dennocht můß ich vom rächt mit dir reden.** Quod poſtremum ita etiam reddi poterat, **yedoch vergunn mir ein wenig vom rächten mit dir zů reden.**

Impiĳ ſunt felices.

Copioſe nunc exponit Ieremias, quæ homines etiã meliores & veri Dei cultores habent, quæ conquerantur de Dei iudiciis, & quibus grauiter tentantur, Quî fit, ait Ieremias, vt via impiorum proſpera ſit? Viam ſcimus accipi pro tota conuerſatione vitæ, pro dictis & factis. Senſus eſt itaque, In omnibus quæ inſtituunt iſti, proſperantur. Pacem item habent. Pax ſignificat ſaluũ & incolumem ſtatum & tranquillitatem in rebus omnibus ſuauiſsimam. Addidit non ſine admiratione quinam tanta fruantur felicitate, præuaricantes præuaricantium, id eſt, extremæ impudentiæ audaciæq; præuaricatores. Id quod indigniſsimum videtur vt exquiſitiſsimi nebulones vtantur fortuna proſperrima. Eadem quæ hic commemorantur à Ieremia, à Iobo etiam recitantur in cap. 21. quem qui vult legat, vt conſenſum veritatis intelligat.

Impiorum felicitas ſimilis eſt arbori virenti.

Et quod paucis Ieremias complexus eſt, porrò parabola propoſita amplificat aut expolit diligentiſsimè elegantiſsimeq;. Comparat enim ſtatum impiorũ arbori florenti. Ita adumbrantur & ſecundæ res regis Nabuchodonoſoris, Danielis 4. Sed & Dauid dicit, Vidi impium ſuperexaltatum tanquam cedrum libani, &c. Pſal. 37. vbi etiam Dauid hoc ipſum argumentũ tractat: ſicuti & Ezras in 3. & 4. cap. 4 lib. Ezræ. Eſt autem incrementum in verbis prophetæ elegans. Primum enim plantatur arbor, deinde agit radices, inde proficit, auctibusq; & incrementis creſcit augeſcitq;, poſtremò etiam fructum edit. Significat autem impios per omnes gradus felicitatis eluctari tandem in apicem omnis in hoc ſeculo beatitudinis. Cum autem dicit, Plantaſti eos, facit ſanè Deum authorem & largitorem eorum quoq; bonorũ, quæ impiĳ percipiunt in hac vita. Nam Deus ſinit oriri ſolem ſuum non tam ſuper bonos quàm etiam ſuper malos. Subiungit

mox, ex

mox, ex quo colligi posse videatur, indignum esse, vt Deus istis benefaciat. Etenim non esse synceros Dei cultores, sed insignes hypocritas, vtpote qui verbis suis multa & grandia loquantur de Deo, quem interim in animo intimisq; affectibus suis ac cupiditatibus (per renes significatis) fastidiant atq; contemnant. At hi videbantur in isto hominum ordine optimi, cum alij palàm essent impij, & in Deum rebelles atq; blasphemi, & tamen nihilominus felices. Lutherus alium propemodùm ex his sensum, nec ipsum aspernandum, elicuit, & vertit, Du last sy vil von dir rümen/vnd züchtigest sy nit. Longè inquam es à renibus eorum, id est, virgam istis pro merito non incutis, non flagellas eos. Solent enim qui virgis cæduntur, circa renes supra nates & in nates flagellari.

Præterea componit se propheta cum impijs ac suam Deo cõmendat probitatem, cõtra verò cum manifesta sit impiorum procacia & audacia contra Deũ, hunc tamen nihilo magis adobruere illos beneficijs & impinguare vel saginare. Tu, inquit, ô Domine, qui nihil nescis, me dudum cognouisti, vidisti & vides quid agam & qualis sim, denicq; exploras cor vel omnia intima mea, atq; adeò noui sti me intus & in cute: ac deprehendisti quòd tecum sum, id est, quòd tibi adhæreo, tuas partes tueor, & sicut nos in nostro idiomate dicimus, Das ichs mit dir hab. His addendum, quod sensum absoluat, Sed negligere me interim videris. Ex opposito, Non ignoras quales sint impij intus & extra, conscelerati ssimi vticq; & proiectæ nequitiæ cultores impudentissimi. Cæterùm hos adeò non cædis, vt sagines potius omnigenis bonis. Nam sicut pastores è grege extrahunt oues, quas saginare volunt: sicut illi qui victimas & sacrificia offerre volunt, ex pecoribus segregant, sanctificant, siue consecrant non nisi opima: ita tu videris impios eximere ex cõmuni hominum sorte, & maioribus, quàm alios homines, donare muneribus. Atq; ita ferè solemus nostram sortem cum aliorum fortunis conferre, & ex amore nostri, nostram sortem, nimis tenuem, aliorum fortunas nimis amplas æstimare. Nam nosipsos iudicamus esse optimos, alios infra nos longè collocamus. Quæ quidem miseria & infirmitas, est causa magnæ impatientiæ & multarum querelarum in nobis. Lutherus postremam huius sententiæ partem vertit, aber du last sy fry gan/wie schaaff/daß sy geschlachtet werdind/vnd sparst sy/das sy gewürgt werdind. Fortasis significauit in medio æstu & querelarum Ieremias felicitatem istam impijs non modò non fore diuturnam, sed etiam excidij & interitus occasionem. Vel simpliciter hoc loquutionis genere notauit exquisitum istorum luxum. Alij arbitrantur prophetam voto quodam vel imprecari vel denunciare certam perniciem impijs. Atq; hi per imperatiuum reddũt locum. Extrahe eos sicut gregem ad lanienam, &c.

Et tu Domine cognouisti me, &c.

Ad expostulationem vel querelam Ieremiæ illud quoque pertinet, quod adiungit, Vsquequò lugebit terra? Exponit enim permultum inde quoq; incommodi redire ad miseram piorũ turbam, quòd cum impij felicitate sua abuntur, luxu ac iniquitatibus suis prouocent Dominum Deum, vt iam puniat integras regiones varijs calamitatibus & summa rerum inopia. Per Prosopopœiam ergo affingit terræ luctum, qui hominum propriè est. Sensus autem est. Squalent vbiq; campi & marcescit viror herbæ: alma tellus non profert fructus. Idq; totum debemus, inquit, malitiæ terram inhabitantium. Præterea abeunt iumenta & volucres. Copiam enim iumentorũ & auium concedit Dei benedictio, maledictio efficit, vt si sint iumenta & volucres pro vitæ hominum sustentatione, mox tamen & intereant & dilabantur. De qua re antea quoque dictum est. Rationem subijcit, quare Dominus copiam animantium imminuat, & terræ prouentum neget. Quia dixerunt, Non videbit postrema nostra. Quod Lutherus vertit, Ja er weißt vil/wie es vns ghan wirt. Nescit quid tandem nobis euen-

Ex luxu impiorum sterilitas et calamitates.

turum, & quis finis futurus sit. Sic autem negant impij Dei prouidentiam. Ob quam rem integra regna puniuntur. Vel certè minas prophetæ & floccifaciunt & suggillant. Quasi dixerint, Quis prophetæ dixisset, quis tandem finis rerum sit futurus, cum vix præsentia norit? Vulgaris & receptissimus est hodie ille prædicationis verbi Dei contemptus: vnde dubium non est, tempora nostra hoc esse calamitosiora.

Responsio ad querelam, & expostulationem.

Post expositam querimoniam & expostulationem vel etiam quæstionem propositam, Cur Deus malè meritis bona concedat præmia, subiungit consequenter responsionem variam Dei. Et principiò quidem dehortatur prophetam, & in propheta omnes alios homines à curiosa indagatione iudiciorū Dei. Nam mentes hominum impares esse istis per omnia intelligendis. Monet potius prophetam Deus vt res suas cogitet, in primis quomodo diligenter velit suum obire munus, & cauere sibi ab hostium insidijs. Prouerbiali enim figura, & argumento à comparatis deducto, significat illum minora assequi non potuisse, eaq; de causa maiora minus assecuturum: proinde cesset se curis diuexare inutilibus. Tu, inquit, cucurristi cum equitibus & delassatus es, neq; illos assequi potuisti, quomodo ergo ingeres te equitibus? Hoc, inquit, prouerbium est, quo vtuntur qui significant validioribus rebus sustinendis parūm esse idoneos, qui leuiora ferre non potuerunt. Subdit deinde Dominus quid illud leuiculum sit cui ferendo Ieremias impar fuerit, & docet ipsum cui rei se potius impendat. Vixisti in patria tua Anathoth, & in tuto te agere tibi ipsi persuasisti, nesciuisti ergo popularium tuorum insidias. Et qui nesciuisti quæ fuerunt propemodùm oculis tuis exposita, nunc scrutari vis abstrusissima Dei consilia? Quin potius para te maioribus certaminibus. Humilis est viculus, vile oppidulum patria Anathoth, interim expertus es eas, quas ego tibi reuelaui insidias: ergo quid futurum putas, si aliquando attigeris & iterum ingressus fueris vrbem Hierosolymorum? Ibi vtiq; experieris fluctus, fremitus, atq; æstus, procellas Iordanis, id est furorem potentum. Vt iam magis tibi cogitandum sit quomodo tuo velis fungi officio, & perstare in tribulationibus atq; tentationibus, quàm cur Deus impijs multa conferat beneficia, pios suos cultores exerceri malis sinat?

Siquidem tam fratres tui, &c.

Sub finem ergo huius loci præscribit Dominus prophetæ quid faciat in his periculis, quin etiam prædicit quid ipsi sit euenturum, Perfidi sunt in te etiam tui quibus tu bene fidis: quid ergo sperabis ab alienis cum Hierosolymam redieris? Tui illi clamant post te, Congregatio vel Coniuratio. Quæ quidem vox, vt claret ex 8. cap. Isaiæ, & ex 11. cap. 4. Regum, nota vel significatio est aliquid per fidē & seditiosè fieri. Nos dicimus, *Sy machend dir ein mordgschrey nach.* Insimulant te seditionis, quasi concionibus tuis moliaris turbam excitare. Licet ergo mulceant te coràm blandis verbis, & amicè tibi loquātur, & splendida polliceantur, tu caue ne te eis credas.

Ad eundem modum represit in euangelio secundum Ioannem, curiosam Petri quæstionem Dominus, qui Petro quid passurus esset, & quomodo ex hoc seculo migraturus, prædixit, ille verò Ioannem Domino dilectum discipulum videns, interrogauit, Domine quid autem hic? Nam Dominus mox subiecit, Si eum velim manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Etenim cum paulò ante Dominus Petro dixisset, quid passurus esset, mox subiecit, Sequere me. Vult igitur Dominus & Petrum & quemlibet nostrū, potiorem habere curam de sua ipsius quàm aliena vocatione, cogitareq; magis, quomodo singuli nostrum, nobis inquam impositum faciamus officium, quàm vt aliena à nobis atq; adeò abstrusa Dei scrutemur iudicia. Dominus omnibus nobis aperiat oculos mentis. Amen.

Adhuc

Adhuc respondetur Ieremiæ ad propositam querelã, vel quæstionem, & exponitur iustum Dei iudicium contra impios & rebelles.

CONCIO XLVIII.

Dereliqui domum meam, deserui hæreditatem meam, & tradidi dilectionem animæ meæ in manum inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea, sicut leo in sylua, edidit contra me vocem suam: vnde & odio eam prosequor. Hæreditas mea est mihi instar auis uersicoloris, aues per circuitum contra eam. Venite & congregamini omnes feræ agri, venite vt deuoretis eam. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam, partem meam expetibilem reddiderunt desertam & desolatam. Posuerunt in solitudinem, & nunc vastata ad me luget. Desolata est enim vniuersa terra: quoniã non est quisquam qui reuocet ad cor. Super omnes vertices in deserto venerunt vastatores: quia gladius Domini deuorauit à termino terræ ad terminum terræ, nec est pax vlli carni. Seminarunt triticum & messuerunt spinas, ægrotarunt at nihil profecerunt, & pudefietis à prouentibus vestris, à furore iræ Domini.

PRoposita est à vate diuino quæstio per expostulationem vel querimoniam, quare Deus tantam impijs prosperitatem concedat, pios verò prorsus negligere videatur? Ad ipsam verò Dominus valde diligenter respondet, & quidem variè. Principiò enim docet nostrum non esse diuina scrutari iudicia curiosius, cur Deus hoc vel illud, sic aut ita faciat: sed curandum esse magis de vocatione nostra legitima, quomodo ipsam ad voluntatem Domini probè exequamur. Deinde alio etiam modo respondet ad propositam quæstionẽ. Ostendit enim Deus se maximè iustum esse, qui beneficia non pauca conferat in prauos: at si hi impij esse pergãt, ipsos suo tempore grauissimè coherceat atq; excindat. Proinde summa responsionis hac in parte talis est, Hierusalem est domus mea, inquit Dominus, est enim in ipsa templum meum, quod mihi ipsi cõsecraui: populus Iuda est hæreditas mea. Hunc enim mihi ceu peculium ex omnibus gentibus delegi, ideoq; populus ille ex dilectis prognatus patribus, est vnicè dilecta mea, quam videlicet amo ex animo. Nam alibi quoq; non rarò testatur se Deus gentẽ illam amare, vtcunq; ipsa vicissim, vti debuerat, amantem non redamauerit. Quis verò alicui vitio vertat, si diligat domum suam & hæreditatem suam, & hanc grauatim deserat? Quid ergo mirum, si Deus populo prognato ex patribus adamatis, beneficia conferat, & quidem immerito, merito autẽ pœnas & supplicia? Semper enim benignus pater meliora de malefrugi filijs sperat. Ergo si beneficia conferat Deus in impium suum populum, non est quòd vitio hoc Deo vertant homines & cũ Deo expostulent. Amat Deus clementissimus suas quas condidit creaturas, & has fouet, sinens Solem suum oriri super bonos & super malos. Proinde Ieremias non iustè cum Deo expostulauit. Rursus autem, cum videam, inquit Dominus, meliora me expectare frustra, & illos abuti meis beneficijs ac donis, quos cumulaui his, atq; adeò odisse amantem, iustitiæ sanè meæ nõ oblitus, deseram eos & tradam conficiendos in potestatem sæuissimorum hostium. Proinde falsum dicunt homines, cum clamitant Deum benefacere malè meritis, neq; vnquam pro meritis mulctare. Nam vtcunq; pro paterna beneuolentia malis quoq; benefaciat, non tamen semper benefacere pergit. Iam enim audiuimus dicentem Dominum, Dereliqui domum meam, &c. Ponuntur autem præterita pro futuris, eò quòd certissimè Deus tales deserit.

Cur Deus etiã prauis hominibus benefaciat.

Hæreditas Dei Leo rugiens.

Neq; dedignatur iam patefacere Dominus cur eos, quos hactenus dilexit, porrò oderit, animumq; mutauerit, Hæreditas mea, inquit, facta est mihi leonis instar in nemore. Rugit enim contra me: vnde fit vt odio gentem meam prosequar. Leo alibi quoq; in scripturis typum gerit tyrannidis & oppressionis. Significat ergo Dominus populum suum non amplius esse humanum, nõ clementem & iustum, sed crudelem bonorumq; & pauperum oppressorem. Rugiebat populus contra verbum Dei annunciatum per prophetas, & minabatur vel intentabat eis mortẽ. Eam ob causam odiebat eos Dominus. Nam & Dauid, Tu odisti omnes, inquit, qui operantur iniquitatem. Perdet eos qui loquuntur mendacium: virum sanguinum & fraudulẽtum auersatur Dominus. Proinde nemo obmurmuret Deo, tametsi nõ protinus videatur tyrannos cohercere: non ideò probat tyrannidem, neq; placet ipsi iniquitas.

Certò peribũt impij, & sua excident felicitate.

Porrò copiosissimè prosequitur exitium impiorum, nimirum in hunc finem, vt qui ex felicitate eorum ad indignationem commoti sunt, vicissim ac veluti per antithesim nunc etiam plenis oculis contueantur miseriam istorum, vindicisq; æquissimi iustitiam, & æquius iudicent de Deo Deiq; iudicijs, atq; conceptam contra Deum & iudicia Dei deponant indignationem. Vtitur autem parabolis vel collationibus ac cæteris amplificandi rationibus, vt rem veluti oculis conspiciendam proponat. Eodem modo hoc ipsum argumentũ tractauit & Abakuk propheta. Est autem summa omnium hæc, Tibi videntur Iudæi esse felices, & dolet tibi ipsorum felicitas, quòd impij sint contra Deum & rebelles cõtra verbum eius: cęterùm felicitas ipsorum cum summa commutabitur miseria. Venient enim Babylonij, obsidione vrbem Hierosolymorum cingent, eandem irrumpent, capient, diripient atq; comburent, ciues verò iugulabunt, totamq; regionem circumquaq; fertilissimam funditus vastabunt & perdent. Hic inquit infelicis ipsorum felicitatis finis erit.

Similis Hierusalem versicolori aui.

Proponit initio parabolam petitam ab auibus & feris. Dicit autem vrbem Hierosolymorum, & gentem Iudaicam similem esse aui versicolori, quod Germanicè redditur, Ein gespreggalechten vogel. Hieronymus interpretatur pauonem: sed videtur notatione quadam innuere bubonem, vlulam vel noctuam, quæ & ipsa est varia & omnibus auibus inuisa. Nos appellamus, Ein Kutzen oder Hiwel. Ac reuera varicolores erant Iudæi in religione, quæ ipsis erat varia & discissa: varicolores erant in luxurioso & peregrino vestitu: varij erant in factionibus, dissidijs, & propter arrogantiam omnibus inuisi gentibus vicinis. Sicut autem circumsident aliæ aues noctuam, clamoribus contra eam æthera complent, ei insultant, in ipsam irruunt, & si possunt dilacerant: Ita, inquit Dominus, aderunt hostes collectitij ex Babylonijs, Medis, Persis, Carmanis, alijsq; gentibus, obsidebunt vrbem regiam, insultabunt, capient & dilacerabunt. Et quæ sequuntur, Venite & congregamini, exponunt alij quasi sit (per Prosopopœiam) mutua auium adhortatio ad dilacerandum noctuam. Interim exponi poterit, quasi Deus alias quoq; feras è syluis, lupos, leones, vrsos, tygrides, hyenas euocet, iubeatq; discerpere vniuersam gentem: atque ita significare adfuturas gentes planè feras, truculentas, quæ funditus excindant Iudaicum regnum.

Pastores vineã Domini excindunt.

Aliam rursus producit in medium parabolam, qua exponit impiorum miseriam & exitiũ, petitam à pastoribus. Vinea & portio vel prædiũ aut agri expetibiles Domini sunt ipse populus Dei, omnigena benedictione diuina felix & beatus. Huic pastores dedit reges, principes, sacerdotes & prophetas, qui colerẽt & tuerentur: sed hi neglexerũt facere suum officium, vel facientibus officium nõnullis pastoribus non obsequundauit populus, abusus sua fortuna: submisit

ergo

ergo Deus alios pastores, quos mox appellabit depastores vel vastatores, nimirũ duces militiæ, qui demoliantur & conculcent atque in solitudinem redigant vineas vberrimosq; campos. Quibus quidem vastatis lugeat populus miserrimè, qui prius prouocatus ad pœnitentiam, noluit lugere. Sic inquam perit felicitas impiorum. Copiosissimè autem exponit istam vastationem, ne quis dubitet de fide narrationis, & vt inculcet fortunam impiorum certò cõmutari tãdem cum summa miseria. Appendit obiter causam excidij verã breuibus, Quoniam non est quisquam qui reuocet ad cor. Germanicè propriè exprimimus hãc loquutionem, **Sie sach gadt niemandt zů hertzen.** Auditur quidem verbum Dei, auribus quidẽ corporis, non cordis. Nam nulla est cura seria de faciendo verbo, deq; vita corrupta emendanda. Proinde iure vastantur à Deo omnia, &c.

Subijcit iam ipse propheta horum quæ dixerat interpretationem. Dixerat pastores vineam demolituros, iam verò addit qui nam illi pastores sint, nimirum depastores, vastatores, imperatores videlicet, tribuni, chiliarchæ, centuriones & duces exercitus Babylonici. Desertum appellat quod prius nominauerat vineam & prædia. Nam Iudæa alioqui appellatur desertum, locus pascuus: vt aliàs annotauimus. Emphasim autem habet quod dicit venisse vastatores super omnes vertices. Excelsa enim loca, vt arces, difficilius expugnantur & capiuntur. Ac sperabant Iudæi se tutiores futuros contra omnem vim hostilem, quòd regionem incolerent montosam, accessu difficilem, & natura ac arte munitam. Cum itaq; dicit vastatores iam occupasse vertices omnes, colligi vult, nihil vspiam tutum fore in vniuerso regno, sed omnia iam patere hostili furori. Causam mox subijcit huius hostilis inuictæ potẽtiæ. Babylonij hæc suis viribus non perficerent: quoniam verò Dei, vt sic dicam, commissarij & iræ Dei exequutores sunt, ideò perrumpent diuina potentia per munitissima quæque loca, & prosternent atq; proterent obuia quæq;. Atque hoc est quod dicit propheta, Quia gladius Domini deuorauit à termino terræ ad terminum terræ, atq; ita subijcit totum regnum supplicio Dei, qui gladio id est vindicta sua demetit, ceu fœnum omnia huius regni præstantissima simul & vilissima. Nam subijcit breui sentẽtia neminem excipiendum aut eximendum fore ex hac panolethria, Nec pax est vlli carni, **Da wirt kein mensch weder frist noch frid/růw noch rast haben.** Inuoluentur malo & excidio omnes homines: quos mauult carnem appellare, ad significandam hominum miseriam & impotentiam. Nam & Isaias dixit de Aegyptijs, Quin & Aegyptius homo est, & nõ Deus: & equi eorum caro sunt, & non spiritus, &c.

Gladius Domini absumit omnia.

Præterea respondet adhuc clarius ad quæstionem propositam, permanens in eadem allegoria fructificationis. Dixerat enim propheta, Plantasti eos, radices agunt, proficiunt & fructum edunt, &c. Nunc verò ex inspiratione Dei respondet. Equidem plantauit Deus impios, & omnigenis bonis adobruit: at illi his abutuntur & sperant se perpetuò in illa sua profecturos infelici felicitate: cæterùm seminarunt triticum, sed metent spinas. Pollicentur sibi quidem stabilem & fructificantem fortunam, sed sortientur demum quod miserè pungat atque adeò perdat. Dum autem sentiunt iudicium Dei, ægrotant, vel mœrent & animis saucijs lugent, at nihil proficiet ipsorum mœstitia. Alij legunt, nec malè, Hæreditatem acceperunt, & nihil lucrifecerunt. Quasi diceret, Ditati quidẽ sunt & felicitatem sortiti, cæterùm cum ea abusi sunt, nihil lucrifecerunt, id est nonceſſit ipsis feliciter. Germanicè **habend an jrem gliick wenig gwunnen.** Sequitur enim, Confusi sunt vel pudefacti à fructibus (frequens est in prophetis personarum heterosis vel mutatio) vestris. Quod perinde est, ac si dixisset, Fructificarũt quidem, sed fructificatio cessit eis ad confusionem ac perniciem vel interitum;

Prosperitatis impiorũ finis.

Lutherus eleganter vertit, Sy werdend jrs ynkummens nit fro (Vel wenig ge fróuwt) werden. Ratio, Iraſcitur eis Deus, qui omnem iniquitatem odit. Proinde non eſt quòd quiſquam amplius contra Deum murmurans, indignum Deo putet, quòd impij ad tempus exultant in proſperitate ſua atq; adeò in ſuis peccatis. Iuſtus eſt enim Deus. Veniet aliquando tempus vindictæ. Interim hic non diſſimulabo hanc ſententiam poſtremam ab alijs diuerſa ratione expoſitam eſſe, nempe in hunc modum, Prophetę bonum ſemen tritici ſeminarunt, & nihil meſſuerunt, niſi ſpinas, populi nimirùm ingratitudinem. Vel nullum dederunt fructum, ſed ſicut ager incultus ſpinas retinet: ita populus iſte ſuum perpetuò retinuit malignum ingenium. Proinde à prouentibus ſuis confuſi ſunt: quia multum ſeminantes nihil intulerunt, nimirùm propter furorem iræ Domini. Hic autem ſenſus reddit cauſam, cur vaſtandum ſit totum regnum Iuda. Iudicium vero ſit penes lectorem, quis ſenſus videatur eſſe magis præſenti argumento accommodus. Deo ſit omnis gloria.

Vaticinatur vicinas gentes quoq; perituras. Vaticinatur de reſtitutione Iſraelis, & vocatione ac ſalute gentium.

CONCIO XLIX.

Sic dicit Dominus contra omnes vicinos meos malos, qui attrectant hæreditatem, quam hæreditario iure poſſideo, populum ſcilicet meum Iſrael: ecce ego euellam eos de terra ſua, & domum Iuda euellam è medio eorum. Et erit poſtquam euulſero eos, conuertar & miſerebor eorum, & reducam eos, vnumquenq; ad hæreditatem ſuam, & vnumquenq; ad terram ſuam. Et erit ſi diſcendo didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo, Viuit Dominus (quemadmodum populum meũ docuerunt iurare per Baal) ædificabuntur in medio populi mei. Si autem non audierint, euellam gentem illam euellendo & perdendo, ait Dominus.

Deus punit etiam perſequutores ſanctorum.

IN querimonia vel expoſtulatione hominum qua ferè Dei inceſſunt iudicia, inter alia & hoc iſti proferunt, Deum fauere hoſtibus religionis veræ, vtpote qui non modò iſtis concedat victoriam, ſed inſuper exhilaret etiam piorum miſerijs: quo nomine iſti etiam exultent, clamantes ſuam illam ethnicam religionem eſſe felicem, infeliciſſimam verò diuinam illam noſtram. Certè ſcriptura ſacra teſtatur gentes Iudææ conterminas tales ſemper fuiſſe contra Iudæos, & his inſultaſſe. Proinde perſtans adhuc in reſponſione Dominus, ſubiungit, ſe ſupplicium ſumpturum etiam de his, qui ſic populo Dei illudunt, inſultant, modiſq; omnibus ſunt infeſti, ac ipſum diuexant: vt pij nihil amplius ſint habituri, cuius nomine Dei iudicia inceſſant.

Mali Iudæorũ vicini.

Inducit autem iterum loquentem ipſum Dominum, nimirùm vt oratio potiorem habeat authoritatem fidemq; mereatur. Loquitur autem de ſe Dominus in tertia perſona. Quaſi diceret, Hæc ego Dominus dico. Significat autẽ verbis diſertis ſe nunc ſuam etiam ſententiam pronunciaturũ contra vicinos ſuos malos. Vulgata verſio habet, peſſimos. Germanicè wider mine bőſen nachpuren. Loquitur autem de Sidonijs, Tyrijs, Ammonitis, Moabitis, Idumæis & Palæſtinis. Hæ enim gentes valde oderant populum Iudaicum, & in calamitatibus ipſorum admodùm exultabant, & calamitati ipſorum calamitatem addebant, coniungentes ſe ferè ſemper hoſtibus, gaudentes ſi religio Iudaica ruinam minari videretur. Hos ſuos appellat vicinos. Etenim Dominium totius terrę eſt Domini Dei

ri Dei nostri, qui sibi delegerat in peculium populum Iudaicum, vnde iam gentes finitimas & conterminas Iudæis, suos appellat vicinos, & quidem malos. Sequitur enim ratio cur malos dixerit istos, Qui contrectant hæreditatem, &c. Lectio autem huius loci duplex est. Vel, Qui attrectant hæreditatem, quam possedi, populum scilicet meum Israel, Vel, Qui attrectant (terram) quam hæreditare feci populum meum Israel. Sensus tamen in idem semper recidit ac planus est. Pronunciabo contra illos etiam meum iudicium, qui ecclesiam meam affligũt. Nam attrectare vel attingere (sicuti & Germanis den fyend angryffen) significat affligere, nocere, damnum inferre, & proterere. Ita legimus dixisse alibi Dominum, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. *Tangere.*

Porrò exponit iudicium suum contra malos vicinos, & quid statuerit eis irrogare propter persequutionem ecclesiæ Dei, exponit, sed paucis. Nam breuibus verbis vel breuitate verborum quodammodo ostendit, se istos omnes hostes populi Dei facilè vel nullo negotio excisurum, Ecce, inquit, ego euellã, aut extirpabo eos de terra sua. Et certè historia testatur, sicuti & Ieremias prædixerat futurum cap. 25. omnes illas gẽtes per Nabuchodonosorẽ esse excisas. Vnd habend also schlächte fröud erlâbt/das Hierusalem vmbkert ward. Simul enim & ipsi perierunt. Sic proditum & testatum est omnibus historijs, etiam ecclesiasticis, hostes vel persequutores populi Dei semper suo tempore subijsse Dei iudicium graue. Ita Hierosolyma & tota gens Iudaica excisa est tandem à Romanis. Interijt tandem Nero, ac in ipso extincta est vniuersa Cæsarum prosapia. Commissi sunt ipsi inter se Romani ciuili bello. Multa huius generis in historia sua Orosius commemorat. Tandem conflagrauit hostili igne Roma, & vniuersum Romanum concidit imperium. Nam ecclesiam Dei truculentissimè Roma est persequuta, &c. *Sẽper puniuit Deus ecclesiæ suæ persecutores.*

Rursus ne Iudæi hic sibi impunitatem pollicerentur ob interitum hostium in circuitu omnium, ea de causa adiungit, Et domum Iuda euellam è medio eorum, nimirùm per alios, non vicinos quidem illos, sed ex remotissimis orientis partibus venturos hostes. Id quod alij exponunt, Deum populum suum Iuda erepturum ex manibus hostium, vt hi non tantùm in ipsum possint quantum optarent. Sed prior sensus videtur esse simplicior & magis accommodus contextui. *Interim periclitatur etiam ecclesia.*

Postremò concludens Ieremias Dei verbis hanc suam orationem quartam, incipit iam more prophetico meliora planeq; euangelica annunciare. Nã principiò docet populum Dei afflictum ac captiuum, reducendum esse in patriam: deinde gentes quoq; populo Dei coniungendas, vocandas inquam, atq; in consortium communionemq; omnium bonorum populi Dei recipiendas. Et distinctè quidem propriè & eleganter loquitur. Initio enim, Fiet, inquit, vt cum istos euulsero, conuertar iterum: id est, eueniet, vt quemadmodum auersus ab illis, in ira mea ipsos excidi, sic rursus conuertar ad eos atq; gratia mea reparem ipsos. Nam Dauid in Psalmis, Nõ enim semper contendit Dominus, inquit, neq; semper iurgatur, sed redit cum afflictis iterum in gratiam, & miseretur ipsorum sicut miseretur pater liberorum. Proinde non semper affligit Dominus, sed modum adhibet, & finem aliquando malorum facit. Locus hic est insignis de gratia atq; clementia Dei, recipientis in gratiam afflictos, nec semper vrgentis ira sua peccatores ac miseros. In lege ipsa similia legas Deut. 30. cap. Deinde vt omnes intelligerent disertè hoc beneficium meræ adeoq; immeritæ (quod homines quibus beneficium confertur, attinet) esse gratiæ, addit, Et miserebor eorum. Vnde & in Ezechiele legimus. Assumam vos de gentibus & congregabo vos de cunctis terris, & introducam vos in terram vestram. Et habitabitis in terra, *Ieremias prædicat euangelium.* *Insignis Dei gratia & misericordia.* *Psal. 104.*

quam dedi patribus vestris, & saluabo vos ab omnibus immundicijs vestris, &c. Et mox, Non propter vos ego facio, dicit Dominus Deus, hoc notum sit vobis. Pudeat vos viarum vestrarum, &c. Quam sententiam paulò ante etiam posuit. Sed consule ipse locum prophetæ in ca. 36. Et in nostro hoc propheta beneficium diserte exprimit Dominus, quod ex gratia ac misericordia sua afflictis cõferre vult, ac dicit, Et reducam quenq; ad hæreditatem suam, &c. Quod quidem temporibus Cyri & Ezræ ac Nehemiæ iuxta literam præstitit: secundum spiritum verò plenius adimpleuit hæc Messias Iesus Christus, dum per incarnationem passionem & mysterium redemptionis suæ, nos patri reconciliauit, hæredesq; vitæ constituit æternæ, quam plenè cõferet in die illa qua anima migrabit ad cœlos, & corpora deinde in fine sæculi excitabuntur, obuiamq; Christo rapientur in aere, secuturi agnum quocunq; ierit. Cœlum etenim est patria nostra, vbi pater noster est, quem inuocãtes, dicimus, Pater noster, qui es in cœlis. Ibidem erit quies & tranquillitas & hæreditas illa filiorum Dei beatissima. Sed de Restitutione Israelis alibi in hisce Concionibus nostris diximus. Cernimus autem palàm sanctos Dei prophetas, licet sub inuolucro, mysteria Christi & regni cœlorum suis proposuisse seu annunciasse hominibus: id quod & Petrus apostolus testatur in 1. cap. prioris epistolæ.

Quomodo reducantur in patriam.

De Vocatione gentium.

Post restitutionem autẽ populi Israelitici, pergit propheta & Vocationem attingere gentium. Promissio autem hęc tota conditionalis est, hunc habens sensum, Si gentes audierint prædicationem veritatis, & crediderint, coniungentur cum populo Dei, participesq; erunt omnium bonorum, quæ suo populo promisit munificus Dominus. Si verò non crediderint, peribũt. Porrò quid hoc aliud est, quàm quod Ioannes Baptista concionans de Dei filio testatus est? Pater diligit filium, & omnia dedit ipsi in manum. Qui credit in filium, vitam habebit: qui non credit, vitam non videbit, sed ira Dei manebit super ipsum. Sed & Dominus ipse in euangelio dixit, Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum daret pro mundo, vt omnis qui credit in eum, non pereat, &c. Notus est enim locus Ioan. cap. 3. Et iterum ad discipulos, Ite, inquit, in orbem vniuersum & prædicate euangelium omni creaturę: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, condemnabitur. Hæc omnia simpliciter exponũt nobis prophetæ vel ipsius Dei per prophetam loquentis sententiam. Cæterùm inuoluuntur hæc suis loquutionum generibus, quæ bræuiter explicanda veniunt.

Ioan. 3.

Via populi Dei vera & catholica doctrina fidei.

Si discendo, inquit, didicerint vias populi mei. Discendo discere, loquutio est, pro eo quod est rectè, legitimè atq; adeò exactissimè discere. Non ergo satis est semel audiuisse sermonem de salute, nisi salutis tuæ rationem exactissimam habueris, & verè crediderís. Via autem populi Dei est fides vel religio, quam habet Dei populus, fides inquam beatorum patrum, Abrahæ, Mosis, Dauidis, & verè diligentium Deum, atq; adeò doctrina ecclesię Christi orthodoxa & catholica, scripturis prophetarum & apostolorum comprehensa. Ea via simplicissimè & perfectissimè ostensa est nobis per ipsum filium Dei in euangelio. Vnde sensus est verborum Domini, Si exactè didicerint fidem euangelicam.

Iuramentũ cõprehendit totã religionem.

Addit, Vt iurent per nomen meũ, &c. Iuramentum comprehendit totam religionem veram, ideoq; veræ religionis symbolum est & professio. Nam qui iurat per viuentem Deum, agnoscit & confitetur vnum esse verum Deum, conditorem omnium, per quem sunt ac viuunt omnia, eundem adorat, inuocat colitq; solum, ceu vnicum & summum bonum, qui iustos seruare, impios perdere possit, qui suos cultores tueatur & cumulet bonis omnibus. Sensus ergo est, Si gentes agnouerint, inuocarint & confessi fuerint Deum verum, seruabũtur. De Iureiurando dixi in his Concionibus in 4. & 5. cap. Ieremiæ. Paucioribus ergo

hic me

hic me absoluo. Cæterùm ex antithesi opponit huic membro contrarium, Sicut docuerunt populum meum iurare per Baal : ergo nunc ipsi à populo meo religionem veram deserere debent, deserere autem suam, tantum abest vt iterum pergant suam ethnicam meis obtrudere. Gentes enim debent ab ecclesia Christi discere, suam religionem dediscere : & nos nihil debemus à Gentibus accipere aut discere. Vnde illud quoq; colliquescit, Christianos formulam iuramenti, iurandi videlicet modum per nomen Dei solius, retinere debere illibatam, & nihil admittere commixtionis, vt addatur videlicet aliquid fermenti papistici. Solent enim hi iurare per Deum & sanctos eius. Sic olim non à Deo, sed à gentilibus didicerant Iudæi iurare per Deum & per Malchom, siue per Baal. Atqui nomina alienorum Deorum in ecclesia Dei ne nominari quidem debent. Et membrum quidem hoc posterius exponit vtcunque præcedens. Tale enim quidpiam dicere videtur per similitudinem. Sicut olim Iudæi mei didicerunt à vobis gentibus iurare per nomen Baal : ita vicissim nunc vos gentes ab electis meis discetis obliuisci Baal, & omnis gentilitiæ religionis, sed iurare duntaxat per nomen Dei solius, huius leges & ritus seruare inuiolatos. Hæc autem sæpe inculcanda sunt ecclesiæ Christi, contra mixturam & corruptelam papisticam.

Iurare per nomẽ Dei solius, non per nomina sanctorum.

Quis autem fructus subnascetur ex hac gentium obedientia? Aedificabuntur in medio populi mei, id est florebunt in meo populo, & mei erunt, gaudentes omnibus priuilegijs, quibus gaudent mei illi: filij ergo erunt Dei, cohæredes, beati per omnia atque felices. Aedificatio autem illa occultè opponitur euulsioni. De qua superius. Promittit ergo Dominus gentibus conuersis omnigenam gratiam, per quam floreant in ecclesia Dei, inter sanctos. Præstantius est hoc beneficium, quàm vlla possit explicare lingua hominum. De participatione verò bonorum omnium, in quam recipiuntur diuina gratia gentes, copiosius disserit apostolus Paulus in 2. cap. ad Ephes. qui locus huic Commentarij vice adiungi poterit.

Fructus Vocationis gentiũ.

Sed quid fiet illis, qui non obediũt euangelio & non credunt in filium Dei? Sequitur membrum oppositum, Si autem non audierint, & c. Hoc nihil aliud est, quàm quod supra adduximus ex Ioanne, Ira Dei manet super eum. Et ex verbis saluatoris, Qui non crediderit, condemnabitur. Falsissimum est itaq; quemuis in sua religione seruari. Certissimum est incredulos damnari. Certè vt Dominus per Ieremiam pulchrè certum, sempiternum denique inobedientium interitum exprimeret, non contentus est dixisse, Peribunt, sed congerie quadam verborum vtens, Euellam gentem istam, inquit, euellendo & perdendo. Ac iterum ne quis de fide verborum addubitaret, adijcit, Dicit Dominus, nimirùm qui verax est & omnipotens, & quod dicit, promittit & minatur, præstare vel facere potest abundantissimè. Deo isti nostro sit laus & gloria per Iesum Christum Dominum nostrum.

Increduli condemnantur.

ORATIO IEREMIAE QVINTA.

Visione prophetica ostendit vates populum Iuda propter peccata abducendum in Babylonem captiuum.

CAPVT XIII.

CONCIO L.

SIc dixit Dominus ad me, Abi & eme tibi cingulum lineum, & accingito illud lumbis tuis, sed in aquam ne merseris ipsum. Emi ergo mihi cingulum illud iuxta verbum Domini, & apposui lumbis meis. Factumq; est verbum Domini ad me secundò dicens, Accipe cingulum quod emisti, quo accinxisti lũbos tuos, & surge atq; abi ad Euphratem, & abscõde ipsum isthic in foramine petræ. Abij itaq; & abscondi ipsum in Euphrate, quemadmodũ Dominus mihi præceperat. Factumq; est, vt post dies multos diceret ad me Dominus, Surge, vade ad Euphratem, & tolle isthinc cingulum, quod tibi præceperam vt isthic absconderes. Profectus ergo ad Euphratem, fodi, ac sustuli cingulum de loco, in quo absconderam ipsum: & ecce computruerat cingulum illud, nec erat vlli rei vtile. Et factum est verbum Domini ad me dicens, Sic dicit Dominus, Sic cõputrescere faciam superbiam Iuda & ingentem istam superbiam Hierusalem. Populus enim ille malus renuit audire verba mea, ambulant in prauitate cordis sui, & sequuntur Deos alienos, vt illis seruiant illósq; adorent, eueniet ergo eis quod isti cingulo quod nulli rei est vtile. Quemadmodum enim cingulum lũbis viri adhæret sic, ego mihi adhærere feci omnem domum Israelis & omnẽ domum Iuda, dicit Dominus, vt essent populus meus, & ad nomen, ad laudem, & ad gloriam: sed non audierunt.

Quando dicta sit Oratio hæc.

ORATIO Ieremiæ 5. comprehenditur hoc integro capite 13. Habitam esse apparet à propheta rebus iam iã deploratis, temporibus nimirùm Ioachim & Iechonię: ac attingit singulariter cùm regem tum reginam,

Argumentum Orationis.

quibus vt & omnibus in regno ordinibus futuram prædicit Babylonicam captiuitatem, in quam sint abripiendi propter peccata sua, quæ qualia sint iterũ perstringit. Interim hortatur nihilominus ad pœnitentiam, viam ostendens qua ex impendentibus eluctentur malis: si videlicet ambulent in luce: quod & suo tem-

Ioan. 9. Galat. 6.

pore Dominus in euangelio suasit Iudæis. Quoniam verò isti sic malis assueuerant, vt mala quæ semel didicerant dedisce nollent, pronunciat eos certè interituros. Hæc proponit ab initio paradigmatis seu spectris visisq; propheticis: deinde apponit etiam horum explicationes verbis disertis. Et sunt quibus videtur id quod de cingulo commemorat propheta gestum esse reuera. Cæterùm Ioan. Oecol. peroptimè, Scias, inquit, non videri rem gestam, sed est visio prophetica. Arbitratur enim se ita agere in visione, quemadmodum in somnijs accidit. Et sic se multa habent in prophetis, vt nuda incessio Isaiæ, nuptiæ Oseæ, somnus Ezechielis ad dies 390. & similia. Tametsi omnia egisse prophetam, vt iussus erat, si contendis, nemo facilè refellat. In qua sententia sunt præcipui Hebræorum. Hæc ille.

Qualis visio prophetæ.

Initio autem proponit similitudinem vel paradigma, deinde subiungit expositionem, ne quid obscurum sit aut dubium. Nam Deus vult omnino intelligi verbum suum. Visio autem talis est, Iubetur à Domino sibi comparare cingulum: alij verterunt baltheum, alij succinctorium, German. alij ein lãder, alij ein vmmschurtz: sed fascia vel cingulum est lineum, ein lynine binden. Nam hodie quoq; cingi solemus fascijs lineis ex lino purissimo vel serico, vt simul ornamento sit, paratis. Iubetur item ne fasciam illam aquis tingat, Sas er sy nienen netze: id est ne aquis abluat aut purget: interim se ipsa accingat circum lumbos, eaq;

vtatur

vtatur, nimirum vt ex frequent' vsu sibi sordes contrahat. Additur his, Pergito autem ad Euphratē, & fasciam abscondito vel conseruato inclusam in foramen, non luti, sed petræ. Quæ quidem omnia cum fecisset Ieremias, multo tempore exacto, iubetur iterum abire ad Euphratem & cingulum ibi depositum refodere. Aperuit ergo petræ foramen, extraxit fasciam, quæ iam sic computruerat, vt nulli rei prorsus esset vtilis. Et hoc quidem est paradigma vel visum prophetæ ostensum à Domino.

Cingulum quid significet.

Cingulo autem vel fascia illa quid significari putamus aliud, quàm populum Iuda fragilem & miserum? Hic à Deo in Ægypto veluti emptus, in terram Chanaan traductus est, vbi multiplicibus peccatis & sceleribus fœdatus, aquis non est ablutus, nulla inquā pœnitentia purgatus. Perstitit enim rebellis in suis facinoribus. Vnde & vltra Euphratem, in captiuitatem Babylonicam est abductus, & ibidem veluti in foramine absconditus petræ, id est in captiuitate graui, vnde eluctare non potuerunt captiui, detentus: vbi etiam computruit, id est ad extremam est redactus miseriam, tantumq; non interijt, adeò vt plerisq; modica esset restitutionis spes.

Semetipsum exponit Dominus

Cæterùm audiamus ipsum Dominum, veram, & hanc ipsam explicationem Visionis adijcientem. Sequitur enim post paradigma, quod hactenus tractauimus, expositio, propheta dicente, Factum est verbum Domini ad me, dicēs, Sic dicit Dominus, ad eundem modum corrumpam vel computrescere faciam superbiam Iuda, &c. Hic ergo finis est & hæc expositio huius visionis, perdendum esse populum Iudaicum, cum vrbe regia Hierosolymorum. Explicat autem causam mali tanti, impœnitentiam, vel assiduum flagitiorum studium, vnde retrahi non potuerunt: ac veluti fundamentum peccatorum collocans, Superbiam vel fastum, inquit, huius gentis contundam. Superbiam Sapiens appellauit defectionis à Deo initiū. Humilitas enim, deiectio & obedientia, ianua est ad omnem pietatem. Qui per superbiam sese deijcere nolunt, nunquam sanas rationes admittunt, quibus rectè instituti curentur à morbis & vitijs. Proinde sequitur quæ illa superbia populi Iudaici fuerit, Populus, inquit, ille malus renuit audire verba mea. Quoniam enim homines ex seipsis se sapere arbitrantur, ideò respuunt prædicationem verbi Dei. Et addit propheta, Ambulant pro libitu & arbitrio ac libidine cordis sui. Nam quod ipsis pro sua sapientia, pro suis adinuentionibus, bonum videtur, id etiam faciunt, non quod Dominus verbo suo ipsis præcepit. De hac loquutione antea non semel diximus. Enascitur autem ex animo sic affecto, idololatria vel alienorum deorum cultus. Alienis, inquit, dijs adhærent, his seruiunt, hos adorant. Hęc scilicet grandia & abominabilia coram Deo peccata sunt, tanto autem crebriora hodie in vulgo, quanto minus creduntur à vulgo peccata esse. Subiungendo autem repetit pœnam, & dicit, Eueniet ergo corruptissimo huic sceleribus populo, quod vsu venit cingulo putrido & nulli rei vtili. Proinde iusto Dei iudicio perit.

Eccles. 10.

Superbia.

Adhæret cingulum lumbis.

His & aliud adiungit quod visionem explicet, Sicut cingulum lumbis arctè astringitur: ita arctissimo fœdere coniunxi mihi populum istum. Variè alioqui adumbratur coniunctio Dei & hominum in scripturis, vt imagine patris & liberorum, regis & subitorum, pastoris & gregis ouium, sponsi & sponsæ vel coniugij, patrisfamilias & familiæ, & in præsentiarum cinguli & lumborum. Sicut enim cingulum lumbis viri adhærescit, ita ecclesia connexa est Deo opt. maximo. De hac coniunctione aliàs dicta sunt plurima. Iam etiam finis, vsus & fructus huius coniunctionis exprimitur à Deo verbis Ieremiæ: vnde discemus ineffabilem Dei erga nos amorem vel gratiam, & salutis nostræ certitudinem, ex qua infallibilem & maximam spem concipiemus. Principiò vocati sumus fide-

Ad quid simus Deo confœderati.

les omnes, vt simus singularis, peculiaris & selectissimus Dei populus. De quo legere est Exodi 19. & 1. Petri 2. Deinde vocati sumus ad nomen, id est, vt per nos celebretur gloria Dei, nosq; simus ex amicitia Dei nobiles & præclari. Sequitur enim, Ad laudem & gloriam vel decus. Quantò autem hæc dona & hæ prærogatiuæ sunt excellentiores, tanto magis excrescit culpa eorum, qui sua inobedientia, impœnitentia & rebellione, indignos se reddunt nobilitate tanta. At subijcit Ieremias, At ipsi audire noluerunt. Q. d. Digni ergo sunt qui abducantur in captiuitatem, & in hac computrescant. Id ipsum & nobis minatur Dominus, nisi fide amplectamur ipsum Dei filium, per quem filij Dei efficimur & nobilitatem consequimur omnium nobilissimam. Domino Deo nostro sit laus, gloria & gratiarum actio semper, &c.

Alio paradigmate ostendit ipsis impendentia mala, simul etiam viam euadendi, quam nisi ingrediantur, abducendos captiuos.

CONCIO LI.

Dices ergo eis sermonem hunc, Sic dicit Dominus Deus Israelis, Omnis lagena implebitur vino. Ipsi verò dicent ad te, An verò nescimus quòd omnis lagena vino impleatur? Tum dices tu illis, Sic loquutus est Dominus, ecce ego implebo ebrietate omnes habitatores terræ huius, & reges qui Dauidi sedent in solio eius, & sacerdotes atq; prophetas & omnes habitatores Hierusalem: & collidam eos quemlibet ad proximum suum, patres quoq; & filios simul, ait Dominus: non parcam, non indulgebo neq; miserebor, quò minus disperdam eos. Audite & animaduertite & ne eleuemini: quoniam Dominus loquutus est. Date Domino Deo vestro gloriam, priusquam tenebrescat, & priusquam pedes vestri impingant in montes caliginosos, & expectetis lucem, ponat autem eam in vmbram mortis & in caliginem. Quòd si istud audire nolueritis, in abscondito flebit anima mea propter superbiam, & lachrymando lachrymabitur, & defluet oculus meus lachrymam: quoniam captiuus abducitur grex Domini.

DIximus Oratione quinta Ieremiam denunciare Iudæis excidium & captiuitatem: interim ostendere viam euadendi mala, si pœniteant, hortari denique ad emendationem vitæ, quæ si non sequatur, prædicere omnia malis fore complenda & luctu miserabili. Vtitur autem nunc alio paradigmate, quo altius rem infigat, vehementius commoueat, & perspicacius sententiam Dei proponat. Videtur hoc paradigma petijsse à præsenti tempore, ab autumno fortasis, qui instabat & vberem vini prouentum polliceri videbatur. Parabant ergo se autumno, componebant lagenas vel dolia vino excipiendo. Nisi quis malit in genere dixisse prophetam, lagenas impleri vino, quo excipiendo sint destinatæ. At ne quid hic ex malitia confingere putaretur, vnde hæc habeat, exponit, nimirùm ex reuelatione & mandato Dei. Deus enim iubet illam parabolam proponere Iudæis Ieremiam, dicens, Dices ergo eis sermonem hunc, Sic dicit Dominus, &c. Connectit autem consequentia præcedentibus, quibus vltimò dixerat, At ipsi non Audierunt. Rectè ergo his infert, Dices ergo eis ex ore meo, Omnis lagena impletur vel implebitur vino. Hæc parabola, hoc paradigma est. Germanicè reddere poteras, Es werdend alle gschirr (oder flăschen/oder lăgelen) voll werden. S. Hier. in Cõment. suis ad Ieremiam testatur Aquilam vertisse lagunculam, Symmachum craterem, Septuaginta vtrem, Theodotionẽ verò vas. Potuisset sanè aliundè vel ab alijs rebus petijsse parabolam, sed à re vinaria maluit. In

Alio paradigmate adumbrat interitum Iudæorum.

luit. In hac enim philosophia fuerunt exercitati, libenterq; commentabantur de plenis obbis, cyathis & lagenis, & rectius intelligebant disputationes de ebrietate institutas, quàm de sobrietate: quam ob rem etiam interierunt. Vtinam verò nostris hominibus nostræ ætatis hæc philosophia aliquãdo dediscenda non dudum perspectissima esset. Sic enim minus periculi nobis impenderet omnibus.

Parabola à vinaria petitur, quæ vinosis proponatur hominibus.

Ista hactenus de parabola diximus. Sequitur porrò parabolæ expositio, quam ipse subnectit dominus, quò minus sit difficultatis aut obscuritatis in re quam dominus omnino vult intelligi. Huiusmodi autem est quod dicit, Cum tu eis posueris hoc veluti ænigma, Omnis lagena implebitur aut impleri solet vino, ipsi excipient hanc tuam propositionem ac dicent, Quasi verò rem nouam nobis dixeris. Alioqui enim nouimus hunc esse lagenarum vsum vt vino impleantur. Vel, Cognouimus ex botrorum copia vberem huius anni prouentum vini futurum, ideoq; dolia implenda fore omnia, etiamsi huius tu nihil monuisses, Ieremia. Hanc ipsius populi responsionem sic excipere iubet dominus, Sic locutus est dominus. Id quod repetit, ne videretur vates ex seipso confingere, ex inuidentia, id quod adfert. Proinde ex nomine & ore domini subijcit, Ecce ego implebo ebrietate, &c. Per lagenas ergo vel dolia intelligimus homines. Et recte quidem lagenis conferimur propter imbecillitatem humanam seu fragilitatem, quodq; vacui sumus bonis omnibus, inanes virtute & peccatores. In qua re explicanda copiosus est S. Hieronym. in explicatione huius loci. Significanter verò enumerat omnis ordinis & generis homines, supremos & infimos, sacerdotes & plebeios, vt omnes & singuli intelligerent sibi instare certam perniciem. Nec sine emphasi dicit reges Dauidis sedere in solio, quasi per vim illud sibi vsurpẽt, qui careant Dauidis pietate & destituantur virtutibus necessarijs ijs qui ad gubernandum Dei populum in throno illo collocantur à domino, nempe veritate, iustitia & misericordia. Nam Isaiæ 16. ita legimus. Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super eo in veritate, & in tabernaculo Dauidis iudicans & quærens iudicium, & velociter reddẽs quod iustum est. Cæterùm neq; Ioachim neq; Iechonias tales se in solio Dauidis exhibebant, neq; sacerdotes aut prophetæ vel prædicatores suum faciebant officium, sed & vniuersus populus corruptus erat totus, digni erant itaque qui percuterentur spiritu ebrietatis.

Per lagenas intelligũ homines.

Sedere in solio Dauidis.

Exponitur Paradigma ab ipso domino.

Ebrietas in scripturis duplicis inuenitur generis. Est enim corporalis ebrietas, qua animi & corporis ratio atque sensus sopiuntur, corpus prostratur vel vacillat, impingit, & in obiecta illiditur. Animi ebrietas est cæcitas mentis, inopia iudicij, & oppressio totius hominis ab ira Dei. De hac Isaias in capite 29. Obstupescite, inquit, & hærete, fluctuate & vacillate, inebriamini, & non à vino, mouemini, & non ab ebrietate. Quoniam miscuit dominus vobis spiritum soporis, claudet oculos vestros, &c. Et in 51. capite. Audi tu paupercula & ebria, sed non à vino. Hæc dicit dominus, Abstuli de manu tua calicem soporis & fecem calicis furoris mei, vt vltra non bibas eum, &c. Quapropter cum Ieremias nomine Dei dicit implendos omnes vino ac inebriandos, nihil aliud dicit, quàm omnes ira dei implicandos, amentia & cæcitate percutiendos, necubi tantillum restet in periculis iudicij, necubi vllum pateat effugium, sed cadant & impingant, conterantur & sese mutuùm conficiant & perdant omnes. Sequitur enim, Et collidam vel complodam quenque ad proximum suum, etiam patres ad filios, vt in his periculis ne naturæ quidem iura tantillum valeant, sed omnia furore domini perturbentur, neque aliud versetur ob oculos, quàm atrox, certissimus & luctuosissimus interitus. Et quoniam homines sibi in huiusmodi minis dei pollicentur clementius deum acturum cum ipsis, quàm prædicatores morosi minitentur, subijcit protinus, Non parcam, nõ

Duplex ebrietas, corporis & animi.

Nemo pollicẽtur sibi impunitatem.

indulgebo, neque miserebor, quò minus perdam eos. Varijs vocibus eandem rem expressit, ita tamen, vt intelligant isti nullam sibi qualemcunque gratiam exhibendam. Gratia enim vel clementia pro diuersitate condonandi aut dissimulandi vel differendi, quodammodo varia est. Sunt autem hæc horribilia quidem, sed vera tamẽ, dei iudicia, quæ etiam hodie expectent tandem, qui nullum pœnitentiæ locum apud se relinquunt, sed omnibus sceleribus adde & corporali ebrietate sese ingurgitant, contemptuq; verbi Dei grauissimam in se iram Dei prouocant.

Venia lapsis conceditur. Porrò ne quis ex postremis prophetę verbis colligeret, nullam apud Deum veniam restare lapsis, iucundiora protinus subdit, & medicinam malorum ostendit, & omnes ad emendationẽ vitæ vel ad pœnitentiã hortatur, simul etiam modum prescribens quomodo pœniteant, quid agant, & quomodo vias vel mores suos emendent: id quod hic propheta perfrequenter facere solet.

Vera pœnitentia. 1. Audiendum vel auscultandum est ante omnia. Qui enim aures & animos occludunt prædicationi verbi Dei, incurabiles sunt. Nam fides ex auditu, auditus autem ex verbo euangelij. De qua re copiose apostolus disseruit, Rom. 10.

2. Animaduertendum est, id est, non audiendus duntaxat sonus transiens, sed animo quod dicitur excipiendum & retinendum est: vt secundum verbum domini instituamus omnia dicta & facta, adde & cogitationes nostras. Sic *Lucæ 2.* scribitur de beata virgine, Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens vel versans ipsa in corde suo. Et Dominus in Euangelio, Beati, inquit, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

3. Cumq; verbũ domini audimus, non superexaltandus animus noster, nõ *Superbia.* superbiendum nobis. Superbia quæ non non submittit se dei mandato, vnicum est & maximum impedimentum fidei & pietatis. Nam qui putat se esse sapientem & iustum, verbum Dei, accusans nostram stultitiam & iniustitiam, non au- *Ioan. 9.* dit. Ideò ad pharisęos dixit dominus in Euangelio, Si cæci essetis, id est humiliter agnosceretis cæcitatem, corruptionem & peccata vestra, non haberetis peccatum, id est peccatum non imputaretur sed dimitteretur: nunc verò cum dicitis, Videmus (quæ superborum vox est, Lucæ 18.) peccatum vestrum manet. De superbia hac superius quoque dictum est.

Credere verbo dei. 4. Addit rationem cur loquente domino non debeamus superbire, Quoniam dominus locutus est. Quis verò non cedat & palmam præbeat domino vniuersorum, veraci & iusto, loquenti? Is dicit nos esse stultos, iniustos peccatores: quis adeo impudens, vt dicat mentiri veritatem? Ergo si vera dicit, cur non credimus veritati? Requirit ergo hæc sententia, Quoniam dominus locutus est, vt credamus indubitata fide verbis Dei. Absq; fide Deo placere non possumus.

Dare deo gloriam. 5. Date domino deo vestro gloriã. Æquum sanè vt cum dominus sit deus, & Deus quidem noster, ipsi, vt Deo, demus gloriam. Quid est autem Deo dare gloriam? Id licet vtcunq; ex idiotismo Germanico intelligere. Nam rixantibus aliquibus de re aliqua, ac vtrisq; vincere volentibus, interponit se aliquis sequestrem, & alteri dicit, Lieber biß du zů friden/vnd laß oder gib dem die eer. Ne pergas altercari & te isti opponere, cedito illi: Laß jn waar haben: præbeto illi herbam, ceu victori qui meliorem habet causam, tu deteriorem, ac precare vt tibi condonet, &c. Proinde Deo damus gloriam, cum agnoscimus illum solum veracem esse, bonum, sanctum, iustum & iustificantem: nos autem esse peccatores, iniustos & perditos: vnde & humiliati veniam deprecamur, orãtes vt ipse nos iustificet, sanctificet & conseruet. Ita ferè Iosue ad Achan dixit, Ios. 7. Da quęso, fili mi, gloriam Domino Deo Israelis, & da illi cõfessionẽ, & indica

& indica mihi quid feceris, &c. Quoniam enim Dominus sorte te prodidit, noli contendere cum Deo, sed fatere te talem qualem ille te prodidit, precareq; delicti veniam, &c.

6. Quoniam verò omnes procrastinamus pœnitentiam, subdit Dominus, Et ista quidem facite priusquam tenebræ ingruant. Manifestum autem est per tenebras intelligi non tantùm peccata, sed etiam omnis generis calamitates, cùm præsentis, tum futuri seculi. Quemadmodum ergo Dominus in euangelio dixit, Operamini dum dies est, veniet nox, in qua nemo operari poterit: ita nunc quoq; à temporis opportunitate argumentans Dominus in Ieremia, Bene vtamini, inquit tempore vobis concesso, quod cum nunc tranquillum sit, appositissimum est emendationi, adeò vt nisi nunc emendemini, pro tranquillo tempore habituri sitis tempus turbulentissimum. In tenebris impingimus in lapides & obuia quælibet. Ieremias verò obijcit hic ambulantibus in obscuro montes caliginosos, id est, impedimenta & offendicula & maxima & tristissima, quę amoueri nequeant. Insuper, Agite pœnitentiam, ait, ne dum expectatis lucem, id est, felicia quęq;, excidatis spe vestra, ac de repente immergamini vmbræ mortis & caligini crassissimæ, id est, malis letalibus, ac talibus omnino, ex quibus postea non liceat emergere.

Non procrastinandam esse pœnitentiam.

7. Postremo loco iterum repetit pœnas ac calamitates, si harum metu perpellere possit ad pœnitentiam. Dicit enim, Si verò istud meum consilium de emendatione vel pœnitentia audire vel recipere non vultis, in barbarissimam abducemini captiuitatem, neq; aliud restabit, quàm luctus funestissimus & omnium longè miserrimus. Hoc vt altius animis eorum infigeret, quid ipse propheta in tantis malis facturus sit ostendit, & explicat, Flebit anima mea, ait, in occultis vel in abscondito. Qui enim graui aliquo dolore fatigantur, abscondunt se & in occultis flent abundè satis, & sortem suam apud se ex animo affatim deplorant, abundantissimè videlicet & plus quàm miserabiliter. Addit, Propter superbiam vestram, nimirùm quòd humiliari & Deo subijci non vultis. Et iterum, Lachrymando, inquit, lachrymabitur anima mea. Quæ anadiplosis Hebraica vehementiam lachrymarum maximam significat, quam sit profusurus, & quidem ex animo rursus. Vnde verti potuisset, Miserè plorabo. Quibus tertium accedit, Et defluet oculus meus lachrymam: vel oculi mei in lachrymam planè resoluentur. Vel profundent miram aquarum copiam. Atqui ista amplificatione graui, (qua sanè vehementior non inuenietur in ethnicorum præstantissimis oratoribus) nihil aliud quàm grauem luctum adumbrare voluit. Nam sub finem adijcit, quod sensum absoluit, Quoniam captiuus abducitur grex Domini. Manifestè enim nunc sese veluti explicans, vno verbo dicit captiuos in Babylonem abducendos. Interim exhibet nobis propheta lugens elegãs boni pastoris exemplum, qui patris instar deplorare debet filiorum infelices casus. Dolet autem meritò prophetæ, gregem, id est, populum Domini, abduci captiuum ab idololatris: non tamen hoc illi tantum doluit, quantum illud, quod cum ex vocatione Dei essent ouiculæ Domini, maluerunt tamen alienos audire, quàm pastorem verum, quo nomine indignationẽ Domini in se prouocarũt, vt iam captiuos abduci sineret. Et sanè cupit vel hodie quoq; Dominus, vnicus & verus pastor ecclesiæ, agnosci solus ab ouiculis: sed si hæ nolint in Christum credere, malint autem sathanam audire in pseudopastoribus loquentem, quid mirum si caula dilacerata ouiculæ imò hœdi potius abripiantur in exitium & perniciem, in Turcicas captiuitates, & in interitum sempiternum? Dominus misereatur nostri, & seruet nos secundum magnam eius misericordiam. Amen.

Imago funestissimi luctus.

Absque visionibus & figuris Regi & reginæ captiuitatem prædicit, eosq; obiurgat grauiter, & causas captiuitatis adiungit.

CONCIO LII.

Dic Regi & reginæ, Humiliamini & sedete: quia decidit de capite vestro corona magnificentiæ vestræ. Vrbes ad meridiem clausæ sunt, nec est qui aperiat, totus Iuda abductus est, in vniuersum abductus est. Attollite oculos vestros, & contemplamini eos qui veniunt ab Aquilone. Vbi est grex, qui datus est tibi, grex magnificentiæ tuæ? Quid dices cum te visitabit? Et tu quidem docuisti eos, vt contra te duces & capita sint. An non dolores te inuadent sicut mulierem parturientem? Et si dixeris in corde tuo, Quare euenerũt mihi ista? Propter magnitudinem iniquitatis tuæ retectæ sunt fimbriæ tuæ, & discooperta sunt plantæ tuæ. Num mutabit Æthiops cutem suam, & pardus maculas suas? etiam vos poteritis benefacere qui assueti estis malefacere. Ego dissipabo eos quemadmodum stipula transit ad ventum deserti. Hæc sors tua & pars mensuræ tuæ à me est dicit dominus, quæ oblita es mei & confisa es in mendacio. Et ego fimbriam tuam nudabo super faciem tuam, vt appareat ignominia tua. Adulteria tua & hinnitus tuos, fœdam fornicationem tuam in collibus & in campo & abominationes tuas ego vidi. Væ tibi Hierusalem, non mundaberis in posterum? Quando adhuc?

Argumentum huius orationis

HActenus in genere & per parabolas ac visiones prædixit propheta populo Iudaico, abducendos propter peccata in captiuitatem, his autem prophetę verbis iam nũc recitatis, sigillatim ac nominatim ipsum regem & reginam compellat duriter imò acerbissimè, denuncians his peculiariter deijciendos fore regno, & omni exuendos gloria, adoperiendosq; omni ignominia. Imò cum his acriter expostulat. Adiungit vrbes fore capiẽdas, & populum in captiuitatem abducendum. Ac pro more suo causas tanti mali exponit, ipsos videlicet sic assueuisse malis, vt non possint aut velint emendari. Postremò concludit orationem, & miscet pœnam & scelera, quibus pœnæ se obligabant. Orationis huius pars postrema vehementissima est, breuibus sententijs salita, interrogationibúsque exasperata, & varietate conscissisq; membris concitatissima.

Iubetur propheta regem accedere.

Mandat autem prophetæ dominus, vt accedat regem, nimirùm Iechoniam & reginam, matrem vel etiam vxores regis. Nam ita scribitur 4. Reg. 24. Transtulit Nabuchod. & Ioachin in Babylonem, matrem regis, vxores regis, eunuchos eius, atque potentes terræ, hos abduxit in captiuitatem. Lege tu cætera. Iubet his, & nimirum aulæ vniuersæ, ordinisq; nobilium & principum, molliq; & delicato gynæceo, certissimam denunciare captiuitatem. Absorbet autem paucissimis verbis totam istam florentissimi regni gloriam ac maiestatem, ita vt nullum inueniatur vel vestigium reliquum. Humiliamini, inquit, & sedete, quia decidit de capite vestro corona gloriæ vestræ. Quod futurum & certò quidem futurum erat, ipse quasi iam factum denunciat. Superbiebant omnes in aula, & fastu intolerabili efferebantur. Propheta ergo vel simpliciter denunciat eis ipsos fore deijciendos ac degradandos, quod dici solet: vel suadet illis demissionem, & vt pœnitentium instar in puluere sedeant ac se volutent. Quod nisi faciant, deum ipsos depositurum è throno, & coronam ex capitibus decussurum, omnemq; dignitatem & maiestatem regiam ablaturum ac conculcaturum. Hæc aũt omnibus hodie quoq; principibus & magistratibus minatur Dominus, si ipsi quoq; moribus referãt impios & contemptores verbi Dei Iudaicos

hos principes. Discunt isti vel ex hoc Ieremiæ loco, se etiam subiectos non exemptos esse verbo Dei & reprehensionibus eius. Quidam arbitrantur seditiosum esse si ministri reprehendãt magistratum vel principes. Quasi verò ad hos nihil pertineat verbum Dei. Ergò ne à Deo alieni sunt? Cuius ergo nomine & authoritate præsident? Si agnoscunt Dei munere se præsidere, patiantur etiam se dirigi, corripi & coerceri verbo eiusdem. Certè potentissimum regem Pharaonem verbo Dei corripuit Moses. Ita Saulem, Samuel, Azarias & Hanani prophetæ Asam regem, Iehu quoq; Iosaphat, Achabum item & Ochosiam Helias, Ioram Heliseus, Ioam Zacharias, & Herodem Ioan. Baptista.

Reges quoque & principes verbo Dei obiurgari debẽt,

Sicut autem regem cum tota aula paucis verbis deiiciendum vel degradãdum adeoq; in nihilum redigendum significauit: ita mox munitissimas Iudææ vrbes dissipandas, & vniuersum populum perdendum atq; in captiuitatem abducendum, breuissima sententia, veluti deglutit. Vrbes ad meridiẽ, inquit, qua parte omnium erant instructissimæ & munitissimæ, clausæ, nimirùm obsidionibus grauissimis sic obsessæ sunt, vt non possint aperiri, id est obsidione solui. Capiebantur ergo ab hoste. Itaq; vniuersus Iuda abductus est, nimirùm in captiuitatem, illi inquam qui cæsi non sunt. Et ne quid residui videretur relinquere, addit mox, In vniuersum abductus est. Id quod Hebraica dialecto pronunciauit, Emigrauit in perfectionibus, vel perfectè, id est tota vel penitus abijt in captiuitatem. Ac historia indicat terram tandem hanc hoc onere sceleratissimorum hominum penitus fuisse leuatam exoneratamq;.

Vrbes capiendas, & populũ abducendum

Quoniam verò rex cum sua aula nõ credebat verbo Dei, neq; ea futura putabat, quæ experiebatur tamen postea, ceu digito ad eam plagam terræ extento, vnde ingrediebatur in Iudæam hostis, iam velut irruentem ostendit, & ait, Attollite oculos vestros, &c. Quasi diceret: Verbis meis credere non vultis, ergo sensui oculorum ne pergatis contradicere. En irruit ab Aquilonari plaga Nabuchodonosor. Contemplamini inquam, quàm instructa sit eius acies, quàm selecta militia & clara. Et quidem videtur hæc oratio non diu recitata fuisse ante exitium.

Digito illis indicatur hostis.

Mox autem conuerso sermone ad regem ipsum, in hisce turbis, in strage & captiuitate veluti præsente populi, sadoritur attonitum & grauiter cum ipso expostulans, dicit, Vbi est grex qui datus est tibi? pecus inquam illud tuum inclytum, vel, Oues tuæ magnificentiæ? Grex quidem ille, populus Iudæorum, Dei erat populus, sed creditus fidei regum, ceu pastorũ. Miserè ergo discisso populo, dispersо, & iam captiuitati destinato, conuulso autem regno, vastatis item vrbibus, totaq; regione incendio & sanguine fædata aggreditur regem, & his ceu in conspectu eius expositis, ad hunc propè modũ loqui videtur. Vides rex, quò tua ignauia & malitia res miseri reciderint populi. Hic tibi creditus fuit à Deo, vt tua fide, cura & diligentia rectè haberet. Et quidem inclytus fuit populus, gloria regni illustris, adeò vt tu quoq; ex his fueris factus celebris. Vbi verò nunc est inclytus ille populus? vbi gloria regni clarissima? vbi decus regium? vbi est felicitas terræ illius beatæ? Tua culpa & tuorum perierunt ista omnia, exundauitq; malum & infelicitas, & oppressit omnia. His opponit acrem stimulum, Quid dices cum te visitabit? Quid dices obsecro in miseria tanta? Quid verò respondebis Deo? Quò te vertes imminente iam & obtinente hoste omnia? Hæc aut paria saltẽ sciat sibi in calamitatibus dici quilibet, cui populus Dei creditus est, cuius curam non bonam gerit. Obseruent ergo hæc principes, magistratus & patresfamiliâs. Curent itaq; sedulò, ne vlli ipsorum fidei crediti, ipsorum pereant culpa.

Expostulatio cum rege.

Ac ne diceret rex cum suis principibus, nulla sua culpa aduentare hostem

Tu docuisti eos, &c.

tam infensum & perdere omnia tam crudeliter, præoccupat Ieremias & ait, Et tu quidem docuisti eos, vt contra te duces & capita sint. Etenim Achaz dixit ad regem Assyriorũ, Filius & seruus tuus sum, veni & erue me de manu hostium. 4. Reg. 16 Ezechias ostendit omnes regni thesauros legatis Babylonijs. Ac tum quoq; audiuit à Domino, Seruient in aula principis Babylonici filij tui atq; nepotes. Sed & Ioachim pater Iechoniæ perfidè defecit à Nabuchodonosore ad Aegyptium, & hostem grauem, Babylonium videlicet, sibi ipsi in caput suum conciuit. Ita ferè solemus hodie Turcarũ principem in nostrum prouocare exitium, ac principes duros nostris imponere capitibus, qui alioqui per Dei gratiam liberius viuere poteramus.

Dominus eripit & dat corda.

Rursus verò ne rex & principes iactarent contra hæc vires suas & instructũ exercitum populi, alioqui non imbellicosi, quem obijciant hosti irrũpenti, præoccupat & hoc, & ait, An non dolores te inuadent, sicut mulierem parturiẽtem? Nos diceremus, Wirſt aber denn nit zůr kindbetteren werden? Dominus enim qui animum ac vires dat, easdem, quando vult, detrahit, & fortissimos quosque eneruat. Nemo ergo confidat rei militari, hominum copijs, & rebus carnalibus in mundo. Dominus confert victoriam, & confert hanc quando & cuicunque voluerit. Timeamus ergo Dominum & confidamus ei.

Causæ malorũ.

Iam verò ostendit causas captiuitatis futuræ iustissimas, idq; per occupationem, Si, inquit, apud te, ô rex, & populе Iuda, cogitare cœperis, cur tot vndiq; calamitatibus adobruaris, scias te hoc acceptum ferre debere maximis tuis iniquitatibus, Nephanda tua te perdunt flagitia. Propter hæc reteguntur tibi tuæ fimbriæ: propter ipsa discoperientur tibi plantæ tuæ vel crura tua. Id est, scelerum tuorũ causa adobrueris omnigena ignominia. Matronarũ enim decus est si vndiq; tectæ sint, ne quid earum rerum quæ honestè latent, retegantur. Dedecus ergo summum est ipsas detegi. Significatur præterea ipsos nudos & inopes in captiuitatem fore pertrahendos. Porrò memorabili & eleganti sententia subiecta ostendit ista omnia ipsis euentura, quòd malis sic assueuerint, vt emendari nec velint nec possint. Eadem significat quãtum malum sit semel assueuisse pessimis. Difficillimè enim mutantur quæ per assuetudinem veluti in naturam transierunt. Consuetudo enim est veluti altera natura. Duas autem adducit similitudines elegantissimas & mirè appositas, alteram ab Æthiope, cui ineſt natiuus nigror, quem accidere putat Plinius ex vicini syderis vapore: alteram verò à Pardali vel Panthera maculosa punctisq; varijegata. Quòd si diligenter laueris Aethiopem aut pardalim, quò atrorem vel maculas natiuas abluas, non admodùm feceris operæprecium. Et hactenus quidem parum effecerat Ieremias diligenti sua apud Iudæos prædicatione, qua ipsos reuocauerat ad pœnitentiam. Contraxerant enim atrorem scelerum, veri (sed spirituales quod dici solet) Æthiopes: & varietate referebant pantheras, varietate inquam religionis & morum exoticorum. His ita assueuerant, vt rectè per comparationem dixerit Ieremias, Si Aethiops atram potest mutare cutem, pardalis suam ponere varietatem, & vos benefacere potestis, qui malis estis assueti. Cæterùm isti, quod à natura habẽt, non deponunt: ita nec vos ab assueta idololatria, ab exoticis moribus, à flagitijs atq; peccatis receditis, vtcunq; à Deo per prædicationem pœnitentiæ admoneamini. Ac sanè experientia docti nouimus quàm difficile sit semel assuetæ militiæ, aduaritiæ, libidini vel amoribus, alijsq; corruptelis renunciare. Interim tamen hũc Ieremiæ locum in hanc referimus classem in quam illam Domini sententiam, Amen dico vobis, diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnũ Dei ingredi. Apud Marcum enim adijcit Dominus, Apud homines quidẽ impossibile est, apud Deum autem non

Num mutabit Aethiops pellem?

Quod apud homines impossibile est, apud Deum possibile est.

autem non item. Nam omnia possibilia sunt apud Deum. Ita sanè difficillimum est semel assuetis desuescere malis, si imbecillitatem & corruptelam hominis spectes: at si Deus spiritu suo pectora nostra inflammet, mutabimur protinus in alios homines. S. Hieronymus hunc locum explicans, Hoc quod hominibus inquit, impossibile est, Deo possibile est: vt nequaquam Aethiops & Pardus suam videantur mutare naturam, sed ille qui in Aethiope operatur & pardo, dicente apostolo, Omnia possum in eo qui me confortat Christo. Vnde & in alio loco, Amplius, inquit, illis omnibus laborauí: non ego autem, sed gratia Dei quæ in me est. Et iterum scriptum legimus, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quas ob causas non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitijs suis, nec pudicus in sua pudicitia, sciens quòd in omnibus his Christi virtus sit, nõ eorum qui in suis viribus gloriantur. Hæc ille.

Subijcit his iterum propheta supplicium assuetudine peccandi & vita impœnitenti commeritum. Ego, inquit Dominus, dissipabo eos, id est disperdam. Et addit parabolam, qua ostendit se nullo negotio istos perditurum. Confert enim ipsos stipulis, quibus nihil leuius ac imbecillius. Iram ac potentiam suam comparat vento à deserto spiranti, qui omnium erat vehementissimus validissimusq; *Dissipabo vos ceu stipulam.*

Post hæc concludit concionem hanc quintam. In conclusione miscet supplicium & culpam. Orationis genus est ardentissimum, rebus difficilibus & periculosissimis maximè idoneum. Hanc, inquit Dominus, à me mercedem accipies pro tuis meritis. Mensuram tibi conferam cumulatam & confertissimam, exundantem omne genus calamitatum. Et hoc pertinet ad significationem pœnæ. Causa est autem huius pœnæ vel supplicij, Obliuio Dei, & fiducia in mendacium. De obliuione Dei dictum est oratione prima. Confidebant dijs alienis, idolis, cultibus illegitimis, fœderibus impijs, & rebus omnino carnalibus. Fiduciã verò collocantibus in carnem, maledicit Ieremias in cap. 17. Rursus autem ad pœnam adumbrandam pertinet quod sequitur, Et ego fimbriam tuam nudabo, &c. De eo locutionis genere dictum est antea. Deus delegit sibi hanc gentem, vt esset Dei veluti sponsa castissima & matrona nobilissima: cæterùm cum maluit scortum esse putidissimum, commeruit à marito Deo deseri, & relinqui idololatris scortatoribus qui retegerent, vti scortum triobolare merebatur, eius verenda, summaq; ipsum ignominia afficerent. *Conclusio orationis.*

Iterum verò ad causam malorum pertinent sequentia, quibus exponit quibus modis peccarint & irã domini in se ipsos prouocauerint. Vidi, inquit, in cãpo & collibus, nimirum vbiq; terrarum, tua adulteria. Loquitur autem potissimùm de spirituali adulterio, de idololatria inquam: (quanquam non negem & de carnali posse etiam intelligi) de qua sæpius dictum est in superioribus concionibus. Per hinnitum effrenem intelligit libidinem, & prodigiosè stupendam superstitionem. S. Hieronymus fœdam parabolam fœdè explicat. Et Ieremias scelus ipsorum amplificans, alia quoque adijcit, peccatum ipsorum appellãs infandum scelus fornicationis atq; fæditates. Quibus epithetis ornat idololatriam & illegitimum cultum Deo exhibitum. Videant ergo quid mereantur, qui Deum electitio cultu honorare contendunt. *Adulterium spirituale.*

Postremò exclamat maximo cum affectu, & ait, Væ tibi Hierusalem, paucis his omne genus malorum miseræ vrbi interminans: ac' addit, Quando tandem videbitur tibi opportunum, vt purges fœditatem tuam? Quando tandem? Nos dicimus, Wãrs nit dalame zyt: Dominus concedat nobis, vt verè mundemus omnes immunditias nostras, &c. *Miranda eloquentia.*

ORATIO IEREMIAE SEXTA.

Rursus de calamitate futura disserit propheta, chorographia quadam describens siccitatem atque adeò sterilitatem, deinde conuertitur ad preces, suo exemplo, quid populus quoque faciat ostendens.

CAPVT XIIII.

CONCIO LIII.

VErbum Domini quod factum est ad Ieremiam, de rebus retentionum. Luxit Iuda, & portæ eius desolatæ sunt, mœrore affectæ vsq; ad terram, & clamor Hierusalem ascendit. Maiores eorum miserunt minores suos ad aquas, qui cum ad fontes venissent, & aquas non inuenissent, reuersi sunt pudefacti cum vacuis suis vasis, & præ pudore caput suum operuerunt, eò quod terra emarcuit: quia non descendit pluuia, pudefacti sunt agricolæ, & operuerunt caput suum. Quin & cerua peperit in campo & dereliquit, eò quod non esset herba: & onagri steterunt in verticibus ventum haurientes, instar draconum, defecerunt oculi eorum, eò quod non esset herba. Si iniquitates nostræ respondeant nobis, fac Domine propter nomen tuum: quoniã rebelliones nostræ multæ sunt, & contra te peccauimus. Expectatio Israelis, & saluator eius in tempore tribulationis, cur fieres sicut peregrinus in terra, & quasi viator qui diuertit ad pernoctandum? Cur fieres sicut vir attonitus, & sicut fortis gigas qui seruare non potest? Tu autem Domine in medio nostri es, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne ergo derelinquas nos.

Argumentũ orationis sextæ.

ORATIO Ieremiæ 6. extenditur ab hoc 14. capite vsq; ad caput 18. & est denunciatoria. Denunciat enim populo Iuda quæ sint passuri propter peccata, obiurgat item eos propter peccata, hortatur quoq; eos ad pœnitentiam, ostendens nulla re eos malum effugere posse, nisi emendatione vitæ. Ergo confutat illa quibus illi frustra confidebant, sperantes se mala effugituros omnia. Digreditur autem à proposito, & exponit colloquium peculiariter habitum ab ipso cum Deo de munere prophetico. Quibus absolutis rursus peccata commemorat & pœnam, ostendens etiam quæ si vera felicitas. Concludit tandem orationem, hortans vehementer ad sanctificandum sabbatum. Elegantissimam itaq; vtilissimamq; orationem esse hanc claret, cùm quòd res tractat maximè necessarias cognitu, tum quòd eas pulcherrima ratione tractat. Disseritur de calamitatibus, & in primis de fame & annonæ caritate, de oratione & intercessione, de functione prophetica, de vera felicitate, de religione sabati, & c.

Titulus huius orationis, Retentio.

Titulum ponit ab initio. Duo continet, & quis author sit huius orationis, & quodnam eius subiectum vel argumentum, quæue eius materia sit. Author orationis Deus est, qui omnia quæ Ieremias profert, per Ieremiam veluti organum profert. Verbum, inquit, Domini quod factum est ad Ieremiã. Materia verò de qua agitur, vel argumentum quod tractatur est de rebus retentionũ. Bazaroth vulgata versio reddit, De sermonibus siccitatis. Chaldæus intellexit de æstu flagrantissimo. Alij verterunt, De negotio penuriarum. Alij, Sermo Domini super

rebus

rebus impedimentorum. Ego illos sum sequutus qui conuerterunt, De rebus retentionum vel prohibitionum, pluuiarum vtique vel aquarum. Sequitur hanc siccitas, illam verò sterilitas & inopia rerum omnium, fames inquam omnium calamitatum miserrima. Est enim omnium miserrimum emori fame. Germanicè paulò copiosius reddere poteris, Von dem handel des verhaltens/dürre vnd thüre.

Initio Chorographia quadam per Hypotyposin proponit siccitatis sterilitatisq; calamitatem maximam, deinde verò subiungit preces. Picturæ illa siccitatis euidenti & iudicium Dei iustum oculis omnium subijcere, & peccatores vult terrere, si resipiscant adhuc: ostendit præterea omnibus ætatibus, quid ipsis quoque in simili casu vsuuenire possit, ideoq; monet sibi caueant in tempore. Scien dum autem in præsenti, solum Deum esse authorem pluuiæ, serenitatis, fertilitatis, sterilitatis, deniq; tempestatum omnium: quas pro sua bona voluntate & secundum iustitiam suam dispensat. Testimonia scripturæ euidentia si quis audire cupiat, legat Leuit. 26. Deut. 11. & 28. cap. Ipse ergo solus moderatur cœlum, aperit ipsum & claudit. Quanquam enim vtatur elementis & impressionibus, ipse tamen à fidelibus vnicè respiciendus est, & non duntaxat organa vel instrumenta quibus vtitur. Seducunt semetipsos, qui omnia sua dirigunt ad Practicarum præscripta, annisq; alios Dominos, velut planetas, quàm solum Dominum Deum præficiunt. Repete hic quæ dicta sunt decimo capite Ieremiæ.

Siccitatis descriptio.

Author Deus pluuiæ, &c.

In genere verò dicit totum regnum Iuda lugere: deinde luctum illum veluti per partes explicat. Portas enim eius, locum inquam iudiciorum, in quo potentes & omnis ordinis homines conueniebant, dicit esse desolatas vel deformatas, id est homines, vel non frequentes in portas coire, sed domi latitare in luctu: vel lugubri veste & neglectos progredi, ex dolore propter publicam calamitatem concepto, in portas. Sequitur enim quod hunc sensum quodammodo reddit, Mœrore affectæ, vel obscuræ vsq; ad terram. Nam atrati vel pullati incedebant, depressiq; in ipsam propè vsq; terram, reptabant verius quàm incedebant. Ita enim fit in vrbibus & populo, quando insignis aliqua calamitas homines exercet. His accedit, quòd clamor Hierusalem ascēdit, nimirum in cœlum. Qua notatione significatur ingentem vndiq; clamorem attolli, propter angustias maximas. Atq; in has angustias detrudunt & redigunt nos peccata nostra. Porrò quid in siccitate & aquarum inopia fiat, consequenter annotat elegantissimè & ait, Maiores, id est parentes atque Dominos misisse seruos & liberos suos ad inquirendas aquas in putetis, cisternis ac scaturiginibus, sed cum vbiq; spe sua frustrati, nihil inuenerint, redijsse ac vacua reportasse vasa, pudefactos. Cœperunt ergo omnes caput obnubere: qui lugentium est habitus, maximè quòd indies magis magisq; cernerent tellurum marcescere. Alij legunt, Terra erat contrita: alij, Terra erat perculsa: alij, Terra erat deuastata: sed reuera emarcuit, quia fissa hiabat præ ariditate: was zerſch: unden. Sequitur enim, Quia nō pluebat super eam. Repetit hic iterum gestum lugentium, ac dicit, pudefactos agricolas obuelasse capita sua. Perierat enim omnis spes prouentus agri. Deinde ceu Icone adumbrat quanta fuerit agri siccitas inopiaq; rerum omnium. Addit enim superioribus quid fecerint feræ syluestres. Cum enim hinnulus vel cerua naturá vehementur afficiatur erga fœtum suum, vt quiduis potius patiatur & faciat, quàm deserat illum: quia tamen neq; pabulum habuit, neq; potum, necessitate adacta, relinquit in campo fœtum, ac excurrit pabulatum. Onager (de quo dictum est antea) hausit aerem in verticibus montium, interim præ pabuli inopia defecerunt ei oculi. Loquentes autem de ijs quæ penuria rerum marcescūt animalibus, Germanicè dicimus, Im ſind die augen yngefallen. Quasi tu dicas, actum est

Luctus designatio.

de salute ac vita eius, Nam cum oculi deficiunt & quodammodo coincidunt, in propinquo est mors vel interitus. Hæc omnia pertinent ad descriptionem siccitatis ac penuriæ.

Oratio prophetæ, docens nos orare in aduersis tempestatibus.

Sequitur precatio prophetæ. Nam prophetarum est in omnibus periculis & afflictionibus precari pro salute populi. Et suo quoq; exemplo docet, quid faciat populus, & quidem quilibet, quouis etiam tempore, dum ingruunt graues huiusmodi tempestates vel calamitates. Videtur autem orationis genus mox ab initio idiotismo linguę sacrę defectuq; quodam obscurari. Nam dicit, Si iniquitates nostræ respondeant nobis: pro eo quod est, si nobis pro nostris rependendum fuerit iniquitatibus. His mox subiiciendum erit, quo defectus orationis sarciatur, merito quidem nobis hæc eueniunt, meritò punimur tam atrociter. Digna enim factis nostris recipimus merita. Mox tamen addit, Sed prouocamus à tua districta iustitia, ad paternam clementiam, ac oramus, vt respectu nominis tui solius, nostri miserearis, & facias quæ ad salutem nostram pertinent, id est sis nobis clemens & propitius, qui non secundum merita nostra, sed pro tua misericordia nobiscum agas, nobisq; commodam & fertilem tempestatem restituas. Hęc precationis formula in Psalmis est vulgatissima, Domine non propter nos, sed propter gloriam nominis tui parce nobis. Et iterum, Ne rependeris nobis Domine pro iniquitatibus nostris, sed pro bonitate tua memento nostri Domine. Discimus ergo hinc, preces nostras exaudiri, non respectu nostri, sed respectu misericordiæ diuinę, & propter Christum. Sicuti & ex Psal. 84. colliquescit.

Confitēda peccata.

Deinde quoniam in precationibus verè pijs peccata commissa nec dissimulanda sunt, nec extenuanda aut excusanda, ingenuè Ieremias dicit, Rebelliones nostræ sunt plurimæ, & coram te peccauimus, id est impudenter peccauimus: vnde digni eramus qui perderemur.

Fides oranti in primis est necessaria.

Cumq; in orantibus præcipuè requiratur fides, Ieremias qua fide precetur ostendit, & ait, Tu ô Deus, cum sis expectatio vel spes fidelium, in quem vnicè respiciunt, & à quo gratiam & liberationem expectant, cumq; sis saluator, qui eripis ex omnibus tribulationibus, & nos iam versemur in extrema calamitate, cur non exerceres nunc vires tuas, & liberares nos? Rationes ponit cur Deus liberare debeat: non quibus Deum quidem commoueat, sed quibus fidem suam & fidelium excitet in Deum. Vtitur autem allusionibus pulcherrimis & mirè huic negotio appositis, ac profert parabolas 3. Principiò, Qui peregrini sunt, inquit, in regione aliqua, eos non multum afficit, qualis qualis sit eius regionis cōditio. Non enim ea vtuntur diutius, sed diuertunt duntaxat ad pernoctandum in ea, deinde mox discedunt, nec curæ eis est etiamsi ipsis discedentibus subuertantur omnia. Deinde vir attonitus, viribus animi non destituitur prorsus, sed propter repētinum & inopinatum casum aliquem, vires animi quas habet, non exerit, neq; quod facere posset, facit. Postremò vir fortis vires quidem habet, sed cum illis vti nec vult, nec potest, nihil prodest periclitanti vel eximium illius robur. Ex oppositio iam istis opponit, quod sensum absoluit, Tu autem Domine in medio nostri es: id est ciuis & inquilinus es vrbis & reipub. nostræ, vt qui promiseris te futurum in medio nostri, Leuit. 26. Proinde non conuenit, vt te ita geras sicut in terra peregrina solent aduenæ, vnam duntaxat in illa noctem pernoctantes. Si perimus, res tuæ perierunt. Addit huic aliud membrum, Et nomen tuum inuocatum est super nos, id est, tuo nomine nuncupamur, dicimurq; Dei populus: æquum est ergo ne viro attonito simílis, aut instar viri robusti, qui seruare non possit, auxilium tuum subtrahas nobis. Adsis oramus, ne deseras nos. Tales inquam sint & nostræ in afflictionibus orationes ad Deum. Non docet Ieremias instituere Litanias & supplicationes, in quibus nomina sanctorum Dei

inuocentur

inuocentur. Nam ad vnum duntaxat deum remittit. Et certe non alius audit nos, non alius adest nobis quàm vnus & solus deus. Iuuat autem propter Christum. Cui gloria.

Respondet Dominus Orationi Ieremiæ, & ostendit cur non audiat precantem, & quòd ipsos omninò statuerit perdere.

CONCIO LIIII.

Sic dicit Dominus ad populum hunc, Certe amant mouere pedes suos, neque abstinent: ideò non placent Domino, sed nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum. Et ait Dominus ad me, Ne orauerís pro populo isto ad bonum: nam etsi ieiunent, non exaudiam clamorem eorum: & si holocaustum obtulerint & oblationem, non delectabor eis: sed gladio & fame & peste consumam eos. Et dixi, Æbah Domine Deus, ecce prophetæ dicunt eis, Non videbitis gladium nec famem sentietis: sed pacem firmam dabo vobis in loco isto. Dicebat ergo Dominus ad me, Prophetæ isti mendacium prophetant in nomine meo, non misi eos, nihil mandaui eis, neque loquutus sum ad eos, visionem mendacem, diuinationem, vanitatem & dolum cordis sui prophetant vobis. Quapropter sic dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, cum tamen non miserim eos, & qui dicunt, Nec gladius nec fames erunt in terra ista, gladio & fame consumentur prophetæ huiusmodi. Et populus cui ipsi vaticinantur, erunt proiecti in plateis Hierusalem præ fame & gladio, nec erit qui sepeliat eos, ipsi inquam, vxores ipsorum, filij eorum, filiæ eorum, & effundam super ipsos malitiam eorum.

PRæcesit Oratio Ieremiæ in qua visus est inter alia propemodum Deo impingere neglectum sui populi, quasi qui possit seruare ipsum, nolit tamen seruare. Sequitur ergo nunc responsio Dei, qua ostendit causam cur non adsit istis, imò demonstrat quòd iuste statuerit istos perdere, maximè quòd obsequantur malis pseudoprophetarum monitis, veros autem prophetas non audiant. Significat hoc etiam, ipsos non fore liberandos vllis precibus, vllis ieiunijs aut officijs ab impendente malo, eò quod fide destituantur. Applicari ista sigillatim possunt & nostri sæculi hominibus, paria cum Iudæis designantibus facinora. *Scopus & summa loci huius.*

In me, inquit Dominus, culpa non hæret, quòd isti pereunt: sua enim propria culpa pereunt, dum à me auulsi discurrunt per excelsa, aliena quærentes auxilia, neque dum retrahuntur morigeros se præbent, verùm in suo illo instituto pergunt. Variè redditus est hic locus. Alij, Profectò amant vacillare pedibus suis, nec abstinent. Alij sic, Amant mouere pedes suos, nec abstinent. Vulgata interpretatio habet, Qui dilexit pedes suos mouere, & non quieuit. Lutherus vertit, Sy louffend gern hin vnnd wider / vnnd bleybend nit gern daheim. In idem recidit sensus. Impingit enim Iudæis, quòd Deo deserto aut non quæsito, sibi ipsis facessant molestissimum negotium, discurrendo videlicet per montes atque valles ad excelsa, ad idola, & ad loca præclara, vt Gilgal, Bersabe, & similia. Quasi dicat Dominus, Poterat hic populus rectà accurrere ad me fontem vitæ, qui omnia bona meis *Discursus ad creaturas prohibetur.*

cultoribus elargior liberaliter solus: sed malunt isti oberrare & ibi salutem ac auxilium quærere, vbi non inuenitur. Sua ergo culpa, non mea pereunt: maximè cum nolint coherceri aut abstinere à suis superstitionibus. Queritur apud Isaiam quoque Dominus in capite 55. quòd populus maximis sumptibus & nullo cum fructu, deserto Deo, fonte omnis boni vnico, sese conferat ad eos qui iuuare non possint: hortatur autem vt conuertantur ad ipsum, qui gratis & liberaliter effundat omne bonum in omnes inuocantes ipsum. Plura huius generis require ex capite secundo Ieremiæ, vbi Dominus etiam queritur, quòd deserto ipso fonte viuo, sectentur cisternas. Quid verò aliud faciunt hodie qui sursum & deorsum currunt, ad limina videlicet Petri ac Pauli, ad Mariam Lauretanam, & Aquensem, ad Compostellanum quendam Iacobum, ac remotum illum, quem appellant Iodocum? Moniti verò adeò reduci non possunt in viam, vt monitores quoque conentur cædere. Deus certè vbique præsens est. Non est quòd pro gratia eius impetranda, vel in Orientem, vel Occidentem excurras. Inuoca ipsum in quouis loco, vera fide, & senties illum tibi benignissimum.

Nam quòd ista discursio vel illæ peregrinationes Deo displiceant, exponit palàm ipse Dominus & ait, Ideò non complacuit Domino in eis. Vel, Nullam in eis complacentiam habuit Dominus. Germanicè reddimus, Er hat kein gefallen an jnen. Id est, summè ipsi & mores ipsorum Deo displicent. Nam fide carent. At sine fide impossibile est placere Deo. Si enim verè credidissent in Deum, Deum vtique inuocassent, Deo soli omnem tribuissent gloriam, non coluissent cum Deo creaturas, imò non prætulissent has Deo vero. Subiungit ergo Deus se recordaturum iniquitatum eorum, & visitaturum peccata ipsorum. Quæ loquutiones notissimæ sunt. Illud autem obseruandum, quòd Dominus inter iniquitates & peccata reputat, quę Papistæ inter cultum Dei ac merita vel bona opera numerant.

Contra regum societates.

Erat præterea & aliud discurrendi genus, quo se Iudæi contra Deum exercebant, currentes in Assyriam, & ad Ægyptios, pro auxilio & assertione contra hostes, putantes absque regum societate & fœderibus incolumes sè manere non posse. Quasi verò reges non magis turbarint Iudaicum populum, quàm asseruerint. Verus huius populi assertor Deus erat, qui ipsos hactenus contra omnium exterorum principum potentiam defenderat. Illi verò Deo ingrati & diffidentes, toti ab exteris pendebant principibus. Contra quod peccatum, vt grauissimum, multis egit Isaias in cap. 30. & 31.

S. Hieronymus hunc locum ita expositi, Quia dilexit populus mouere pedes suos, & non abstulit eos de compede peccatorum, siue non quieuit, & stare non potuit, iccirco & ego deserui eum, & nulla est mihi in eo complacentia. Qui igitur diu distulit & per patientiam noluit punire peccantes, quia in scelere permanserunt, recordabitur iniquitatum eorum, & quasi ægrotantium, & Deum non sentientium peccata visitabit, vt vltra peccare desistant. Et reliqua, &c.

Non eripiunt opera bona ex calamitatibus.

Quoniam verò stolidè fidebant Iudæi intercessionibus, ieiunijs, sacrificijs & alijs huius generis operibus bonis, sperantes se liberandos ex malis impendentibus, disertè significat Dominus se illa non probare, aut recipere, atque adeò ne ipsis quidem delectari hominibus. Nam particula, Non delectabor eis, ad vtrunque referri potest, tam ad opera, quàm ad homines facientes illa opera. Destituebantur enim fide. At sine fide impossibile est placere Deo. Ideóque Abelis sacrificium probabatur Deo, Caini reprobabatur. Tractatus est autem hic locus de sacrificijs & precibus inutilibus absque fide & pœniten-

pœnitentia capite ſeptimo, & aliàs. Subiungit mox, Gladio & fame & peſte conſumam eos. Proinde non liberabunt ſe ſacrificijs, precibus & ieiunijs. Ieiunio coniungit clamorem ad Deum. Ideò enim tota die ad veſperam vſque ab omni cibo abſtinebant, vt clamarent magis ſobrij ad Dominum. Diuerſiſsima ergo fuit ratio ieiunij iſtorum à noſtra. Specimen illius exhibetur nobis in tertio capite Ionæ. Cæterùm tribus flagellis, gladio, fame, & peſte, comprehendit omnis generis calamitates, quibus caſtigatur à Deo humana malitia. *Ieiunium.*

Quanquam verò propheta iuſſus eſſet à Deo ſilere, ac ſequeſtrem ſe non interponere, orare tamen vel intercedere non deſinit. Fecit hoc ipſum ante eum & Moſes. Interim non negat populum talem eſſe, qualem omnes fateri neceſſe erat, neque peccata ipſorum extenuat, ſed transfert in pſeudoprophetas, quos prophetas vocat. Quaſi dicat, Simplex & craſſus eſt populus, facilè ipſi imponitur à loquutuleis & impoſtoribus prophetis, qui haud dubiè maiorem huius mali culpam gerunt, quàm ipſe populus alioqui miſer. Condona ergo ipſis hunc errorem. Hæc pronunciat apud Dominum propheta magno cum affectu. Exclamans enim cum dolore ac gemitu dicit, אהה Æhah Domine Deus, quæſo mitius cum miſeris agas. Nam prophetæ ſunt in culpa cur miſer populus non occurrat tibi vera pœnitentia. Nam ſplendidè optima quæque ipſis pollicentur, ipſos inquam non vexandos, neque fame, neque bellis, aut cædibus: ſed fruituros pace veritatis. Appellat pacem veritatis firmam pacem, vel proſperitatem conſtantem, Ein beſtändigen friden vnnd wolſtand. Sic enim vſurpant Hebræi pacem pro abſoluta proſperitate. Cæterùm hæc tantò confidentius pollicebantur iſti, quòd habitarent in loco iſto, vbi erat templum, & Dominus promiſerat ſe ſeruaturum ipſos in pace. Tacebant autem conditionem quam addiderat tertio libro Regum, cap. nono. Si ambulaueritis in lege mea, ſeruabo vos. Alioqui enim nulla loca ſeruare vos poſſunt. Docentur autem hoc Ieremiæ exemplo omnes miniſtri eccleſiaſtici, ſeriò & conſtanter intercedere pro populo. Nam fecerunt hoc ipſum excellenter Moſes, Samuel, Ieremias, ipſe Dominus Ieſus, & apoſtolus eius Paulus. Plus ea re quàm vlla alia proficitur. Scimus ſanè peccatum eſſe ad mortem, quod nulla re nedum precibus expiatur: ſed cum incertum ſit an homines in eo ſint perſeueraturi, orandum eſt ſedulò vt Deus populi corda emollire, fidemq; dare dignetur, nec deſperandum eſt protinus. *Propheta perſeuerat in interpellatione.* *Paſtores ſuppliçt pro populo.*

Reſpondet autem Dominus Ieremię interpellationi grauiter, iterumq; oſtendit nihil efficere preces, alienas maximè, cum nulla fides, aut obedientia, vel pœnitentia vſpiam conſpicitur. Principiò autem deſcribit pſeudoprophetas & doctrinam ipſorum commeritis celebrat laudibus: deinde oſtendit ipſos certò puniendos fore à Deo: poſtremò demonſtrat vulgum pſeudoprophetarum doctrinæ credentem non excuſari, neque à culpa abſolui, ſed ipſum quoq; ſupplicijs ſubijciendum fore commeritis.

Ornat autem ſuis epithetis & ſuo encomio ipſe Dominus ore ſuo proprio, non modò hos pſeudoprophetas, qui vixerunt Ieremiæ temporibus, ſed omnes omnium temporum pſeudoprophetas. 1. Prophetæ iſti, inquit, mendacium prophetant in nomine meo: id eſt, meum nomen prætexunt, quaſi vocati & iuſſi à me proferant quod proferunt, cum reuera mendacium doceant. Quod homines ex ſeipſis loquuntur, eſt mendacium: quia ſolum Dei verbum veritas eſt. Solus Deus verax eſt, omnis verò homo mendax. Veritatem ergo loquitur propheta, cum ſecundum ſcripturas loquitur, *Encomiũ pſeudoprophetarũ, & doctrinæ ipſorum.*

Contra traditiones humanas.

mentitur cum aliena à scripturis diuinis docet. 2. Non misi eos. Missos esse oportet veros prophetas. Alibi enim dicit, Ipsi currebant, & ego non miseram eos. Mittit certè apostolos suos Christus Dominus, quemadmodum ipse missus fuerat à patre cœlesti, & vt prædicando euangelium docerent omnia ea quæ ipse eos docuerat. Hoc qui non faciunt, à Christo minimè missi sunt. 3. Nihil mandaui eis. Certè sine mandatis Dei veniunt, qui propria somnia adferunt, aut decreta aliorum dominorum vel principum proponunt. 4. Vehementius certè illud est quod sequitur, Neque loquutus sum ad eos: id est, prorsus nihil habeo commercij cum eis. Mei non sunt, pro meis non agnosco illos. Nihil illis reuelaui, vobis annunciandum. Sic leguntur apostoli quoque loquuti de Nazaræis vel Minæis in epistola illa sua synodica, quæ habetur in Actis capite decimoquinto. Quidam è nobis egressi, inquiunt, turbauerunt vos verbis, labefactantes animas vestras, iubentes vos circuncidi & seruare legem, quibus nihil mandauerамus, &c. 5. Doctrinam ergo pseudoprophetarum mendacem vocat visionem, id est, falsam prophetiam. 6. Diuinationem item, kœsæm, Deuteronom. decimo octauo, id est magicam diuinationem, quam Germanice appellamus **warſagerey vnnd häxerey.** 7. Vanitatem etiam vel rem nihili, aut nullius momenti. אלילי Lutherus vertit **abgötterey.** Nihil ferè differunt hæc ab illis, quæ Samuel ingerit Sauli & eius bonæ intentioni, primo Samuelis, cap. decimoquinto. 8. Dolum cordis alij vafriciem, fraudulentiam, impostura, seditionemque intelligunt, qua arte quapiam praua, seducuntur simplices, producta hæc ex auaritia & affectibus corruptis. Applicare hæc possumus omnibus doctrinis humanis à scriptura sacra, vel verbo Dei alienis. Et sunt quidem hæ iustæ laudes omnium traditionum humanarum: quas qui omnino incolumes & saluas volunt, cogitent, his Domini verbis auditis, quid incolume velint. Non poterat quidem, mea sententia, aliud vel grauius vel acerbius dici vel fingi in falsos doctores & in constitutiones humanas alienas à Dei verbo.

Iudicium cõtra pseudoprophetas.

Sequitur porrò iudicium Dei, primò contra pseudoprophetas, deinde contra eos qui seducti sunt à pseudoprophetis. Simul autem & culpam & pœnam coniungit Dominus, pronuncians contra pseudoprophetas. Culpa est, quòd sub nomine Dei, cum tamen à Deo non sint missi, secum faciunt in idololatria & peccatis miserum populum, promittentes ipsi omnem felicitatem. Pœna est, quòd ait se deleturum ipsos ipsos illis rebus, quas illi asseuerabant minimè ingruituras, peste videlicet, fame & gladio. Tametsi verò non semper & quidem protinus puniantur falsi doctores vel seductores, constat tamen certò ipsos non subterfugituros Dei iudicium. Viuebant in delicijs quondam apud Achabum & Iezabelem sacerdotes Baal, sed non effugiebant Dei iudicium, quod hic exercuit per Heliam & Iehu regem. Dicit etiam S. Petrus certissimam perniciem imminere omnibus pseudodoctoribus. 2. Petri 2. cap.

Iudicium contra eos, qui seducũtur à pseudoprophetis.

Iam quid passurus sit etiam miser populus seductus ab illis, ostenditur, & rursus ipsis quoque Domini Dei verbis, Proijcientur extincti fame & gladio, per plateas, ac carebunt sepultura: nec ipsi soli, sed omnes qui participarunt cum eis in peccatis & sceleribus, vxores videlicet & liberi ipsorum. Quod est minatus etiam septimo capite cum dixit, Viri incendunt ignem, mulieres subigunt pastam, & liberi adferunt ligna. Proinde vna meritò pœna implicabuntur. Cernimus hic manifestè populum miserum non excusari aut absolui hoc nomine, quòd seductus est à pseudoprophetis.

Non excusabiles sunt seducti à falsis doctoribus.

Interim

Interim verò excusant se hodie hac ratione plurimi, dicentes, Viderint reges & principes, pontifices ac episcopi, pastoresq; quid me doceant, ego simplici mea obedientia excusari me spero apud Dominum: si erro, illi viderint qui in errorem me abducunt. Cæterùm Dominus in præsenti dicit, Effundam super eos malitiam eorum. Tribuit ergò illis malitiam, quam puniat Deus meritò. Et apud Ezechielem quoque dicit Dominus, Si tu non monueris impium, vt à via sua mala auertatur, ille quidem impius morietur in iniquitate sua, sanguinem verò eius de manu tua requiram. Nam Dominus quoque in Euangelio secundum Lucam dixit, Si cæcus cæcum duxerit, ambo cadent in foueam. Neque verò possunt ignorantiam suam prætexere seducti. Scribit enim in pectora nostra Dominus, & foris in opere creationis, vel creati mundi ingerit se nobis, quod & Apostolus refert ad Romanos primo & secundo capite. Iam à paucissimis non est audita aliquando catechesis. Omnes reddere possunt decalogum, symbolum & dominicam orationem. Audiuntur quotidie bonorum virorum sententiæ. Occurrunt prodigia & signa plurima. Accedunt sermones prophetarum quos mittit Dominus. Errores verò pseudoprophetarum ita sunt pudendi, & vita seductorum tam est turpis, vt si hos sequi pergas, contra conscientiam facias. Sed & repellunt plerique veritatem, mendacium malunt, id quod Paulus futurum prædixit 2. Timoth. 4. cap. Digni ergo sunt qui pereant in mendacio. 2. Thess. 2.

Pergit supplicij commeriti grauitatẽ amplificare: deinde conuertitur iterum ad preces Ieremias intercedens pro populo.

CONCIO LV.

Dicésque ad eos verbum istud, Deducent oculi mei lachrymam die & nocte, & non cessabunt: quia clade magna contrita est virgo filia populi mei, plaga admodum dolorifica. Si egrediar in agrum, ecce interfecti (conspiciuntur) gladio: si verò vrbem ingrediar, ecce confecti fame: sed & prophetæ & sacerdotes vagando in regionem venerunt, quam non nouerunt. Num omnino ac prorsus repulisti Iudam? an anima tua Zion abominatur? Quare nos percussisti, & nulla est nobis medela? Expectauimus pacem, & nihil est boni, tempus curationis, & ecce terror. Agnoscimus Domine impietatem nostram, & iniquitatem patrum nostrorum, quia peccauimus tibi. Tu verò ne execreris, propter nomen tuum, neque deijcias solium gloriæ tuæ: recordare, & ne dissoluas fœdus tuum quod nobiscum habes. Num sunt in vanitatibus gentium qui pluere faciant? an cœli imbres dabunt? Annon tu es Dominus Deus noster? Et te expectamus: nam tu fecisti omnia illa.

Argumentum loci præsentis.

PRosequitur amplificare pœnam, quam ipsis propter peccata ipsorum impendere dixit. Amplificat autem calamitatem ipsis impendentem veluti threnodia aut planctu, carmineque lugubri prolato in medium: & quod citra figuram dicere poterat, Deus misere perdet populum hunc plagis suis acerbissimis, id maluit specie lamentationis paulò copiosius exponere.

Deplorat Ieremias pereuntis populi sui statum.

Significat autem ante omnia Deum hoc quod profert veluti in os eius inseruisse. Testatur verò se ploraturum die atque nocte, id est, sine intermissione: quo ostendit calamitates futuras planè lamentandas, atque adeò diutur-

nas ac grauissimas. Quæ enim lugubris lachrymis deploramus, grauia ac diuturna sint oportet mala. Quinimò ipse mox cur ita plorare cogatur exponit, Quia clade magna contrita est virgo filia populi mei, plaga admodum dolorifica, vel dura & acerba valde. Populum Iuda appellat virginem, duas ob causas. Principiò propter syncerítatem religionis, quam ab eo puram requirebat Dominus. Notum est enim illud apostoli, Adiunxi vos vni viro, vt virginem castam exhiberetis vos Christo. Deinde quòd nondum erat subacta ab hostibus, & ducta in captiuitatem. Cladem verò qua populus erat contritus, aut qua adhuc conterendus erat, vocat plagã admodum acerbam & dolorificam. Solet enim Deus grauissimis supplicijs subdere eos, qui toties admoniti omnem respuerunt admonitionem salutarem.

Populum Iuda uirgo.

Gladius & fames.

Protinus verò calamitatem vel plagam illam eleganti partitione vel distributione illustrat. Si, inquit, egrediar in campum plena omnia conspicio cadaueribus, gladio hostili concisis atque prostratis: si verò recipiam me in vrbem, in quam vis hostilis nondum perrupit, ibi simulachra hominum verius quàm homines obuia habeo, his cutis lurida aridis vix ossibus hæret. Omnes enim fame & inedia confecti, instar vmbrarum oberrantes, mortem celerius appropinquantem optant. Sic enim solent in diutinis bellis, & in obsidionibus arctioribus ciues fame & curis conficí & exhauriri. Addit his aliam etiam calamitatem, Sacerdotibus, Leuitis & Pseudoprophetis impendentem, qui aliquando in fame, inedia pereunte vulgo, ipsi vnde vitam sustentent, habent. At non, inquit Dominus, impune euadẽt. Vagabundi enim oberrarant per excelsa, & alios secum abstraxerunt in errorem. Oberrabunt ergo abunde satis. Efficiam enim vt abducantur in captiuitatem tam longinquam, vt ipsi vbi sint, aut quo peruenerint, nesciant. Hæc est summa lugubris illius carminis adumbrati de futura calamitate graui populi Iuda. Discimus hinc Deum iustum iustè variísque modis ac rationibus punire hominum peccata, neque parcere vlli hominum generi.

Ieremias ardenter precando, nos quoq; orare docet.

Post hæc iterum conuertitur Ieremias ad precandum Dominum. Intercedit enim iterum pro populo & incolumitate eius. Terminatur hæc supplicatio cum fine huius decimiquarti capitis. Testantur autem hæc Deum, vtcunque talem se nobis exhibeat, qui orari à nobis nolit, orandum tamen esse constantissimè & intentissimè. Exemplum nobis præbet euangelica illa Syrophœnissa, quæ quo magis videbatur repelli & reijci à Domino, eò feruentius ipsum vrgebat. Differt enim non raro Dominus vota implere se inuocantiũ, non quòd velit nos à precando desistere, sed quòd magis excitare instituat nostrum desiderium, quò supplicemus ipsi feruentius. Vide Lucæ 18. cap.

Deo licet illa mala exponere, quibus exercemur.

Habet autem hæc oratio Ieremiæ suas veluti partes. Initio enim supplicationis mirabili cum affectu quid sui patiantur Deo exponit, ac veluti cum homine colloquens, nititur illum commouere ad commiserationem. Interrogationibus enim crebris interrogat, num hoc & illud facere velit Deus: quod tamen nollet ipsum facere, atque adeò miratur etiamnum ille tale quid facturus sit. Non arbitror, inquit, te Iudam, quem dílígis tantopere, & in quem tot & tanta profudisti beneficia, prorsus deserturum. Videbatur enim in tantis calamitatibus populum suum negligere Dominus. An ex animo fastidies Zionem? Non puto. Videbatur ergo Dominus fastídio quodam graui laborare erga Zion, vel vrbem Hierosolymorum. Id quòd nunc coram Deo hoc loquutionis genere deplorans queritur. Qui fit quòd huiusmodi nobis vulnus inflixisti, quod videtur immedicabile, nullam prorsus admittere curam? Queritur ergo populum vulnere incurabili laborare. Ac subijcit mox sententiam,

exponens

exponentem quantis miserè exerceantur malis, Expectauimus quidem pacem ac meliora, sed nihil boni euenit: sperauimus res nostras difficiles habituras melius, & vulnera nostra fore curanda: sed subinde recrudescunt vulnera & res nostræ omnes deteriores fiunt, dum subinde nouis malis terremur & perturbamur. Licet ergo precibus Deo exponere mala quibus exercemur, non vt nescienti, sed vt nos vehementius commoueamur & precemur ardentius. Certè suo exemplo docet propheta (quod superius etiam dixi) non modò orare omnes ministros pro credito sibi populo, sed ipsum quoque populum in periculis aut calamitatibus à precibus nunquam desistere.

Deinde humiliat se orans Dominum. Oportet enim orantes seriò humiliari in conspectu Domini Dei nostri. Ergo confitetur propheta peccata, quæ adeò non excusat ac eleuat, vt impietatem quoq; appellet. Iubet enim & Ioannes nos confiteri peccata Domino, vt videre licet 1. Ioan. 1. In Oratione quoq; dominica dicimus, Et remitte nobis debita nostra. Qui enim peccata sua non sentiunt, gratiam Dei seriò non expetunt. Quid enim sanis negotij cum medicis? Quid quod propheta iniquitatem quoq; patrum agnoscit & confitetur? Longè vtiq; ab illis dissidens, qui & errãt turpiter, & erroris sui patrocinium quærunt in suis patribus, quos etiam ornant, sapientes videlicet & sanctos fuisse: vnde verisimile sit ipsos non errasse, & ea de caussa cum filij patrum insistãt vestigijs, ne ipsos quidem errare. Efficit hæc peruersa in hominibus opinio, vt nunquam perueniant ad veritatis cognitionem. Porrò totus prouoluitur ad genua misericordiæ Dei, ac exclamat, Tibi peccauimus: simul totum sese Deo commendat atque permittit. Ad hunc modum docemur & nos precantes peccata nostra, & patrum nostrorum ingenue agnoscere, & libera voce confiteri Domino, petereq; veniam.

Orantes humiliẽt se & cõfiteãtur peccata

Agnoscit aberrasse patres.

Iam sequuntur quæ potissimum in hac sua supplicatione & intercessione postulat à Domino Deo. Primò, Tu verò, inquit, noli exasperari. Id quod alij verterunt, Noli execrari nos. Alij, Noli reprobare vel spernere nos. Petit enim ne penitus reijciat eos. Addit, Propter nomen tuum. Sancti enim non respectu sui meriti, aut propter vllos sanctos defunctos, sed propter bonitatem Dei, gratuitamq; eius misericordiam, sicuti nos credimus audiri vota nostra propter Christum, exaudiri postulant. Qui sua merita iactant, non exaudiuntur à Domino. 2. Ne dejcias aut prosternas solium gloriæ tuæ. Intelligit solium Dauidis, Zionem atque adeò templum & ipsum populum Iuda, in quo hactenus glorificatus fuit Dominus. Certè si hic aliquid fuit vitij, ex populo hoc fuit, qui suæ vocationi nõ respondit: Deus certè ad gloriam nominis sui prouehendam elegerat sibiq; adoptauerat hunc populum. 3. Recordare, nimirum misericordiæ & promissionis factæ patribus. Ita enim alibi hoc, quod hic tacetur, exprimitur, cuius videlicet recordari debeat Dominus. 4. Neque dissolueris fœdus quod pepigisti nobiscum, promittens fore vt nunquam desinas Deus esse noster. Sis ergo Deus noster, qui liberet nos ab omni malo, & donet omni bono. 5. Da ergo fertilitatem & imbres fœcundos, ne siccitate exarescãt omnia, & pereamus inedia. Elegãter enim S. Hieronymus, Post multos, inquit, variosq; sermones, redit ad titulum prophetiæ, in quo scriptum est, quod factum est verbum Domini ad Ieremiam de sermonibus siccitatis. Ergo quod dicit, hoc est, Quia dæmonum simulachra non possunt pluere, nec cœli per se dare imbrem suum, ideò tu Domine Deus noster, quem semper expectauimus, in quem spes nostras conuertimus & vota, tu da pluuiam tuã. Tua enim sunt omnia, & quicquid boni est, sine te, cuius est, dari non potest. Hactenus Hieronymus. Certè per Vanitates gentiũ nihil aliud intellexit, quàm Deos & signa, vel imagines eorum, quibus nihil est inanius. Sui

Propter nomẽ tuum.

Cœli nõ pluũt.

enim præter inane nomen nihil. Si autem cœli non pluunt, minus certè pluunt influentiæ cœlestes. Vides ergo iterum vanissimam esse astrologiam, de qua aliàs dixi. Scriptura sic tribuit primæ caussæ Deo omnia, vt quamuis secundas non remoueat & neget, ijs tamen per se nihil attribuat. Sic in præsenti audiuimus Deum pluere, cœlum non pluere, nimirum per se. Dicit enim in lege Dominus, Faciam cœlum æneum & terram ferream: nisi ergò Deus iubeat pluere cœlum, vel nubes cœli, nunquam pluent. Ita apostolus de hominibus & ministerio verbi loquens, & hoc cum agricultura conferens, Nihil, inquit, est qui plantat, aut qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: omnem profectum Deo attribuens: interim non omnino nihil est agricola vel doctor, colit enim ille agrum, hic docet, sed opus hoc ipsorum nihil esset, atq; adeò ipsi nihil essent, nisi Dominus efficax redderet ipsorum ministerium. Cæterùm dij gentium & idola in vniuersum nec pluunt, nec serenitatem inducunt. Nihil possunt. Solus Deus facit hæc omnia. Grauiter & validè, licet paucis verbis, totus Ethnicismus, quem alij vocant Hellenismum, est confutatus. Ex hac autem fide orauit ad Dominum Ieremias, docens nos cum vera fide & ex vera fiducia in Deum inuocare Dominum, & quidem in omnibus rebus. Omnium enim potens & moderator est Dominus Deus noster & quidem solus. Cui sit laus, gloria, imperium, & gratiarum actio in sæcula sæculorum, Amen.

Respondet Dominus precationi prophetæ, reijcit omnem interpellationem, ac diserte dicit se Iudæos puniturum, ac addit modum ac causas.

CAPVT XV.

CONCIO LVI.

DIxit autem Dominus ad me, Si starent Moses & Samuel coram me, non esset animus meus ad populum istum: eijce eos à facie mea ac egrediantur. Et si dixerint ad te, quo egrediemur? Dices ad eos, Sic dicit Dominus, Qui ad mortem ad mortem, & qui ad gladium ad gladium, & qui ad famẽ ad famem, & qui ad captiuitatem ad captiuitatem. Et visitabo super eos quatuor genera, ait Dominus, gladium ad occidendum, canes ad dilacerandũ, aues cæli & bestias terræ ad deuorandum & perdendum. Et dabo eos in cõmotionem omnibus regnis terræ, propter Manassem filium Ezechiæ regem Iuda, propter ea quæ designauit Hierosolymis.

Respõdet precanti prophetæ Dominus.

POST cõfessionẽ peccati & ardentissimas preces effusas ad Deũ, nũc accipit respõsionẽ diuinus propheta, sed qua grauiter repellitur à Domino, dicẽte atq; attestante se nolle illis parcere hominib. Denũciat ergo illis pœnas omnigenas & miscet his more suo causas pœnarum. Itaq; reijcitur in præsenti omnis intercessio pro ijs oblata Deo, qui spreto verbo Dei, vitam suam praua nulla emendant vera pœnitentia. Dum enim dicit, Si starent corã me Moses & Samuel, &c. casu ab impossibili posito, ostendit impossibile esse, vt nulla hic tantillum effectura sit intercessio quantumuis sedulorum intercessorũ. Fuerunt enim diligentissimi & efficacissimi quondam, pro populo Izraelis, interpellatores Moses & Samuel. De isto extant in scripturis testimonia, Deut. 9. & Exodi 32. 33. De hoc autem 1. Samuelis 7. Ergo si redirent isti duo, ait, & starent, id est inter-

Nulla valet pro impœnitẽtibus intercessio.

est intercederent. Rationem subijcit, Quia non est animus meus ad populum istum. Loquutio est, qua ostendit animum suum abalienatum esse prorsus à gente illa. Nos dicimus, Jch hab kein hertz noch willen zů dir. Odit enim ex animo Deus idololatras & impœnitentes.

Quod Papistæ hunc locum abripiunt ad probandam intercessionem diuorum, pro peccatoribus, qua in cœlis apud Dominum intercedant, faciunt contra mentem authoris. Non enim dicit quòd isti in cœlis intercedant: sed posito casu, inquit, vt hi redeant in terras & iterum supplicent nunc pro isto populo, sicut olim pro suæ ætatis hominibus peccatoribus precati sunt, nollem tamen nunc exaudire illos, sicuti tunc exaudiebam. Sed impossibile est vt hoc fiat: impossibile itaq; est, vt isti vlla liberentur intercessione. Nõ loquitur propheta de eo quid faciant diui in cœlo, sed quid potius fiat, aut fieri possit in terris, & in negotio quidem huius gentis, pro qua Ieremias intercedebat, sperans se exauditum iri, vt quondam exauditi sunt Moses, Samuel, & Iob ac Noe, quorum mentio fit apud Ezechielem. At hos se auditurum, si adsint, aut si precẽtur, negat: vnde vult colligere Ieremiam, neq; se nunc exauditum iri. Præterea nulla nobis qui Christi sumus, opus est intercessione cœlitum diuorum. Nam didicimus ex scriptura euangelica & apostolica, quòd vt vnus est inuocandus Deus, & quidem pater, ita nõ esse inuocandum hunc, nisi per interuentum filij eius vnigeniti Iesu Christi. Hic enim mediator, intercessor, patronus & aduocatus est apud patrem. Cuius quidem rei apertissima sunt scripturæ testimonia, Ioan. 16. 1. Ioan. 2. & 1. Timoth. 2. cap. Quid verò desideras in Christo & eius intercessione? Si nihil desideras, hunc accedito. Nihil enim opus erit alijs aduocatis, vel apud patrem, vel apud hunc ipsum. Si desideras aliquid, fides tua falsa est. Si fide destituaris, non exaudientur vlli pro te alieni interpellatores. Sed ea de re dictum est alias.

Nihil facit hic locus ad probãdam diuorum in cœlis intercessionem.

Post reiectam intercessionem iubet prophetam Dominus denunciare impœnitẽtibus pœnam, & ait, Eijce eos à facie mea. Emphasim habet à facie mea. Nã Germani quoq; vehementer commoti, dicimus, Amoue illũ ab oculis meis. Thů mir jn ab den ougen. Non aspiciã illũ, aut non dignabor illũ aspicere amplius. Subdit, Et egrediantur. Quasi dicat, Nec est quod cunctãdo meliora expectẽt: exeant inquã, exeant. Id est, Cõstanter illis denũcia, quòd omnino & certissimè eijciẽtur ex patriæ finibus, aut exibũt ad supplicia eis destinata. Sicut mox exponet. Est enim hic orationis vel loquutionis genus obseruandũ. Nõ potuit quidẽ Ieremias istũ tam validum & copiosum populum eijcere: Deus enim solus hoc potuit. Eijcere ergo aut eiecisse istos dicit, quibus à Deo annunciauit, quòd certò sint eijciendi. Iubentur apostoli & ligare & absoluere peccatorem, retinere & remittere peccata. At quis, obsecro, remittit peccata, nisi solus Deus? De ministerio itaq; & prædicatione intelligimus quod dictum est apostolis. Annunciando enim absoluunt & peccata remittunt. Deus potestatem sibi soli retinet, ministerium credit hominibus. Sic S. Augustinus in Tractatu super Ioannem diligenter inculcat Dominum baptizare potestate, homines ministerio.

Iubetur propheta eijcere populum.

Quomodo eiecerit populũ.

Copiosius verò prosequitur quò sint eijciendi à Deo, & quæ sint genera pœnarum, ad quæ eijciendi. Figurat orationem, quò plus haberet gratiæ, Dialogismo. Si interogauerint te, inquit, quónam sint eijciendi: tu ipsis respondebis, & quidem ex ore meo, non autem ex tuo capite. Dices enim, Sic dicit Dominus, qui ad mortem ad mortem, &c. Est hoc loquutionis genus quasi tu dicas, Aliqui eorum, vel partim consumentur gladio, partim interibunt peste, &c. Sicut autem magistratus habet supplicíorum genera quibus maleficia in maleficis punit, veluti aquas, ignes, securim, gladium, laqueum, rotam, &c. Sic etiam Deus

Eijciendi ad destinata supplicia.

Quatuor supplicioru̅ genera habet Dominus.

Mors.

Gladius.

Fames.

Captiuitas.

Propter Manassem nō pareit populo suo Dominus.

Qualia fuerint Manassis flagitia.

sua habet flagella, quibus aliquando cohercet suorum petulantiam, vt eos in viam reducat, ferè autem punit vt perdat incorrigibiles. Et recensentur in præsenti quatuor supplicíorum species, vel quatuor flagella Dei. 1. Mors est vel pestis, comprehendens in se omnes morborum species, quas enumerat Moses Deute. 28. & Leuit. 26. & Exodi 23. dicit, Si verbum meum obseruaueris, non immittam tibi plagas Aegypti. 2. Gladius comprehendit latrocinia, cædes, seditiones, proditiones, & omnes bellorum furores. Ita dicitur Dauidi, Gladius non recedet de domo tua. 2. Samuelis 12. Sequitur autem clades vel strages bellorum, rabies ferarum, quæ aliquoties saturatæ carnibus hominum, efferatiores deinde redduntur in carnem humanam. Canes item & aues lacerant cadauera eorum, qui in bellis occubuerunt. Carēt enim vltimo honore, sepultura. Sed & ira Dei iusta fit, vt animalia quæ condita sunt in salutem & adiumentum hominum, ideoq; hominem metuūt, & homini obediunt, deposito omni metu, iam etiam in sectari & perdere homines, mira rabie instituant. Oderunt ergo impœnitentes non modò homines, sed & bestiæ. Vbi fortè prouerbium veterum habet locum, Virum improbum vel mus momorderit. Et hanc quidem partem gladij ipse propheta postea exponit ad hunc modum subiecto versiculo, Et visitabo super eos, &c. 3. Fames est quæ propriè ex inopia alimenti prouenit. Comprehendit caritatem, siccitatem, vberes & nimios imbres, pruinam, grandines & aduersas tempestates, calamitates inducentes varias. 4. Captiuitas longè miserrima est. Complectitur enim omnis generis iniurias, ignominias, stupra, seruitutem, miserias. Auget autem hanc miseriam quod subiungit, Et dabo eos in commotionem omnibus regnis terræ. Monent autem interpretes commotionem illam huiuscemodi esse, vt qui mouetur nullo possit consistere loco, sed nunc huc, nunc illuc deuoluatur, nullumq; vsquam stabilem habeat locum, hoc est nuspiam consistere ei aliquandiu permittatur. Proinde sunt qui verterunt diuexationem. Est autem miserrimum sic per regna oberrare, ac nuspiam fixum locum habere. His omnibus adijcitur causa tantorum malorum, Propter Manassem filium Ezechiæ, &c. Porrò nemo hunc locum ita intelligat, quasi Deus puniat peccata impiorum parentum in pijs ac innoxijs liberis, quæ ipsi non patrarunt. Pugnat hoc cum communi sensu piorum, & cum decreto Dei firmissimo, qui prohibet filios cædere pro parentibus, & per Ezechielem dicit, quemlibet puniendum fore propter sua ipsius scelera, non propter aliena. Manasses itaque in præsenti accipitur, per Antonomasiam, pro sceleribus illis quæ Manasses designauit in vrbe Hierosolymorum. Quæ qualia fuerint legere licet in 4. lib. Regum 21. cap. Paternam reformationem sanctissimam deiecit, & omnem abominationem restituit: magno odio verbum Dei prosequutus est: prophetas occidit: innoxio cruore mœnia Hierosolymorum aspersit, cæsis sanctissimis quibusq;. Magiæ quoque operam dedit, filios suos Molocho immolauit, & omnibus sceleribus atq; flagitijs portam aperuit, vt iam flagitiosi & scelerati impunè exultarent. Cæterùm tales erant mores per omnia, temporibus Ioachim & Zedechiæ. Conculcata enim iacebat sanctissima Iosiæ reformatio, cædebantur sancti, copiosissimus effundebatur sanguis innoxiorum hominum, regnabatq; omnis impietas & conscelleratio. Ideò legimus in historia sacra 4. Reg. 24. de moribus horum temporum in hæc verba, Dominus Iudam tollere voluit à facie sua propter peccata Manassis, & propter sanguinem innocentem, quo repleuerat Hierusalem, ideò Dominus noluit esse propitius. Etenim à temporibus Manassis idololatria & nephanda scelera, licet aliquando cohercerentur, subinde tamen magis atq; magis pullulabant, & nunc maximè sub Ioachim: sicuti ex sermonibus Ieremiæ licet colligere. Noluit ergo misereri Dominus, quia

sine omni

sine omni pudore, audacter & violenter peccabatur: ideò inquam noluit misereri Dominus, qui alioqui misericors & miserator est Dominus, erga omnes qui peccata sua agnoscunt, veniam petũt, & mores emendant prauos. Nemo enim hunc locum abripere debet ad confirmandam desperationem, quasi Deus nulla flectatur hominis pœnitentia. Videant autem illi qui delectum Papismum restituunt, quanto reatui se obstringant, maximè cum innoxium quoq; fundant cruorem. Dominus iustus iudex ne hodie quidem illis parcet, qui moribus suis congruunt cum Manasse. Dominum Deum nostrum oramus ex animo, vt afflictis benignus adsit.

Copiosè prosequitur pœnam sumendam de impœnitentibus, obiter & causis additis pœnarum.

CONCIO LVII.

Quis tui miserebitur ô Hierusalem, & quis condolebit, aut quis ibit vt pacem tibi petat? Tu deseruisti me, dicit Dominus, & retro abijsti: extendi ergo manum meam super te, & disperdidi te, fatigatus sum pœnitendo. Dissieci eos ventilabro ad portas terræ: orbum reddidi & perdidi populum meum, at à vijs suis non sunt reuersi. Multiplicatæ sunt mihi viduæ eius super arenam maris. Adduxi contra matrem adolescentum, vastatorem in meridie: ruere feci super eam repente ciuitatem & terrores. Infirmata est quæ peperit septem, elanguit anima eius: occidit ei Sol multa adhuc die: confusa est & erubuit: reliquias autem eorum gladio obijciam ante hostes eorum, dicit Dominus.

Pœnam quam superius etiam tractare cœperat, prosequitur consequenter copiosius. Nam vt liberalia ingenia ducuntur beneficijs & laude: ita seruilia trahuntur minis & plagis: ergo cum Iudæi seruili planè ingenio essent præditi, vberior est propheta in minis & pœnis recensendis. Ab initio mox ostendit negotium Iudæorum omnino deploratum esse, ac tria dicit. Principiò, Quis miserebitur tui ô Hierusalem? Indignus est enim misericordia qui misericordiã Dei contemnit, & erga homines nullam exercet misericordiam. Iacobus certè dicit, Iudicium absq; misericordia erit ei, qui misericordiam non præstiterit. Idem asseuerauit Dominus apud Lucam in cap. 6. Deinde, Quis cõdolebit tibi? ait. Alij vertunt, Quis consolabitur te? Etenim qui nemini condolet, is indignus est cui alij condoleant. Occidebant Iudæi prophetas, quos miserat Dominus ad consolandum afflictas conscientias: & quos non occidebant, ijs imperabant silẽtium, ne loquerentur verbum Domini: digni ergo erant qui in afflictionibus omni consolatione carerent. Videãt ergo quantis se innectant discriminibus, qui vel verbi Dei prędicationem impediunt ac prohibent, vel prædicatores persequuntur ac occidunt. Postremò, Quis, inquit, ibit aut secedet, vt impetret tibi pacem? Nam qui mediatorem & sequestrem vel patronum Messiam, Dominum Iesum Christum, non agnoscunt pro suo intercessore, indigni sunt planè qui in suis discriminibus vllum habeant sequestrem fidelem. Inbellis sæpe fit, vt fideli sequestrium opera pax impetretur: propheta autem dicit, nullos tales futuros, Domino sic puniente rebellionem ipsorum inuincibilem.

Pœna multis exponitur.

Immisericors indignus est misericordia.

Inserit autem his causam malorum tantorum, Tu deseruisti me, dicit Dominus. Verbo vtitur graui, Tu profligasti me, vel abiecisti me. Addit, Et retro abijsti. Vel, non contendisti ad ea quæ à fronte sunt, relinquens ea quæ à tergo sunt,

Causa malorũ.

sicut Paulus Philipp. 3. se fecisse asserit, sed à melioribus subinde delapsus es ad deteriora. Vel, perfugarum instar, acie deserta, turpiter aufugisti à castris Dei. Faciunt hoc quotquot contempto Deo & verbo eius, sectantur mundū & principem mundi sathanam, denicp inuentiones proprias. Amplificat autem hoc populi sui peccatum, & addit, Extendi ergo manum meam super te, & disperdidi te. Postea verò subiiciet, At non reuertebaris à viis tuis. Obiicit ergo duritiem Iudæis incurabilem. Quasi dixerit, Cum peccares, feci quod benigni solent parentes. Nam ferulam adhibui, si saltem hac ratione in viam salutis te possem reducere: sed frustra percussi te. Sic Isaię 1. cap. etiam dicit, se frustra aut nullo cum fructu castigauisse Iudæos, cum castigationibus ferè facti sint deteriores. Itacp factum dicit, vt defatigatus vel fessus fuerit, pœnitendo ac parcendo. Id quod Germanicè enunciamus, **vnnd bin also des schonens riiwens vnd erbarmens mūd worden.** Id est, Sat parsum est hactenus, porrò non parcam amplius, nec castigabo vlterius, sed perdam atcp excindam penitus. Videmus autem Dominum, cum sæpe punit peccatores, hi verò emendari non sustinent, tandem incurabiles abiicere & perdere penitus. Caueamus ergo ne castigationem & longanimitatem Domini contemnamus, & nostra duritia prouocemus in perniciem nostram.

Durities incurabilis.

Dispergam in varias regiones.

Consequenter ergo copiosè prosequitur propheta pœnam sumendam de incurabilibus, ac præteritis vtitur pro futuris, propterea quòd pœna illa tam certa erat, quàm quod iam factum est ac præteriit.

1. Disieci, id dst dissiciam illos ceu vanno aut ventilabro ad portas vscp terræ. Per portas, ostia vel fines terræ intelligit, regiones vticp remotissimas. Petit parabolam à re rustica propter euidentiam & perspicuitatem, ac significat se populum Iuda traditurum in captiuitatem, & quidem talem, qua alii ab aliis diuellantur, parentes à liberis, & vxores à suis maritis, hi in Mediam abducantur, illi verò in Persiam rapiantur. Quæ sanè sors est omnium miserrima. Sed æquissimum est, vt qui nolunt concordes viuere in patria, dissiciantur in alienas regiones, atcp in his miserè diuexentur.

Orbi erunt.

2. Orbum, inquit, reddam populum meum. Nam cladibus afficiam eos. Causa in promptu est. Nolunt reuerti ad me, & legem meam, à viis vel institutis suis. Aspernabantur Deum patrem benignissimum, merebantur ergo inter orbos & pupillos deputari.

Viduæ multiplicabuntur.

3. Viduas eius multiplicabo super arenas maris. Hyperocha adumbrat clades & strages funestissimas, propter quas totum regnum implendum sit viduis. Nam in lege sua hoc minatus est Dominus, Si non audierint verbum Dei, omnia viduis & pupillis fore adimplenda. Est autem hoc spectaculum omnium miserrimum.

Delebit Dominus matres cum filijs.

4. Eandem rem iam & alio dicendi genere effert, Adduxi contra matrem adolescentum, vastatorem in meridie. Id quod alii verterunt, Adduxi contra multitudinem adolescentum vastatorem in meridie. Alii, Adduxi super eos, super matrem iuuenum vastatorem, &c. Alii, Adduxi contra congregationem vel turmam iuuenum vastatorem, & c. Lutherus interpretatur, **Ich wil über die mūter der jungen manschafft kommen lassen**, &c. Sensus facilis est, atcp idem ferè apud omnes. Tale enim dicere videtur, Vos arbitramini, imò iactatis amplissimè fœcundas illas vestras matres, atcp vxores Iudaicas nunquam non daturas militum copiam, ita vt nunquam milite destituamini (Germanis quoque in ore est, **Der Lantzknächten mūter ist noch nit todt:**) cæterùm inducā ego super matres illas fœcundas, & super copiam illam militum subinde repullulantem, audacissimum hostem, qui non obseruabit tenebras & insidias, sed ipso meridie ag-

ridie aggredietur & excindet omnia pariter. Nemo ergo fallat seipsum simili spe vana, existimans vnquam defuturos milites. Potest enim Dominus excitare longè plures & audaciores, qui istos confidentes nullo conscindant negotio. Superius paria audiuimus.

5. Ruere feci super eam repente ciuitatem, & terrores. Vulgata versio habet, Misi super ciuitates repente terrores. Alij verterunt, Obrui eam subito hoste & terroribus. Alij, Cadere feci super illã subitò, ipsam vrbem & in festinationibus. Est autem sententia, Cum minimè putauerint, tunc irruet hostis, ciuitas autem de repente terroribus, quasi præfocata corruet & peribit. Sic nihil proderunt munitiones etiam. *De improuiso corruent omnia.*

6. Infirmata est quæ peperit septem. Septenarius numerus ponitur pro multiplici: ac roborari putabantur mulieres, quando pariebant filios: nunc verò infirmabuntur reuera, quando non nisi ad calamitates miseriasq; parient liberos. Sequitur enim, Elanguit anima eius. Alij, Anhela fuit anima eius, id est, alta trahit suspiria, dolet & luget propter filiorum infelicitatem. Sic Dominus Lucæ 23. iubet filias Zionis lugere propter fœcunditatem, &c. Eam enim parituram abundantissimam dolendi materiam. *Nil restabit nisi dolor.*

7. Occidit Sol multa adhuc die. Figurata est & illa loquutio. Discedet ab eis omnis prosperitas siue felicitas, cum interim hac, si voluissent, diutius frui potuissent. Sed ipsi suo sibi iumento, quod dici solet, malum aduexere.

8. Quid verò pluribus agam? Confusa est & erubuit Zion. Nil supereſt ei nisi contumelia, pudor ac miseria. Nos dicimus, Sy ist nun gar geschendt vnd zů schanden worden.

9. Porrò si quid ex morbis, fame & calamitatibus reliquum fuerit, obijciam hostibus qui conscindant gladio. Ne quid verò aliud sperarent, aut de ijs quæ proposita sunt dubitarent, adijcit, Dicit Dominus. Certissimum est itaque impœnitentes tandem diuina ira conficiendos fore. O Domine Deus noster, concede nobis synceram fidem, & tibi placentem pœnitentiam, &c.

Digreditur propheta, & sortem suam satis impatienter deplorat.

CONCIO LVIII.

Væ mihi, ô mater mea, quòd me peperisti virum litigatorem, & virum controuersiæ vniuersæ terræ: non fœneraui, neque fœnus accepi, attamen omnes maledicunt mihi. Dominus (autem) respondit, Si non reliquiæ tuæ ad bonum (dispeream) si non faciam occurrere tibi in tempore malo & in tempore angustiæ inimicum. Num ferrum atterit ferrum, aut æs ab Aquilone? (æs) Facultates tuas & thesauros tuos in prædam dabo absque pretio: idq; propter omnia peccata tua, & in omnibus terminis tuis: & transferam ad hostem vestrum in terram, quam non nouisti: quoniam ignis exarsit in ira mea, & super vos ardebit. Tu nosti, Domine, recordare mei, & visita me, & vltiscere me de persequentibus me, & si susceperis me, ne in longanimitate tua (susceperis) me: agnosce quòd propter te fero opprobrium. Inuenta sunt verba tua, & deuorani ea, factumq; est mihi verbum tuum in lætitiam & gaudium cordis mei: quoniam inuocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum. Non sedi in cœtu ludentium vt exultarem, sed propter manum tuam solus habito: quia indignatione replesti me. Quare dolor meus factus est per-

petuus, & plaga mea grauis, quæ non admittit curam? tu es mihi vt aqua quæ fallunt, & fideles non sunt.

Argumentum & occasio præsentis loci.

CVm populus Iudaicus perpetuò sui similis esset, ac in peccatis consuetis absq; omni pœnitentia pergeret, non potuit propheta aliud quàm intonare contra ipsos, & omnia infelicia prædicere ipsis: ipsi verò pro ingenio impiorum non poterant non odisse prophetam, quem & operiebant conuitiorũ plaustris. Cæterùm cum homo esset propheta, digreditur paululum in præsentiarũ, atq; dolens, satis impatienter querulatur, & deplorat sortem suam miseram. Dominus ipse respondet. Digressio autem illa non est aliena prorsus à causa, quam tractat. Suum quoque vsum & fructum habet. Nam discimus ex hac querimonia, homines licet sanctos & ad excellentia munera vocatos, homines & humanis affectibus obnoxios manere: & errare Stoicos, qui arbitrantur perturbationes nullas cadere in fortes. Ostenditur item Hieremiæ exemplo, quid sibi propheta quilibet polliceatur. Odia mundi & summam experitur ille ingratitudinem: paria ergo expectes licet, si verò paulò meliora dederit Dominus, est quod quisque gratias agat. Cæterùm quod Ieremias queritur, & tantum non cum Domino expostulat, minimè nobis imitandum est. Peccat enim contra Dominum, nec leuiter. Discamus potius imbecillitatem non nostram duntaxat, sed sanctorum quoque agnoscere, nihil viribus nostris tribuere, semper timere ne præcipitemur à nostris affectibus, & inuigilare, orantes vt manu sua nos reteneat Dominus: qui hic in gratiam recipit reuertentem Ieremiam, qua re ostenditur Deus, omnes peccatores reuertentes vera ad ipsum pœnitentia, benignissimè recipere.

Vsus et fructus huius loci.

Prædicatores appellati conuitiatores.

Effundit certè animi sui æstum coràm Domino Ieremias, ac exclamat miserum se esse, quẽ mater sua pepererit: quasi senserit feliciorem se fore, si nunquam fuisset natus. Causam cuius rei gratia se miserum esse existimet adiungit, In toto regno habeor pro viro litigatore ac viro controuersię & dissidiorum. Vel quem omnes impetant tanquam publicæ pacis perturbatorem: vel quem propter ministerium dicendique libertatem & necessitatem conuitiatorem nuncupent. Nam hodie quoque euangelij præcones appellantur à multis iurgatores, seditiosi & dissidia serentes. Addit Ieremias immeritò se hostiliter impeti ab omnibus, cum ipse nullam obtulerit occasionem odijs. Qui negotiantur & pecunias suas ad vsuram exponunt, odijs multorum sese exponunt: ego verò nullis vnquam negotiationibus me implicaui, vt minus odij & plus gratiæ haberem. Cæterùm nihilominus persequuntur me, & conuitijs tanquam sordidissimum vsurarium impetunt omnes, maledicunt mihi omnes. Hæc certè sors est concionatorum fidelium, qui reuera & iuxta apostoli mandatum se minimè implicare debent sæcularibus negotijs. 2. Tim. 2. th. 2. sed vnicè in hoc intendere, vt negotio cœlesti se totos mancipent, ipsumq; expeditissimè expediant.

Consolatur Dominus prophetas cõtemptos.

Admiranda verò est Dei clementissimi bonitas, quæ nõ abijcit murmurãtem prophetam, sed consolatur eximiè. Quò autẽ plus fidei inueniret promissio, confirmat ipsam iuramento. Nam iuramenti formula est, Si non reliquiæ tuæ ad bonum. Subintelligendũ est enim, Dispeream, vel Deus non sim, nisi effecero vtre liquiæ tuæ bonę fuerint. Intelligit autem per reliquias vel euentum rei, vel extremũ huius tragœdię, vel reliquos aut residuos vitæ vatis dies. Germanicè dicere mus, Es wirt das end noch gůt werden. Deinde subiungit eadem iurandi formula, Si non faciam occurrere tibi in tempore angustiæ inimicum. Quasi diceret. Efficiã certissimè vt hostis tuus tibi veluti supplex fiat, causamq; tuã ceu patronus suscipiat & agat, & pro te, si necesse sit, intercedat. Historia certè testatur Zedechiam

Zedechiam regem in tempore obsidionis difficillimo vocasse ad se Ieremiam, eiusq; consilium tantùm non supplicem implorauisse. Legimus item Nabusardan principem militiæ Babylonicæ, Ieremiæ causam in extremo vrbis ciuiumq; discrimine suscepisse tuendam. Lege. cap. 38. & 39. huius prophetæ. Huc pertinet quod sequitur prouerbium, Num ferrum atterit ferrum, aut cahlybs chalybem? Alij vertunt æs. Minimè verò ferrum ferro atteritur, aut consumitur, sed magis ex collisione expolitur. Ferro comparatur Ieremias, Aquilonium ferrum sunt Babylonij. Sensus ergo est, Tametsi Babylonij in oppugnanda & excindenda vrbe futuri sint durissimi, nihilominus te non perdent. Cedet tota actio illa ad illustrandam Dei gloriam & ad honorem Ieremiæ. Promissio autem hæc peculiaris & præcipuè ad Ieremiam pertinens, extenditur tamen nihilominus ad omnes Dei ministros, quibus nunquam deerit Dominus. Ego sum vobiscum, inquit, vsque ad consummationem seculi. Tametsi ergo infelicitas calamitásque temporis nos quoque inuoluat & cum tempestate sæuiente abripiamur pariter, habet tamen Deus modos & rationes quibus suos seruare potest. Potuit Dominus Loth incolumem ex Sodoma educere, quod in loco citat Petrus 2. Pet. 2. duas item tribus dum decem abducerentur per Salmanasarem seruauit, Danielem item voluit cum sodalibus tueri contra omnem vim, etiam in media Babylone: sic Mardochæum & Iudæos sub Assuero rege: poterit ergo hodie quoque seruare & tueri suos, maximè verò verbi sui ministros, quando & quomodo vult. Fidamus nos Domino Deo nostro, faciamus officium nostrum, & committamus omnem euentum Deo: securi ipsum videre nos, & res nostras curare.

Dominus nouit suos seruare dum hostes suos perdit.

Ne tamen populus quoq; existimaret & se, sibi intentatum posse subterfugere supplicium, protinus subiungit quid passurus sit populus. Omnes tuas, inquit, facultates dabo in prædam, & non in precium & commutationem, id est, non licebit tibi vendere res tuas & precium in tuos conuertere vsus: non licebit permutare. Diripientur omnia: nudus ergo traheris in captiuitatem, & eam quidem longinquam & molestissimam: id quod significat per id quod ait, Et transfereris in terram, quam non nouisti. Causam mali subiungit, pro more suo, & ait, Propter omnia peccata tua. Adiungitur, In omnibus terminis tuis. Id quod referri poterit ad peccata, quæ designauit passim in omnibus regni partibus: vel ad opes, quas hostis collecturus sit ex omnibus regni partibus, & auecturus in Babylonem. Mox iram suam comparat succenso igni, qui ardet in capitibus Iudæorum, neque ab vllo extingui potest homine. Similis loquutio habita est & 4. cap.

Populus Iudæorum impunè non euadet.

Quanquam verò Dominus Ieremiam consolatus fuisset, & splendida ipsi promisisset, pergit tamen ipse obmurmurare Domino, cum hoc veluti expostulare, ipsiq; propemodùm opprobrare inconstantiam, denique indigna plurima suis postulare precibus. Quæ omnia exponuntur ab ipso Ieremia fideliter. Nihil hic dissimulat: sed sicut Paulus sæpe in scriptis suis diserte qualis fuerit recitat, nempe blasphemus & persequens ecclesiam: ita non tacet Ieremias suum etiam peccatum. Proinde non proponuntur hæc in exemplum, quod imitemur, sed in quo videamus & sanctorum & nostram imbecillitatem, & quales simus dum nostros sequimur affectus, nec firma Dei manu retinemur in moderatione animi. Vehemens est ista Ieremiæ oratio. Deum enim veluti excitat æquitatis & assertionis oblitum. Sua adducit merita, quasi dignus sit quem asserat Dominus & vindicet de hostibus suis. Vindictam ergo petit, cum multò rectius & melius supplicasset Domino pro hostibus suis. Præterea mox & sine cunctatione postulat hostes suos deleri. Si volueris, inquit, causam meam susci-

Grauis querimonia Ieremiæ contra Dominum.

pere, & me vindicare de hostibus meis, extemplo facias hoc, oro, ne differas, ne in consilium adhibeas longanimitatem tuam, qua soles differre vindictam. Addit quo veluti permoueat Deum, Agnosce tandem quòd tui solius gratia contemptum, probrum & persequutionem sustineo. Quasi dicat, Dignus omnino sum quem tu asseras & vindices. Hac vel simili licentia apud Deum vtuntur multi, expostulantes & ipsi cum Deo, & cur ipsos non vindicet, & persequutores euangelij sternat, &c.

Affectus humani mirifice hic exprimuntur.

Iam etiam subdit, Inuenta sunt verba tua, & deuorauí ea. Loquutio est, cuius sententia est, Proposuisti mihi verbum tuum, quo vocauisti me ad munus propheticum, recepi hoc cupidè, perinde vt esurientes propositum sibi cibum deuorant. Cœpi magna cum animi mei lætitia prædicare verbum tuum. In primis verò gaudebam me vocari prophetam & præconem Domini Dei exercituum. Nam cognita est iam loquutio illa, Inuocatum est nomen tuum super me, pro eo quod est, ego nomine tuo appellatus sum. De quo dictum est capite septimo. Et quidem dum honoramur titulis magnificis, & per initia non infeliciter procedit quod instituimus, placemus nobis ipsis & exultamus in opere nostro: vbi verò se offerunt scopuli, & impingere incipimus, ac homines pro honore rependunt nobis ignominiam, hic hic contrahimur protinus, & sortem nostram infelicem deploramus. Vnde in Ieremia sequitur: Non sedi in cœtu lugentium, &c. Videtur enim conqueri se excluſum esse conuiuijs aut epulis, & à publica populi lætitia. Sequitur enim, Solus habito propter manum tuam. Manus Domini vindicta & plaga est Dei: hanc cum Ieremias in suis concionibus denunciaret, repeteret & inculcaret identidem, ingratissima erat in gaudijs & epulis publicis eius præsentia. Ita cogebatur solus delitescere in angulo aliquo: eratq; vt Germani dicunt, Brůder überig. Dicit ergo, Repleuisti me indignatione & amaritudine. Audias hodie voluptuarios in suis etiam conuiuijs clamitantes, Nullus huc ad nos accedat concionator aut concionatorum fautor. Si enim quis bibat liberius, iocetur iucundius, loquatur audacius, mox concionatores corrugata fronte gaudia nostra turbant, aut saltem è cathedra sacra nos præcipitant, &c.

Hæc insuper omnia spiritu vel affectu concitatissimo prosequens concludit, & ait, Quî fit Domine, quòd nullus est finis mei doloris? quòd vulnus quod mihi inflictum est curam non recipit vllam? denique quòd tu mihi factus es quasi qui fidem non seruat, sed fallit & negligit periclitantem? Factus es mihi Domine ceu fons aliquis qui à sitibundo petitur, vt sitim restinguat, sed fallitur, dum nullam aquam fluentem comperit. Sunt autem hæc omnia nimis libera, imò & blasphema contra Dominum. Sed huc deferimur cum affectum nostrum magis quàm sanctum Dei spiritum sequimur. Dominus misereatur nostri.

Respondet propheta Dominus, hortatur ipsum ad pœnitentiã, ac amplissima ei promittit.

CONCIO LIX.

Propterea sic dixit Dominus, Si reuersus fueris, conuertam te, ac stabis coram me: & si separaueris pretiosum à vili, eris tanquam os meum: ipsi ad te conuertentur, tu autem non conuerteris ad eos. Dabo enim te populo huic æneum murum & munitum: pugnabunt contra te, at non præualebunt tibi: quia ego

quia ego tecum sum, vt seruem te, & eruam te, dicit Dominus. Eripiam te de manu pessimorum, & eximam te de manu tyrannorum.

AVdiuimus querimoniam & expostulationem Ieremiæ satis asperam & licentiosam: sequitur iam responsio Dei, qua ipsum resipiscere iubet, certisque cum conditionibus recipit in gratiam munerique restituit amplissima ipsi promittens. Testatur ergo hic locus Deum non abijcere protinus murmuratores ac peccatores, sed castigare ac corripere & resipiscentiam ab eis postulare, vt sic redeant in viam. Et quidem ingens & obseruabilis est hæc Dei bonitas & misericordia, tantò commendabilior & admirabilior, quanto indignior licentiosiorque est expostulatio obmurmurantium Deo. Intelligimus autem resipiscentia opus esse, si velimus in gratiam recipi. Ieremias enim auersus fuerat vtcunque à Deo, dum functionem sibi à Deo impositam vituperat, animique impatientissimi æstus effundit, cupiens illa se molestia releuari. Ergo redire in viam, labores non subterfugere, & reuerti ad Deum, & ad munus iubetur. Reuersio illa fit per pœnitentiam, qua peccatum commissum agnoscimus, deprecamur, sperantes hoc nobis condonari per Dei misericordiam, qua item auertimur à peccatis, conuertimur autem ad Deum, facientes ea quę ipse mandat. Talem pœnitentiam & reuersionem requirit in præsenti Dominus à Ieremia. Non præscribit illi menses & annos, quibus satisfaciat palàm, deinde recipiatur in pristinum statum. Protinus enim recipitur in gremium ecclesię à Domino, & in munus suum reponitur. Quod & cũ apostolo Petro factũ legimus, & cum alijs peccatoribus, cum Zachęo, Matthæo, Magdalena vel peccatrice, cum filio prodigo, atq; alijs in euangelio peccatoribus omnibus. Ex canonibus illis prescribentibus menses, annos & dies satisfactionis, enata est merx indulgentiaria, & satisfactionis meritum. Pertinent autem ista ad consolationem omnium concionatorum, qui aliquando capti fastidio muneris sui expostulant cum Deo, & suam sortem deplorant, cogitantes de munere deserendo. Qua re non leuiter peccant. Reuertantur ergo & ipsi cum Ieremia & Iona ad Dominum, qui vocauit ipsos.

Respondet Dominus Ieremiæ

Resipiscentia est opus.

Canones de pœnitentia.

Si enim redeat ad mentem & pœniteat Ieremias, promittit illi Deus restitutionem, & ait, Et conuertam te. Alij vertunt, Et reducam te. Alij, Et restituam te, Alij exponunt, Parcam tibi & eris mihi charus. Alij aliter, Lutherus vertit, **So du dich zů mir halteſt/wil ich mich zů dir halten.** Sed loquitur de restitutione in munus propheticum, & receptione in gratiam. Nam mox subiungit, Ac stabis coràm me. Vel, Vt stes coràm me. Sic inquam te conuertam, vt stes coràm me. Auersus es à me, & meo ministerio, ad hoc te conuertam iterũ, vt mihi ministres. Etenim stare in conspectu alicuius, loquutio est, significans ministerium. Nam Orientales stabant coràm principibus suis, in conspectu ipsorũ, videntes faciem eorum. Vnde de Angelis legimus quòd semper vident faciem patris, id est, perpetui sint ministri Dei patris. Sic Iob 1. capite, Angeli venientes stant in conspectu Domini. Vel veniebant vt starent coràm Domino, id est, vt inseruirent Domino. Sensum ergo probè reddidit Lutherus, cum hunc Ieremiæ locum vertit, **So ſolt du mir prediger blyben.** Recipitur ergo cum conditione Ieremias in officium suum, nempe si redeat. Nemo ergo recipitur à Deo, nemo recipiatur ab ecclesia, nisi redeat vnde excidit.

Deus promittit restitutionem.

Stare coram aliquo.

Aliam rursus conditionem prophetæ proponit & dicit, Si eduxeris aut separaueris preciosum à vili, eris tanquam os meũ. Id est, ea conditione in gratiam te recipiam, & muneri restituam, si preciosum à vili separaueris. Comparat autem prophetam metallario, vel aurifabro, qui scoriam separat ab argento. De

Separandum preciosum à vili.

qua collatione ſuperius eſt dictum Serm. 26. cap. 6. Lutherus vertit, Vnnd wenn du die frommen leereſt ſich ſünderen von böſen lüten. Ego verò non tam ad perſonas refero, quàm ad res ipſas. Requirit enim Dominus à propheta, vt inter ſacrum & prophanum diſtinguat, & diſcernat inter bonum & malum, quid vel quos Deus probet aut improbet oſtendat, aut verbo Dei doceat, quid viles coràm Deo, quid precioſos faciat. Non licet ergo res confundere & obſcurè pronunciare de virtutibus & vitijs. Magna hic libertate & claritate eſt vtendum, vt omnes intelligant qui ſordeant Deo, qui probentur & precioſi ſint coràm Deo, aut quæ ipſi chara ſint, quæ ingrata. Protinus verò promiſsio & reſtitutio ſequitur, Eris tanquam os meum. Aures oculi, manus & pedes principum ſunt illi, quorum miniſterio vtuntur in regno. Os principis orator eſt, qui nomine principis loquitur. Magna eſt autem dignitas vocari & eſſe os Domini Dei, quippe per quos ipſe loquatur hominibus. Nam in euangelio dicit, Non vos eſtis illi loquentes, ſed ſpiritus patris mei loquetur per vos. Et iterum, Qui vos audit, me audit: qui vos reñcit, mereñcit. Caueant ergo prophetæ ne quid loquantur, quod non per ipſos loquatur Dominus: id eſt, quod verbo Dei traditũ eſt. Alioqui enim ſi tua vendites cõmenta pro Dei oraculis, impoſtor diceris maximè impius & omnium ſceleratiſsimus, quem meritò exhorreant omnes. Quòd ſi delectaris appellari orator, vel os Dei, ne pigeat aut pudeat ea ferre & audire, quæ ſolet ingerere inſanus hic mundus in oratores Dei ſummi.

Os domini propheta.

Ipſi ad te conuertentur, tu non conuerteris ad eos.

Aliam præterea conditionẽ addit, Ipſi ad te conuertentur, tu autem non conuerteris ad eos. Cogitarat nimirum propheta nonnihil paciſci cum aduerſarijs, cedereq; nonnihil de rigore ſuo, & concedere aliquid iſtis concordię amicitiæq; gratia, quò ſcilicet plus eſſet pacis, minus inuidiæq;, contentionum & turbarum. Sed Dominus non vult, vt is concedat ad illos, ſed mandat illos potius concedere ad Ieremiam. Iniquum eſt enim Deum hominibus cedere, aut Dei miniſtros hominum fieri ſeruos, atq; adeò verbum vel negotia Dei prodere hominibus. Quidam prætextu pacis & concordiæ, audent à miniſtris Dei poſtulare, vt vel taceant duriora, vel diſſimulent aliquid, vel parcant hominibus, & ferant ea æquanimiter quæ tamen diſſentiunt à placitis Dei, vel hoc ſaltem nomine, ne principes & potentes huius mundi exacerbentur contra Euangelium & contra ipſos vehementius. Sed audiunt in præſenti omnes concionatores, quid ab ipſis requirat Dominus: Sy ſöllend Gott ſin ſach weder verthädigen noch verſchwygen. Tantum enim non eſt pacis & concordiæ bonum, vt eius gratia veritas debeat, vel obſcurari, corrumpi, vel taceri. Præterea peccatum eſt grande, in gratiam impiorum hominum religionis negotiũ inflectere ad hominum arbitrium, vel negligere & deſerere prorſus. Nemo autem abutatur hoc loco contra ſuam genuinam ſententiam. Inuenias enim faſtuoſos, peruicaces & contumaces eccleſiarum miniſtros, qui cum turgeant faſtu & ſuperbia, ſed & contendendi nouandiq; libidine, ſuarumq; rerum ſemel conceptarum nimis tenaces ſint, exiſtiment ſe nemini cedere debere. Licet ergo alij meliora proferant conſilia, illi tamen ſemper inculcant illud Ieremiæ, Ipſi ad te conuertentur, tu autem non conuerteris ad eos. Ea denique ſententia vtuntur in omnibus alijs negotijs, putantes ſe ideò nulla in re cedere debere vlli, quia miniſtri dicuntur. Quaſi verò ſoli ſint miniſtri. Quaſi verò peruicaciam doceat Dominus. Cæterùm iubet Dominus miniſtros ſuos in ijs ſtabiles & inflexibiles eſſe, in quibus apertum extat mandatũ Dei, ac res eſt quæ iam definita eſt, nec conſultationem aliquam admittit. Alioqui decet miniſtrũ non eſſe præfractũ, inhumanũ & durum, ſed tractabilem, humanũ & benignũ. S. Hieron. exponens epiſt. Pauli ad Gal.

Contra moroſos & ſuperciliioſos miniſtros.

Gal. in hæc Pauli verba, Modò enim hominibus suadeo an Deo? aut quæro hominibus placere? Non putemus, inquit, ab apostolo nos doceri, vt exemplo suo hominum iudicia contemnamus, qui in alio loco dixerit, Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Et illud, Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & ecclesiæ Dei: sicut & ego omnibus per omnia placeo: non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt saluentur. Sed si fieri potest vt pariter Deo & hominibus placeamus, placendum est & hominibus. Sin autem aliter non placemus hominibus, nisi Deo displiceamus, Deo magis quàm hominibus placere debemus. Alioqui & ipse infert, cur omnibus per omnia placeat, Non quærens, inquiens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt saluentur. Qui autem ex ea charitate, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliena, placet omnibus vt saluentur, vtiq; Deo primùm placet, cui salus hominum curæ est. Et reliqua.

Quatenus cedendū vel placendum hominibus.

Iam verò amplissimè vati promittit Deus suum auxilium, parabolis aliquot simul declarans, quàm oporteat constantem, fortem & impauidum esse ministrum quemlibet. Dabo enim te, inquit, populo huic æneum murū. Ideò inquam non deficies ad eos, quia requiro à te constantiam in meo ministerio, & conferam tibi eam. Repetuntur autem hic verbis ijsdem & totidem ea omnia quæ habuimus in fine cap. 1. Concione 4. Vbi verò alij legunt, Et munitum, alij vertūt, In petra, videlicet extructum, vt non possit suffodi & deijci. Et quoniam dixerat, Seruabo te & eruam te, paulò significantius subiungit, Eripiam te de manu pessimorum, & de potentia tyrannorum liberabo te. Lutherus hoc conuertit, Ich wil dich erretten vß der hand der hochfertigen / vnnd erlösen vß der hand der tyrannen. Breuiter, toto hoc loco exponit Dominus qualem velit esse prophetam, & qualem se ei exhibere vicissim. Vult illum esse constantem & laborum tolerantem. Ipse se illi vires suffecturum promittit. Et ne imparatum pericula adoriuant, præmonet & dicit, Pugnabunt contra te. Nihil vspiam erit aut tutum, aut quietum. Sed iterum promittit, vt animo sit minus fracto aut pauido, Nihil efficiēt prorsus sua oppugnatione, Vincet veritas. Superior tu eris. Ratio, Quia ego tecum sum. Imò quomodo sit cum eo futurus, exponit, Seruabo te & Eruam te. Duobus verbis his comprehendit assertionem tutissimam. Et iterum à quibus velit eripere dicit, à pessimis quibusque nebulonibus, & à tyrannis atrocibus. Hæc verò quemuis ministrum consolari debent in suo munere, & in quibuslibet periculis, qui & sedulò Deum inuocare debet, ne vspiam ipsi desit.

Consolatio prophetæ amplis.

Redit ad institutum Ieremias, & ostendit Iudæos miserè perdendos esse propter peccata.

CAPVT XVI.

CONCIO LX.

FActum est verbum Domini ad me, dicens, Ne ducas tibi vxorem, neque erunt tibi filij & filiæ in loco isto. Quia sic dicit Dominus de filijs & de filiabus in isto loco natis, & de matribus eorum quæ eos pepererunt, deq; patribus eorum qui genuerunt eos in terra ista. Mortibus valetudinariorum morientur, non plangentur, neq; sepelientur, sed erunt in stercus super faciē terræ, gladio & fame consumentur, eritq; cadauer ipsorum ad escam volucribus cæli, & bestijs terræ. Quoniam sic dicit Dominus, ne ingrediaris in domum luctus,

& ne eas ad plangendum, neque commoueberis propter eos: quia abstuli pacem meam à populo isto, dicit Dominus, vnà cum benignitate & miserationibus. Et morientur in terra ista magni & parui, neque sepelientur, non facient eis planctum, nemo se pro illis incidet aut radet. Non frangent panem in luctu, vt consolentur eum super mortuo, nec potabunt eos poculo consolationum propter patrem eius, & propter matrem eius: Et domum conuiuij ne ingrediaris, vt sedeas cum eis ad edendum & bibendum. Quia sic dicit Dominus exercituum, Deus Israelis, Ecce ego efficiam, vt cesset in loco isto coràm oculis vestris, & in diebus vestris, vox lætitiæ & vox gaudij, vox sponsi & vox sponsæ.

Rursus differit de interitu gentis.

POST digressionem redit in viam propheta, & sicuti in 14. & 15. cap. cœperat vaticinari Iudæis interitum vel exitium, ita iam pergit idipsum confirmare oraculo, & calamitatem ipsam multis amplificare, ac veluti coràm, more suo, oculis visendam exponere. Oraculum tale est, Reuelatur & mandatur Ieremiæ coelitus à Domino, ne ducat vxorem, deinde ne accedat vllos Iudæorum cœtus celebres, neq; ad lugentium, neque ad conuiuantium nuptiásue celebrantium, & vt nostra lingua enunciamus, Sas er jnen weder zů lieb noch zů leyd gange. Qua quidem ex re illos colligere voluit, in foribus esse exitium certissimum, certissimam implacabilemq; Domini iram ipsis impendere, propter peccata. Et hæc quidem sunt particularia, pro ratione illius temporis instituta.

Vetatur prophetæ coniugium.

Et quantum attinet ad primum, mandat prophetæ ne vllam ducat vxorem. Licebat enim etiam summo pontifici, nedum inferioribus ordinibus sacerdotum, ducere vxorem. Pro hoc ergo tempore prohibet ducere vxorem. Quasi dicat Dominus, grauissima instabunt pericula, fames inquam, cædes, strages ac captiuitates: nolo ergo coniugem tibi coniungas, ex qua suscipias liberos. At causam huius mandati temporalis, vt sic dicam, coniungit protinus, Quia sic dicit Dominus de filijs & filiabus, &c. Ad eundem modum existimabat suo sæculo apostolus cœlibatum præstare propter præsentem necessitatem. Idem tamen in eadem tractatione 1. Corin. 7. vniuersalem legem diligenter repetit, & abundè testatur se nolle cuiquam inijcere laqueũ. Dicit enim apertè, Quòd si se non continent, contrahãt matrimonium. Nam satius est matrimoniũ contrahere quàm vri. Et mox, Quòd si duxeris vxorẽ, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit: attamen afflictionem in carne habebunt. Item, Hoc autem ad id quod vobis conducibile est, dico, non vti laqueum vobis inijciam, sed vt quod honestum & decorum est sequamini, & adhæreatis Domino absq; vlla distractione. Idem in epistola ad Hebræos, appellat connubium honorabile apud omnes, & cubile impollutum. Item ad Timoth. dæmoniorum doctrinam nuncupat, prohibentem coniugia. Proinde hunc locum Ieremiæ pro assumpta materia & pro ratione illius temporis exponere oportet. Post hæc copiosissimè illis annunciat ac prædicit carituros ipsos honore vltimo, nempe sepultura. De qua re cum superius dictum sit, quantum satis est, non est quod repetam plura.

Prohibetur prophetæ consortium luctus.

Deinde prohibet Dominus prophetæ ne coniungat se eis in ipsorum funeribus, non aliam ob causam, quàm eam, quam iam in præcedente membro exposuimus. Est autem etiam hoc ipsum singulare. Alibi enim iubemur flere cum flentibus, & lugere cum lugẽtibus. Charitas item & humanitas hoc requirunt. Ne ingrediaris, ait, domum luctus, in qua videlicet parentare solent. Alij legũt, Ne ingrediaris domum conuiuij. Lutherus vertit, Du solt nit zur begengnuß gan. Sed in idem recidunt omnia. Nam in ędibus, in quibus erant funera, & vbi lugebant,

lugebant, instruebantur conuiuia. Et quod sequitur, Et ne eas ad plangendum, superius illud exponit atq; illustrat. Rursus quod sequitur, Neq; commoueberis propter eos, alij verterunt, Neq; circuncursites illorum gratia. Alij, Neque consoleris eos. Lutherus vertit, Du solt kein mitlyden über sy haben. Sensus idem semper erit. Qui enim circuncursitant & cõmouentur, non in alium finem circuncursitant, quàm vt inseruiant lugentibus, & consolationem parent. Subdit iam caussam cur nolit condolere, & in luctu se illis coniungere prophetam, Quia abstuli pacem à populo isto. Pax est felicitas, gratia & benignitas Domini. Vnde sequitur, Vnà cum benignitate & miserationibus. Ideò enim iubeo te illos refugere, vt per tuam fugam sentiant me illis esse iratum, & me penitus discedere ab eis, veluti abominabilibus.

Præterea disertis verbis exponit eis, ipsos morituros in terra illa, neq; rationem habendam vllam ætatis, ordinis aut sexus. Morientur, inquit, in terra magni & parui. Addit, Neq; sepelientur, neq; planctu aut lamentis prosequentur mortuos suos necessarij & amici. Multis autem hic commemorat ritus lugentium, vel plangentium eius gentis & illorum temporum. Colligebatur vicinia in ædes in quibus erat funus. Ibi erant tubicines, & homines certi, qui conceptis verbis plangebant, hi etiam incidebant sese, vnguibus vultum exarantes, etiam ad profusionem sanguinis vsque vellebant capillitium. Instruebatur item conuiuium, frangebatur panis, ac visceratio quædam exhibebatur, sed & vinum potandum offerebatur mœstis ad consolationem: iuxta illud Sapientis, Date vinum illis qui amaro sunt animo. Sed de ritibus lugentium, & de funeribus atque sepulchris, alij copiosissimè scripserunt, vt Lilius Gregorius Gyraldus, Petrus Bellonius, & alij viri doctissimi. Ista autem apud Iudæos fiebant in consolationem viuentium, & non ad redemptionem animarum defunctorum. Papistæ autem pleraque illa conuerterunt ad quæstum. De qua re non est nunc dicendi locus. Fiebant præterea permulta ad inculcandam mortuorum resurrectionem. Paulus à lugentibus requirit modum, & resurrectionem Christi proponit, qua mœsti se consolentur, prima ad Thessalonicenses, quarto capite. Contra luctum veteres scripturæ interpretes, multa disputarunt egregiè, in primis beatus martyr Cyprianus in Sermone quarto de mortalitate, Augustinus item in primo libro dd Ciuitate Dei, Hieronymus quoque in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum: maximè verò ad Paulam, super obitu Blesillæ. Postquam verò diu & multis ea de re disputauisset, tandem, Nos verò qui Christum induimus, inquit, & facti sumus iuxta apostolum genus regium & sacerdotale, non debemus super mortuos contristari. Prohibetur sacerdotibus in lege luctus. Et de Sanctis, inquit, non exiet, & non contaminabitur sanctificatio Dei eius. Quia sanctum oleum vnctionis à Deo super eum est. Certè postquam credimus in Christum, & oleo vnctionis eius accepto, illum portamus in nobis: non debemus exire de templo, id est de proposito Christiano, non foras egredi, incredulis videlicet gentium commisceri, sed esse semper intrinsecus, id est voluntati Domini ministrare, &c. Quod autem nos legimus, Non frangent panem in luctu, id verterunt alij, Non diuident eis in luctu. Alij, Non expandent aut complodent manus. Oritur ea diuersitas ex varietate lectionis Hebreæ.

Lugentium ritus

Contra luctum Iudaicum.

Postremò prohibetur prophetæ, ne accumbat cum illis in epulis publicis & gaudijs aut in connubialibus conuiuijs. Rationem subijcit, Quia ego efficiam, vt cesset in loco isto, &c. Est itaq; etiã hoc particulare, & pro præsenti indictum tempore. Alioqui enim legimus ipsum Dominũ inuitatum ad nuptias, venisse, & nuptias honorauisse, coniuges q; magno affecisse beneficio, Ioan. 2. Proinde

Prohibet Dominus prophetæ epulas adire.

significare voluit Dominus, se semel omnẽ lætandi materiam ablaturum à populo suo, omniaq; mœroribus & querelis completurum. Ad certitudinem rei ostendendam illud facit, quod dicit, Sic dicit Dominus exercituum, Deus Israelis. Ad euidentiam verò illud facit, quod ait, In loco isto, Coràm oculis vestris, In diebus vestris. Vox verò lætitiæ & gaudij significat quicquid lætum est, & ad gaudia pertinet. Vox sponsi & sponsæ significat gaudia nuptialia. Sunt enim & permissa à Deo in populo Dei gaudia, modò intra modum consistant. Simul autem & obiter respondetur per Dominum, ad illud, quod in fine propemodùm cap. 15. dixerat propheta, se illorum excludi conuiuijs. Nunc ergo dicitur, Imò nolo vt accedas illorum conuiuia. Non erunt autem illorum gaudia diuturna. Conuertam ea in tristitiã. Timeamus ergo Deum, & agamus in veritate pœnitentiam.

Diligentißimè cauſſas reddit propheta, cur Deus perditurus ſit ſuum populum. Mox autem promittit feliciora.

CONCIO LXI.

Et erit cum annunciaueris populo huic cuncta verba ista, vt illi dicant ad te, Quare loquutus est Dominus contra nos omne malum grande hoc? aut quæ est iniquitas nostra, & quod peccatum nostrum, quod peccauimus Domino Deo nostro? Tunc dices ad eos, Eò quòd dereliquerunt me patres vestri, dicit Dominus, & ambulauerunt post deos alienos, seruieruntq; eis, & adorauerunt eos: me autem dereliquerunt, & legem meam non custodierunt. Sed & vos peius egistis, quàm patres vestri: ecce enim vos inceditis quisque post prauam libidinem cordis sui mali, vt me non audiat. Eijciam ergo vos ex terra ista, ad terram, quam nec vos nouistis, neque patres vestri, vbi seruietis dijs alienis die noctuq;, vbi nulla obueniet vobis clementia. Iccirco ecce dies venient, ait Dominus, vt non dicatur vltra, Viuit Dominus, qui ascendere fecit filios Izrael de terra Ægypti: sed Viuit Dominus, qui fecit ascendere filios Izrael de terra Aquilonis, & de vniuersis terris, ad quas eiecerat eos: & reducam eos ad terram, quam dederam patribus eorum. Ecce ego mitto ad piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: post hæc mittam ad venatores multos, qui venabuntur eos, de omni monte, & de omni colle, & de petrarum cauernis. Quia oculi mei sunt super omnes vias eorum, & non absconduntur à vultu meo, neque celantur iniquitates eorum à conspectu oculorum meorum. Et rependam prius duplum iniquitatibus eorum, & peccatis eorum, eò quòd terram meam prophanarunt cadaueribus abominationum suarum, & abominationibus suis impleuerunt hæreditatem meam.

Cauſe cur Deus perdat populum ſuum.

REddit euidentes superius interminatorum malorum causas, cur Dominus populum suum perditurus sit. Inducit autem propheta Deum cum ipso loquentem: quò plus fidei ea quæ ab ipso dicuntur inueniant. Si te interrogauerint, ait, quid peccauerint cõtra me? Cur tanta ipsis mala interminer? Tu causas illis redde, quas tibi expono. Simul autem causas quas referat reddit. Sciebat Dominus gentem istam valde esse fastuosam, & opinione bonorum operum, vel meritorum planè inflatam, ideoq; arbitrari immeritò tanta se pati à Domino. Certè nulla est hodie maior causa murmuris contra Dominum ac querelarum, quando affligimur à Domino, quàm quòd nosipsos non probè nouimus, ac meliores nos esse existimamus, quàm reuera simus. Alioquin tempore de-

pore deprecaremur culpam, & agnoſceremus nos iuſto Dei iudicio puniri.

Ac mirum eſt illas ipſas proferri exitij eorum cauſas à propheta, quas ipſi Iudæi arbitrabantur, imò credebant mera eſſe bona merita, & eiuſmodi opera, quibus demererentur Dominum. Perinde itaq; agit propheta, ac ſi quis hodie denunciet Chriſtianis, à Turcis impendentia mala: & ſi illi interrogent, Quid cõ miſerint contra Dominum, cuius nomine obijciantur Turcis laniandi? Reſpondeatur, Peccatis contra Dominum ſimulachris veſtris, miſſis, adoratione, inuocatione & cultu creaturarum, monachiſmo, lectionibus & cantionibus parum canonicis. Cultibus enim electitijs arbitrabantur Iudæi ſe gratos fieri Deo. Iam verò propheta, Ideò peribitis, inquit, quia reliquiſtis vel deſeruiſtis Dominum Deum veſtrum. Et principiò obijcit eis patrum iniquitatem, deinde ſuam ipſorum propriam. Et patrum quidem peccata obijcit, quòd ipſa nunquam deſeruerant, & peccata pro cultu Dei, Deo obtrudebant. Ipſe verò Dominus non ita interpretatur, ſed ſimpliciter dicit, Dereliquerunt me patres veſtri. Quòd ſi inficias ire paratis, ſcitote Deum ipſum ita loqui, non me. Conſequenter exponit quomodo deſeruerint Deum patres ipſorum. Principiò, Ambulauerunt poſt Deos alienos, quos adorauerunt & coluerunt. Deinde dereliquerunt Dominum, quòd legem Dei non cuſtodierunt, non ſeruantes ea quæ lege præcepit, neq; res omnes, ita vt lege præſcriptum erat, adminiſtrabant. Atqui cum hæc obijcerentur patribus per prophetas, deſertores Dei nolebant videri, ideoq; ſæuiebant in prophetas. Quemadmodum hodie videmus fieri. De qua re dictum eſt in Concionibus ſuperioribus. Porrò ne reſponſarent, Quid ergo? an puniemur propter peccata patrum, quæ ipſi non commiſimus? An verò portabit filius patris iniquitatem? excipit & dicit, Quin vos ſuperatis patres veſtros iniquitate. Nam eſtis in idololatria & omnibus ſceleribus longè nequiores patribus veſtris. Id quomodo intelligat, mox exponit. Incedit quiſq; pro intẽtione ſua bona, pro ſua libidine, arbitrioq; cordis ſui, id faciẽs quod ipſi adlubeſcit & optimũ eſſe videtur, verbum autem meum non audit, imò reijcit & perſequitur. Sed de hac quoq; loquutione dictum eſt in ſuperioribus Concionibus. Patres in deſerto erexerant Vitulum, quem Moſes contriuit. Sub Iudicibus aliquoties recipiebant Baalim, ſed mox redibant ad Dominum. Sub Ieroboam receſſerunt 10. tribus à templo Domini, & Vitulos iterum erexerunt. Sub Achab extruxerunt phanum Baal. Iudæi quoq; ſub Manaſſe patribus ſuis peiores facti, omnem immunditiam patrarunt: & ſub Ioachim & Zedechia ſeipſos in omni impietate ſuperarunt, recipientes omnes abominationes gentium. In eccleſia quoque Chriſtiana, errores patrum tolerabiliores & minores fuerunt ijs, qui hodie inualuerunt. Gregorius voluit imagines in templis extare, vt laicorum inſtructionem, adorari verò vetuit. Poſteriores in ſuis ſynodis voluere imagines extare in templis & venerari. Noſtra tempora viderunt in imaginibus planè non diſſimulanda, ſed pudenda penitus. Ita ſuccedentibus temporibus omnia hominum arbitrio inſtituta, in deterius prolapſa ſunt, & inſtitutio Domini vel corrupta, vel neglecta eſt penitus. Quibus accedit quod eſt longè ſceleratiſſimum, quòd qui humanis traditionibus addicti ſunt, verbum Dei non modò non audiunt, ſed & hęreſim & impietatem eſſe criminantur, & doctores euangelicos verbum Dei annunciantes, fero igniq; perſequuntur.

Exitij cauſæ ſunt electitij cultus.

Deſerere Dominum Deum.

Filij deteriores ſunt patribus.

Sequitur ergo pœna iuſta. Ejiciam vos è terra iſta, nimirum amœna & fœcunda, & transferam in terram alienam, tam longè à veſtra diſſitam, vt neq; patres veſtri, neq; vos ipſi, vbi nunc aut qualis ſit, noueritis. Et quoniam tanta cum voluptate ſeruijſtis hic dijs alienis, ſeruietis ibi abundè ſatis, vel die noctuq; ita tamen vt inde nihil ad vos redeat beneficij. Nullam ego vobis clementiam ex-

Exilio tandem damnantur.

hibebo: nulla in vos gratia commouebuntur idololatræ: nulla vobis erit quies. Aequum enim est, vt qui potuissent domi in timore Domini vti quiete, & respuerunt, foris omni tormentorum genere excrucientur. Possemus hodie quoque frui quiete, bella tamen, turbas & infelicitatem malumus, dũ peccatis & libidine nostra praua, mala ista nostra sponte nobis accersimus, digni ergo sumus, qui in peccatis nostris pereamus.

Copiosius prosequitur pœnã impijs deputatam.

Quæ porrò sequuntur, pro respectu diuersorum temporum variè possunt exponi: & principiò quidem vt pergat propheta commemorare pœnas sumendas de impio, & impœnitente populo Iudæorum. Dicit ergo certò certius abducendos fore in Babylonem. Si enim illinc sunt reducendi, oportet eos prius duci in captiuitatem. Per posterius ergo voluit eos colligere prius. Quàm certò autem in Aegypto captiui detenti & inde educti sunt, ex fornace ferrea, tam certò, inquit, concludentur in Babylonicam captiuitatem omnium grauissimam. Apparet autem formulam iurandi in populo fuisse, Viuit Dominus, & c. quam in præsenti suo applicat instituto, ita significans captiuitatis liberationisq; certitudinem. Addit se missurum piscatores & venatores, id est Chaldæorum milites, qui omnia loca etiam abditissima scrutentur, & inde eruant homines, ac in captiuitatem abstrahant & perdant. Et certè sagaces & rapaces milites solemus & ipsi appellare piscatores & venatores, item Fiſten fäger. Dicit autẽ nihil vspiam fore tutum, nullos effugere posse calamitatem captiuitatis. Ergo montes, colles & petrarum cauernas enumerat, in quibus aliquando latitant homines, & manus militum effugiũt. Rationem subdit cur latere & malum subterfugere non possint, Quia oculi mei sunt super omnes vias eorum, &c. Discamus ergo hinc, corda nostra, & abscondita, vel occulta omnia hominum, patere Dei oculis, & neminem posse manum Domini effugere. Subdit his, se repensurum in captiuitate, priusquam ex ea reducantur abundè satis (quod per duplum intelligimus) eorum iniquitatibus. Rursus quoq; quales fuerint illorum iniquitates subijcit,

Piscatores & Venatores.

Electitij cultus sunt morticina

Prophanastis terram meam cadaueribus. Cadauera vel morticina, quæ scilicet non sunt mactata, aut cæsa, sed morbo absumpta, aut per se mortua, ceu immunda in lege proscribuntur à Deo. Germanicè appellamus ein Feyb. A cadauere abhorremus omnes. Significatur aut taxatur hac parabola fœda, idololatria & impœnitens conscelerati populi, quam morticino vel cadaueri fœtido & putrido confert. Idolis autem & facinoribus totam Iudæorum terram, quam hæreditatem suam nuncupat Dominus, impleuerant. Digni ergo erant qui propter prophanationem abominandam grauissimè à Domino mulctarentur, & vt tota terra vicissim ipsorum cadaueribus operiretur. Quàm indigne autem tulerunt Iudæi, quòd cultum ipsorum cadaueribus contulit? Quid ergo mireris si impatientissimos hodie videas monachos, & traditionum humanarum cultores, si audiant à nobis electitios ipsorum cultus & damnari & abominandis conferrirebus? Isaias in cap. 66. Qui bouem mactat, inquit, hominem occidit: qui pecudem cædit, canem iugulat: offerens oblationem, suillum offert sanguinem: qui thuris meminit, bene dicit idolo. Et ista elegerunt isti in vijs suis, & c.

Vaticinium de futuro Christi regno.

Deinde videri poterat totus hic locus esse prophetia de restitutione populi Dei, vt tristibus misceat læta. Id quod non rarum est prophetis, quibus in vsu est frequenter annunciare euangelium. Promittit ergo tam certò reducendum esse Dei populum ex captiuitate Babylonica, quàm certò reducti sint ex Aegyptiaca captiuitate. Quod certè per Cyrum esse impletum, testatur historia Esdræ. Impleta sunt autẽ plenius per Christũ, de quo Ioan. apostolus dicit, quòd dispersos Dei filios congregarit in vnum. Significata est ergo hic omnium gentium vocatio. Nam dicit vocandos ex omnibus terris. Vt autem ex omnibus terris eos colligeret,

ligeret, delegit apoſtolos, quos per orbem terrarum mitteret prædicatum euangeliũ, & ex omnibus locis etiam abditis veluti erueret vel renitentes & ſibi coniungeret. Apoſtolos certè ipſe Dominus in euangelio nuncupauit piſcatores hominum, Matth. 4. Quid autem mirum, ſi conferantur illi ipſi venatoribus? Venatores enim & laborioſi & diligentes ſunt, ac feras capiunt. Quid autem ſcelerato homine ferius cogites? Vident & contemplantur oculi Domini omnium hominum in terris corruptelam, cùm latentem tum manifeſtam alioquí abſque pudore omnibus ſeſe ingerentem. Ipſe ergo qui clemens eſt, & peccatorem non vult perire, mittit medicos qui ſanent hominum vulnera & morbos. At interim punit etiam peccata hominũ. Sicuti in captiuitate Babylonica colliqueſcit. Recte ergo dicit Ieremias, priuſquam Chriſtum mittam, abundè ſatis caſtigabo iniquitatem populi Iudaici. Plerique veterum hunc locum de Chriſto eiuſque regno duntaxat, & apoſtolorum temporibus exponunt. Sed iudicium eſto apud lectores ac auditores. Oremus Dominum vt liberet nos ab omni malo.

Vaticinatur propheta de vocatione gentium, & pœna graui incredulorum Iudæorum.

CONCIO LXII.

Domine robur meum, & fortitudo (vel petra) mea, & refugium meum, in die anguſtiæ, ad te gentes venient de finibus terræ, & dicent, Verè mendacium & vanitatem hæreditate poſſederunt patres noſtri, & ea in quibus nil fuit vtilitatis. Num enim homo ſibi deos faceret? & illi non ſunt dij. Proinde ecce oſtendam eis hac vice: notam inquam faciam eis manum meam & potentiam meam: & ſcient quòd nomen meum eſt Dominus.

MAniſeſtè Ieremias texit vaticinium de vocatione omnium gentium ex toto orbe ad Dominum Deum, qua re amplificat peccatum Iudæorum nolentium Deo acquieſcere. Ex conſideratione verò iſtarum rerum certè mirabilium, exclamans pronunciat quid concipiat ac ſentiat de Deo, & quid gentes ſibi, ſuiſque maioribus, quid item Deo attributuræ ſint, vnde diſcãt omnes quid de Deo verè & religioſe ſentiant, quid deniq; iudicent de ſuis maioribus. Porrò vaticinium de vocatione omnium gentium clarum eſt. Dicit enim, Ad te veniunt de finibus terræ. At in finibus terræ gentes habitant: vt ex alijs ſcripturæ locis colligere licet. Dominus in euangelio dixit, Venient ab Oriente & Occidente, & accumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob, filij verò regni eijcientur foras. Eo opponit filios regni, id eſt, Iudæos, habitatoribus terminorum terræ. *De vocatione gentium.*

Ex vocatione hac mirifica & gratioſa colligit propheta, quid concipiat animo de Deo, quid de ipſo ſenſurę ſint gentes vocatę, & quid omnes nos, quod modò dixi, ſentire debeamus. Tribuuntur Domino Deo vocanti ad ſe peccatores tria potiſsimum. Principiò robur, illud videlicet quod nobis confert, & quidem non tam corporis, quàm animi. In Deo enim viuimus, mouemur & ſumus, & ſine illo nihil poſſumus boni, à quo ſolo eſt omne donum cœlitus donatum. Deinde tribuitur ei fortitudo, vel ſoliditas, & quòd ſit miſerorum petra, illa inquam in quam totos ſeſe conijciunt, cui ſoli incumbũt aut innituntur, vni fidentes. Ipſe eſt enim arx noſtra, & munitio inexpugnabilis. Poſtremò tribuitur ei, quòd ſit miſerorum refugium, vel aſylũ in qualibet tribulatione & anguſtia. Obſeruandum autem ſingulariter, quòd iſta non dicuntur in genere de Deo, ſed quilibet fidelium vocatorum cum Ieremia dicit, Domine tu es robur meum, tu munitio *Quid Deo tribuamus.*

& fortalitium meum, tu refugium & receptus, in quem me recipio in omnibus meis necessitatibus. Ac peculiariter dicitur, In die angustiæ. Nam omnia pericula animæ & corporis intelliguntur. An verò verisimile est hominem hac fide imbutum, inuocare sanctos, & pendere à sanctis? Nupera ergo est doctrina de inuocatione & veneratione sanctorum.

Quid iudicandum sit de patribus.

His adiungit præterea quid gentes sint confessuræ. Ea confessione omnes Deo placere studentes instituit, vt quid ipsi confiteantur, norint. Duo confitebuntur liberè. Principiò, Verè possederunt ceu iure hæreditario patres nostri mendacium & vanitatem. Et mox quid per vanitatem intelligat subdit, Res in quibus nihil nec solidi nec vtilitatis est. Talis verò fuit religio vel superstitio, recepta inquam voluntaria electione extra & contra verbum Dei. Cum autẽ Verè dicunt, testantur se nihil addubitare de eo quod loquũtur, sed certò nouisse quòd patrum res fuerint vanę & mendacium. Cęterùm falsam hanc religionem appellat hæreditate possessam, non sine causa. Nam videbatur veluti hæreditas relicta filijs, & per manus tradita à patribus. Vnde & nonnulli hodie quoq; Papisticam, & receptam religionem vocant, **von jren vorelteren ererbten glouben**. Etenim rebelles admodùm iactant patrum suorum authoritatem & fidem. Patres, inquiunt, nostri fuerunt viri boni, & sapientes, religiosi & felices, qui nobis hanc nostram religionem ceu verissimam & optimam tradiderunt: non licet igitur aliud sentire de religione, quàm quod per manus accepimus ab illis, ac meritò de hæresi nobis suspectum est, quicquid pugnat cum religione nostra patria. Qui verò ita iudicant, minimè audiunt euangelij prædicationem, nihil cogitant de emendanda doctrina & ritibus. Contra verò qui vocantur à Deo, vocantem solum Deum & verbum eius respiciunt, cum quo quando intelligunt fidem, doctrinam, ritus mores q; patrum pugnare, diserte vocant paternam traditionem, vanitatem & mendacium. Ac ista professione nihil peccant per impietatem in patres. Maior enim ratio habenda est veritatis quàm patrum, & potior Deo honor debetur, quàm hominibus. Neq; verò mãdat vera pietas, vt impietatem & impios vel irreligiosos, nuncupes pietatem, pios & religiosos. Certè nihil hodie est quod à veritate magis arceat multos homines, quàm præposterum de patribus, & eorum authoritate iudicium. Augustinus vir religiosus ac pius erga Deum & erga homines, non fert vt authoritas patrum, quantùmuis excellens, veritati scripturarum apertæ opponatur. Vana est ergo nostrorum vox. Patres, Patres, Patres.

Homines sibi deos facere nequeunt.

Deinde alterum quod confitebuntur gentes vocatæ ad Deum, tale est, vt etiam illustret illud quod præcessit de mendacio & vanitate patrũ. Nunquid, inquiunt, homines sibi deos fingere vel facere possunt, illos qui reuera dij nõ sunt? Vt rem maximè absurdam & abominabilem hanc profert in medium. Sicut autem homines deos non faciunt, ita religionem vel cultũ Dei Deo instituere non possunt. Deus creat homines, homines Deum facere, vel creare non possunt. Deus verum quo sibi vult seruiri cultum instituit: homines cultum Deo obtrudere possunt ineptissimum, iustum ac verum formare nequeunt. Interim verò homo stultus dupliciter facit sibi deos. Principiò enim cum (crasso modo) ex lapide & ligno facit Deum, imaginiq; aliquid inesse putat diuinitatis, gratię & potentiæ, ante quam procumbit, & ceu Deum adorat. Atq; crasso hoc modo multi simplices homines faciunt sibi deos, & ab alijs factos venerantur. Deinde cum fatentur (quod subtiliores idololatrę solent) se agnoscere idola non esse deos, sed deorum signa, proinde se nõ colere ac adorare idola, veluti deos, sed eos potius, quorum signa sunt. Dicunt ergo idola esse similitudines, quæ Dei admoneant & Deum repræsentẽt, & proinde quæ in aliqua veneratione esse debeant propter

res repræ-

res repræsentatas. Cæterùm vt truncus vel imago Deus non est natura, ita Deũ minimè referre aut assimulare potest. Mendacium ergo sunt & vanitas. Gentes ergo vocatæ à Deo, agnoscunt & fatentur omnem idololatriam, & omnia simulachra esse vanitatem. Vnde ab his se auertunt, & ad solum Deum conuertunt, execrantes idola & cultum illum Dei deorumq; cõmentitium, & à paterna traditione acceptum. Cum autem nos simus gẽtes illæ vocatæ, iustissimè ista nobis vsurpamus, vel applicamus, per ipsa probantes an verè à Deo vocati simus. Si enim adhuc adhæremus patrijs traditionibus de cultu deorum & imaginum, hæremus adhuc in gentilismo. Lege quæ de hac re scripsit Isaias in cap. 2.

Nunc verò pœnam denunciat verbis Dei propheta, quam sumere velit de incredulis Iudæis. Cohærent autem hæc cum superioribus, hunc in modũ. Cum gentes natura genitæ ex idololatris idola execrentur, & totæ pendeant à Deo, Iudæi verò è sanctissimis prognati patribus, malint idola, nec syncerè à solo Deo pendeant, an non iustissimas ob causas, ait Dominus, docebo eos, id est, animaduertam in eos, ostensa eis mea potentia? Sic enim intelligent me eum esse, qui dicor, Iehouah Deus viuus & potens. Completa sunt ista partim in captiuitate Babylonica, partim in repudio Iudæorum. *Puniendi Iudæi.*

S. Hieronymus hunc locum de Christo Domino sic exponit, Manus Dei per quam cuncta operatus est, & virtus, de qua dixit apostolus, Christus Dei virtus & Dei sapientia, ostenditur gentibus filij passione completa, pulchreq; dixit, Ostendam eis per vicem hanc: ostendam autem manifestè, & non vt prius, in vmbra & in imagine, & vaticinio futurorum, vt postquam cognouerint sciant nomen meum, audiantq; à filio, Pater manifestaui nomen tuum hominibus. Hæc ille. Quod autem in superiore Concione dixi, hic repeto, iudicio sit apud lectorem. Mihi videtur prophetam dixisse, Ostendam eis hac vice, pro eo quod est, breui & certissimè puniam ipsorum incredulitatem & rebellionem. Dominus Deus noster concedat nobis veram fidem, per quam ipsi placeamus. *Locus de Christo expositus.*

Pœnarum causas ostendit, peccata, prosequitur iterum pœnã, quomodo item malum effugiant demonstrans, differens de vera felicitate & infelicitate.

CAPVT XVII.

CONCIO LXIII.

PEccatum Iuda scriptum est stilo ferreo, & vngue adamantino exaratum in tabula cordis vestri, & in cornibus ararum vestrarum. Recordantur ceu filiorum suorum, altarium suorum, & lucorum suorum, ad arbores frondosas & in collibus excelsis. Montem meum in agro, possessionem tuam & cunctos thesauros tuos prædæ exponam, propter peccatum excelsorum tuorum in omnibus finibus tuis. Vacabis hæreditate tua, quam dedi tibi, efficiamq; vt tu seruias hostibus tuis in terra quam ignoras. Ignem enim incendistis in furore meo, qui ardebit perpetuò. Sic dicit Dominus, Maledictus vir qui confidit in hominem, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cum venerit bonum, sed inhabitabit torrida loca in deserto, in terra salsa & inhabitata. Benedictus vir, qui confidit Domino, & cuius fiducia est Dominus. Erit sicut arbor ad aquas plantata, quæ ad humorem mittit radices suas, quæ venientem æstum non sentit, cuius folium viret, & in anno retentionis non erit solicita, nec à fructu ferendo cessat.

Argumentum præsentis loci.

ABSOLVIT & prosequitur copiosius propheta, quod in fine proximi capitis cœperat & perstrinxerat breuibus, supplicio videlicet afficiendos Iudæos: simul indicat, iustè Deum punire illos, cum meruerint sceleribus. Quinimò reuincit eos maximorum scelerum, si videlicet, vt fieri solet, tales se esse, quales reuera erant, inficias ire pergerēt, atq; ideò Deum præter ipsorum meritum in ipsos animaduertere tam atrociter. Vbi autem conuicit scelerum, iterum commeritam pœnam subijcit, & prosequitur. Cæterùm cum Deus nolit mortem peccatoris, sed malit ipsum conuerti & viuere, propheta saluberrimum sufficit consilium, quomodo malum tantum effugiant, salui item, felices ac beati esse queant, si omnem fiduciam in solum Deum figant, carni & creaturis nihil fidant.

Apertum est et compertum peccatum.

Quod peccatum attinet Iudæorū, quo iram Dei in seipsos iustam prouocāt, tam hoc est manifestum & apertum, vt latere vel negari non possit. Adducit parabolam ab ijs qui res gestas ad posteros transmittunt, inscribentes vel insculpentes eas in æreas tabulas & columnas lapideas. Sunt hæ veritatis signa, & rerum gestarum testimonia. Sicut ergo tabulæ testes sunt rerum gestarum: ita corda Iudæorum testantur ipsos esse sceleratissimos. Loquitur enim propheta de

Rom. 2.

conscientia hominum, quæ dicitur esse vice multorum testium. De qua apostolus item de gentibus loquens, Gentes legem non habentes, inquit, sibi ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus in eo die quando Dominus iudicabit occulta hominum. Vt autem facilè non expunguntur, quæ inscribuntur stilo ferreo, & vngue adamantino, ita nemo facilè absterserit conscientiæ accusationes. Si ergo negare velitis, ait ad Iudæos Ieremias, sceleribus vestris commeruisse interitum, ego ad corda & conscientias vestras prouoco, vt his discussis, quales sitis ipsi perscrutemini. Foris quidem synceri apparetis hominibus, intus pleni estis sordibus scelerum nephandissimorum: sicuti & Dominus Iesus pronunciauit de pharisæis, apud S. Matthæum in capite 23.

Reuincuntur idololatriæ.

Iam alio etiam argumento reuincit eos. Si negare vultis vos idololatria & cultu Dei illegitimo Deum offendere grauiter, testimonium contra vos ferent aræ vestræ, quarum cornibus vel angulis quodammodo inscripta sunt peccata vestra. Deus enim vt vnicum templum instituit, ita vnam duntaxat aram holocaustorum, vnam thymiamatis aram consecrauit. Iam si estis obedientes filij, & solo Deo & præscripto eius cultu contenti, quid faciunt in ipso Dei templo tot aræ peregrinis dijs inscriptæ? quid eminent in excelsis extra templum tot excelsa, vel sacella, religionis ergò exstructa? Hæc ergo omnia contra vos pronunciant, vos esse rebelles Deo, & turpes idololatras. Tale est autem hoc argumentum, quale omnino foret si hodie Papistis negantibus se à doctrina Christi defecisse obijceres, Si Christus semel oblatus, non amplius offertur pro peccatis omnium, cur vos sigulis missis illum sacrificari contenditis? Si sufficit forma cœnæ à Domino instituta eaq; plena est, cur vos missatis? Si Christus est intercessor vester apud patrem, cur tot habetis patronos diuos? Si solum Deum adoratis, inuocatis & colitis, quid faciunt tot aræ, idola, sacella & templa, diuorum nominibus inscripta? Hæc ergo omnia ceu irrefragabilia argumenta euincunt, vos defecisse à pura Christi doctrina & religione. Tractatus est hic locus etiam in 8. Concione in Ieremiam. Inde plura require.

Oblectarunt se idololatria.

Præterea ostendit quantoperè idololatria delectati sint, Secundum meminisse filiorum, ararum ipsorum scilicet recordati sunt. Vt sit sensus, Sicut parentes filiorum recordantur magna cum voluptate: ita vos recordamini maxima cum sua-

cum ſuauitate ararum, lucorum & excelſorum. Id eſt, Nihil iſtis eſt dulcius & præſtantius vobis. Alij legunt, Recordãtur enim filij eorum ararum ipſorum: vt ſit ſenſus, Non poteſt rebus veſtris conſuli. Nam quia ſemel idololatriam accepiſtis à patribus veſtris, mordicus hanc retinere vultis, vt ſuperſtitioſi filij patrum ſuperſtitioſiſsimorum hæredes.

Nunc ergo infert Deum iuſtè ipſos puniturum. Nam propter excelſa veſtra, quæ extant in omnibus finibus regni Iuda, Deus meritò vos perdet. Quomodo verò, aut quos, vel quid perdere velit, oſtendit. Montem meum, id eſt, ipſam metropolim Hieroſolymam, in qua excellebat mons Zion, & vbi erat Dei templũ, Agrum, id eſt, totam regionem Iudaicam, Poſſeſsiones, id eſt, prata, vineta, ædificia, Theſauros, pecuniam inquam & res quaſuis reconditas & precioſas: breuiter omnes tuas opes exponam prædæ. Adijcitur, Vacabis hæreditate tua, quã dedi tibi. Vulgata verſio habet, Et relinqueris ſola. Alij vertunt, Et remiſsio erit in te. Alij, Facies remiſsionem. Germanicè, Du ſolt dines erbs fyren. Alij, Ejcieris aut quieſces à tua hæreditate. Senſus in idem ſemper recidit. Terra promiſſa erat hæreditas tradita populo à Domino, qui voluit vt terræ quoq; ſuæ ſabbata ſua permitterẽt, & vt ipſi feriarentur à malo. Sed aſpernabãtur Dei mandatum. Dicit ergo, Ego efficiam vt terra quieſcat & exoneretur ab onere, quo premitur. Vos eſtis onus. Ejciemini ergo ex patria veſtra, ad hoſtes Chaldæos, & illis ſeruietis, in terra incognita & remotiſsima. De hac loquutione dictum eſt prius. Manifeſtè verò culpam tanti mali deriuat in ipſos. Ignem, inquit, incendiſtis in furore meo, id eſt, prouocaſtis me ad iram, quà vos conſumere cogor. Nec extinguetur vindicta illa mea facilè. Ardebit perpetuò, dum videlicet vos non emendaueritis vitam veſtram corruptiſsimam. *Exponitur pœna.*

Quoniam verò prophetæ fermè triſtibus lætiora miſcent, conſolantur mœſtos atq; afflictos, ſana denicq; ſuppeditant conſilia, quomodo mala à Deo intentata ſubterfugere poſsimus, cõſequenter ludęis quoq; imò nobis omnibus viam indicat, mala quæuis euadendi, docens in quibus rebus verſetur felicitas, & in quibus infelicitas hominũ, ſiue quomodo vel felices vel infelices poſsimus eſſe omnes. Breuibus autem ſententijs vtitur, & oppoſitis quidem, quas illuſtrat deinde pulcherrimis parabolis ſubiectis. *Conſolatio inſeritur.*

Beatus & felix ille eſt, qui habet id quod optat maximè, ſummum bonum, quo & fruitur. Infelix & miſer eſt, qui illo deſtituitur. Cæterùm quodnam ſit ſummum bonum, in confeſſo eſt, Deo nihil eſſe excellentius, melius, optabilius, vrpote qui ſolus eſt bonus, & in quo ſolo ſit abſolutiſsimum bonum pleniſsimè. At quo modo Deus ſe nobis communicet, vt bonum quod in ipſo eſt natura, noſtrum fiat participatione, ipſoq; fruamur, variant & diſcinduntur ſententiæ. Sed veritas tribuit hoc religioni veræ. Religio enim à religando dicta, cõiungit aut religat nos cum Deo, & Deum nobiſcũ. Significatur hęc res in ſcripturis & per fœderis ſimilitudinem. Nam dicitur Deus nobis coaleſcere fœdere, & nos ipſi obſtringi. Germani quoq; fœdus & pactum, den pundt/ deriuant à colligatione, vom verbinden: ac religionẽ Germanicè appellare potes, ein verbindung, colligationem. Porrò gratia ſua per mediatorem filium ſuum coniungitur nobis Deus: nos verò ſpiritu per fidem vnimur & connectimur illi, vt ipſe ex gratia cum omnibus bonis ſuis noſter ſit, nos verò per fidem ſimus filij & hæredes eius. Proinde fiduciam ponentes in ſolo Deo viuo, vero & æterno per mediatorem Chriſtum, felices & beati ſunt: & felicitas atq; beatitudo vera eſt, coniunctum vel vnitum eſſe vera religione cum Deo. Qui enim per veram fidem in præſenti ſæculo Deum poſsident, & cum Chriſto coniuncti ſunt, non eſuriunt, & bonis Chriſti fruuntur, in futuro ſæculo glorificati pleniſsimè abſoluuntur, *De vera felicitate & ſummo bono.* *Religio.*

& ſempiterna fruũtur gloria. Copioſe de hac re Dominus noſter diſſeruit apud Ioan. in cap. 6. ac in Pſalmis legimus, Beatus populus ille, cuius Dominus eſt Deus eius. Huc pertinet & Pſal. 16. in quo Dauid, Dixi, inquit, Deus meus es tu, bonum meum non ſuper te: nullum inquam bonum eſt in terris, quod tibi præferam. Nam & concludit Pſalmum & dicit, Notam mihi facies ſemitam vitæ, ſatietas gaudiorum in conſpectu tuo eſt, & iucunditates in perpetuum. Sequuntur & alia bona fortunæ appellata, &c. Sed non eſt quod alios huc adferamus locos ſcripturarum, cum in præſenti Ieremias negotium hoc veræ felicitatis & beatitudinis ad hunc modum, quem paucis perſtrinximus, illuſtret.

Quia verò vltimo de pœnis dixit Ieremias, prius de infelicitate dicit, quàm de felicitate. Sic enim rectius res inter ſeſe cõnectuntur. Et vt rebus adderet authoritatem, præmittit iſtorum quæ dicturus eſt authorem, & ait, Sic dicit Dominus. Domini ergo ſunt hæc de infelicitate & felicitate pronunciata quæ ſequuntur. Maledictus vir, inquit Dominus, qui confidit in hominem, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Tria enumerat quæ infelices reddunt & miſeros. Primum eſt, ſi quis confidat vel fiduciam ponat in hominem. Hominem dicit abſolutè, ſiue viuum, ſiue mortuum, ſiue bonum vel ſanctũ, ſiue malum aut ſceleratum. Fiduciam verò ponimus in demortuos corporibus, anima autem viuentes in cœlis ſanctos, cum ſperamus nos ſalutem conſequuturos ex ipſorum interceſsione apud Deum, cum ſperamus ea nos accepturos ab illis, quæ ſolus Deus dat, cuius generis ſunt opes, ſanitas, ſecuritas & ſimilia, quæ inquam ſolus dat Deus, nõ per illos, aut propter ipſorum merita, ſed propter ſe, & propter Chriſtum. Confidit item in hominem, qui nimiũ tribuit amicis, coniugi, parẽti, principi, quaſi his ſublatis, perierit omnis ſpes. Miſeri & infelices ſunt planè, qui huiuſmodi ſunt. Secundum eſt, ſi quis ponat carnem brachium ſuum. Caro eſt quicquid humanum & periturũ eſt, etiam humana ſapientia & potentia & virtus. Opponitur ſpiritui & Deo æterno, vt Iſaiæ 40. & 35. Brachium eſt auxilium, robur ac aſſertio. Quiſquis ergo auxilium & robur quod à Deo expectaret, expectat à carne, infelix eſt & miſer. Maledictus eſt, inquit in hũc locum beatus Hieronymus, non ſolùm qui ſpem habet in homine, ſed qui ponit carnem brachium ſuum, id eſt, fortitudinem ſuam, & quicquid egerit non Domini clementiæ, ſed ſuæ putauerit eſſe virtutis. Et reliqua. Tertium eſt, Atq; à Domino recedit cor eius. Non modò illorum corda recedunt à Deo, qui deficiunt à Deo & negant veritatem eius, ſed etiam qui confitentur quidem Deum, & Dei nomen prædicant, ſed non vni omnem gloriam tribuunt, non à ſolo pendent, non vnum adorant, inuocant, & colunt: nec ita colunt, ſicut ille mandauit, ſed ſimul cum Deo venerantur etiam creaturas, atq; ita integrũ cor Deo non impendunt, ſolum ex toto corde non diligunt. Sicuti Iudæi & Izraelitæ fecerunt, qui confiſi quidem ſunt Deo, & Deum coluerunt, ſed non ſoli nec ſolum: ſicuti ſcripta prophetarum teſtantur. Cur ergo hodie non diceremus corda illorũ receſsiſſe à Deo, qui Deo quidẽ ſupplicant, ſed impenſius diuæ virgini & diuis, à quibus maiora & plura expectant, quã ab ipſo Deo per Chriſtũ? Si enim credũt in Chriſtum, per quẽ plenè placatus eſt pater, quar . vni non ſupplicant? Quia ergo vni non ſupplicant, & conuertuntur magis ad creaturas, in quas plus ſpei habent, re ipſa declarant corda ſua receſsiſſe à Domino. Nam cuius cor fixum eſt in Deo, is à Deo petit omnia, & in omnibus non ad alium confugit quàm ad Deum.

Quæ vera infelicitas.

Corde à Deo recedere.

Chriſtus verus Deus.

Priuſquam hinc digrediar, recitabo quæ in hunc locũ ſcripta reliquit beatus Hieronymus. Si maledictus eſt omnis homo, inquit, qui cõfidit in homine, Paulus autem Samoſathenus & Photinus, quamuis ſanctũ & cunctis excelſum virtutibus prædicent ſaluatorem, tamen hominem confitentur: Ergo maledicti

erunt

erunt ſpem habentes in homine. Quòd ſi nobis oppoſitum fuerit, quòd & nos credamus in eo, qui dicit, Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis loquutus ſum: Reſpondebimus illud apoſtolicum, Et ſi Chriſtum ſecundum carnem aliquando cognouimus, nunc tamen non nouimus. Denique idem apoſtolus in principio epiſtolæ ſuæ ad Galatas ſcribit, Paulus apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis. Si enim mors abſorpta eſt in victoria, quare non carnis humilitas, quæ propter humanam ſalutem aſſumpta eſt, in diuinitatis tranſierit maieſtatem, vt fecerit vtrunque vnum, & non adoremus creaturam, ſed creatorem, qui eſt benedictus in ſæcula? Hæc ille. Abutuntur tamen hoc loco nonnulli, volentes eius patrocinio aſtruere Chriſtum poſt clarificationem non amplius eſſe creaturam, nec retinuiſſe naturam humanam, ſed hãc eſſe deificatam, & proinde Chriſtum in gloria non amplius eſſe hominem, ſed Deum. Nam hominem tranſiſſe in Deum, & vtrunque hominem ſcilicet & Deum, vnum eſſe factum, id eſt, non iam hominem & Deum, ſed Deum eſſe duntaxat. Cæterùm exploſa eſt dudum hæc ſententia, & ceu impia ſcripturiſque aduerſa in Eutyche hæretico condemnata, qui & ipſe aſſeuerabat Chriſtum poſt aſcenſionem & clarificationem iam non habere amplius naturas duas, ſed ex homine factum eſſe Deum, qui iam vnius ſit naturæ, nihil in ſe habens creaturæ amplius. Conuicerunt autem erroris Eutychem viri pietate & eruditione clari, editis etiam libris, vt Vigilius, Leo Rom. epiſ. Theodoretus Cypri epiſcopus, & alij. Et Hieronymus non dicit carnis naturam tranſiiſſe in ſubſtantiam diuinam, ſed carnis humilitatem tranſiiſſe in diuinitatis maieſtatem. Humilitas enim & infirmitas, mortalitas & corruptio in gloria deſijt, Chriſtus autem veluti auctus eſt gloria diuina, vt ſubierit in locum infirmitatis maieſtas, potentia, immortalitas & incorruptio, ita tamen vt humana vel carnis ſubſtantia nihilominus permanerit: cui quidem (vt Auguſtinus dixit) immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Vnum ergo fecit non abolitione ſubſtantiæ humanæ, ſed acceſſione gloriæ. Etſi enim ante gloriam quoque verus fuerit Deus, hæſerunt tamen in humana natura infirmitates, neceſſariæ ad expiationis myſterium: quod vbi fuit abſolutum, pro infirmitate gloria ſubijt. Sed & ipſe Hieronymus in Symbolo ſuo hoc manifeſtè confitetur & dicit, Reſurrexit tertia die, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexterã Dei patris, manẽte ea natura carnis in qua natus & paſſus eſt, in qua etiam reſurrexit. Non enim exinanita eſt humanitatis ſubſtantia, ſed glorificata, & in æternum cum Deitate manſura. His quid dici obſecro poterat clarius? Quòd ſi quis reſpondeat, ſuſpectam eſſe authoritatem huius ſymboli, relegò hunc ad lectionem S. Hieronymi minimè ſuſpectam, ad Comment. videlicet in Matth. 17. caput, & ad ſcriptum eiuſdem aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani ad Pammachium, vbi eadem multis ſcripturis explanat, atque illuſtrat. Idem alibi non veretur Chriſtum compellare creaturam. Sed redimus nos ad noſtrum Ieremiam.

An ſit Chriſtus poſt clarificationem creatura?

Qui quia dixerat in ſententia illa ſua memorabili, Maledictus vel execratus vir, &c. ſubiecta eleganti parabola, maledictionem illam illuſtrat qualis ſit. Erit *is*, inquit, inſtar myricæ in deſerto. Hieronymus monet Symmachũ vertiſſe, Erit inſtar ligni infructuoſi in ſolitudine, ſenſum vtique magis reddẽs quàm verba. De Myrica ſcribit Plinius lib. 13. nat. hiſt. cap. 21. & vocat lignum infelix: nos appellare poſſumus noſtra lingua ein wilder Tamariſc. Seipſum verò explicans propheta ſubdit, Non videbit bonum, etiam cum venerit: id eſt alienus erit talis homo ab omni bono: & vt ſtirilis arbor in deſerto, & in terra torrida, vel ſalſa, id eſt infrugifera, nullum profert fructum; ita hic homo nunquam florebit, neque

Erit infelix inſtar myricæ.

fructus proferet bonorum operum: breuiter neq; hic, neq; in futuro sæculo beatus & verè felix erit, sed variis potius in lege pronunciatis maledictionibus obnoxius. Solomon huius rei exemplum est, qui vt omnium felicissimus etiam in hoc sæculo erat, cum per veram religionem Deo adhæreret: ita omnium mortalium miserrimus factus est, postquam cor eius defecit à Deo, & infelicitatem quoq; posteris suis intulit. Huc pertinet ficus à Domino maledicta in euangelio apud S. Marcum in cap. 13.

Fideles felices sunt & beati.

Ex opposito, Beatus, inquit, vel benedictus vir, qui fidit Domino, vel qui confidit in Dominum. Et mox explicans quid his intelligat, subdit, Et cuius fiducia vel spes est Dominus. Proinde fides est fiducia in ipsum Dominum, qui est spes & refugium nostrum, salus, protectio & adiutorium nostrum. Et hæc fides reddit verè felices & beatos. Coniungit enim nos cum Deo, in quo omne bonum possidemus, & per quem iustificamur, sanctificamur & seruamur plenissimé. Proinde non est quod vlla Deo adiungamus præsidia. Sufficit hic vniuersæ creaturæ. Cui laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen. Ergo si nos pontifices diris deuoueant, & ex cœtu sanctorum eijciant, hæreticisq; annumerent, quòd soli Deo fidimus, creaturas cum Deo colere nolumus, consolentur nos hæc veritatis verba, quæ minimè fallunt & benedictos nos esse pronunciant, maledictos autem nos fore testantur, si fidamus in vllo homine, aut vlla carne. Ergo si totus mundus nos maledictioni subijciat, maledictioni tamen eius benedicet Dominus.

Erit felix instar fœcundæ arboris.

Sicut autem in priori sententia maledictionem impiorum illustrauit parabola petita à myrica: ita felicitatem piorum etiam expolit similitudine accepta ab arbore fructifera. Videtur alludere ad Dauidis Psal. 1. vbi totidem propemodùm verbis recitantur, quæ hic dicuntur: nisi quod hic addit, æstum non sentiri ab hac, id est æstum non nocere, quin virescat perpetuò. Annum verò retentionis vocat tempestatem siccam, qua non pluit, sed pluuiæ retineri veluti cœlo videntur. Quòd si verò non pluat, ne tum quidem à fructificando arbor illa cessat. Significatur autem pios & verè fideles nullis discriminibus, tentationibus & calamitatibus impediri, quò minus suum proferant fructum, & fructum quidem bonorum operum: sicuti docuit in euangelio Dominus Ioan. 15. Dominus concedat nobis facultates fructificandi omnis generis fidei fructus suaues, ad gloriam nominis sui, Amen.

Quæ docuit de vera felicitate & infelicitate, illustrat amplius. Deinde rursus quid passuri sint propter rebellionem exponit.

CONCIO LXIIII.

Dolosum cor præ omnibus, & infirmum, quis cognoscet illud? Ego Dominus, & cor perscrutor & renes exploro, vt reddam cuiq; iuxta viam suam, & iuxta fructum studiorum (vel operum) suorum. Perdix congregat quæ non peperit. Qui opes parat, & non in iudicio, in medio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit stultus. Solium gloriæ excelsum ab initio, locus sanctuarij nostri. Spes Izrael Domine, omnes qui te derelinquent, confundentur, & qui à me recedunt in terra scribentur: dereliquerunt enim fontem aquarum viuentium, Dominum. Sana me Domine, & sanabor: salua me, & saluabor: quia laus mea tu es. Et isti dicunt ad me, Vbi est verbum Domini? veniat obsecro. Et ego non properaui, vt essem pascens post te, nec diem malum concupiui: id quod tu nosti: quod egressum est ex labijs meis, coràm facie tua fuit. Ne

fis ergo

Sis ergo mihi formidini, qui refugium meum es, in die afflictionis. Confundantur, qui me persequuntur, & non confundar ego: terreantur illi, & ego non terrear: induc super eos diem malum, & duplici contritione contere eos.

DOcuit beatus Ieremias felices & beatos esse quotquot fiduciam omnem collocant in Deum: infelices verò & miseros esse, qui confidunt in hominem, & ponunt carnem brachium suum. Ea doctrina cum momenti sit maximi, consequentibus illustrat eandem, vt hæc omnia omnium animis altius insideāt. Et quantum quidem attinet ad hominem, tria de ipso adfert in medium. Cordis enim mentionem facit, totum autem intelligit hominem. Cor hominis, inquit, dolosum est, Dückisch oder listig. Variè enim vox Hebræa vertitur, perplexum, contortum, conuolutum & contectum, subdolum, fallax, peruersum & prauum. Homo inquam natura est corruptissimus & versipellis. Apparet ferè optimus, qui est pessimus: ac videtur aliquando fidendum esse homini, qui tamen fidem fallit, maximè in periculis. Tum enim qui videbatur amicissimus esse, rem suam curat, te negligit. Quis ergo fiduciam suam collocet in varium & versipellem, dubium & fallacem hominem? Est autem hæc sententia vniuersalis, sicuti & illa Genesis 6. Cor hominis malum est ab adolescentia sua. Nam totus homo corruptus est natura, &c. Quod autem dixit, Præ omnibus aut super omnia, amplificat malum. Deinde cor hominis, inquit, infirmum est, ærumnosum & miserum, quod magna quidem conatur, sed viribus destituitur, vt pote incertum, carnale, mortale. Quis autem infirmo & misero homini confidat? Rectè ergo dictum est, Maledictus qui confidit in hominem. Postremò, Quis, inquit, cognoscet illud? imperscrutabile est cor hominis, nec facilè alius dixerit, quid tu voluas in tuo animo. Nemo enim scit quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Quomodo ergo fidas illi, qui qualis sit nescias, imò scire certò nō possis? Huc pertinet quod in hæc verba legis apud Ioan. in cap. 2. Multi visis signis crediderunt in Iesum. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quod nosset omnes, nec opus haberet, vt quisquam ei testaretur de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Stultissimum ergo fuerit fiduciam collocare in homine.

Declarantur quæ dicta sunt de vera felicitate.

Quod verò iam Deum attinet, cui fidere benedictio & felicitas est, Ego, inquit Dominus, Deus sum, & is Deus, qui scrutor renes & corda probo, vt cuiq; rependam iuxta viam suam & pro operibus eius. Asserit se Dominus Deū esse, vtiq; viuum & verum, absolutum, & sempiternum bonum. Item asserit se illum esse qui corda scrutetur, & probet renes. Dixi autem aliàs per corda cogitationes, per renes cupiditates hominis omnes significari. Deus ergo intus & in cute vt dici solet, cognoscit hominem, nec; ipsum quicquam eorum latet, quę arcaniſsima alioqui hominis sunt. Opponitur hoc ei membro quod præcessit, Dolosum cor hominis & infirmum, quis cognoscet illud? Opponitur enim, Licet ab hominibus nō cognoscatur, patet tamē Deo semper. Hinc ergo colligimus Deum esse omniscium. Vnde etiam constabit eundem esse & iustum, & remuneratorem tam boni quàm mali vniuersi. Quoniam enim hominis cogitationes, affectiones, cupiditatesq; & consilia omnia perspecta habet, potest cuilibet rependere iuxta viam, id est instituta, adeoq; iuxta opera sua, atq; ita iustè iudicare, & iustitiam exercere erga homines exactissimam. Quis autem non tutò fidat Deo omniscio, remuneratori, iusto atq; adeo iudici iustissimo? Proinde necesse est verissimam esse sententiam, Benedictus vir qui confidit Domino, & cuius fiducia est Dominus. Hic enim non est versipellis, nec fallit sicut homines, sed peruersi-

Fidere Domino, bonū & tutum est.

tatem & fallaciam omnium hominum & execratur & punit grauissimè.

Diuitiæ incertæ, & qui his fidit fallitur.

Præterea quia dixerat, Maledictus homo qui ponit carnem brachium suũ, subiũcit nunc exemplum eius rei diuitias hominis. Nam pleriq; homines hanc carnem siue carneas & flaccidas istas opes, ponunt brachium & adiutorium atque refugium suum. Vident enim opes dare hominibus & genus & formam, nobilitatem, fauorem, dignitates, potentiam, & quid non? Experientia hoc nos quotidiana docet. Scortum cùm quæstu corporis sui amplas opes parauit, & cruentus miles, furaxq; vsurarius ac prædo violentus census suos auxit, vt iam torquati & sericati incedant, adorantur à vulgo propemodùm pro diis. Inde subnascitur opinio in plerisq;, felices esse & beatos qui abundant opibus. Hoc elegantissima sed tecta parabola cõfutat Ieremias, & docet palàm miseros & stultos esse huiusmodi diuites. Locus alioqui nonnihil obscuritatis habet. Est qui sic legat, Sicut perdix quę colligit oua aliena, quæ non peperit: sic qui facit diuitias & non in iudicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, &c. Vetus interpres vertit, Perdix fouit, quæ non peperit, fecit diuitias, &c. S. Hieronymus exponit, & ait, Aiunt scriptores naturalis historiæ tam bestiarum & volucrum, quàm arborum herbarumq;, quorum principes sunt apud Græcos, Aristoteles & Theophrastus, apud nos Plinius secundus, hanc perdicis esse naturam, vt oua alterius perdicis, id est aliena furetur, & eis incubet foueatq;, cumq; fœtus adoleuerit, auolare ab eo, & alienum parentem relinquere. Huiusmodi diuites sunt, qui aliena diripiunt, & absq; cogitatione iudicij Dei, faciunt diuitias non cum iudicio, quas in medio tempore relinquunt, subita morte subtracti, quando dicitur eis, Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Nihilq; insipientius, quàm non prouidere nouissima, & breuia putare perpetua. Hæc ille. Ambrosius quoq; & Albertus paria de perdice tradũt, dicentes, Pexdix est auis astuta, quæ alterius perdicis oua diripiens corpore suo fouet, sed fraudis suæ fructum habere non potest: quia cum pullos suos eduxerit, eos amittit. Vbi enim voces illius audierint, quæ oua generauit, relicta illa ad hanc se naturali quodam munere & amore conferunt, quam veram sibi matrem cognoscunt. Lutherus vertit, **Dann glych wie ein vogel/der sich vber eyer setzt/vnd brütet sy nit vß: also ist der/so vnrächt gůt samlet.** Simpliciter scribitur: Perdix vel auis congregat, quæ non posuit, vel peperit. Congregat autem, intelligendum est oua. Sensus alioqui clarus est, Sicut perdix oua aliena congregat: sic auarus alienis inhiat facultatibus, & ad se rapit. Sicut autem pulli apud eam perdicem quæ exclusit suffurata oua, non manent: ita diuitiæ iniustè paratæ non sunt stabiles, sed tolluntur ab iniusto, imò ipse diues subducitur diuitijs. Dum enim auarus minimè putat, moritur. In morte autem palàm colliquescit stultum fuisse diuitem illum, qui opes suas res incertissimas omnibus rebus prætulit. Exponuntur hæc in euangelio secundum Lucam à Domino per parabolas in cap. 12. & 16. Verissimè ergo dixit Ieremias, Maledictus homo, qui ponit carnem brachium suum. Prophani scriptores multa etiam tradiderunt de fragilitate & instabilitate opum, & diuitum stultitia. Genus verò loquutionis, Et in nouissimo erit stultus, illud ferè significat, quod Germanicè dicimus, **vnnd zů letst findt es sich daß er ein narr ist.**

Lucæ. 12.

Felices sunt qui in cœlestia ponunt fiduciã

Post hæc summam rei infert & colligendo repetit, felices esse Deo fidentes, & ait, Solium gloriæ excelsum ab initio, locus sanctuarij nostri. Variè hoc exponitur ab interpretibus: sed hoc videtur velle propheta, Locus sanctuarij nostri, in quo acquiescimus, & ad quem refugimus, in quo tuti consistimus & sanctificamur, cœlum est, antiquum illud excelsissimum & ideò tutissimum Dei solium. Ibi residet Deus, qui est summum bonum, absolutissima felicitas, eaq; de causa

spes est

spes est & expectatio Izraelis, siue vniuersalis ecclesiæ sanctorum. His iam appendit, Confundentur omnes qui te derelinquunt. Beati ergo omnes qui Deo confidunt, & in ipso acquiescunt. Ex opposito, per personæ mutationem, Deo iam loquente & dicente infert, Qui à me recedunt aut deficiunt, in terra scribentur. Opponuntur etiam inter se scribi in cœlo, & scribi in terra. Qui in albo sunt cœlesti, ciues sunt cœli & hæredes Dei: ergo qui alieni sunt à regno Dei, terreni prorsus, & inferorum ciues futuri sunt, ij scribuntur in terram. Causam subiungit cur tantæ sint miseriæ obnoxij, quia ipsum Dominum, qui est fons vel scaturigo viuentium aquarum, deseruerunt. De quo vide quæ dicta sunt in cap. 2. huius prophetæ. Subiungitur autem hæc ratio superioribus non aliter, quàm cum dixisset in euangelio Dominus, Qui non credit, iam condemnatus est: mox causam subiungit, & ait, Quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei. Hactenus ergo pulcherrimè illustrauit, quod oppositis sententijs proposuerat vates, Maledictus qui confidit in hominem, Benedictus qui confidit in Dominum.

Scribi in cœlo & in terra.

Precatiunculam illis coniungit, qua ostendit quis talem mentem det, quæ in vniuersum Deo fidat in omnibus, atq; hanc docet petere à Deo oratione fideli. Dicit ergo, Sana me Domine, & sanabor. Quia enim superius dixit, hominem essem ærumnosum & infirmum, rectè nunc sanari petit. Perditi item sumus & in maximis versamur discriminibus, elegãter ergo seruari petit. Et hoc à Deo solo petit, vt & nos à solo Deo hęc petamus. Quia ipse est laus omniũ credẽtium. Laus inquam, vt quem solum laudant, & in quo omnem laudem & gloriam ponunt suam fideles. Vides autem breuem esse hanc oratiũculam, sed singularem & maximi varijq; vsus.

Orandus Dominus.

His verò de felicitate & infelicitate veluti per digressionem adductis, redit propheta consequenter ad orationis caput, ostendens porrò quantopere peccet populus, & quanta mala sibi in sua congerat capita. Noua autem orationis figura vtitur. Nam conuerso ad Deum sermone, Deo exponit quid populus loquatur. Deinde priuatim de suo munere commentatur cum Deo. Postremò sub precationis formula, quid propter rebellionem & peccata sua passuri sint Iudæi ostendit. Refert ergo in primis quid populus in ore habeat perpetuò, quo simul declaratq; quale nam sit ipsorum peccatum, contemptus videlicet, imò & prouocatio Dei & verbi eius, quod agnatum videtur peccato in spiritum sanctũ. Nam non tantùm irrident prophetiam, sed veluti redarguunt mendacij, prouocantes Dominum, vt si ita videatur, declaret vires suas, & exerat contra ipsos suam potentiam. Vbi inquam est illud Dei verbum, inquiunt, quod nobis perpetuò annuncias? Vbi minæ illæ Dei contra idololatras & conscelerato? Veniat obsecro. Pro quo nos dicimus, Laß nun har gan. Quoniam verò nulla mox vindicta sequitur, apparet palàm, confingere minas illas vos prophetas, & mentiri splendidè. Nam si verum est quod dicitis, vbi nam sunt horrendæ illæ pœnæ? Felici vtimur fortuna, bene nobis est. Vana sunt itaq; omnia, quæ vos prophetæ contra nos pronunciatis, Similia hodie plura audias, quàm sit commodum & honestum. Multi enim illudunt & concionatoribus & concionibus, & aiunt omnia quæ contra impios prædicantur, Siculis nugis esse vaniora.

Iterũ peccata protrahit & pœnã denũciat

Sed suspicabantur multi prophetam inuidia quadam erga populum laborare, & sua sponte se ingessisse, aut intrusisse in hanc functionem, vt stomachum in ipsos effunderet. Cæterùm purgat se hic ab omni suspicione propheta, & ait, Et ego non properaui vt essem pascens post te. Variant hic rursum interpretes. Est enim qui legat, Et ego non sum abominatus, ne essem pastor post te. Alij, Non sum affectus angore quo minus pastor essem. Id est, non fui rebellis, cum mihi

Paterno animo est prophe ta in populum.

delegares munus prophetiæ, sed humiliter te sum sequutus, pro viribus pascens populum. Alij, Cum tamen ego te sequutus moram non traxerim, quò minus pastor essem. Alij rursus legunt, Non elongaui meipsum ne essem pastor. Alij, Non impuli me vt essem pastor. Legi poterat, Et ego non festinaui vt essem pascens post te. Id est, Non ipse cucurri & me ingessi huic muneri, vt post te, nimirum iubente te, pastor essem. Constat enim ex historia, vocatum, maximè recusasse munus pastorale: sicut claret in cap. 1. Præterea nunquam cupiui, inquit, diem malum, id est vt male illis sit, ipsosq; punias. Intercessi enim pro ipsis. Hoc confirmat testimonio Dei, qui norit hæc omnia, neq; obliuioni tradiderit, quæ verba in conspectu Dei pro ipsorum salute effuderit. Proinde si hodie quoq; suspicionibus graueris populi, illud te consoletur quòd non tua cucurreris voluntate aut libidine, sed vocatus à Deo prædicare cœperis, & quòd Deus, qui omnium corda inspicit, nouit, te semper paterno in populum fuisse animo atque syncero.

Orat prophet.

Postremò soliloquium suum inflectit propheta ad preces, quas nonnulli vt prædictionem interpretantur. De qua re alibi est dictum. Principiò enim petit à Deo, vt in munere suscepto progredi possit per Dei auxiliũ intrepidè, ne quem metuat. Non sis mihi formidini, inquit, id est præsta mihi ne refugiam te ceu hostem, & mihi iratum, sed agnoscam te vt patrẽ. Sequitur enim, Tu es refugium meum in die afflictionis. Orat item ne confundatur vel pudefiat. Rursus item precatur ne formidet, homines nimirum, sed vt homines magis timeant ipsum ceu ministrum Dei & morum censorem. Hæc petant licet à Domino omnes ministri. Deinde denunciat rebellibus quid sint passuri propter peccata. Siue verò precationis, siue prophetiæ forma hoc enunciet, perinde est. Pudefient, formidabunt, ac inducet super eos Dominus diem malum, quem veluti optare videntur cum dicunt, Veniat obsecro. Conteret autem ipsos Dominus duplici, id est grauissima contritione. Similia expectent à Domino, quotquot contempto verbo Dei, Deum etiam prouocant, & ministris verbi insultant. Dominus largiatur nobis animos obsequentes.

Concludit orationem vates, & sub figura sanctificationis sabbati, hortatur eos ad emendationem vitæ, cui optima quaque promittit, vitæ verò impœnitenti dira quæq; minatur.

CONCIO LXV.

Sic dixit Dominus ad me, Vade & sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur & egrediuntur reges Iuda, atq; in omnibus portis Hierusalem, & dices ad eos, Audite verbum Domini reges Iuda, & omnis Iuda, cuncti quoque habitatores Hierusalem, qui ingredimini per portas istas, Sic dicit Dominus. Cauete in animabus vestris ne tollatis onus die sabbati, vt inferatis per portas Hierusalem, neq; efferatis onus è domibus vestris die sabbati, imò nihil operis faciatis, sed sanctificate diem sabbati, quemadmodum præcepi patribus vestris. At illi non audierunt, nec inclinarunt aurem suam, sed potius indurarunt ceruicem suam, ne audirent, & ne reciperent disciplinam. Erit ergo si audiendo me audieritis, dicit Dominus, vt nihil oneris inuleritis per portas huius vrbis die sabbati, sed sanctificaueritis diem sabbati, nec in eo quicquam operis feceritis, ingredientur per portas vrbis huius reges & principes sedentes in solio Dauidis, vecti in curribus & equis, ipsi & principes eorum, viri Iuda & habitatores Hierusalem, sedebitq; illa ciuitas in sæculum. De ciuitatibus quoque

Iuda, &

Iuda, & de ijs quæ circum Hieruſalem ſunt, ac de terra Beniamin, ex campeſtribus & montanis, & à meridie, venient, ferentes holocauſtum, victimam, oblationem, thus & laudem vel confeßionem, ferentes inquam illa in domum Domini. Si verò me non audieritis, ſanctificando diem ſabbati, quò minus tollatis onus, & eatis per portas Hieruſalem die ſabbati, incendam ignem in portis eius, qui deuorabit palatia Hieruſalem, & non extinguetur.

QVidam arbitrantur hanc eſſe peculiarem oratiunculam De religione Sabbati. Sunt qui referant etiam hæc ad ſuperiorem orationem: in quorum numero videtur etiam eſſe Hieronymus. Apparet certè his prophetam concludere totam illam ſuam orationem, cuius initium eſt principium cap. 14. Hactenus enim annunciauit populo Iudæorum pœnam grauem propter peccata ipſorum, ni conuertantur ad Dominum. Nam & rationem mala euadendi oſtendit. Nunc ergo totum hoc argumentum recolligendo repetit, & repetendo inculcat, idq; ſub alio dicendi ſchemate. Hortatur enim eos vt ſabbatum ſanctificent. Sic enim feliciſsimos fore, infeliciſsimos ſi prophanent. Ac ſabbatum in hac tractatione videtur vſurpari pro vniuerſa religione ſyncera. Qui enim aſpernatur ſabbatum, non magni pendit religionem veram. Et quidem ſabbatum à Deo inſtitutum eſt, non propter otium per ſe. Otium enim Deus nuſpiam per ſe approbat: proinde otium ſabbati commendatur propter aliud, nimirum propter diligens religionis ſtudium. Ideò enim feriandum præcipitur à laboribus manuarijs, vt hoc totum tempus impendamus exercitio religionis. Præcipuum in religione eſt auſcultatio & annunciatio verbi æterni Dei. Ex verbo Dei dependent religionis potiſsima, fides in Deum, verè bona ex fide opera, oratio & Sacramenta, aliaq; omnia pietatis officia. Cæterùm ad annunciationem & auſcultationem verbi Dei opus eſt certo loco & tempore, vel horis conſtitutis, quibus conueniatur in cœtum ſacrum. Sabbatum verò ei rei erat conſecratum. Quo & in hominum retinebatur memoria. Deum eſſe conditorem cœli atq; terræ, Deum largiri omnia hominibus neceſſaria, Deum denique ſanctificare homines. Sed ea de re copioſe diſputaui in Præfatione, quam præfixi Sermonibus meis eccleſiaſticis, De ferijs Domini & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hęc obiter duntaxat hic commemoraui, vt intelligeretis, cur tanta Dominus hic tribuat obſeruationi ſabbati. Quia de tota religione loquitur, non tantùm de otio illo hominum.

Peroratio huius orationis.

Sabbatum pro religione tota.

Per initium huius concluſionis, authorem, pro more ſuo, eorum quæ dicturus eſt, oſtendit, nempe Deum, dicens, Sic dixit Dominus ad me. Proinde diuina ſunt hæc, licet pronunciata ſint ab homine Ieremia: id quod in hoc opere non temere inculcamus toties. Sunt enim qui curioſè diſputent, an verbum pronunciatum ab homine poſsit dici verbum Dei, ac ita ea de re diſputant, vt ſimpliciores nihil niſi dubitare diſcant, & verbo ſibi annunciato amplius credere non audeant. Huiuſmodi ergo acuti diſputatores fidem ſubuertunt auditorum, & omnia religionis noſtræ reddunt dubia. Mox mandatum Dei ad ſe delatum propheta exponit, vbi & locum attingit in quo iuſſus ſit iſta annunciare: in porta inquam filiorum populi, id eſt, in ipſa porta, in qua populus meus verſatur: denique per quam ingrediuntur & egrediuntur reges Iuda. Vnde intelligimus hæc pertinere non modò ad populum, ſed ad ipſum in primis regem, regnique proceres, quorum officium eſt, bonis legibus procurare ne labaſcat religio, ne diſciplina nulla ſit, néue cuiuis quod libet liceat. Sunt autem qui hæc exponant de portis fori, in quibus iudicia exercebantur. Alij interpretantur de portis templi. Mihi videtur Dominus mandaſſe, vt hæc inculcet & principibus & populò in o-

Verbum Ieremiæ eſt verbum Dei.

mnibus paſsim locis, maximè verò in templo, vbi hæc oratio habita eſt, deinde in alijs etiam locis frequentibus, in quæ ſolebat cõire frequẽs populus. Ac priuſquam mandatum ſibi iniunctum recitet, excitat auditores, veluti exordiolo, & ait, Audite verbum Domini. Iterum verò inculcat hoc quod adfert, eſſe verbum Domini. Sed & mox ſubijcit, Sic dicit Dominus. Nominatim verò eos compellat, ad quos peculiariter hæc pertinent, Reges, principes, populumq́, ingredientes inquam per portas Hieroſolymæ. Atque ita tandem mandatum ſibi iniunctum proponit, & totam orationem ſuam concludit, dicens, Cauete propter animas veſtras. Id quod alij verterunt, Sitis cuſtoditi pro animabus veſtris. Alij, Cauti ſitis in animabus veſtris. Alij, & quidem ſignificantius, Cauete quàm charæ ſunt vobis animæ veſtræ. Apparet enim Hebræis hoc genus loquendi pollere tantum, quantum nobis Germanis, **Nun lůg/vnd hůt dich by dim läben.** Eſt enim forma interminandi cum admonitione graui, quaſi tu dicas, Si chara eſt tibi vita tua, ſi illam non vis amittere, vide ne hoc vel illud committas, aut vt ab hoc, vel illo tibi caueas. Ita Ieremias, Nullo modo, ait, portabitis onus in die ſabbati, &c. Tria fermè ſunt huius præcepti mẽbra. 1. Nolite portare onus in die ſabbati, ne videlicet hoc per portas veſtras vel exportetis, aut inferatis, aut ne ex domib. veſtris, vel efferatis vel in domos veſtras importetis. Cæterùm portare onus in die ſabbati, eſt contempto verbo Dei & religione neglecta, terrena duntaxat curare, negotiari & laborare. Lege 13. cap. Nehemiæ, quod in primis huc facit. Quid ergo? Subiungit. 2. Nihil operis faciatis, eius ſcilicet, quod à religione, ab auſcultatione verbi Dei, à cultu Dei abſtrahit, qualecunque tandem hoc ſit. 3. Sed ſanctificate diem ſabbati. Quid ſit ſanctificare diem ſabbati, alibi dixi copioſius. Citatur lex Dei, quò plus authoritatis habeat mandatum. Nam dicitur, Quemadmodum præcepi patribus veſtris, nimirum Exodi 20. cap. Quinimò exemplum adiungit his contrarium, At illi non audierunt. Copioſe autem hanc patrum inobedientiam proſequitur Ieremias, vt ita amplificet peccatum ipſorum. 1. Non audierunt. 2. Non inclinarunt aurem. 3. Indurarunt ceruicem ne videlicet audirent. 4. Et ne reciperent diſciplinam: quod verti poterat, **Vnnd habend ſich nie ziehen laſſen/habend ouch nie wöllen zůchtigung annemmen/ꝛc.** De his loquutionibus dictum eſt antea ſæpe in hoc opere, vt in his explicandis non oporteat nunc immorari diutius.

Cauete animabus veſtris.

Portare onus in die ſabbati.

Quanta parata ijs, qui ſanctificant ſabbatũ.

Porrò iſtis ex oppoſito rurſus obijcit ſplendidiſsimam promiſsionem, habentem coniuncta ſuperius commemorata membra, nempe, Si me diligenter audieritis. Opponitur hoc ei, Non audierunt me, neque inclinarunt aurem, &c. Repetuntur iam ſuperius recenſita membra, Vt nihil oneris inferatis per portas huius vrbis, &c. Sequitur promiſsio, Tranſibunt per portas huius vrbis reges & principes, &c. Quoniam enim agit cum hominibus gloriæ cupidis, pro ipſorum ingenio, eos allicit, glorioſa promittens. Eſt autẽ promiſsio varia. Principiò enim, Reges, inquit, & principes veſtri incolumes erunt, fruenturq́ & dignitate vel maieſtate non vulgari, & felicitate abſoluta. Sedebunt enim in ſolio Dauidis, glorioſi, vt quondam fuit rex Dauid: vehentur item magnificè equis, & principes habebunt potentes & magnificos. Deinde omnes ciues Hieroſolymitani felices erunt & glorioſi. Ipſa denique vrbs veſtra ſedebit in perpetuum. Quieta inquam & pacifica ſecuráque manebit, inhabitabitur item à ciuibus, & diuturna erit, non excindetur, non turbis & bellis calamitatibusq́ inuoluetur. Quibus accedit maieſtas & frequentia cultus diuini. Nam ex tribu Iuda & Beniamin, ex montanis & vallibus, atque campeſtribus terræ, & ab ipſo Meridie aderunt, qui confertim omnis generis hoſtias afferent. Certè

recenſet

recenſet varias oblationum ſpecies, quibus omnes comprehendit. Præſtantiſsimæ verò oblationes ſunt confeſsionis vel gratiarumactionis oblationes. Excellit quidem longè expiatorium Chriſti; ſed nos in præſenti loquimur de iis quæ offeruntur ab hominibus. Oſeæ 14. Hebr. 13. Malach. 1.

Iterum verò per antitheſin exponit quantis ſeſe malis vel calamitatibus inuoluturi ſint, ſi ſabbatum violarint. Qua quidem in parte recolliguntur & repetuntur omnia, quæ per totam hanc orationem audiuimus de Calamitatibus populo Iuda propter peccata inferendis, Incendam ingnem, inquit, in portis eius, qui palatia Hieroſolymorum deuorabit. Significat autem grauiſsimam vindictã Dei. Sicuti & 4. cap. huius operis indicatũ eſt. Addit, Non poterit extingui: vel, non extinguetur. Nemo enim prohibere poterit quò minus perdantur regni huius omnia. Nam non eſt conſilium, nullaue virtus contra Dominum. Quæ quidem omnia etiam nobis annunciantur. Nam niſi fuerimus religioſi, vindicta Dei funditus extirpabimur. Oremus ergo, vt Deum quæramus in veritate. Cui gloria. *Quid debeatur prophanatoribus ſabbati.*

ORATIO IEREMIAE SEPTIMA.

Demonſtrat in poteſtate Dei creatoris eſſe omnia, quòd is poteſtate illa ſua vtatur æquiſsimè, perdatq; impœnitentes. Vnde ad pœnitentiam hortatur, ni excindi malint.

CAPVT XVIII.

CONCIO LXVI.

VErbum quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens, Surge & deſcende in domum figuli, ibi faciam te audire verba mea. Deſcendi itaq; in domum figuli, & ecce is faciebat opus ſuum ſuper rota. Vas autẽ illud quod ipſe faciebat è luto, quod erat in manu figuli, confractum eſt, iterum ergo fecit illud aliud vas, iuxta id quod figulo rectum videbatur vt faceret. Factumq; eſt verbum Domini ad me, dicens, An non inſtar figuli huius potero vobis facere, ô domus Izrael, ait Dominus? Ecce vos eſtis in manu mea, ô domus Izrael, perinde atque lutum in manu figuli. Repente loquar contra gentem, & contra regnum, vt euellam, extirpem & perdam: ſin autem reuerſa fuerit gens illa, contra quam loquutus eram, à malitia ſua, iam me quoque pœnitebit mali, quod cogitaram ei facere. Repente quoque loquar de gente aut regno, vt ædificem & plantem: ſi autem malum fecerit gens illa in conſpectu meo, & non audierit vocem meam, iam & me quoque pœnitebit boni, quod cogitaram ei facere. Nunc itaque loquere obſecro ad viros Iuda, & habitatores Hieruſalem, dicens, Sic dicit Dominus, Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito cõtra vos cogitationem, reuertimini ergo quiſque à via ſua mala, bonas facite viat veſtras & ſtudia veſtra.

SERMO 7. Ieremiæ prophetæ, qui comprehenditur 18. capite, eiuſdẽ eſt argumenti generisq; cuius ſunt ſuperiores, niſi quòd ſermonis habitus variatur. Hortatur enim eos ad pœnitentiam, propoſito excidio funeſtiſsimo, niſi conuertantur. Ac populus Iudaicus valdè gloriabatur de patri- *Scopus & contextus huius orationis.*

bus ſuis, in quibus ſe magno ſupercilio atque faſtu electum eſſe iactabat. Vnde colligebat fieri non poſſe, vt vnquam vel abijceretur à Domino, vel ijs afficeretur ſupplicijs, quibus afficiendum minabatur propheta. Inde ſegnius aut prorſus non conuertebantur ad Dominum, exiſtimantes ſe ſemper in terra ſemel data, ſecuros & felices futuros: mendacia autem annunciare prophetas, ex inuidentia quadam & malitia, de abiectione & afflictione populi Dei. At contra hanc falſam ipſorum perſuaſionem diſputans Dominus, Elegi quidem vos, inquit, ex gentibus: quoniam verò indignè vos geritis, iterum abijciam & perdam vos, &c. Hanc autem ſummam tractat copioſiſsimè. Principiò enim demonſtrat Dominus, quòd ipſe ſit Deus conditor, in cuius poteſtate ſint vniuerſa, & qui pro voluntate ſua & libero animi ſui arbitrio, quos velit eligere, & quos velit abijcere atque proterere, poſsit. Deinde clarius ſe explicans, oſtendit quàm æquis rationibus vtatur illa ſua poteſtate, & quàm iuſtè res gubernet. Hinc grauiter hortatur ipſos vt emendent mores ſuos corruptos, ni velint excindi funditus. Poſt hæc incorrigibilem ipſorum malitiam accuſans proſequitur propheta. Quibus ſub finem ſpecie precationis iudicium eis impendens, annunciat, perdendos videlicet funditus. Iſta autem omnia applicanda ſunt Chriſtianis, quorum alij iactant ſe electos eſſe, & ideò licere ipſis quidlibet, alij in Chriſto ſe ita coniunctos Deo arbitrantur, vt nihil ipſis noceat vita quantùmuis licentioſa & putida. Electi quidem ſunt pij à Deo in Chriſto, ſed ad iuſtitiam & ſanctitatem, non ad immunditiam & quæuis patranda ſcelera. Qua de re alibi copioſiſsimè dictum eſt à nobis.

Præponit autem orationi ſuæ titulum, ex more, qui eſt huiuſmodi, Verbum quod factum eſt ad Ieremiam à Domino. Quo author orationis oſtenditur Deus, orator vel miniſter & ſcriba Ieremias. Credamus ergo iſta omnia, licet opera ſunt hominis prolata, nihilominus Dei eſſe. De qua re ſæpius iam dictum eſt in ſuperioribus. Mox ſubiungit paradigma, vel Chriam mixtam. Nec eſt quòd ſcrutemur curioſius, aut contendamus acrius, res ne geſta ſit à propheta, quæ dicitur de figulo & propheta, an viſio & imaginatio prophetica. Si enim viſum eſt propheticum, huiuſmodi plurima inueniuntur in prophetis, in Ezechiele maximè. Si exiſtimas re vera hæc ita geſta eſſe, tale quidpiam eſt quod proponitur, quale illud refertur in euangelio, quod Dominus diſcipulis ſuis pedes lauat, & quod in medio contendentium de ſumma dignitate, puellum ſtatuit: & mox verbis ſubiunctis, quid intelligere illos velit, ſignificat. Eodem enim modo apud Ieremiam primùm exponitur paradigma figuli, ſuper rota (vff der ſchyben) vaſculum è luto componentis, cumq; confringeretur in manibus eius, protinus ex eodem luto aliud vas producentis, equidem ea forma & ad eos vſus vti placuit aut viſum erat artifici: deinde verò adijcitur protinus expoſitio. Ex qua intelligimus Deum ſignificari per figulum, per lutum verò vel argillam, hominem aut populum Iſraeliticum. Sicut autem pro libera ſua voluntate figulus ex luto quod vult producit, & quod produxerat iterum corrumpit, & ex eadem illa materia quam corrupit, aliud vas, alia videlicet forma, & ad alios vſus componere poteſt, nec luto licet expoſtulare cum illo cur ita faciat: ita liberum eſt Domino pro eo quod ipſi viſum eſt, aut pro abſoluta liberáque ſua potentia, hunc eligere & illum repudiare, vel eundem populum nunc beneficijs afficere, mox autem eundem calamitatibus omnibus adoperire, atque etiam perdere. Et Deo quidem longè maior eſt poteſtas & ius amplius in hominem & gentes quaslibet, quàm figulo in lutum quod ipſe parauit. Etenim Deus figuli inſtar Adamum parentem noſtrum (quo nimirum propheta reſpexit) ex argilla vel luto finxit. Nos ergo lutum & puluis viliſsimus ſumus,

Res geſta ne an imaginatio prophetica.

Deus libera poteſtate quod vult agit.

sumus, si originem nostram inquiramus. Quæ res nisi stupiditate ipsa stupidiores simus, admonet nos sortis & miseriæ nostræ, vt modestè de nobis ipsis sentiamus, ac subijciamus nos Deo, & dicamus, Quid sumus quæso Domine Deus, nisi lutum & opus manuum tuarum? Cur itaque superbirem, aut me efferrem coæqualibus? Certè Abraham ita se coràm Deo humiliat, & fatetur se esse puluerem & cinerem. Quantò magis nos decet humiliari sub potenti manu Dei, & propter Dei iudicia nullo modo expostulare aut iurgari cum Deo? Feramus æquissimis animis quicquid ille de nobis statuit. Vsus est hoc prophetæ loco apostolus ad Rom. 9. cap. ostendens liberum esse Deo eligere & repudiare, misereri & indurare, quos velit: hominem autem nihil habere quod hoc nomine conqueratur, &c. Gen. 18.

Quoniam verò dixerat domum Izraelis esse in manu Domini, perinde vt lutum est in manu figuli, quodq; pro libero arbitrio suo ex Izraelitis quod fingere velit, possit, porrò semetipsum exponit, ac quomodo potestate illa sua vtatur erga Izraelitas, & quàm æquis modis, quamq; iustè agat cum omnibus hominibus, consequenter ostendit, & quidem non tam in malo quàm in bono. Duo enim membra habet quod sequitur. Principiò, Constituo apud me, inquit, gentem aliquam excindere: mitto itaq; Oratores meos, qui hoc ei indicent. Cæterùm gens illa auertit se à malitia sua & agit pœnitentiam, hanc ego non perdo, sed me quoq; mali pœnitet quod inferre ei statuerã. Ac rursus populo alicui beneficia confero, & multa plura ei me additurum denuncio. Verùm ea gens beneficijs meis effertur, & turpiter abutitur, dum verbum meum non audit, sed libidinem suam sequitur: proinde pœnitet me boni, quod illis cumulare decreuerã, ac potius mala illis confero, atq; accumulo, tandem & excindo. Prioris exemplum est Niniue apud Ionam: posterioris verò vrbs Hierosolymorum, & Iudaica gens. Ea lutum est in manu Domini, qui vtcunq; gentem eam ornauerit beneficijs maximis, nunc tamen, cum ipsa ingrata esset & impia contra benefactorem, iure negligitur, imò & corrumpitur, ac ex poculo honorifico formatur aut producitur iam poculum ignominiæ, proculcandum, confringendumq; in Babylone & in bello Babylonico, quod gestum est sub impijs regibus Ioachimo & Zedechia. Sub quibus haud dubiè dicta est hæc oratio. Porrò prius illud membrum consolatione plenum est, quòd Dominus parcit populo pœnitentiam agenti. Vnde etiam intelligimus valere coràm Deo pœnitentiam. Posterius membrum horrendum est planè, illis in primis qui multa & magna beneficia accipiunt à Domino, & quibus maiora adhuc promittũtur, sed illi interim Deo ingrati apparent, & libertatem in licentiam cõuertunt, existimantes felicitatem illam suam fore perpetuam. Quales erant Iudæi, contra quos hic agit Ieremias, supercilium ipsorum ipsis deprimens, adde & omnibus illis qui Iudæis similes sunt. Non enim est quòd hi meliorem expectent sortem. Puniet enim & ipsos Dominus, sicuti puniuit & Iudæos. *Aequissimè suâ potestate erga homines vtitur Deus.*

Dixi autem superius pœnitere Dei aliud non esse, quàm mutare rem institutam. Neq; enim in Deum vllus incidit dolor & tristitia. Neq; hic sequitur Deum esse vel conuertibilem vel mutabilem, & decreta eius incerta, aut fluxa esse. Certa & firma sunt Dei omnia. Neq; est quod curiosius iam disputemus de æternis & arcanis Dei consilijs. Nos respicimus in ea quæ verbo suo nobis exprimit, & annunciat per prophetas & apostolos, talemq; erga nos Deum esse credimus, qualem scripta nobis prophetarum & apostolorum describunt, veluti in præsenti benignum & clementem pœnitentibus, seuerum in impœnitentes. Interim non tribuimus conuersionem ad Dominum nostris viribus, sed diuinæ gratiæ. Id quod hunc locum exponens S. Hieronymus, diligenter docet *De mutabilitate & immutabilitate Dei.*

contra illos qui nimium viribus liberi arbitrij, cum Pelagio, tribuebant.

Adhortatio ad pœnitentiam. Proinde nunc manifestè hæc illis applicans, infert illud cuius gratia superiora proposuit, ac hortatur eos ad pœnitentiam, dicens, Cum ergo ego, dicit Dominus, potestatem habeam in populũ meũ Iuda, vt & ipsum extruere possim & destruere: extruam autẽ pœnitentes, impœnitẽtes destruã, contra quos, vtcunq; antea ędificarim benignè, fingam veluti in rota figulina cõmerita supplicia: proinde dic ciuibus Hierusalem, & populo Iuda, ne fidant suæ prærogatiuæ, qua ipsos hactenus alijs prætuli gentibus, quin potius annuncia ipsis me grande contra ipsos malum, & vas quodpiam veluti Pandoræ fingere, quod in capita ipsorum effundam, nisi conuertantur ad me. Posteaquam enim per te Ieremiam istis felicia annuncio, ipsi verò pessima quæq; designant, neque verbo meo parent, nihil restat aliud, quàm vt extrema quæque experiantur. Dic ergo illis meo nomine, vt reuertatur quisque à via sua praua, & c. De qua loquutione iam sæpius dictum est in hoc opere satis. Nobis verò qui Christum hodie colimus, eadem ingeruntur. Oremus ergo Dominum, vt is nobis gratiam suam concedat, vt verè ad ipsum per synceram pœnitentiam conuertamur. Amen.

Arguit Iudæos grauiter quòd respuerent doctrinam de pœnitentia, & minatur eis interitum.

CONCIO LXVII.

Et dixerunt, Desperata res est. Ambulabimus enim post cogitationes nostras, & faciemus singuli pro libidine cordis nostri. Propterea sic dixit Dominus, Interrogate obsecro gentes ipsas, an quispiam similia audierit, qualia nimis fœda commisit virgo Izrael? Nunquid relinquet (aliquis) de saxo agri niuem Libani? num eruuntur aquæ alienæ frigidæ fluentes? Etenim populus meus oblitus est mei, frustra thus adolent, faciuntq; eos corruere in vijs suis: à semitis antiquis (discedunt) vt eant semitas viæ non munitæ: quo terram suam perpetuò desolandam, exibilandamq; reddiderunt, vt omnis qui per eam transiturus sit obstupescat, caputq; suum moueat. Per ventum Orientalem dispergam eos ante hostem: in die calamitatis eorum, tergum non faciem ostendam eis. Dixerunt autem, Adeste, cogitabimus contra Ieremiam cogitationes: quoniam non peribit lex à sacerdote, & consilium à sapiente, & verbum à propheta: adeste, percutiemus eum lingua, nec attendemus omnes sermones eius.

POstquam diligentissimè populum adhortatus est ad pœnitentiam, consequentibus ostendit & veluti deplorat quòd nulla apud ipsum valeret ratio, grauiter accusans ipsius rebellionem contumacissimam, & impietatem acerbissimam, quam & amplificat, si fortè scelerum territi fœditate adhuc resipiscerent. Exponit ergo quomodo se gesserint, & quid dixerint Iudæi, postquam eos reuocauit ad emendationem. Dixerunt נוֹאָשׁ, id quod alij vertunt, Res deplorata est. Alij Actum est. Alij, Expectoratum est. Germanicè, Es iſt vß/ vergäbens vnnd verlozen. Sic autem loqui solemus, cum ostendimus nos in eo quod semel instituimus perrecturos, neque vllo modo eos audituros, qui nobis aliud suadent, atque adeò hos oleum perdere & operam. Vnde & in præsenti subijciunt Iudæi, & dicunt, Nos enim sequemur cogitationes nostras. Et reliqua, quæ iam sæpius in hoc opere nostro sunt exposita. Germanicè propriè illam

Deploratorũ hominũ voces.

referimus

referimus loquutionem cum dicimus, Wir wöllend thůn was vns geluſt vnd gelangt/ vnd ſähend dich nit an. Etenim vox eſt eorum qui magno cum conten.ptu aliquid faſtidiunt atq; reiiciunt, contumaciſſimè autem in ſuo propoſito pergunt. Hodie cum prædicatur ſæculo noſtro euangelium, & ſuadetur pœnitentia, filij huius ſæculi nihil aliud regerunt Chriſti miniſtris, quàm quod iſti Ieremiæ obiecerunt. Quæ ergo ſequuntur, non minus in noſtræ ætatis rebelles homines competunt, quàm in Iudæos Ieremiæ ſæculo viuentes.

Conſequenter enim hanc præfractam iſtorum rebellionem accuſans, ampli ficat per comparationem cum gentibus, & per conceſſionem dicit, Inquirite, obſecro inter gentes, num hæ vnquam deſignarint facinus tam nephandum, tamq; turpiter & refractariè ſe geſſerint erga ſuos Deos, & ſuam religionem, atq; vos geritis erga me Deum veſtrum? Horribilia autem vel abominanda appellat non fruſtra, quæ deſignabant ſub ſpecie diuini cultus Iudæi: ſicut iam ſæpius eſt repetitum. Porrò Virginem vocat, quòd virgo, ſyncera inquam, eſſe deberat in religione: ſed reuera meretrix erat. Illuſtrat autem parabolis quod dixerat, ne Gẽtes quidem commutare ſuos Deos, & ſuam religionem. An, inquit, inuenias adeò dementem hominem, vt cum in ſuo agro ſaxum aut petram habeat, ſub qua fons viuus ebulliat, ipſe verò à longinquo, ſua illa ſponte profluente deſerta, aquas quærat? An verò tam inſanus quiſquam eſt, vt cum in vicinia habeat montes, ex niuibus riuos profundentes in vicinos campos, ipſe his præteritis, irriget prata ſua aquis à longinquo deductis? Et iterum adhuc ſignificantius, An cum labore & ſumptu magno quiſquam aquas effodit, aut eruit (alij aliter legunt) cũ limpidas, recentes & frigidas ſponte ſua profluentes habeat? Quaſi dicat, Nemo ſanè ita deſipit & cum ratione inſanit. His iam contrarium membrum opponit, quod ſententiam abſoluat, Atqui populus meus ita deſipit atq; inſanit. Cum enim ipſe ſim fons aquæ viuæ inexhauſtæ, obuiæ & ſaluberrimæ, Iudæi tamen præterito me, aliundè ſibi petunt recreationem, auxilia atq; ſalutem. Cum enim ipſe gratis donem omne bonũ, iſti malunt omnia vitæ & ſalutis aliundè petere, quàm à me ſolo: & quidem cum ſumptibus & laboribus maximis ſemetipſos fallere. Quinimò quod plus eſt dicit, Populus meus mei eſt oblitus. Obliuiſcuntur enim reuera Dei, qui tametſi Dei deſertores videri nolint, à Deo tamen ſolo nec pendent, nec omne bonum poſtulant, ſed ſimul cum Deo patronos colunt cœlites, atq; inuocant. Ac hodie experimur reuera, vt qui deuoti ſunt diuorum cultores, tam impenſè ſe cultui diuorum impendant, vt ſerò tandem vel nunquam Dei meminerint. Cæterùm per ſuffitum, aut thurificationem, intelligit vniuerſum cultum illegitimum, vel Deo, vel idolis impenſum. Fruſtraneum verò pronunciat hunc eſſe cultum. Nam & Dominus Ieſus in euangelio ex Iſaia, Fruſtra me colunt, inquit, docentes doctrinas hominum. Similia autem his per omnem modum leguntur in 2. cap. huius prophetæ. Vnde plura repetas licebit.

Sceleris magnitudo & enormitas.

Deus eſt fons aquæ viuæ.

Obliuio Dei.

Iam etiam alia parabola vel alluſione pingit & taxat ipſorum peccatum defectionis ac idololatriæ. Impingunt, inquit, ducentibus ipſos pſeudoprophetis, & auertuntur à vijs ſæculi, id eſt à via antiqua patrum, vel à religione patria atq; ſyncera (nos diceremus, von der rächten alten Landtſtraaß abwychen) ingrediuntur autem vias nouas, non munitas, id eſt imparatas, non tritas, diſſipates atq; illegitimas, quas nos appellamus, vngepanete ſtraaſſen. Eſt autem alluſio ad eos qui deſerta via plana & iuſta, oberrant per auia atq; vepreta vel paluſtria. Via autem antiqua & vera, eſt ſancta & indubitata ſanctorum patrum via, vel religio, lege Dei vel per verbum Dei mundo reuelata. Ergo nouæ viæ nec paratę, neq; frequentatæ, aut tritę à ſanctis patribus, ſunt humana commen

Ab antiqua via in nouas deflectunt.

ta de colendo Deo, & idololatria, ab hominibus recepta. Qui hodie oberrant in vijs nouis monachorum, iactant se insistere vijs patrum antiquis. Sed de veteri via dictum est cap. 6.

Pœna debita contemptoribus verbi Dei.

Obiter istis inserit pœnam ipsorum debitam peccatis. Defectione illa sua populus meus, inquit Dominus, nihil impetrat aliud, quàm vt eruantur funditus. Nam peccatis suis desolatam reddunt terram suam, ac seipsos alijs gentibus exemplum statuent, ad quod obstupescāt. Etenim qui aliquando videbunt terram Iuda olim quidem cultam & amœnissimam, nunc verò vastatam & horribilem, sibilabunt præ admiratione, & caput concutient. Etenim à moribus & gestu hominum ostendit vastationem fore horribilem. Cum enim cernimus res abominabiles, sibilamus, & capita concutimus, significantes nos vehementer mirari. Ad amplificandum supplicium pertinet consequens parabola. Dicit enim Dominus, se Iudæos dissecturum per ventum Orientalem, Eurum, ardentem videlicet. Significat autem Nabuchodonosorem & Chaldaicum exercitum. Sicut autem ventum nemo prohibere, aut excludere potest: ita sanè bellum Babyloni cum nemo impedire, aut ab eius calamitate se potuit subducere.

Deus dorsum obuertit, non vultum.

Adiungit his aliud longè grauius, Cum inuoluti calamitatibus miserè sortem suam deplorabunt, ac eiulabunt, non faciem eis, sed dorsum obuertam: id est, non audiam, nec videre dignabor eos, id est non iuuabo, sed iratum me illis exhibebo. Non quòd Deus inuocantes se non audiat, inuocātes ipsum inquam in veritate: sed quòd isti prius vocanti Domino dorsum quoq; non vultum obuerterunt: in quo quidem scelere perseuerabant adhuc, respuendo verbum Domini. Ergo Prouerbiorū primo dicit diuina sapientia, Vocantem me estis auersati, auersabor ergo & vos, clamantes in vestris afflictionibus. S. Hieronymus hunc locum enarrans, Vsq; hodie, inquit, sententia Dei permanet in Iudæis. In toto orbe dispersi sunt coram hoste diabolo, vel inimicis dęmonibus: & cum diebus & noctibus in Synagogis sathanæ inuocent nomē Domini, dorsum & non faciem suam ostendit eis Deus, vt intelligant eum semper recedentem, & nunquam ad se venientem. Dies autem perditionis Iudaicæ, omne tempus est post passionem saluatoris, vsq; ad finem sæculi, vt postquam subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Izrael saluus fiat. Hæc ille. Cæterùm admonemur omnes calamitate Iudaica, ne nos quoq; respuamus cũ illis verbum euangelij, ac à Deo quoq; consequenter abijciamur.

Consilia sanguinaria cõtra prædicatores euangelij texuntur.

Intermissa verò supplicij descriptione rursus accedit ad ipsorum scelera nephanda, exponens qualia inter se consilia tractauerint, & quæ verba profuderint contra Ieremiam. Ex his enim licet colligere, quali fuerint animo erga prædicationē propheticam, exulceratissimo inquam, & alienissimo infestissimoq;. Vnde etiam apparet ipsos fuisse incurabiles prorsus, & quouis etiam sæuissimo supplicio dignissimos. Refert autem Mimesi quadam ipsorum consilia atq; verba, & dicit, Dixerunt autem, Adeste, cogitabimus cogitationes, id est consilia capiemus mutua, aduersus Ieremiam. Nam hortantur sese mutuò ad opprimendum prophetam. Pollicentur autem sibi se feliciter confecturos, quæcunq; contra ipsum instituerint. Erant enim maxima in authoritate apud populum. Ea attribuebantur. Persuasum enim erat populo, quoniam isti (loquimur de doctis & potentibus) erant sacerdotes, seniores item vel presbyteri ac senatores, denique & prophetæ, fieri non posse, vt sacerdotes legem detorquendo corrumpant, vel vt sapientes viri non sapiant, & prudentissima consilia proferant, vel vt prophetæ non doceant purissimè. Ergo cum nos simus, inquiunt, sacerdotes, sapientes & prophetæ, populus nobis adhærebit, existimabitq; iusta esse quæcunque pronunciauerimus contra Ieremiã. Proinde addunt, Venite & percutiemus ipsum

lingua.

lingua. Lingua percutere, est deferre aliquem apud regem: einem das wort dar thun. Proferre in aliquem mortis sententiam, vel accusatione alicui intentare mortem, actionemq; capitalem contra aliquem instruere, adeoq; tradere, vt hodie loquuntur, brachio sæculari. Adijciunt his etiam aliud, extremum spirans contemptum, Nec attendemus cunctos sermones eius. Pro quo nos diceremus, vnd wöllend vmb all sin reden oder schwätzen gnodt riit gäben. Paria his audias hodie ab illis, qui contra nos euangelium annunciantes, captant sanguinaria consilia, neq; dignãtur scripturæ apertis testimonijs nos reuincere hæreseos, sed suæ innitentes authoritati, cum Pharisæis clamitant, Nisi hi essent malefactores, nequaquam tradidissemus eos tibi. Nos sumus ex legitima successione ecclesiarum pastores, sanctæ catholicæ Romanæ ecclesiæ membra, & prælati. Ecclesia non errat. Cathedra Petri firma est. Nauicula Petri procellis quatitur, non colliditur, non submergitur. Nobis ergo credendum est. Indigni sunt hæretici illi quos audiamus, nec curanda, aut vllo loco habenda ipsorum doctrina, vt pote dudum damnata ab ecclesia Romana. Dominus autem iudicet inter nos, & aduersarios nostros.

Lingua percutere.

Commendat se precibus Deo propheta, iterum peccata Iudæorum accusat, & grauissimum ipsis supplicium impendens denunciat.

CONCIO LXVIII.

Attende ad me Domine & audi vocem rixantium mecum, Num redditur pro bono malum? Quia foderunt foueam animæ meæ. Memineris vt steterim ante te, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem iram tuam ab eis. Ergo trade filios eorum fami, & deuolue eos ad manus gladij, vt fiant vxores eorum orbæ & viduæ, viri eorum occidione occidantur, & iuuenes eorum gladio feriantur in prælio. Audiatur clamor ex domibus eorum, cum repente induxeris super eos grassatorem: quia foderunt foueam ad me capiendum, & laqueos pedibus meis absconderunt. Tu autem Domine nouisti omne consilium eorum ad occidendum me initum: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum ipsorum à facie tua non deleatur, ac corruant in conspectu tuo, in tempore furoris tui age contra eos.

EXposuit propheta insidias & cruenta magnatum populi Iudaici consilia contra ipsum instituta. Vnde colligimus quæ sit sors ministrorum verbi, & quid à potentibus huius sæculi sibi polliceantur, si sint fideles, nimirum odia, insidias atq; latrocinia. Hoc enim Dominus quoq; futurũ prædixit apostolis suis, & omnibus fidelibus, apud Ioan. in cap. 15. Iam verò ipse propheta narrat, quo modo in hisce periculis se gesserit. Conuertitur autem ad Deũ, cui se sanctis commendat precibus. Nihilominus tamẽ accusat hostium suorum iniquitatẽ, quam & amplificat. Tandem sub forma precationis quid propter obstinatiam suam & consilia sanguinaria passuri sint, ipsis denunciat.

Quomodo se propheta gesserit in periculis

Principò conuertitur Ieremias ad preces, quibus se totum Deo permittit atque commendat. Ita legimus etiam fecisse ipsum Dominum Iesum ad montem oliueti, & ecclesiam primitiuam, dum Dominus aduentum Iudæ proditoris cum militibus, apostoli verò concluſi in carcerem extrema expectarent. Habemus in his exemplum viuum, quid etiamnos in sanguinariorum hominum consilijs & insidijs faciamus. Clamat ergo ad Dominum Ieremias, clamemus ergo

& nos in periculis ad Dominum. Nullibi verò inuocat patres defunctos. Nã & ipſi ſolum Deum inuocauerunt. Duo autem ab ipſo petit. Primum, Attende ad me Domine, ait: pro quo nos dicimus, hab ein triiw vffähen vff mich. Ignoro ſanè quibus me artibus petituri ſint, cum verò tu omnia noueris, & vias ac modos teneas eruendi & aſſerendi me, te oro, vt meæ inuigiles ſaluti. Secundum, Audi vocem aduerſariorum meorum, ſeu litigantiũ aut rixantium mecũ. Nam hoſtes exiſtimabant Ieremiam non eſſe curæ Deo, neque audire conſultationes ipſorum crudeles. Proinde fac, inquit, ô Domine, vt hoſtes mei ſentiãt te omnes ipſorum voces audire, atque me non negligere.

Iniquitas populi & procerũ Iudaicorũ contra Ieremiam.

Interim peccata & iniquitatem ipſorum accuſans amplificat, demonſtratq; ipſos in ſe iniquiſſimos eſſe, & ingratiſſimos. Ac ab abſurdo, Num quis malum ait, pro bono rependit? Minimè gentium. Nam hoc videtur repugnare legi naturæ & ſenſui communi: iſq; omnium iniquiſſimus & nequiſſimus eſſe iudicatur, qui malum pro bono reddit. Iam verò ex oppoſito ſubinfert, At mei homines malum reddunt mihi pro bono. Id quod probat, Quia foderunt foueam animæ meę. Eſt autem fodere foueam animę alicuius, inſidias ſtruere vitę eius. Prouerbium petitum eſt à venatoribus, fodientibus feris foueas, in quas imprudentes incidant, ac capiantur & perimantur. Notum eſt prouerbium, Incidit in foueam quam fecit: pro eo quod eſt, illo ipſo infortunio implicitus eſt, & periit, quod alteri ſtruxit. Ieremias Iudæos amabat & conſilijs ac concionibus ſuis cupiebat ipſos conſeruare, & in felicitate, & in vita: iſti contrà vitæ eius inſidiabantur, & infeliciſſimum eſſe cupiebant. Præterea aliud ipſis beneficium collatum commemorat, cuius & Deum ipſum adducit teſtem. Memineris, inquit, Domine mi, vt ſteterim ante te. Interceſſi pro eis ſedulò, ſicuti colligere licet ex 7. & 11. cap. huius libri. Orauit & Samuel pro Saule, Moſes pro filijs Izrael, pro ijſdem Chriſtus Dominus, & apoſtolus Paulus. Paſtorum enim eſt ſedulò interpellare pro grege ſibi credito. De quare dictum eſt in ſuperioribus Concionibus. Atqui cædem pro precibus & interceſſione apud Deum rependere cogitabant prophetæ Iudæi ingratiſſimi. Stare verò ante Dominum, alicubi ſignificat miniſtrare Deo, alicubi aliter vſurpatur: in præſenti verò ſignificat interpellare, vt & 15. cap. huius libri, & in præſenti. Nam protinus ſequitur, Vt loquerer pro eis bonum: ergo loqui bonum pro aliquo, eſt ſtare ante Dominum. Id verò loquutionis genus nos efferremus, daß ich jnẽ das beſt redte, id eſt, vt cauſam ipſorum apud te agerem, & ipſos tibi commendarem. Iterum enim per expoſitionem ſequitur, Et auerterem iram tuam ab eis: ergo auertere iram, eſt bonum loqui pro aliquo. Hic inquam finis fuit interceſſionis meæ coràm Domino, vt miſertus ipſorum, tibi reconciliati ac in gratia eſſent apud te, & diuturna vterentur felicitate. Cæterùm hanc illi mihi gratiam retulere & referunt, quòd vitæ meæ inſidias ſtruunt & perſequuntur infeſtiſſimè. Non aliud prẽmium ne hodie quidem fidelibus rependitur miniſtris: cum interim ſeductores & nebulones euehantur ad honores & dignitates, opibuſq; & voluptatibus adobruantur. Hoc verò futurum prædixit Dominus, qui interim in futuro ſæculo fidelibus miniſtris maxima promittit præmia.

Paſtorũ officiũ eſt intercedere pro populo.

Stare ante Dominum.

Supplicia deſtinata verbi Dei & miniſtrorũ hoſtibus

Poſtremo autem loco exponit fuſè ſupplicia à Deo Iudæis rebellibus & ingratis deſtinata, parata denicq; omnibus omnium ætatum verbi Dei hoſtibus, ac obſtinatis verbi eccleſiæq; miniſtrorum perſequutoribus. Grauiſſima ſunt iſta & horribilia, ſed iuſta Dei iudicia. Iſta proponit ſub ſpecie precationis, quaſi hæc orãdo à Deo petat, & veluti imprecetur hoſtibus, vel perſequutoribus ſuis. Cæterùm cõſiderandum eſt, quòd ea quæ hic dicuntur, non tantùm ex perſona Ieremiæ, per ſe dicuntur, ſed magis ex officio, quatenus videlicet eſt prophe-

ta Dei. Vn-

Del. Vnde per prædictionem magis, quam per imprecationem proferri illa contra aduersarios, dicemus. Sed de hoc imprecandi genere dixi aliàs in hoc opere & alibi copiosius. Nemo ergo rapiat hæc in exemplum maledicendi alijs, quibus ex odio & affectu prauo malè vult. Tenenda est enim manibus vtrisq; doctrina vel regula Christi & exemplum eius, Matth. 5. & Lucæ 23. Nam vt ipse interpellat pro hostibus suis, ita dicit, Orate pro persequentibus vos. Stephanus certè intercessit pro suis latronibus, & apostolus hoc ipsum facere iubet nos omnes, Rom. 12. cap.

Porrò pœnæ varię & graues commemorantur. Principiò fames, quæ si conspiciatur à parentibus in liberis, longè est acerbior, quàm si sentiant illam in suis ipsorum corporibus. Deinde accedit gladius, cædes videlicet, seditiones & bella. Vtitur autem hic quadam distributione. Postquam enim dixit, Deuolue eos in manus gladij, vel deduc, impelle, & vt quidam vertunt, fac fluere, vel effice vt sua sponte incidant, atq; incurrant & veluti fluant in gladij aciem, mox subdit, Vxores eorum fiant orbæ & viduæ, simul inquam spolientur maritis & filijs. Sequitur enim per interpretationem, Viri eorum occidione occidantur, id est pereant in clade, & iuuenes, filij inquam, confodiãtur gladio in pugna, vel prælio. His addit calamitatem æquè funestam, atq; adeò atrociorem, Audiatur clamor in domibus eorum, &c. Prędicit enim aduenturum hostem imò Dominum adducturum exercitum Babylonium, & quidem de repentè & inexpectatum, & iccirco formidabiliorem, qui superatis mœnijs, ædes omnes perrumpat, in his cædibus & stupris omnia cõspurcet, facultates auferat omnes: atque eas ob res ingens & lamentabilis oboriatur clamor & eiulatus mulierum, puerorum & cadẽtium. Exponit enim ad hunc modum & verbis paucis, energia tamẽ quadam, ceu contuendam miseram captæ vrbis faciem, quò permoueat vehementius. Quod verò Hieronymus vertit latronem, id alij reddiderunt grassatorem, alij exercitum, alij globum militarem. Sensus in idem recidit. Adiungitur autem iterum causa tantorum malorum, Quia foderunt foueam ad capiendum me. Repetit enim eandem, quam superius audiuimus, perstans in eodem loquendi genere. Videant ergo qui verbum Dei aspernantur, & ministros verbi Dei persequuntur, quid præmij expectent à Deo. Dominus aperiat ipsis corda, vt videant quod sanctum & iustum est. Rursus verò conuersus ad Dominum, semet ipsum ei credit vel commendat, quem credit esse omniscium & omnipotentem, qui & norit & possit consulere & opem ferre, qui non nesciat omnia hostium consilia: Quibus mox adiungit omnium grauissimum supplicium, cum dicit, Ne sis propitius iniquitati eorum, nec deleatur ante conspectum tuum peccatum ipsorum. Non erat propheta vindictæ adeò cupidus, vt precaretur, ne remitterentur eis peccata ipsorum, sed in æternum perirent: sed cum cerneret ipsos peccare in spiritum sanctum, id futurum prædicit sub specie precationis, quod non potuit non euenire. Quoniam enim illi perseuerabant pertinaciter in contemptu verbi Dei, in odio ministrorum, quorum opera Deus fidem propagabat, certè in incredulitate perseuerabant. Etenim cum fides ex auditu sit, auditus ex verbo Dei, fides esse non potest, vbi animus abhorret à ministris, & aures auertuntur à verbo Dei. Vbi autem nulla fides, ibi nulla remissio peccatorum, quæ vera fide constat, nulla restat propitiatio, quæ ex solius Christi merito est, quod fide apprehenditur. Verissimè ergo dixit in euangelio Dominus, Si non credideritis quòd ego sum, moriemini in peccatis vestris: verissimè dixit Ieremias, fore vt incredulis & rebellibus Deus non sit propitius, non remittat peccata ipsis, &c. Caueamus ergo, ô fratres, ne per contemptum verbi Domini, alieni à vera fide, præcipites proturbemur in tartara. Qui enim non credit, iam iu-

Fames.

Gladius.

Ne propitieris iniquitati ipsorum.

Ioan. 3. dicatus & condemnatus est, ac ira Dei manet super eum. Postremò adnectit adhuc suppliciorum catalogo, Corruant coram te, id est, nihil prosperè tentēt, sed corruant omnia illorum consilia, corruant omnes eorū vires, pereant in vniuersum. Sequitur enim, In tempore furoris tui age contra ipsos. Quasi dicat, Quid pluribus agam? Sic illos tractabis, vt soles incorrigibiles tractare, cum nimis diu frustra illos ad meliorem fructum reuocasti, nunc ergo tempus vindictæ adest, quo omnem tuum in ipsos effundas furorem. Hęc omnia mœstissima & atrocissima admoneant nos obedientiæ & pœnitentiæ maturæ, ne per rebellionem tam grauia mala prouocemus in nostra ipsorum capita, ad excidium non tantùm corporis, fortunarumq; externarum, sed ad interitum quoq; animorū sempiternum. A quo nos liberet clementiss. Dominus Deus & pater noster, per Iesum Christum redemptorem, ac propitiatorem nostrum. Certissimum enim est, omnes refractarios verbi Dei hostes, omnibus sæculis huiusmodi supplicijs adoptos esse. Id quod historiæ omnes testantur.

Locus hic Ieremiæ expositus de Christo à S. Hieronymo.

S. Hieronymus hunc prophetæ locum primò quidem de propheta Ieremia exponit, deinde de Christo Domino, cui hic typū prætulerit, quem sanè sensum probat impensius. Recitabo autem authoris verba propter eos qui Hieronymi Cōmentarios non habent, aut quibus legere non vacat, nunc autem audire parati sunt. Attende Domine ad me) In typum quidem Saluatoris, inquit, hæc à populo Iudæorum Ieremias vniuersa perpetitur, qui postea Babylonio veniente vastantur. Sed plenius atq; perfectius complentur in Christo, cum vrbe subuersa Romano gladio trucidati sunt: non ob idololatriam, quæ eo tempore non erat, sed ob interfectionem filij Dei, quando cunctus simul populus cōclamauit, Tolle tolle talem, Regem non habemus nisi Cæsarem. Et imprecatio eorum æterna damnatione completa est, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Foderant enim Christo foueam & dixerant, Auferamus eum de terra viuentiū: qui tantæ erga eos misericordiæ fuit, vt stans in cōspectu patris, loqueretur pro eis bonum, vt auerteret indignationem suam ab eis, vt in cruce quoq; diceret, Pater ignosce eis: quod enim faciunt, nesciunt. Et mox, Adduces enim super eos latronem) Si de Ieremia intelligimus, ait, repentinum latronem referamus ad Nabuchodonozorem, si de Saluatore (quod & verius & melius est) ad Romanum exercitum. Et ne iniusta videatur sententia Dei, exponit quid fecerint contra filium Dei Christum, & quid passi sint. Quod autem infert, Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua nō deleatur, nequaquam priori sententiæ contrarium est, in qua pro populo deprecatur patrē, sed postquam datum tempus pœnitentiæ præterijt, & illi in suo scelere perseuerant, non tam pro se puniuntur, quàm pro alijs, ne inultum peccatum cæteris noceat exemplo. Quodq; infert, Fiant impingentes, vel corruentes in conspectu tuo, illius Isaię & Petri apostoli simile est, Et non impingetis sicut in lapidem offensionis & petram scandali. Cuius & in Psalmis propheta meminit, Lapidem quem reprobauerunt, &c. Hactenus Hieronymus. Domino Deo nostro sit laus & gloria.

ORATIO IEREMIAE
OCTAVA.

Paradigmate prophetico denunciat regi, & toti regno excidium, propter impietatem, & maximè propter idololatriam.

CAPVT

CAPVT XIX.

CONCIO LXIX.

SIc dixit Dominus, Vade & eme à figulo hydriam teſtaceam, & de ſenioribus populi, & de ſenioribus ſacerdotum (educ tecum) egredieriſq; ad vallem Hinnom, quæ eſt extra portam fictilem, & illic prædica verba quæ ego ad te loquar. Dices autem, Audite verbum Domini reges Iuda, & habitatores Hieruſalem, Sic dicit Dominus exercituum Deus Iſraelis. Ecce ego adducam malum ſuper locum iſtum, quod quicunque audierit, aures eius tinnient: eò quòd me dereliquerunt, & alienum fecerunt locum iſtum, incendentes ſuffitum dijs alienis, quos nec ipſi nouerunt, nec patres ipſorum, neque etiam reges Iuda, & impleuerunt locum iſtum ſanguine innocentum. Extruxerunt quoque excelſa ipſi Baal ad incendendum igni filios ſuos in holocauſtum ipſi Baal; quod equidem nec præcepi, nec loquutus ſum, nec in cor meum vnquam aſcendit. Iccirco ecce venient dies, dicit Dominus, vt locus iſte non vocetur vltra Topheth, aut vallis Benhinnom, ſed vallis occiſionis. Et ego euacuabo conſilium Iuda, & Hieruſ... in loco iſto, & proſternam eos gladio in conſpectu hoſtium ſuorum, & per manum quærentium animam ipſorum, & tradam morticinium ipſorum eſcam volucribus cæli, & beſtijs terræ. Et redigam ciuitatem iſtam in ſtuporem & ſibilum, vt omnis qui præterit eam, obſtupeſcat & ſibilet ſuper omnes plagas eius. Et cibabo eos carne filiorum ſuorum, atque carne filiarum ſuarum, & comedet quiſque carnem proximi ſui in obſidione & anguſtia, qua eos coanguſtabunt hoſtes ipſorum, & eorum qui quærunt animam eorum.

Argumentum huius capitis.

CONSIGNATVR hoc 19. cap. Oratio Ieremiæ octaua, quæ dicta videtur temporibus Zedechiæ regis impiſſimi, cum iam non procul abeſſet vrbis obſidio totiuſq; regni excidium. Deus enim bonus ex miſericordia ſua reuocat peccatores ad ſe, maturè admonens, ne cogatur incurabiles perdere 2. Paralip. vltimo. Abſoluitur hæc oratio tribus partibus. Nam principiò conſignatur Dei mandatum iubentis prophetam fideliam vel hydriam teſtaceam parare: vocare item proceres populi, & cum his exire extra portam in vallem filij Hinnom. Vbi quid dicat fuſè commemoratur, id eſt, integer Sermo in os prophetæ à Deo ponitur. Deinde oſtenditur quid faciat cum hydria: confringat inquam, atque adijciat, ita etiam vrbem & regnum fore confringendum. Poſtremò quomodo hæc omnia præſtiterit propheta, dicitur: & quòd eadem etiã in templo repetiuerit. Vbi protinus à principe ſacerdotum percuſſus, & in carcerem coniectus narratur per conſequens caput 20. Nam hæc duo capita 19. & 20. inter ſe cohærere videntur.

Comparat ſibi hydriam prõpheta.

Habet autem prima pars etiam ſuas ſectiones, quas ordine, quò perſpicua magis ſint omnia, commemorabimus. Principiò iubetur propheta ſibi à figulo comparare fideliam. Hebraica habent בקבק Bakbiik: quod variè verſum eſt, alij doliolum, alij lagenam, alij œnophorum, alij fideliam, &c. dixerunt. Reuera vas eſt ventricoſum, oris anguſti, vt ſolent eſſe apud nos hydriæ. A ſono autem (per Onomatopœiam) quem edit hydria, cum vel in aquam immergitur, vel quando euacuatur, bakbiik nomen accepit. Addit teſtaceam. Vnde vertere licebit, ein irdiner Krũg. Materia autem & artifex fideliæ, lutum vel teſta ac figulus, admonent nos opificis Dei, qui pro ſua voluntate, vt dictum eſt capite ſuperiore, homines tractat, fingit atque refingit: admonent item nos noſtræ fra-

gilitatis & miseriæ, & quàm nullo negotio & nos ipsi, & nostræ res omnes perdi possint, certè non minori negotio, quàm hydria aut olla testacea conteritur. Ergo in Psalm. 2. dicit propheta, Ceu vasa figulina comminues eos. Appellat S. Paulus corpora humana vasa testacea 2. Cor. 4. & 5. capite confert tabernaculis & vestibus. Cumq; nihil sit homine fragilius & ærumnosius, mirum est nullum ex animalibus ita insolescere & ferocire. Cur verò coniungatur hęc hydria concioni sacræ, dicam Concione sequente, vbi audiemus Ieremiam hydriam istam Deo sic iubente confregisse.

Adiungit sibi proceres regni.

Deinde præcipit Dominus vt Ieremias sibi adiungat potiores ex senatoribus & doctis, siue ministris ecclesiæ. Sensus alioqui obscurus est propter verborum breuitatem, nisi aliquid adijcias. Verba enim sic habent, Vade & eme fideliam testaceam à figulo, Et de senioribus populi, &c. videlicet para aliquot tibi, assumptosq; tecum educito. Nam æquum est proceres populi in primis, Dei intelligere iudicia. Multum enim refert quales isti sint. Si enim negligentes sint iudiciorum Dei, perdunt vnà secum populum, quem videlicet secum in ruinam pertrahunt. Si verò sint diligentes & officiosi in suo munere, corruptelam populi prohibere, cohercereq;, & semetipsos vnà cum populo seruare possunt incolumes. Nam à capite defluit in corpus subiectum omne malũ, & omne item bonum. Tanti videlicet refert vel integrum, vel corruptum habere magistratũ. Dominabatur cum hæc concionaretur Ieremias, rex impius Zedechias, qui & se perdidit, & totum regnum secum in extremam perniciem pertraxit.

Vallis filij Hinnom.

Iam etiam locus ipse nominatim ostenditur quo eat, & in quo agat & dicat, quod à Deo & agere & dicere iubebatur, Vallis videlicet filiorum Hinnom, quæ & Topheth nuncupabatur. Fuit autem is locus ante portam Harsith dictam. De qua variant interpretes. Apparet autem nuncupatam esse à materia, vnde fuit extructa, coctili videlicet lapide. Vnde & Lutherus non inelegan-ter vertisse videtur, Ziegelthor. Et Vetus interpres vertit, Iuxta introitum portæ fictilis. Alij verò reddunt, Ad ostium portæ Orientalis plagæ. Vtcunque verò ea res habeat, certum est Ieremiam in Topheth esse ablegatum. Atque hic, inquit, Dominus, prædica: id est, seriò, clarè, disertè & absque omnibus verborum ambagibus & lenocinijs, annuncia quæ ego te annunciare iubeo. Nam verbum Domini omni tempore & loco incorruptè & disertè est prædicandum.

Oratio Ieremiæ habita in Topheth.

Tandem verò quid in Topheth dicat coràm senioribus, diligentissimè explicatur, quæ sanè huius capitis potissima pars est, Sermo inquam Ieremiæ grauis, de excidio regis & regni propter idololatriam, habitus, & vniuersæ posteritati relictus, vt alieno exemplo misero planè discat metuere Deum, & cauere ab impietate & idololatria. Habet autem hæc oratio prophetæ exordium breue, ex quo discimus, ad quos pertineat hæc doctrina, ad regem inquam, ad principes, & ad vniuersum populum. Deinde ostenditur author huius orationis, ipse Deus. Antea enim dixit, Et prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te. Mox autem sua verba illi veluti in os ponens, addit, Dices autem. Nunc iterum subiungit, Sic dicit Dominus exercituum Deus Izraelis. Certissimum ergo est Deum esse authorem eorum omnium quæ hic dicuntur. Ornatur autem Dominus duplici epitheto, vel attributo. Nam appellatur Dominus exercituum, & Deus Izraelis. De quibus dictum est antea. Meritò igitur credimus his quæ hic nobis dicuntur: meritò metuimus Deum illum verum, qui & seruare potest & perdere.

Perdetur regnum Iuda, finis est huius Orationis.

In genere autem dicit mox post illud exordium, Deum vastaturum Topheth, atque adeò regiam vrbem, & regnum ipsum. Id quod potissimum est, quod

quod tractat hac oratione, in qua tamen, pro more suo, & causas excidij narrat. Inducit autem Deum loquentem, & dicentem, Ecce ego adducam malum super locum istum. Dominus iustus ipse adducit malum, ipse inquam met iusto suo iudicio adducit malum. Malum comprehendit omnis generis calamitates, gladium, famem, pestem, excidium, allen jamer vnd not. Mox amplificat hoc malum parabola quadam prouerbiali adiecta, Vt qui audierit, aures eius tinniant. Solent enim aures illis tinnire, ac in capite sentiri horrores, quibus de repentè obijcitur triste & abominandum aliquid, vnde grauiter terrentur vel consternantur. Significat ergo hac loquutione, grande fore malum, quod ipsis imminet, & vastationem fore horribilem atque stupendam. Protinus autem immoratur in exponendis atque amplificandis causis tantorum malorum, vnde deinceps redit ad describendam copiosius calamitatem. Inter causas prima est apostasia. Nam dicit, Eò quòd me dereliquerunt. Negabant hoc constanter Iudæi, nolentes videri apostatæ, aut desertores Dei: sed alibi ostendi quomodo Deus deseratur, non aperta duntaxat abnegatione & contradictione, sed superstitioso quoq; atq; alieno cultu. Sed & modũ apostasię consequenter exponens, dicit, Et alienum fecerunt locum istum. Id quod alij verterunt, Prophanarunt locum istum. Lutherus vertit, Vnd habend dises ort einem frömbden Gott gåben. Locus certè omnis (in primis terra sancta) Deo est consecratus, cuius ipse solus conditor est: vnde & solus vbique, in primis autem in terra sancta, adorari & coli debebat. Peccant ergo grauissimè, qui loca consecrant alienis dijs & cultibus. Sic ergo isti Topheth alienum fecerunt locum, quia vsurparunt alieno Deo, & cultui peregrino, qua re prophanarunt. Sequitur enim iterum per expositionem, Thurificantes, vel suffitum incendentes dijs alijs, vel alienis. Sic inquam fecerunt hunc locum alienum, sacrificando videlicet Deo Baal & Moloch. Hoc ipsorum peccatum amplificans addit, Quos nec ipsi nouerunt, neque patres, &c. Turpe sanè hoc est, eum quem non noris colere, & Deum toti orbi cognitissimum negligere. Turpe est eos colere, quos neque patres, neque reges Iuda vnquam agnouerunt. Loquitur de pijs & religiosis patribus & regibus. Nam historia testatur quosdam patres & reges stultos seruijsse Baalim vel dijs alienis. Cernis ergo quatenus valeat patrum & regum exemplum, & quatenus non valeat. Quomodo verò, inquis, colere eos potuerunt, quos non nouerunt? Multum interesse inter veram cognitionem, & inanem opinionem temerè conceptam nemo ignorat. Dei cognitio vera oritur ex principijs veritatis indubitatæ, per firmam fidem, & Spiritum sanctum. At qui falsos colunt deos, & versantur in superstitionibus, ducuntur vanis persuasionibus impostorum, opinanturq; vera esse quæ sunt falsissima, atque ita miserè decipiuntur. Apud Germanos ingens est discrimen, inter wüssen vnnd wänen. Vniuersa ergo doctrina de alienis dijs, & alieno cultu nihil est aliud quàm opinio. Supra verò dixi de deo alieno, & Deo vero. Significantius porrò quid peccent ostendit, cum dicit, Et impleuerunt locum istum sanguine innocentum, infantium scilicet eorum, quos ipsi Molocho immolarunt. Quamuis & prophetarum aliorumq; innoxiorum hominum sanguinem effuderunt, quorum liberas voces in impietatem & idololatriam ferre nolebant, atque opprimere & extinguere cupiebant cædibus: videtur tamen potius hic locus de humanis intelligendus esse victimis. Certè clarius mox subdit & ait, Extruxerunt excelsa ipsi Baal, &c. Sed totum hunc locum exposui satis fusè in septimo capite, Concione trigesima prima. S. Hieronymus explicans hæc verba, Nec in cor vnquam ascendit, Non quòd Deus futura nescierit, inquit, sed quòd indigna sua notitia, ignorare se dicat, iuxta illud euangelicum, Discedite à me operarij

Colere eum quem non noueris.

iniquitatis, nescio vos. Nouit enim eos Dominus qui sui sunt. Et, Qui ignorat ignorabitur. Vel certè ἀνθρωποπαθῶς & hæc de Deo accipienda sicut & alia. Hæc Hieronymus. Vallem verò occisionis appellare possemus, das mordal/ Gehaheregah. Adiungit his & aliud satis graue, Et ego euacuabo consilium Iuda, &c. Alludit autem ad lagenam, vel hydriam quæ euacuatur propriè. In præsenti significat euacuare, inane & irritum reddere consilium, ne propositum assequatur finem. Etenim sacrificijs illis electitijsq; cultibus suis voluerunt demereri Deum, & magnam sibi parare felicitatem, cæterùm fefellit ipsos spes illa. Nam exasperarunt potius Dominum, & semetipsos coniecerunt in extremam miseriam. Dicit enim se istos prostraturum gladio, cadauera autem obiecturum volucribus & feris: ciuitatem verò ita vastaturum per hostes, vt abominatio sit omnibus futura spectatoribus, præsertim scientibus, quanta aliquando fuerit gloria & celebritate insignis & præclara, quàm verò nunc solo æquata & conculcata. Quibus addit rem multò crudelissimam, attamen illis debitam, qui crudelissimè deuorauerant prius optimos quosque viros. Et cibabo eos, inquit, carne filiorum suorum: & reliqua quæ omnino impleta videntur cùm in Babylonica, tum Romana vrbis Hierosolymorum obsidione. Petuntur verò ista omnia ex 28. cap. Deuterono. & expectanda proponuntur omnibus idololatris, atque rebellibus contemptoribusq; verbi Dei. S. Hieronymus hunc locum exponēs, Quanquam hæc, inquit, & in Babylonica captiuitate accidisse populo nouerimus, tamen plenius referuntur ad tempora Saluatoris, quando obsessi sunt à Vespasiano & Tito, & ciuitas eorum Hadriani temporibus, in æternos cineres collapsa est, vt qui obtulerant filios suos idolis, ipsi eos postea famis necessitate compulsi, in ciborum vsum verterent, carnesq; omnium darentur volatilibus cœli & bestijs terræ, vt qui Domini muneribus abusi fuerant in impietatem, & propria viscera idolis immolarant, ventres suos sepulchra facerent liberorum. Hæc ille. Dominus liberet nos ab huiusmodi impiorum verbi Dei hostium supplicijs, & misereatur nostri. Amen.

Stipendium debitum hostibus verbi Dei.

Pergit in eodem argumento propheta, hydriamq; confringit, & diserris verbis excidium ipsis annunciat.

CONCIO LXX.

Et confringes hydriam in oculis virorum qui tecum ierunt, dicesq; ad eos, Sic loquutus est Dominus exercituum, Ad hunc modum conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut confringitur hydria figlilis, quæ vltra refici non potest. Et in Topheth sepelientur vt locus non supersit ad sepeliendum. Sic faciam loco isti & habitatoribus eius, vt reddam ciuitatem istam sicut Topheth. Et sunt quidem ædes Hierusalem & palatia regum Iuda perinde atque locus Topheth, immundæ cum omnibus domibus, in quarum tectis suffitum incenderunt vniuersæ militiæ cœlorum, & libauerunt libamina dijs alienis. Venit itaque Ieremias de Topheth, quò miserat eum Dominus, vt illic prophetaret, & stans in atrio domus Domini, dixit ad vniuersum populum, Sic dixit Dominus exercituum Deus Israelis, Ecce ego adducam super vrbem istam & super omnes ciuitates eius, omne malum quod loquutus sum super eam. Quia indurauerunt ceruicem suam, ne audiant verba mea.

Descendi-

DEscendimus iam ad secundam huius Orationis partem, ad explicationem in quam arcani, cur Dominus iusserit prophetam fictilem emere hydriam, ac deferre secum in Topheth, vbi concionari coram proceribus iubebatur, & quid faciat cum hydria. Nunc enim hanc confringere & in minutissimas partes collidere, contereréue iubetur, idq; in conspectu antistitum vel procerum populi, mox etiam suggeruntur verba, quibus huius Chriæ mysterium eis exponat. Est enim quod hic facit & dicit Ieremias Chria mixta, vel sacrum paradigma propheticum, constans symbolo vel actione externa, & verbis adiunctis, exponentibus facti rationem & mysterium. Plurima huius generis occurrunt in literis sacris.

Quid fecerit Ieremias cum hydria.

Tale quid fuit quod habuimus in 13. cap. de fascia impositа in foramen petrę vbi computruerat, & de lagena vino impleta. Tale quid paulò post sequetur, cum prophetæ mandabitur à Domino vt iugum collo imponat, & in conflictum regum prodeat, & catenam ferream è collo suspendat, qua re grauissimam captiuitatem populo denunciet. Videntur hæc mira, & partim superstitiosa, & stulta mundanis hominibus: sed apparet in his vera Dei sapientia, & mira eius benignitas, attemperantis se nostræ infirmitati, & nihil non attentantis quod ad conuersionem nostram pertinet salutarem. Posset quidem in mouendis animis nostris vti potentia spiritus, & in momento absque instrumentis externis agere nobiscum: sed ex hoc loco & innumeris alijs deprehendimus illum nolle absoluta vti potentia, neque intermissis medijs externis, solius spiritus interne operantis in momento potentiam vsurpare. S. Hieronymus hunc explicans locum, Vult, inquit, scriptura diuina, non solùm auribus doceri populum, sed & oculis. Magis enim mente retinetur, quod visu quàm quod auditu ad animum peruenit. Hæc ille. Certè Dominus huiusmodi externis actibus & symbolis in euangelio quoque vsus legitur, cum commendaret res magni momenti: veluti cum puellum statuit in medium discipulorum de maioritate, vt vtar vocabulo Decretalico, disceptantium, Matth. 18. Ioan. 13. discipulis pedes abluit, vt hoc paradigmate humilitatem, ac officia charitatis mutua præstandi diligentiam promptitudinemq; commendaret. Sunt qui huc referunt ipsa Domini Sacramenta, Circuncisionem, Sacrificia, Pæsa, Baptisma & Cœnam. Sed de his dixi copiosè in Decadibus meis. Ergo quò vehementius animi percellerentur Iudæorum, paradigma hydriæ collisæ edit Ieremias, non ex suo arbitrio aut inuento, sed ex præcepto Dei.

Paradigmata prophetica.

Mox etiam planam huius sui facti expositionem coniungit, & ait, Sicut fictilis hydria nullo negotio colliditur: ita & Topheth & ipsa vrbs regia, cum toto regno nulla cum difficultate vastabuntur. Sicut autem ex testis confractæ hydriæ nihil integri iterum potest componi, sic Topheth & vrbs, atque regnum non facilè reparabuntur. S. Hieronymus, Perspicuè, inquit, non de Babylonica, sed de Romana loquitur captiuitate. Post Babylonicam quippe & vrbs instaurata est, & populus in Iudæam reductus, abundantiæ pristinæ restitutus. Post captiuitatem autem, quæ sub Vespasiano & Tito, & postea accidit sub Hadriano, vsque ad consummationem sæculi, ruinæ Hierusalem permansuræ sunt. Quomodo autem vas fictile & testaceum, si fractum fuerit, in antiquam speciem non potest reformari: sic & populus Iudæorum & Hierusalem subuersa statum pristinum non habebunt. Denique cassum est hodie nomen ciuitatis, & ab Ælio Hadriano Ælia dicitur, & cum habitatione pristina, pristinum quoque nomen amisit, ad decutiendam superbiam habitatorum eius. Hæc omnia Hieronymi sunt. Cæterùm potest locus prophetæ intelligi & de prima destructione sub Nabuchodonosore. Nam Topheth nunquam fuit reparatum. Licet

Vastabitur Topheth, vrbs & regnum.

autem templum cum vrbe fuerint restituta, pristinæ tamen elegantiæ & dignitati non responderunt. Sed & multa cum difficultate reparari vix potuerũt. Reductus quidem fuit populus, sed non recuperarunt regni splendorem pristinum. Reges nullos habuerunt, sed fuerunt sub administratione Persarũ & Macedonum, vsque ad tempora Machabæorum. Plenissimè tamen ista completa esse in vltima sub Romanis destructione Hierosolymorum minimè nego. De qua optimè scripsit beatus Hieronymus.

Peribunt idololatræ.

Addit istis sepeliendos fore ipsos idololatras in eo ipso loco in quo peccauerunt, in Topheth, & quidem tanta copia, vt non sit vllus superfuturs locus, in quo amplius sepeliri possint. Qua loquutione videtur significari maxima cædendorum copia. Similis loquutio habetur & 7. cap. Impij & impœnitentes verè sepeliuntur in Topheth vel Gehenna, sicuti & de diuite epulone legitur Lucæ 16. Quinimò repetit & inculcat iterum, quòd Deus velit vastare & Topheth, & ipsam vrbem regiam. Nam difficillimè crediturí erant Iudæi huic prædicationi. Ideò eam ad fastidium vsque iterari & vrgeri oportuit. Rursusq; euidentem pro more suo causam huius sui facti exponens ex ore Dei propheta, Quoniam non tantùm vrbs ipsa pro maiori sui parte contaminata vel immunda, sed & singulæ eius domus, vtpote regum palatia & priuatorum ædes pollutæ sunt, perinde vt Topheth est spurcitijs abominabilis reddita. Addit præterea quibus rebus sint contaminatæ domus. Nam in tectis ædium sacrificabant militiæ cœli. Habebant item sacella & lararia in priuatis ædibus, in quibus thurificabant. Id ipsum impingit Hierosolymorum vrbi & Sophonias cap. 1. De eadem re & antea dictum est in hoc opere. Papistæ nostri hunc ritum olim abolitum reduxerunt. Habent enim & ipsi in ædibus priuatis lararia siue sacella & aras in quibus diuis incendũt cæreos, & colunt eos vario superstitionis genere. Sed intelligimus ex hisce verbis prophetæ huiusmodi cultu homines Deum sibi non demereri, sed iratum reddere. Non credunt hoc isti; experientur ergo aliquando irati Dei manum.

Immunditia vrbis.

Fides & sedulitas prophetæ

Tertio & vltimo huius capitis loco enarratur quomodo Ieremias mandatum sibi iniunctum compleuerit, siue expediuerit, & primo quidẽ in Topheth, deinde verò in atrio templi. Obseruandum autem in Ieremia, quòd absque metu fortiter atque constanter omnia quæ à Domino acceperat in mandatis, perficit, nihil addit, nihil adimit, nihil in gratiam hominum mutat. Hoc exemplum imitentur omnes ministri verbi Domini. Recolligit autem totius huius negotij summam in breuia capita duo. Primum continet supplicium de vrbe & gente sumendum. Secundum comprehendit causam pœnarum ceruicem induratam, id est, inflexibilem seu incurabilem rebellionem. Caueamus ergo nobis ne & ipsi aures & animos auertamus à verbo Domini nobis annunciato, audiamus potius apostolum ad Hebr. 4. inhortantem nos ad obedientiam. Quam omnibus nobis conferat gratia Domini. Amen.

NARRATIO HISTORICA.

Conijcitur in vincula Ieremias, extremaq; fata & populo & Pashur persequutori suo prædicit.

CAPVT

CAPVT XX.

CONCIO LXXI.

AVdiuit autẽ Pashur filius Immer ſacerdos, qui erat præpoſitus & princeps in domo domini, Ieremiam prophetantem verba iſta. Et percuſſit Pashur Ieremiam prophetam, & poſuit eum in carcerem, qui erat ad portam Beniamin ſuperiorem, quæ erat iuxta domum Domini. Factum eſt autem vt ſequenti die Pashur educeret Ieremiam è carcere. Et dixit Ieremias ad ipſum, Non Pashur (illuſtris) vocauit Dominus nomen tuum, ſed Magor (id eſt pauor) circumquaq;. Sic enim dicit Dominus, Ecce ego reddam te pauorem, & tibi & omnibus amicis tuis, & cadent in gladium hoſtium ſuorum, idq; oculis tuis videntibus: ſed & omnem Iudam tradam in manus regis Babylonij, qui transferet eos captiuos in Babylonem, & feriet eos gladio. Et tradam omnem ſubſtantiam ciuitatis huius, atq; omnem laborem eius, & omne precioſum eius, omnes deniq; theſauros regum Iuda, tradam in manum hoſtium ſuorum, atq; illi diripient eos, & tollent eos, & auehent in Babylonem. Et tu Pashur atq; omnes habitatores domus tuæ, ibitis in captiuitatem, tu inquam deuenies in Babylonem, & ibi morieris, & ibi ſepelieris, tu & omnes amici tui, quibus tu mendacium prophetaſti.

COHAERET hoc 20. cap. cum 19. Nam hiſtorica expoſitione luculenter enarrat quid ipſi propter annunciatam in Topheth & in Templo veritatem euenerit. Principiò quidem quòd à præſide templi percuſſus etiam in carcerem ſit coniectus. Deinde quomodo ſe Ieremias geſſerit erga præfectum templi ſuum illum perſequutorem, & quid ipſi ac populo futurum prædixerit. Poſtremò diligenter & copioſè exponit quam in carcere ſuſtinuerit pugnam: in quo ſanè apparet quas habuerit tentationes & cogitationes contrarias, pro diuerſitate vtique ingenij carnis & ſpiritus. Quæ omnia pertinent ad eruditionem & conſolationem noſtram, vt in ipſo tractatu apparebit. *Argumentum huius capitis.*

Cæterùm in Vinculis Ieremiæ hæc potiſſimùm conſideranda veniunt, quomodo veritas diuina excipiatur ab hominibus huius ſæculi, non cum gaudio & ad ſalutem, ſed cum indignatione ad perniciem annunciantium. Vnde etiam eluceſcit quæ ſit ſors vel conditio annunciantium ſyncerè verbum Dei, miſera ſanè quod hunc mundum attinet. Varijs enim adobruuntur calamitatibus. Id quod copioſe ſuis diſcipulis prædicit ipſe Dominus Ieſus Matth. 10. & Ioan. 15. Rurſus indicatur in hac hiſtoria quinam omnibus ſæculis fuerint omnium infenſiſſimi hoſtes præconum verbi Dei, & qui acerbiſſimè ſemper perſequuturi ſint ſyncériorem veritatis prædicationem, pſeudoſacerdotes & ſuperſtitionis antiſtites. Talis enim erat hic Pashur, hoſtis Ieremiæ. Sacerdotes Baal, Heliam & alios Dei prophetas perſequuti ſunt, cõmouentes in ipſorum capita Achabum cum ſua Iezabele. Amaſias ſacerdos excelſorum eiecit prophetam Dei Amos. Multa ſunt huius generis exempla in vetéri Teſtamento, præſertim autem in Ieremia hoc noſtro. Saluatori noſtro Ieſu Chriſto Dei filio, luci mundi, & pontifici verè ſummo, nullus fuit ordo infenſior, quàm ſacerdotum & phariſæorum. Hi dies atq; noctes inſidias vitæ eius ſtruxerunt, cum Iuda de traditione eius pacti ſunt, innoxium in vincula coniecerunt, Pilato ceu maleficum tradiderunt, cumq; ille conaretur ipſum liberare, commouerunt ſacerdotes populum, quem docuerunt poſtulare Barabbam, & Chriſtum ad crucem depoſcere. Illi ipſi cunctantem Pilatum valde vrſerunt, cumq; iam importunis clamoribus adegiſſent *Quomodo excipiatur veritas à mundo.*

Omnium infenſiſſimi hoſtes verbi Dei.

ipsum in crucem, procurrerunt in ipsum vsq; supplicij locum, & pendenti in cru ce illuserunt, atq; insultarunt insolentissimè. Neq; his exatiati, cum iam sepultus esset, admouent sepulchro custodiam, & in omnibus & semper ita se gerunt con tra ipsum seruatorem & apostolos eius, vt nemo non testari possit pseudosacer dotes iuratos esse veluti hostes æternæ veritatis. Hodie apud reges, principes & magistratus, sacerdotes accusant præcones euangelij hæreseos, seditionum & re rum pessimarum, incitantq; illos in sanguinem & capita innoxiorum. Vbi ve rò pontifices & antistites plena vtuntur potestate vitæ & necis, atrociter perse quuntur euangelium, ac permultum effundũt sanguinis innoxij. Ieremias quo que modum hic persequutionis suæ exprimit, dicit enim se primò à sacerdote percussum, deinde verò coniectum esse in carcerem. Percutitur & apostolus Paulus coràm sacerdote Anania in Actis cap. 23. Percutitur & ipse Dominus, atq; saluator noster Iesus Christus coràm pontificibus Anna & Caiapha, Ioan. 18. Vterq; item tenetur vinctus, & diuexatur miserè. De Carcere in quem conie ctus legitur Ieremias, varia adferunt interpretes. Sunt qui Hebraicum vocabu lum existiment rotam significare versatilem, carceremq; episcopalem: qualem in vicinia ferè vocant, die Schyben, in turre, Gottlieben,, ad lacum Acronium vel Podmicum. Alij cippum vertunt. Lutherus vertit Gwelb. Alij interpretan tur Stock. Ioan. Oecolamp. post S. Hieronymum in suis Commentarijs, Vox חמוּעבת variè vertitur, inquit, alij carcerem, alij ligna bifurcata, quibus collum insertũ concluditur, vt apud nos ferrea habentur colli vincula. Symmachus ait, βασανιστήριον siue στρεβλωτήριον esse, quod vtrunque tormenta significat. Hieronymus neruum vertit. Ionathan בֵּירְתָּא voce à camera & fornice desumpta, reddit. Proprietas verbi Hebræi à vertendo est, vt in Genesi Versatilis gladius dicitur. Hæc ille. Fortè in hoc erat hæc parata custodia, vt qui concluderentur in eam, e mendati captiuitate, conuerterentur rursus ad Deum & veritatem eius. Ideoq; erat extructus ille carcer propè templum, atq; adeò deputabatur in ipsius tem pli ædificijs: quanquam interim non esset in ipso templo, sed in ædificijs templo proximè adiectis. Pertinet enim reductio errantis ad templum & cultum Dei. Mandauit etenim Dominus Deut. 13. cohercere pseudodoctores. Nec dubium est, quin Dominus voluerit, non vi protinus, sed ratione prius agi cum errantibus. Qua in parte vehementer peccatur à Pashur. Nam & S. Hieronymus, Iste, ait, erat pontifex templi, & data sibi sacerdotij dignitate, in peruersum abutitur, non vt doceat, & sermone corripiat, sed vt cruciatibus terreat. Hæc ille, qui Pashur prudenter templi pontificem, non summum pontificem nuncupat. Nam Saraias, vt testatur sacra historia, summus erat sacerdos, vel pontifex. Pashur ergo intelligitur summus fuisse templi præses. Nam ex historia sacra, Ioiadæ potissimùm Ioas & Atthaliæ, apparet ordines fuisse sacerdotum, & in his ianitores, custodes, &c. vt præfecto his fuerit opus, quò minus ordo turbaretur. Cum verò templorum præsides permultum lucri percipiant ex donarijs templi, & experientia docti norint, quantum compendij adferat superstitio, iniquissimè ferunt hanc vel modicè turbari. Sciunt enim per veræ religionis synceram prædicationem, plurimum suis decedere compendijs. Ideò legimus Demetrium illum argentarium Ephesium, maximum excitasse tumultum aduersus doctrinam Pauli euangelicam, quòd ea videretur maiestati Dianæ & quæstui vberrimo detrahere, quem faciebat ex idololatria. Vtebatur etiam ille non argumentis, aut ratione sana, sed armata manu, clamoribus & turba. Hæc non dicimus, quòd velimus nullam adhiberi vim hominibus incurabilibus, & contagione alios quoq; corrumpentibus. Dominus enim ipse iussit cohercere pseudodoctores. Et Augustinus non semel inculcat vim in tempore & cum ratione adhibitam, esse salutarem, atq;

In carcerẽ deijcitur Ieremias.

Cohercendi sunt pseudo doctores & quomodo?

rem atq; adeò neceſſariam. Priuſquam tamen vim adhibeamus, tentanda ſunt omnia. Principiò enim erroris reuincendus eſt pſeudodoctor, & quidem ex diſertis ſcripturis ſanctis. Nam qui erroris conuinci non poſſunt, cur vexarentur quaſi errantes, ſeductiúe aut ſeductores? Deinde conandum, vt is qui erroris cõuictus eſt, reducatur ſanis rationibus in viam rectam. Vbi diligentiam in erudientibus requirimus, modeſtiam & tolerantiam. Si verò hic nulla ſuperſit ſpes, ſed pergat ille cum ratione inſanire, & omnes ſanas rationes floccifacere, ſuis item inniti erroribus, hos tueri, & alijs quoq; errores peſtiferos per contagionem & doctrinam affricare, iam coherceatur qui talis eſt, caueaturq; ne ſecum etiam alios perdat. Si verò his miſceantur blaſphemiæ intolerandæ & maleficia, quis oro prohibebit, ne magiſtratus ſuo atq; à Deo accepto vtatur gladio? De quo apoſtolus dixit, Neq; fruſtra gerit gladium. Cæterùm quod de Pashur annotauit Hieronymus, id ipſum dici poteſt in huius ætatis pleroſque pontifices & ſacerdotes, qui & ipſi ſua abutuntur authoritate, regesq; & magiſtratus incitant contra præcones euangelij, aſſeuerantes nullam eſſe ſperandam ſalutem & quietem, niſi excisis flamma & ferro omnibus euangelij prædicatoribus. Ferro ergo & flamma diſputant, non teſtimonijs ſcripturæ, & rationibus ſanis.

Quomodo ſe geſſerit Ieremias in ſua captiuitate.

Videamus porrò quomodo ſe geſſerit Ieremias in hiſce periculis, & quomodo exceperit ſuum illum perſequutorem templi antiſtitem ſupremum. Conſtãs eſt & intrepidus. Nihil mutat in genere doctrinæ ſuæ, fractus carcere & vinculis, ſed idem doctrinæ genus repetit atq; inculcat. Hoc exemplũm imitari iubemur omnes miniſtri verbi Domini. Nam & Paulus adeò nihil mutauit priſtini ſui inſtituti, vt ex ipſis vinculis Roma, ad varias per orbem eccleſias, miſerit grauiſſimas de religione ſcriptas epiſtolas. Alij vinculis & carcere franguntur, indignaq; committunt viris bonis, & iram Dei incurrunt, ſed & contemptos ſe reddunt coram hoſtibus ſuis. Patienter item ſatis tulit captiuitatem Ieremias. Nihil apud aduerſarium conqueritur aut eiulat. Quod verò grauius in ipſum inuehitur & infauſtiſſima ipſi vaticinatur, ex officio proficiſcitur, non ex affectu prauo, aut inuidia, aut impatientia. Redarguit etiam Dominus ipſe eos qui venerant ad ipſum cum gladijs & haſtis atq; fuſtibus in hortum. Redarguit item illum, qui ipſi coràm pontifice alapam impegerat. Redarguunt aduerſarios ſuos Stephanus martyr, & S. Paulus apoſtolus in Actis apoſtolicis cap. 7. & 23. Ac decet miniſtros verbi in eccleſia crucem impoſitam à Domino, patiẽter quidem portare, ſed interim quod contra iuſtitiam committitur ab hoſtibus, non diſſimulare, ſed reprehendere acriter, ne videantur approbare tacendo publicam iniuriam. Sunt enim publici iuſtitiæ vindices. Proinde non pugnant hæc cum mandato Domini, Si quis te percuſſerit in dexteram, obuerte illi & ſiniſtram. Iam ergo ſequitur quibus verbis fata infeliciſſima prædixerit, cum ipſi præſidi templi eiusq; domui, tum omnibus eius aſſeclis. Vnde colligimus perſequutores veritatis diuinæ, adeò non opprimere perſequutione ſua veritatem & ſanctos, vt magis prodant & confundant ſemetipſos, atq; accerſant, imò accelerent ſibi ipſis miſerum interitum, è quo poſtea emergere non poſſunt. Id quod manifeſtè probabit conſequens cap. 21.

Non Pashur ſed Magor appellari debuerat.

Initio argumentatur ex interpretatione nominis, & dicit, Vocaris quidem Pashur, ſed perperam. Nam Dominus te non hoc nomine dignum iudicat. Alio ergo inſignit nomine, & te vult appellari Magor. Pashur deriuant & interpretantur à diſcindendis tenebris, quaſi tu dicas diſpulſor tenebrarum, vel lux ambulantium in tenebris, aut lumen mundi. Hieronymus exponit oris nigredinem. Alij aliter interpretantur. Magor autem ſignificat pauorem aut terrorem, & quidem vndiq;. Tuis, inquit, & tibi ipſi eris author maximi pauoris. Trepida

bitis enim miserè ob vndiq; ingruentem calamitatem. Zuinglius beatæ memoriæ vir doctus & diligens in exponendis scripturis sanctis, שיש incrementum, ait, vel crescens est, חור autem clarus, insignis aut etiam ingenuus. Est autem Paronomasia non inelegans, Non Pashur, sed Magor appellaberis, hoc est, Non Augustus, sed Angustiatus: non Nobilis, sed Mobilis. Hæc ille. Sensus est ergo, Non illustrabis tuos atq; nobilitabis, sed vndiq; adoperies mœroribus, tenebris atq; pauoribus. Sequitur enim expositio plana & copiosior, Ecce ego reddam te pauorem, &c. Concidentur enim hostium gladijs omnes tui amici, & tu quidem crudelitatis huius eris spectator ocioſus, & omnibus oppressus mœoribus. Tradam item omnem Iudam in Babylonij regis potestatem, atq; adeò libidinem. Captiuos hos ducet in Babylonem, vbi & plerosq; gladio confodiet. Præterea diripientur prius omnes totius regni facultates: quas per species peculiariter annumerat. Deinde verò ne quid cogitarent de restitutione, Tollent, inquit, & auehent in Babylonem.

Fata populi.

Per Apostrophen autem conuersus singulariter ad pseudosacerdotem, quid ei peculiariter euenturũsit vaticinatur. Vaticinium est clarius, quàm multa indigeat expositione. Causa malorum omnium appenditur, mendax vel falsa & conficta doctrina. Pollicebatur enim in templum vnientibus, & cultum exercentibus consuetum, omnia felicia. Contraria ergo ipsis euentura testatur. Nihil verò aliud expectent omnes hostes verbi Domini, & persequutores fidelium verbi præconum. S. Hieronymus in hunc locum scribens, Animaduertẽda est, inquit, prophetæ patientia atq; prudentia, quòd missus in carcerem tacet, & silentio vincit iniuriam, nec tamen dissimulat quod scit esse venturum: vt saltem sic pseudopropheta pontifex peccare desistat, & Dei clementiam deprecetur. Hæc ille. Adoremus ergo clementissimum Dominum Deum nostrum, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat: & agamus illi gratias. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Describitur pugna carnis & spiritus in Ieremia, per colloquiũ aut expostulationem cum Deo.

CONCIO LXXII.

Illexisti me Domine, & illectus sum, fortior me fuisti, & prævaluisti, ac fui in derisum tota die, quisque subsannat me. Quoniam ex eo quo loquor, vociferor iniuriam, & vastitatem clamo, verbum Domini probro mihi vertitur, & tota die in subsannationem mihi cedit. Et dixi, non recordabor eius, neque loquar amplius in nomine eius. At erat in corde meo & in ossibus meis, tanquam cohibiti ignis incendium, vt laborarem, nec sufferre possem. Porrò audiebam multorum obtrectationem, & pauorem circumquaq;. Indicate (dicebant) & indicabimus illud: (idq; faciebant) omnes viri pacis meæ, & qui obseruabant an claudicare inciperem, (dicentes) Si fortè decipiatur, & prævaleamus ei, & vindictam de eo sumamus. Dominus autem est mecum tanquam robustus gigas, atq; ideò prosternentur persequutores mei, & non prævalebunt, vehementer pudefient: quia non prudenter egerunt, perpetua ignominia (afficientur) quæ nunquam obliuioni tradetur. Et tu Domine exercituum explorator iusti, videns renes & cor, videam vltionem tuam ex eis: quoniam tibi reuelaui causam meam. Cantate Domino, laudate Dominum: quoniam eripuit animam pauperis de manu malignorum. Maledicta dies in qua natus sum, dies in quo peperit me mater mea sit nefastus. Maledictus vir qui annunciauit patri meo, dicens,

Natus est

Natus est tibi filius mas, lætificans lætitiam eius. Eueniat isti homini quod ciuitatibus, quas Dominus subuertit, nec pœnituit eum: audiat clamorem manè, & eiulatum tempore meridiano. Quare non occidisti me mox in vtero? fuisset enim mater mea sepulchrum mihi, & vterus eius conceptus perpetuus. Ideone ex vtero egressus sum, vt aspiciam laborem & dolorem, & consumantur dies mei in confusione?

TErtio & vltimo loco huius capitis exponit historica narratione Ieremias, quam sustinuerit in vinculis pugnam, quæ denique cogitationes ipsum in suo vexarint ministerio. Exponit autem hæc eleganter & euidenter per colloquium, & per amicam cum Deo expostulationem. Cumque hic propheta non dissimulat, neque tegit dedecus suum pudendum, colliquescit inde, quàm synceriter & sine affectibus scriptores sacrorum codicum sanctos scripserint libros. Alij enim scriptores, prophani scilicet, tegunt aut extenuant delicta sua. Ergo non scribuntur hæc in illum finem vt Ieremiæ exemplum imitantes, obmurmuremus Domino, & voces impatientes profundamus. Sancti enim errant & ipsi per infirmitatem non raro. Qua in re sequendi non sunt. Extant huius rei paria exempla in scripturis diuinis non pauca, eximium verò & huic simile apud Iob in ca. 3. Similia quoque habuimus in eodem propheta nostro, cap. 15. & 18. Dicis, Præstaret sanè hæc tegi, & non proferri in vulgus, quod alioqui crassum, acerbius execratur, quàm dissimulari deberet à sancto magistratu. Cæterùm non errat neque peccat, aut peccatis occasionem suppeditat author scripturæ sanctæ spiritus sanctus, quinimò omnia reuelat ad vtilitatem fidelium, ac in certum aliquem vtilemque finem. Et quidem in præsenti vberem fructum & vsum habent ista. Sunt enim Stoici quidam existimantes dolorem non cadere in virum fortem, & Christianos nec labi, neque conqueri sortem suam difficilem acerbius, sed rigere instar cautium. Hi cum incidunt in discrimina, ac sentiunt quod omnes homines in periculis ac afflictionibus experiuntur, dolores & animi vehementes commotiones, suspicantur se alienos esse à Deo, & vera fide: vnde mox subit desperatio. Proinde hoc Ieremiæ & aliorum sanctorum exemplum, ostendit quantum doleant, & quàm grauiter in tribulationibus afficiantur sancti, quousque etiam per infirmitatem humanam abripiantur, in quibus tamen nec despondeant animum, nec pereant. Hæc autem ad consolationem dicuntur omnium nostrûm, vt si nos quoque similiter exerceamur & pro humana infirmitate indulgeamus dolori, ne desperemus, & de salute nostra actum putemus. Ista interim non confirmãt nos in infirmitate nostra, aut vt per hanc peccantes, palpemus nobisipsis & erroribus nostris, qusia re non admodũ gesta malè: sed vt vigilemus potius & oremus, ne intremus in tentationem, ac si quando lapsi, impatientius nos gesserimus, reuersi ad Dominum, deploremus errores nostros agamusque pœnitentiam. Certè si Iobo & Ieremiæ huc recidit res, vt ita se gesserint, sicuti in præsenti legimus, quid expectaremus nos putas? Proinde excitant ista nos ad vigilãtiam & feruentes preces, & ne vnquam desinamus clamare ad Dominum, Ne inducas nos in tentationem, ô pater cœlestis, sed libera nos à malo.

In quem finem hæc sint scripta.

Pro diuersis verò ingenijs carnis & spiritus in eodem Ieremia manentibus, longè diuersissima adferuntur hic in medium, & copiosiora propemodùm à carne, quàm à spiritu. Ad Romanos 7. apostolus Paulus idem carnis & spiritus certamen describens, nunc ex persona vel ingenio loquitur spiritus, nunc verò carnis. Nec alienam ibi in se personam transfert, sed ex suo ipsius proprio loquitur ingenio, itavt erat reuera affectus, iam ex parte carnis, mox ex parte spiritus. Ac Ieremias principiò ex ingenio carnis loquens, expostulat cum Deo, qui ipsum

Pugna carnis & spiritus.

veluti illexerit in functionem laboriosissimam ac difficillimam, in qua ipsum parum iuuare, sed tantum non corruere, sub mole oneris, sinat. Legũt alij, Seduxisti me Domine, & seductus sum. In 15. capite dixit idem, Factus es mihi Domine ceu fallaces aquæ. Alij legunt, Illexisti vel induxisti me, & illectus sum. Nam primo capite audiuimus renitentem prophetam, & vocationem ad ministerium detrectantem, amplissimis Domini verbis compulsum quodammodo & pertractum esse in functionem propheticam. Iam ergo alludens eò, Persuasisti mihi, inquit, vt acciperem conditionem. Addit, Facilè potuisti me alioqui infirmiusculum superare, & me in tuam attrahere obedientiam. Nunc verò quomodo mihi adsis, & causam meam iuues nescio: certè omnium irrisioni & sannis pateo. Siquidem ab ea die qua concionari incipio, ac vocifero contra iniuriam in populo vulgatissimam, denuncioq; vastitatem & excidium mox sequuturum, hæc mihi prædicatio vertitur probro, quasi sim homo seditiosus, mendax, & omnium hominum nequissimus. Sustineo itaque odia, vincula & diuexationes grauissimas. Hoc scilicet recipio præmij pro illis meis laboribus. Ita verò tu me pro tuis amplissimis promissionibus asseris. Discant autem hinc concionatores omnes, quæ sit sors ipsorum, & quid expectent si fideles fuerint in suo officio. Iam ergo si affligaris & tu, eamq; ob rem occurrant tibi cogitationes huiusmodi, ora Dominum, vt tibi condonet culpam, patientiam autem ac constantiam inspiret. Pergit autem propheta commemorare, quid statuerit in omnium odijs, & huiusmodi contra verbum Dei turbis, omnino deserere stationem suam ac tacere, si fortè dissimulando & tacendo in gratiam queat redire cum populo. Grauis est autem tentatio illa, quæ solicitat ad defectionem. Et dixi, inquit, pro eo quod est, Cogitaui apud me, non amplius me verbi Dei recordaturum, neq; amplius prædicaturum in nomine Domini. Verùm hac ratione non paratur vera tranquillitas, sicuti ne senatores quidem illi ad quietem iustam perueniunt, qui vocationem & functionem suam deserunt, ne dum ius dicunt, & nebulones cohercent, optimasq; leges tuentur, multorum incurrant odia, laboribusq; & difficultatibus multis implicentur.

Sors concionatorũ fidelium.

Verbi Dei ac spiritus vis in homine.

Dum autem ista voluit animo, mox occurrit quod istud ex carne consilium temere & stultè conceptum turbet. Sentit enim propheta in interiore homine spiritum feruentissimè vrgentem ne deserat munus sibi creditum à Domino. Ac comparat quidem istam occultam spiritus operationem ac vim, igni incluso ac contecto, qui tamen luctatur sedulò, & erumpere gestit. Iam etiam difficultatem huius certaminis adumbrans, Hęc res (dum scilicet functionem deserere cogito, quò plus gratiæ & quietis indipiscar, spiritus verò ex aduerso in animo diuersum vrget) ita me afflixit, vt sustinere amplius non possem, sed omnino cogitarem Deo esse parendum. Ergo si vincamus in certamine carnis & spiritus, nulla nostra virtute, sed mera Dei gratia vincimus, qui spiritu suo nos inspirans, ad meliora perpellit. Cæterùm in euangelio quoq; secundum Lucam, cum duo discipuli Emauntem abeuntes, in itinere differentem audissent Dominum de salutis negotio, etiam se mutuum compellantes ardorem maximum tribuunt diuino verbo & spiritui agenti in hominibus. Nam dicunt, An non ardebat cor nostrum in nobis, cum Dominus in itinere concionaretur nobis? Si itaque friget cor tuum, cum sonat verbum Domini & annunciatur tibi, in periculo versaris, &c.

Quid passus Ieremias propter præconiũ verbi Domini.

Rursus autem incipit commemorare, quid propter præconium verbi Dei patiatur, & conqueritur quidem dolenter apud Dominum. Ideoq; tametsi bonæ cogitationes & spiritus agitationes sentiantur in animo nostro, non tamen cessant carnis querelæ. Recurrunt enim & velut de nouo exercent hominem. Vnde & apo

de & apostolus dixisse legitur ad Galatas, Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, vt non quæcunq; volueritis eadem faciatis. Et hæc quidem non sunt ita intelligenda, quasi semel & iterum fiant in vita hominis. Sunt enim illa frequentissima, atque adeò quotidiana. Nam dum spiritus hos rexerit artus, id est, donec vixerimus in carne, aut in hoc sæculo, caro suum exerit ingenium. Vbicunq; autem est spiritus Domini, ibi non cedit carni. Perpetuæ ergo pugnæ & bella exoriuntur irreconciliabilia. Queritur autem propheta, sibi propter ministerium suum insidias strui vndiq;, neq; quicquam esse quietis. Exponit enim quid machinentur hostes eius, & quid ac quanta patiatur ab eis. Annunciantur mihi, inquit, multorum obtrectationes, contra me meumq; ministerium institutę. Et quid multis opus? Vndiq; adfertur quod terrere possit. Vbiq; pericula & plurima mortis imago. Iam etiam Mimesi quadam refert voces & cruenta hostium consilia, Indicate, & indicabimus illud. Sic enim insidiatores loquuntur, instruentes Corycæos, qui obseruēt quid dicat, aut quid faciat Ieremias. Si quid, inquiunt, deprehenderitis vitij in ipso, ad nos hoc deferte, & indicabimus illud, nimirum regi & magistratui, ordiniq; pontificum. Indicabimus inquam, id est per accusationem deferemus. Pro quo nos diceremus, Das wöllend wir jm dann wol zů wotten bringen. Nam hunc sensum nobis ea reddunt, quæ sequuntur mox. Alij aliter hæc exponunt. Vetus interpres sensum magis quàm verba adducens, dixit, Persequimini, & persequamur eum. Sequitur autem quod præcedētia illustret, Viros enim pacis, pro idiotismo sacræ linguæ, appellat amicos suos & intimos, qui multa & magna ipsi pollicebantur, quibus ipse deniq; non parum fidebat. Calamitosissimum autem est, si hi nos fallant, nobis insidientur, & de pernicie nostra consultent cum hostibus. At tale quippiam se experiri in præsentiarum queritur Ieremias, dicens, Insidiantur mihi amici etiam mei, nedum hostes, obseruantes sicubi subclaudicare, id est errare, aut peccare incipiam. Sed & verba horum per Mimesim refert, Si fortè decipiatur aut impingat, atque ita superiores ei simus, & diu cupitam de ipso sumamus vindictam. Etenim hodie etiam hostes concionatorum, cum ab eis corripiuntur acriter propter scelera commissa, & hoc nomine malè istis velint, commodè autem aut nullo titulo iusto nocere possint, obseruant quàm diligentissimè eorum dicta & facta omnia, sicubi vllā nanciscantur ansam reprehendendi eos, ac se vindicandi de eis. Atq; si hic vel modicè deflectant, & peccare videantur, Deus bone, quàm amplificatur peccatum ipsorum, & quàm inhumaniter ac inclementer animaduertitur in ipsos. Sciendum tamen hunc locum paulò aliter verti à quibusdam interpretibus. Alij enim legunt, Omnes viri pacis meæ obseruant latus meum. Alij, Omnes viri pacis obseruant interitum meum. Iudicium verò sit penes lectores.

Spiritus consolatio in periculis.

Consequenter & ex opposito commemorare pergit, quid spiritus Dei bonus suggesserit contra has carnis querelas, solicitudines, ac tentationes. Etenim in cogitationibus illis carnis non hæsit infixus perpetuò, subeuntibus subinde melioribus. In incredulis verò vel impijs perpetuæ sunt cogitationes carnis: nunquam illustrantur à spiritu, aut si percelluntur nonnihil, nullum ipsi locum cedunt. Potissimum autem quod spiritus Dei fidelium pectoribus inspirat est beneuolentia & potentia Dei, qui videlicet velit & possit in discriminibus tueri & seruare suos. Certè Ieremias comparat ipsum hoc nomine giganti robusto. Inde colligit hostes suos nihil effecturos, imò non tantùm nihil effecturos, sed & confusione aut pudore adoperiendos. Caussam addit, Quia non prudenter egerunt. Nam sapiens Solomon hostes verbi Dei stultos appellat. Alij hunc locum verterunt, Quia non prosperè agent. Alij, Nihil enim sua prudentia per-

fecerunt. Ad amplificationem verò illud pertinet, quod postquam dixit, Vehementer pudefient, subiicit, Perpetua ignominia adoperientur: & quod hoc ipsum exponat, subiicit, Quæ nunquam obliuioni tradetur. Ita enim erit perpetua ignominia. Et quidem pertinet hæc sententia, non modò ad Ieremiæ hostes, sed contra omnes verbi Dei aduersarios. Non dissimilis consolatio inuenitur apud Isaiam in 51. dicente Domino, Ego ego is sum, qui vos cõsolor, tu verò quis es, vt hominem mortalem, aut filium hominis, qui veluti fœnum reddetur, timeas? obliuiscaris autem Domini Dei tui, qui extendit cœlos, & terræ fundamenta iecit? Et reliqua.

Iam & formula precandi commendat causam suam, ex suggestione spiritus, Domino, cuius omniscientiam & iustitiam prædicat, postulans ab eo asseri. Vocat enim Deum, Dominum exercituum, & probatorem iusti. Alij legunt iustè, vt ad Deum referant. Renes, cupiditates, Cor cogitationes & mentem significant. Videam vltionem tuam de eis. Id est, asserе me de ipsorũ sanguinarijs consilijs, & audaci ac crudeli violentia. Addit veluti rationem cur ipsum asserere debeat, Quia tibi reuelaui causam meam. Id est, me totum & omnia mea tibi credidi atq; commisi. Pro quo Germanicè dicimus, Sir hab ich min ſach übergäben. Sæpe autem in Psalmis legimus dixisse Dauidem, Asserе vel libera me, quia inuocaui te. Nam respicit pactum Dei. Pactum verò vel promissio Dei hæc est, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & sic glorificabis me. Promisit ergo Deus auxilium omnibus, qui se totos coniecerint in ipsius assertionem. Huius verò promissionis Deum sancti admonent, cum dicunt, Libera me: quia fido tibi, & causam meam totam tibi commendaui.

Ac spiritus quidem ille, qui contra carnem Deo obmurmurantem & iudicia eius vituperantem, constanter pugnat, iubet nunc etiam laudare Deum, & gratias ipsi agere. Causam vel materiam laudis & gratiarum actionis subiicit, Quia liberauit animam vel vitam pauperis de manu vel potenti violentia malignorũ, crudelium inquam & tyrannicè sæuientium persequutorum. Similia in Psalmis occurrunt plurima. Proinde vtcunq; trepidet ac quiritetur caro, Dominus tamẽ suos nunquam negligit, sed pro sua bonitate semper curat & seruat. Id quod nos in omnibus pugnis & tentationibus animare debet.

Iterum reluctatur caro spiritui.

Post has tam sanctas & bona spe refertissimas cogitationes atq; consolationes, iterum ad ingenium redit caro, & reluctatur spiritui. Vt vel hinc colligere possimus vehementissimas esse carnis nostræ affectiones, vtpote quæ toties oppressæ à spiritu, viribus recuperatis, reuiuiscant & validè ac impetuosè erumpant. Hoc enim nobis insinuari arbitror per id, quòd carnis cogitationes & querimoniæ ac deuotiones & murmura longè fusius hic describuntur, quàm spiritus sanctæ suggestiones. Est quidem spiritus carne longè potentior: sed tanta est nostra corruptio & miseria ex peccato, vt istius dictata admittamus grauius: apostolo quoq; testante & dicente, Delectat me lex Dei secundum internũ hominem: sed video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum me reddentem legi peccati, quæ est in membris meis. Miserum me hominem, quis eripiet me ex hoc corpore morti obnoxio? &c. Rom. 7. Porrò deuotiones vel execrationes hic cõmemoratæ à Ieremia, totidem propemodùm verbis leguntur apud Iob in 3. cap. Principiò enim diẽ execratur in qua natus fuit, ac cupit eam inter nefastos poni vel numerari, inter atros videlicet vel infelices. Deinde maledicit ei, qui, pro more, euangelium de nato filio masculo nunciauit parenti, eo nuncio volens insignẽ afferre parenti lætitiam. Modum quoq; exprimit, quo cupiat à Deo malè tractari nuncium, vel pro euangelio rependi ei maledictionem. Eueniat ei, quod euenit vrbibus, quas subuertit Dominus: id est, ignis

Deuotiones vel execrationes.

est, ignis cœlitus delapsus exurat istum, sicut combusit Sodomam & Gomorram, &c. Genes. 19. cap. Quæ sequuntur, Et non pœnituit eum, significant Deum nulla vsum esse clementia, sed summa seueritate in euertendis illis oppidis. Talem verò seueritatem Deus adhibeat, optat, in euertendo extirpandoq; homine isto. Et quod appenditur, Audiat clamorem manè, & eiulatum in meridie, hunc habere sensum videtur, quòd optet isti homini luctum & infortunium perpetuum, quod auctibus infelicibus subinde crescat, non decrescat. Alij exponũt quasi adiectam rationem, cur Deum non pœnituerit deletarum vrbium. Nulla enim in eis apparuit pœnitentia. Manè enim ascendit clamor, qui ad meridiem auctus est, vt iam esset eiulatus & validior vociferatio. Id est, grauissimè & subinde magis & magis peccauerunt contra Dominum. Nam & Genes. 18. dicitur clamor Sodomorum, vel fama de ipsorum nepharijs sceleribus peruenisse vel ascendisse ad aures Dei Zabaoth.

Iterum verò mole malorum propemodùm oppressus, Vt quid, inquit, non occidisti me Domine, dum adhuc essem in vtero matris meæ? Sic enim vterus matris meæ, fuisset sepulchrum meum, & permansisset vterus eius conceptus perpetuus, id est, prognatus non fuissem vnquam. Conceptus enim iugis manet, quem non sequitur natiuitas. Loquutiones sunt nouæ vel insolitæ pro ratione istius linguæ vetustissimæ, sed sensus est planus atque perspicuus. Postremò adijcit adhuc verbum sanè incircuncisum & impotens, Ad quid, inquit, natus sum ex vtero matris? Ideóne, vt experirer labores & dolores interminabiles, vitamq; meam infelicissimè exigerem, imò & finirem cum pudore & in confusione? Confer autem ad hanc calamitosissimam affectibus superati Ieremiæ expostulationem cum Deo, ea omnia, quæ adhuc hodie proferuntur ab ægrotis, & ab omnibus penè luctantibus cum iniquiore fortuna & grauibus tentationibus, & paria inuenies. Dubium autem non est, Ieremiam redijsse iterum ad mentem, egisse pœnitentiam commissi sceleris, ac spiritum meliora suggerentem denuo audiuisse, & sese optimis accommodasse, Domino gratiam ipsi conferente, & seruante. Hunc oremus fratres, vt in tentationibus quoque nostris, clemens nobis appareat, spiritumque suum donet, per quem carnem possimus vincere, pœnitentiam veram agere, & ipsi Domino Deo nostro placere. Amen.

Vehemẽs querela.

ALIA NARRATIO HISTORICA,

Obsessa vrbe Hierosolymorum per Babylonios, mittit rex ad Ieremiam legatos, qui orant vt consulat Dominum pro eis. Respondet autem eis ex ore Domini Ieremias, parum fausta denuncians.

CAPVT XXI.

CONCIO LXXIII.

VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, quando misit ad eum rex Zedechias Pashurem filium Malkiæ, & Zephaniam filium Maasiæ sacerdotem, dicens, Consule quæso Dominum nostri causſa: quia Nabuchodonozor rex Babyloniæ pugnat contra nos, si fortè Dominus agat

nobiſcum iuxta omnia mirabilia ſua, & recedat à nobis. Dixit ergo Ieremias ad eos, Sic dicetis Zedechiæ: Sic dixit Dominus Deus Iſraelis, Ecce conuertam inſtrumenta bellica, quæ in manu veſtra ſunt, & quibus vos pugnatis contra regem Babylonium, & contra Chaldæos, qui vos foris in circuitu murorum obſident, & congregabo eos in medium ciuitatis huius: & pugnabo ego vobiſcum, extenta manu & brachio robuſto in ira, furore & indignatione magna. Et percutiam habitatores huius vrbis, tam homines, quàm iumenta, & ingenti peſte morientur. Poſtẽ hæc tradam, dicit Dominus, Zedechiam regem Iuda & ſeruos eius, & populum, & eos quoque, qui in hac vrbe reſidui manſerunt à peſte, à gladio, & fame in manum Nabuchodonoſoris regis Babylonij, & in manum hoſtium ſuorum, atque in manum quærentium animam eorum, & percutiet eos acie gladij, non ignoſces eis nec parcet, neque miſerebitur.

De euentu belli & obſidionis quo hic differatur conſilio?

NARRATIO hæc hiſtorica ſuperiori eſt annexa, & ſcripta de obſidione vrbis Hieroſolymorum per Nabuchodonoſorem, & euentu eius calamitoſiſsimo. Huc autem poſita eſt ordine non naturali ſed artificiali. Sequentur enim Orationes, quæ ante hæc, quæ hic cõmemorantur, dictæ ſunt, temporibus videlicet Ioachimi, & Iechoniæ. Veriſimile quidem eſt obſidionem non multò poſt tempore quàm confregerat hydriam in Topheth, & cæſus atq; vinctus fuerat à ſacerdote Pashur, cœptã eſſe à Babylonio principe: ſed, quod modo diximus, ſubiunguntur, quæ ante dicta ſunt ac facta. Diſpoſitionis verò huius hęc videtur eſſe ratio, Audiuimus quàm ignominioſè ſpretus ſit Ieremias, atq; in ipſo proculcatum verbum Domini. Quare ipſe quoque vehementiſsimè commotus, expoſtulauit cum Domino. Hoſtes verò vatis interim perrexerunt in ſua illa idololatria & ſceleribus, quę & pertinaciſsimè defenderunt & propagarunt, exiſtimantes vaniſsima eſſe omnia quę Ieremias de excidio ipſorum propter peccata & propter idololatriam potiſsimùm, prædicabat. Felices quoq; rebelles in ſuis erroribus eſſe videbantur, infelix & calamitoſus exiſtimabatur Ieremias, quem oderant ordines omnes. Proinde ne quis offenderetur iſtis, ſed vt cernerent omnes in orbe homines, verbum Dei in promiſsionibus & minis certum & infallibile eſſe: deniq; gaudia & exultationes idololatrarum, ipſorumq; contemptum & perſequutionem verbi Dei non fore diuturnam, nec impunitã, licet aliquãdiu diſsimulet Deus: ideò inquam ſuperioribus hæc huius capitis hiſtorica ſunt ſubiecta, quibus & illud monſtratur, Deum tametſi miniſtros ſuos propter verbi diuini prędonium vexari ſinat, eoſdem tamen nunquam deſerere, ſed & honoribus nõ rarò cumulare, adeò vt hoſtes eorum aliquando ipſis fiant ſupplices. Quæ omnia huc pertinent, vt diſcamus omnes reuereri Deum, non vilipendere verbum Dei, ſed in omnibus credere Deo, eidemq; nos ſubijcere.

Occaſio huius reſponſionis Ieremiæ.

Initio ponitur titulus, & in ipſo breuis conſignatio hiſtoriæ, quæ eſt occaſio reſponſionis Ieremiæ. Ante omnia indicatur author Deus, vt in omnibus aliàs fieri ſolet narrationibus & orationibus, quò minus contemnãtur. Occaſio verò reſponſionis Ieremiæ quæſtio eſt regis Zedechiæ. Obſederat enim vrbem Hieroſolymorum rex Babylonius, mittit ergo honorificam legationem rex Zedechias ad Ieremiam, petitum, Dominum roget vel conſulat, ſi fortè miſertus vrbis, miraculo quodam ædito, obſeſſam graui obſidione liberet. In his cõſignatur tempus, nempe 9. annus Zedechiæ, quo hęc ſunt facta. Initium enim obſidionis huius incidit in 9. annum Zedechiæ. Fruſtra ergo per nouem annos ſub hoc rege, non ſine moleſtia, laborauerat propheta. Vbi interim admiranda Dei bonitas relucet & longanimitas, diſsimulantis ſcelera ſui populi & expectantis

pœniten-

pœnitentiam. Sunt etiam alia in his obseruanda. Principiò vrbem esse obsessam tandem, sicuti sæpe futurum prædixerat Ieremias. Veniunt ergo tandem quæ per verbum Dei prædicuntur ventura à præconibus verbi Dei: & veniunt quidem certissimè & magna cum mole, vt quod dici solet, Deus tarditatem pœnæ, grauitate supplicij compenset. Nam obsidione fatigata & excruciata est miserrimè vrbs per triennium, tandem verò capta, direpta, euacuata, lacerata & exusta. Nemo ergo dubitet de veritate promissionum & minarum verbi Dei. Recitaui aliàs varia huius argumenti exempla, vt diluuium, promissionem Abrahæ factam anno vitæ eius circiter 70. & præstitam demum centesimo: item eam quæ extat de liberatione ex Ægypto post 400. annos, de vindicta sumenda ex Amalechitis, de capienda item & diruenda vrbe Hierosolymorum. Credamus ergo vbiq; Deo, & metuamus ipsum benedictum in sæcula.

Veritas & certitudo verbi Dei.

Deinde ingenium in his hominum huius sæculi adumbratur. Donec pacifica & felicia sunt tempora, nemo prophetam Dei vllo loco aut honore dignatur, nulla est mentio de ijs quæ docentur à prophetis: nemo consulit Deum, aut petit à quoquam vt consulatur: vbi autem pericula impendere, & iam etiam nos vrgere incipiunt, protinus instituuntur consultationes. Sic apud nos quondã supplicationes & passagia instituebantur, attollebaturq; clamor ad defunctos sanctos, S. Petre ora pro nobis, S. Andrea ora pro nobis. Ab impendentibus malis, libera nos Domine. Vt auferantur à nobis calamitates præsentes, te rogamus audi nos. At non audit Dominus non rectè & ex vera fide profectas preces, neque vni Deo per Christum nuncupatas. Præterea vtcunq; sera, sed tamen vera pœnitentia, nunquam sit nimis sera, præstaret tamen ante periculum, dum reuocamur à verbo Dei ad resipiscentiam, timere Dominum, & seriò cogitare de vera inuocatione Dei, morumq; emendatione corruptorum.

Mundi vafrities.

Maturè pœnitendum.

Cæterùm mittunt ad illum legationem, & quidem honorificam, quem contempserunt hactenus, & in carcerem coniecerunt. Huc enim recidit res impiorum, vt aliquando, Deo sic disponente res, supplices fiant ijs, quos irrisérunt antea prorsus. Quoties populus in deserto supplex fit Mosi seruo Dei, quem tamen toties adoperuit conuitijs ac contumelijs, sed & aliquando lapidibus quoque adobruere cogitauit? Facit hoc Dominus ad verbi sui gloriam amplificandam, honorandosq; ministros suos fideles, ne semper inglorij fastidiantur. Nominantur ergo legati à rege missi, Pashur, & alius quidem ab eo cuius mentio facta est in cap. 20. Ille enim dicitur filius Immer, hic verò noster filius Malkiæ. Fuit autem hic quoq; ex principibus sicuti & Sophonias. Ac prædixerat Ieremiæ Dominus, Tu non conuerteris ad ipsos, sed ipsi conuertentur ad te: id quod in præsenti completum videmus.

In periculis cõsulitur & honoratur Ieremias

Vide autem quam Ieremiæ quæstionem proponant. Nullus quidem est sermo de pœnitentia, aut vita emendanda: duntaxat liberari petunt ex præsenti periculo, nimirum, vt diutius & tutius liceat vitam viuere voluptuosam. Consule, inquiunt, vel roga Dominum nostri causa, si fortè ita nunc nos iterum liberet à Babylonijs, per miraculum, sicuti quondam regem Ezechiam liberauit ex manibus regis Assyriorum Senacherib, per angelum. Atq; hoc est ingenium humanum, præscribere Deo quid faciat, & miracula vel signa postulare, quò ocyus eripiamur ex malis quibus sumus circumuenti. Cæterùm mandauit Dominus, Ne tentaueris Dominum Deum tuum: sed quæ tibi mandauit, cura, vt ea semper facias. Loquutio est autem, Faciat eum à nobis ascendere: pro quo vetus interpres reposuit, Vt recedat à nobis, **daß er abzuge.** Cupiunt enim dissolui obsidionem vrbis, & hac leuari molestia.

Quid periclitantes potißimum expetant à Deo?

Iam etiam consideranda est nobis persona Ieremiæ. Non insultat hic illis pe-

Ieremias respõdet citra stomachum.

tulanter, neq; ferocius ipsos excipiens, dicit, An non hoc futurũ aliquando prædixeram? Nunc ergo percipite studiorum vestrorum fructum liberaliter. Quin potius magna cum grauitate, nulla cum vindictæ cupiditate, quod responderat ipsi Dominus, illis fidelissimè proponit, ac dura quidem eis nunciat: sed omnia sic temperat, vt manifestè appareat ipsum salutis ipsorum fuisse cupidissimum.

Qualis sit responsio Ieremiæ, quæue eius partes.

Nunc ergo qualis fuerit responsio Ieremiæ ad propositam quæstionem legatorum, inspiciendum est. Est illa expositoria ac varia: colligã tamen hanc in certa aliquot capita. 1. Ostendit belli euentum infelicissimum. Omnem enim defensionem & suámet ipsorum arma contra ipsos fore conuertenda, vrbem capiendam, ac ciues, quos pestis & fames non confecit, iugulandos gladio: proinde nullo liberandos Dei miraculo. 2. Peculiariter exponit, quid euenturum sit regi & populo ex calamitatibus superstiti, capiendos inquam cædendosq; absq; omni misericordia. 3. Interim populo sufficit consilium salubre, quid faciat. 4. Præscribitur item aulæ regiæ quid agat. 5. Postremò cõfutatur vana ipsorum spes, ac ostenditur quod ab impendente Dei ira nulla possint liberari munitione loci vllius. In his autem singulis traduntur varia, quæ diligentius obseruata, variè nos erudiunt. Ante omnia verò authorem omnium horũ diligenter indicat ipsum Dominum. Non enim inconsulto Domino ex suo ipsius arbitrio hæc respondit legatis, sed consulto Domino atq; adeò ex ore Domini. Ac principiò euentum belli infelicem fore ostendit. Dominum enim non liberaturum eosper miraculum, sed traditurum in potestatem hostium.

Conuertam arma vestra contra vos.

Estis sanè, inquit, armis instructi, & ad defendenda mœnia alacres: sed ego conuertam arma vestra in vestrámet viscera. Alacri enim & diuturna mœniorũ vestrorum defensione nihil aliud efficietis, quàm hostem irritabitis, qui vobis eam potissimùm ob causam non parcet, quòd obsidio fuerit ipsi & diuturna & cruenta. Cadetis item mutuis vulneribus per seditionẽ. Itaq; nihil erit inter vos felix & faustum, per vniuersam illam obsidionem, qua vos Babylonij prement. His coniungit aliud & ipsum infaustissimum, Colligam Babylonios, inquit Dominus, in medium ciuitatis huius. Quod perinde est, ac si dixisset, Introducã eos in ipsam vrbem, quam capient vel occupabunt. Id quod postea ipse author, historia contexta, exponet. Dominus ergo non eruet vos per miraculum. Ad hæc pertinent, quæ subijciuntur, Ego, ait Dominus, pugnabo vobiscum. Deo autem pugnante vobiscum, quæ spes salutis erit reliqua? Ex aduerso enim pronunciat apostolus & dicit, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Cæterùm modum exponit, quomodo velit pugnare contra ipsos, Manu extenta, robusto brachio, in furore, æstu, & indignatione magna. Quæ quidem est amplificatio vehementissima, significans Deum iratum ipsis implacabiliter, potentia & seueritate vsurum contra ipsos exquisitissima. Ad modum item explicandum pertinet etiam illud, quod dicit, se tam homines quàm iumenta percussurum, & quidem peste, fame, ac gladio. Ex his intelligere poterant Babylonium ab vrbe non recessurum. Sic autem pugnabit etiam hodie, ac semper Dominus contra omnes impios, nec liberabit eos quisquam ex manu Dei potentissima.

Secundo loco exponit singulariter, quid euenturum sit regi & populo, ex calamitatibus superius recitatis, superstiti. Peribunt & ipsi miserè. Nam longè grauius est tradi aliquẽ in manus odientium ipsum, quã simpliciter tradi in alicuius potestatem: & quidem tradi in manus odientiũ, atq; adeò non aurum aut argentum quærentiũ, sed animã, id est vitam. Etenim quales in ipsos futuri sint hostes, etiam exponit, Cõcident ipsos gladijs, & quod acerbius est, nõ ignoscent eis, dc wirt gar kein ſchonen ſyn/ nulla denicq; gratia aut misericordia vtẽtur erga ipsos. Hæc scilicet est sors omniũ persequentium prophetas & verbũ Dei. Timeamus ergo Deum, & obediamus verbo eius.

Pergit

Pergit adhuc legatis ad se missis respondere Ieremias, sufficiens sana consilia: quibus nisi obsequantur, certò pereant.

CONCIO LXXIIII.

Ad populum autem istum dices, Sic dixit Dominus, Ecce ego propono vobis viam vitæ & viam mortis. Qui in ciuitate hac manserit, gladio interficietur, fame vel peste: qui verò egressus fuerit, & ad Chaldæos, qui vos obsident, defecerit, vitam seruabit, & erit ei anima sua ceu spolium. Ego enim posui animam meam contra ciuitatem istam in malum, & non in bonum, dicit Dominus: in manum regis Babylonij tradetur, qui eam igni comburet. Porrò domui Iuda (dices) Audi verbum Domini, ô domus Dauid, Sic enim dixit Dominus Iudicate manè iudicium, & asserite spoliatum de manu eius qui vim facit (vel) calumniatoris: ne fortè propter malitiam studiorum suorum, egrediatur vt ignis furor meus, & exardescat, & nemo sit qui extinguat. Ecce ego contra te (agam) quæ habitas in valle, in petra, in planicie (ait Dominus) qui dicitis, Quis nos terreret? aut quis perueniret in habitationes nostras? Ego visitabo vos iuxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus, & injiciam ignem in syluam eius, vt deuoret omnia quæ circum eam sunt.

TErtio iam loco salubre consilium populo Iudæorum sufficit, quomodo tanta euadant mala, si videlicet egrediantur ad hostem, ac ei sese dedant. Nam videtur deditionem magis suadere, quàm defensionem. Et hoc quidem principiò proponit ipsis legatis, principibus: ne si ab initio mox ipsi populo hæc proposuisset, ad seditionem commouendam spectasse videretur. Principum porrò erat de conseruandis rebus consultare, & inuigilare saluti populi pendentis à regimine procerum. Qui si negligentes fuerunt, nihil peccauit propheta, si quæ acceperat à Deo in salutem populi, populo exposuit. Proponit autem biuium vitæ & mortis, liberum relinquens populo, in quam inclinent viam. Mox etiam biuium hoc quale sit, & quomodo intelligat, exponit. Qui in ciuitate hac manserit, inquit, & arma expediuerit contra Babylonios, concidet gladio, fame, vel peste. Atque hoc est iter mortis. Qui verò egressus fuerit ex vrbe, & sese dediderit principi Babylonio, innumeris se liberabit malis, sed & vitam suam ceu spolium quodpiam, ex conferta hostium turba eripiet. Et hæc est via vitam consequendi vel retinendi. Cur autem sic suadeat, rationem subiungit, Ego enim faciem meam posui, ait Dominus, contra ciuitatem istam, in malum, & non in bonum. Oculos ponere in aliquem idiotismo Hebraico, est diligentissimè alicuius saluti vel perniciei inuigilare. Nos dicimus. Ein trüw vffhaben vff einen haben: ac vsurpatur tam in malam quàm in bonam partem. In præsenti verò idem est ponere faciem in aliquem: & accipitur in partem deteriorem. Subiungitur enim, Non in bonum, sed in malum. Id est, non inuigilabo vobis, vt benefaciam & defendam, sed vt puniam atq; excindam. Sequitur enim iterum clarior expositio, Vrbs illa tradetur in manus regis Babylonij qui eam flammis concremabit. Sic inquam posuit Deus vultum suum contra ipsam, vt destinarit omnino immutabili sententia ferro & igni vastare & excindere eam, soloq; æquare omnia. Et hęc quidem est sors eorum, qui verbum Dei irrident, & sana non admittunt Dei consilia. Historia item declarabit vrbem captam, direptam, euacuatam, & vacuam igni absumptam. Multa huius generis iudicia Deus per gentes vbiuis terrarum exercet. Quid verò putas fieri cum damnatis sub terra in alio sæculo? Certa sunt illa quæ in terris fieri oculis nostris videmus; cur ergo de his dubitare-

Deditionē suadet populo Ieremias.

mus, quæ eodem ore Domini pronunciata sunt? Timeamus ergo Dominum, & reuereamur verbum eius, nihil dubitantes de salute & interitu fidelium & infidelium. Petuntur autem ex hoc loco dogmata admodùm vtilia nobis. Principiò enim aperit se hic nobis insignis imò ineffabilis Dei bonitas, quę in ipsa quoque seuera eius iustitia & pœna sese admiscet, & iam subdito pœnæ, bene consulit populo. Nam obsessi iam erant Hierosolymitani, & pœnas spreti Dei & verbi eius dare incipiebant, nihilo minus clementiam suam Deus ab ijs, qui iam patiebantur, nõ abstulit prorsus, sed adhuc suggerit consilium per prophetam, cui si obsequantur, pœnam lenius ferre vel dare, vel etiam vteunq; effugere, & in ipso malo aliquam consolationem habere queant. Sic punit Deus Dauidem, & in exilium eijcit per filium Absolonem: cæterùm in medijs æstibus tentationum clementer Deus Dauidem tractat, supplicium q; illatum temperat, & lenit variè. Hoc ipsum experiuntur vel hodie, qui subduntur pœnis, si vel modicè vti velint ratione, nec oculos comprimere ad manifestam Dei bonitatem.

Bonitas Dei ineffabilis.

Difficillima est functio prophetica.

Deinde ostendit hic locus quàm difficilem & molestam functionem sustineant pastores ecclesiastici. Iubetur enim in præsenti Ieremias suadere populo quod speciem habebat perfidiæ ac defectionis. Nam populus regi suo obstrictus erat sacramento ad obedientiam. Perfidiam ergo & defectionem à suo legitimo magistratu docere videbatur, qui suadebat exire ad hostem, & ei sese dedere. Rex enim Zedechias regnique proceres vrbem seruare & non dedere se hosti instituerant. Sed non rarò fit, vt iussa diuina, & leges Dei ex diametro pugnent cum legibus ciuilibus, & consuetudinibus humanis, atq; ideò Deus præcipiat ministris suis loqui, vel prædicare contra edicta, leges, iuramenta, fœdera ac pacta, obedientiamq; quam requirit magistratus. Mandabat Nabuchodonozor rex socijs Danielis adorare ad statuam vel statuam, sed non obediunt illi. Mandatum quoq; satraparum Medorum contemnit Daniel. Magistratus prohibebat apostolis prædicationem euangelij. At Petrus, Oportet Deo plus obedire quàm hominibus. Diocletianus & Maximianus edictum contra Christum & fidem Christianam Nicomediæ proponunt, & publicè affigunt: sed primas quidam Nicomedienſis edictum lacerauit. Author Euseb eccles. hist. lib. 8. cap. 5. Sunt huius generis exempla innumera. Veteres enim Romanorum imperatores edictis editis idololatriam præcipiebant, ac requirebant à Christianis obedientiam, Apostolici verò viri præcipiebant ex ore Domini, ne obedirent. Et certè peccauissent grauissimè contra Dominum, quotquot propter iusiurãdum præstitum, obediuissent edictis imperatorum impijs. Ne ergo pigeat verbi Dei ministros contra eas principum leges, & contra illa fœdera aut pacta concionari, quæ pugnant cum Domino, & syncera pietate.

Daniel. 3.
Daniel. 6.
Actu. 5.

Consiliũ salubre pro aulicis.

Quarto autem loco dat etiam salutare consilium familiæ vel aulæ regiæ, suadens vt exerceant iudicium & iustitiam. Sic enim Dominum ipsis clementem futurũ, seueriſſimum autem vltorem, si perrexerint ius negare afflictis, & præuaricari iustitiam. Dauidis verò mentionem facit, non propter nobilitatem generis, & superbum in animis ipsorum spiritum excitandum, sed propter exemplũ. De Dauide enim dicit scriptura quòd fecerit iudicium & iustitiam omni populo. Hoc ergo exemplum posteritati Dauidis obijcit, vt conentur hoc piè imitari. Obseruandum est autem quod non dicit propheta, Manè sacrificate, cantate, aut passagia instituite: sed, Manè iudicate iudicium. Verum enim deoq; gratissimum sacrificium est iustitia & misericordia, propheta rursus testante atq; dicente, Sacrificate sacrificia iustitię, & sperate in Domino. Et iterum, Misericordiam volo, & non sacrificium. Videãt ergo quid principes agant, qui bonam diei partem consumunt in templis, & sese impendunt spectandis cæremonijs, forum autem aut

2. Reg. 8.

Psal. 4.
Oseæ. 6.

tem aut curiam ſenatoriam negligũt, oppreſſos, & ius poſtulantes benignè non audiunt, atq; iudicium & iuſtitiam non faciunt. De illis in præſenti nihil dico, qui inſanis venationibus, prodiga alea, poculisq; furioſis, & ſcortationibus fœdis, ac ſpectaculis vaniſſimis optimam temporis partem perdunt. Dominus clamat ad omnes familias nobiles, ad omnes principum aulas, ad omnes in eminentia conſtitutos principes & magiſtratus, Iudicate manè iudicium. Quid verò eſt quod dicit, Manè iudicate? Cur manè? An non ſemper iudicij tempus eſt? Solẽt ſanè aulici & magnatum proles in multam lucem ſtertere, atq; adeò altum dormire veternum. At manè ſtrenui vel alacriores ſumus, & ſenſibus magis integris: poſt cibum tardiores ac craſſiores reperimur. Manè item ſignificat maturè ac in tempore. D. Ioan. Oeco. hunc locum explicans, Dicit autem Manè iudicate, inquit, ne videlicet inebriati iudicent iniuſtè. Vel manè, id eſt velociter, & abſq; dilatione: quod contra eos eſt, qui lites prorogant, vnde fit vt ne integro quidem decennio expediantur: quò ſaturentur rabulæ forenſes, omnia pauperum bona exugentes. Manè item vult iudicari pauperi, vt poſſit redire ad laborem, & ſuam nutrire familiam. Hæc ille. Quid verò ſit iudicare iudicium, verbis ſubſequentibus explanat, & dicit, Adſerite vel eruite, & liberate ſpoliatum de manu calumniatoris, vel vim inferentis, aut ſupplantantis. Quæ quidem res fit, cum id quod iuſtum & æquum eſt pronunciantes, aut in integrum reſtituimus, qui in corporibus, facultatibus aut fama læſi ſunt: aut prohibemus fideliter ne lædantur, ſed ſuis liberè & tutò vti poſſint. Diſcunt hic ſuum officium magiſtratus, & qua potiſſimùm re numen placent iratum, aut quomodo ſeruiant Deo, non ſuperſtitioſis cultibus, ſed vera iuſtitia. His minas addit, Ne fortè propter malitiam ſtudiorum veſtrorum, &c. Qui locus expoſitus eſt à nobis in capite 4. huius operis. Vindictam enim Dei comparat igni furenti, & omnia depaſcenti: ſicuti & ſub finem huius capitis. Pertinent autem hæ minæ ad omnes eos, qui ius non reddunt laborantibus & oppreſſis. Vbique enim in prophetis excidium imminere oſtenditur, iudicium negantibus aut iniuſtè iudicantibus.

Manè iudicate

Iudicare quid ſit.

Cum verò ita ſtolidi eſſent, vt exiſtimarent ſe loci munitione defendendos à vi & iniuria hoſtili, quinto & vltimo loco confutat hanc ipſorum ſpem vanam. Extructa erat vrbs ex parte in loco ædito, in petra, muniebatur vallo & valle, habebat campum, eratq; cùm arte tum natura inſtructa & munitiſſima. Ideoq; dicebant, Quis in vrbe tam probè munita ſibi metueret? aut quis putaret hoſtes in ipſam peruenire aut vnquam irrumpere poſſe? Ac ſunt multæ aliæ gentes hodie quæ plus nimium fidunt ſuis petris, montibus, fluminibus, arcibus ac munitionibus. Peccant autem re illa contrà Dominum grauiſſimè. Si enim peccant qui in homines ſuam collocant fiduciam, quanto peccant enormius, qui in congeſtam terram & in congeriem lapidum ſpem ſuam ponunt? Videtur hodie apud multos tempora illa redijſſe vetuſtiſſima, quibus gigantes montibus montes impoſuerunt, & bellum intulerunt Ioui olympio: id eſt, quibus Babylonij turrim præcelſam & monſtrificam extruxerunt, contra Dominum, quaſi in ea tuti & extra periculum eſſe potuiſſent, etiamſi Deus repetito aquarum diluuio, rebelles extinguere voluiſſet. Ita enim quidam hodie ædificia extruunt ac collocant (alij quidem in petras & montes altiſſimos, alij contra, in ima terræ ſe abſcondentes, vrbes & arces ſuas propemodùm defodiunt, circunductis artificio quodam montibus, ex quibus vix apparent aduentantibus ſumma tectorũ culmina) quaſi in his tuti eſſe poſſint, vtcunq; Deus propter peccata ipſorum per bella & hoſtem externum eos punire inſtituat. De pœnitentia enim nulla eſt cura. Vita autem pœnitens & ſancta cum ædificijs decentibus & moderatis (non enim nihil prorſus extruendum eſſe putamus) magis ſunt probanda & commendanda ho-

Refutatur vana fiducia, quã habebant in munitora loca

Contra inſanam noſtri ſæculi vrbium munitiones.

minibus, Deum ac verbum eius reuerentibus, veramq; salutem amantibus. Respondet autem Dominus Hierosolymitanis insolenter de sua vrbe munita gloriantibus, & ait, Existimatis neminem prorsus vestram illam arcem Zionis expugnare, deijcere & in ipsam peruenire posse; en ergo ego me ipsum vobis hostem statuo atque obijcio Ego inquam vos visitabo. Est autem vocabulum Visitandi vehemens, pro eo quod est, Ego ipse bellum vobis inferam, & pro meritis in vos grauiter animaduertam, & omnia vestra euertam. Ostendit autem & parabola, quàm non sit difficile Deo arcem Zionis, muros Hierosolymorum, & omnes ipsorum disijcere vires. Nam vrbs ipsa erit, inquit, instar aridæ syluæ. Non autem difficile est aridę syluę ignem subijcere. Sicut autem ingens aliquod pondus sua mole ruit: ita ingens sylua incensa sua magnitudine celerius sese absumit, ac vicina quoq; loca depascitur. Quo enim amplior est sylua, eò vehementior ignis exæstuat ac furit, vt nullo negotio consumat omnia. Certè cecidit Hierosolymorum vrbs ruina calamitosissima, & cõsumpta est ignibus, vicinis quoque locis quibuslibet deperditis. Timeamus ergo Deum, contra quem non valet vllum consilium, aut vlla munitio, aut fortitudo. Ipsi gloria.

ORATIO IEREMIAE NONA.

Adhortatur regem atque proceres ad præstandum officium, quod nisi faciant, perituros.

CAPVT XXII.

CONCIO LXXV.

SIc dixit Dominus, Descende in domum regis Iuda, & isthic loqueris sermonem istum, & dices, Audi verbum Domini rex Iuda, qui sedes in solio Dauidis, tu & serui tui ac populus tuus, qui transitis per portas istas. Sic dicit Dominus, Facite iudicium & iustitiam, & asserite spoliatum de manu opprimentis: aduenam, pupillum & viduam ne contristetis, neque iniuriam faciatis, & sanguinem innocentem ne effuderitis in loco isto. Nam si diligenter ista feceritis, ingredientur per portas huius domus reges qui in solio Dauidis sedent, insidentes curribus & equis, ipse & serui eius atque populus eius. Quòd si ista verba non audieritis, per me iuraui, dicit Dominus, quòd domus ista redigetur in solitudinem. Quoniam sic dixit Dominus super domum regis Iuda, Gilead tu mihi caput Libani, si non redigam te in solitudinem, & vrbes non habitatas. Et destinabo (vel sanctificabo) contra te vastatores, quemlibet cum armis suis, qui excindent electas cedros tuas, & proijcient in ignem. Cumq; præteribũt gentes multæ vrbem hanc, dicet quisq; ad proximum suum, Quare sic fecit Dominus vrbi huic tam magnificæ? Tum dicent, eò quod dereliquerũt fœdus Domini Dei sui, & adorarunt Deos alios, eisq; seruierunt.

Ordinis ratio.

ORDO naturalis iterum mutatur. Oratio enim hæc 9. quæ hic collocatur, non est dicta sub Zedechia, neque mox post ea quę dicta sunt cap. 21. sed sub Ioachim, & quidem, vt apparet, in principio regni eius, cum non ita prídẽ abductus esset Ioachas, Sellũ cognominatus, frater eius, in Aegyptum.

ptum, Hic autem collocatur, vt appareat quàm maturè, diligenter & strenuè à Deo per prophetas admoniti sint Iudæi, qui cum nec audire nec resipiscere voluerint, sed ceruicem penitus indurauerint, meritò perierint, sicut cap. 21. prædictum est.

Oratio autem hæc 9. palatina vel aulica est concio, ein hofpredig, præscribēs officium ipsi regi, aulicis denique vel pastoribus populi. Accusat autem ipsos neglecti officij, hortatur ad faciendum officium: in quam rem amplissimas proponit promissiones minasq; terrificas. Fore enim vt rectè gubernantibus benedicat, præuaricantes autem excindat. Vnde oratio hæc peculiariter ad regem pertinet, deinde etiam ad aulam vel nobilitatem, ad senatores quoq; omnes, & ad ipsum collegium sacerdotum. Per hos enim ceu pastores grex, gubernabatur regnum vniuersum. Prodest autem hęc Oratio & nostris temporibus, vtpote increpans, admonens atq; cohortans nostros quoq; homines in eminentia constitutos. Varia item est, multa egregia, & in primis scitu necessaria egregiè docēs, illa quoq; quæ ad Christum pertinent. *Aulica Oratio.*

Orationi vel Concioni præmittitur mandatum Dei, quod duo habet, Primum ostendit authorem totius doctrinæ huius Deum esse, & ideò credendum esse doctrinæ huic, cuius contemptus redundet in ipsum Deum. Vbi interim relucet etiam insignis bonitas Dei, maturè mittentis prophetas hominibus peccatoribus, quibus in tempore suadeatur pœnitentia, ne pereant. Id quod historia sacra pluribus prosequitur 2. Paralip. vlt. Certè omnibus temporibus maturè admonuit Deus peccatores, quos & incurabiles excidit. Ipse Dominus Iesus flebat super vrbem Hierosolymorum, ac diserè fata eius canebat, admonens tempus visitationis agnosceret. Non agnouit, ergo post 40. annos perijt. Sic sæpe factum esse narrat vetus historia. Secundo loco indicatur hoc Dei mandato Locus, in quo concionetur, regia videlicet domus vel palatium. Vbi cernimus magistratui quoq; & principibus ipsis annunciandum esse verbum Dei, & si peccent, corripiendos, & obiurgandos. Id quod conuellit eorum opinionem, qui arbitrantur in eminentia cōstitutis parcendum esse, rusticanos & vulgares duntaxat homines ecclesiasticis sermonibus esse diuexandos. *Diuina doctrina.* *Bonitas diuina.* *Regibus etiam prædicandū est*

Exordium autem habet oratio hæc, sed breuissimū, quod & ipsum duo quoque præcipua habet. Principiò enim reddit attentos cùm ex persona Dei, cuius hæc esse repetit, quæ dicit, tum ex persona auditorum, quorum primus rex sedeat in solio Dauidis, vnde iure audiat & obediat mandatis Domini. Generis enim nobilitas & maiestas solij Dauidis admonet hoc genere ortum, & sedentem in eodem solio, ne degener sit, sed virtutibus eum exprimat, à quo trahit originem, & in cuius throno iam sedet. Non enim cathedra per se ornat quenquam, sed virtus quæ requiritur à considente in cathedra. De ea re multis egit author Decretorum, Distinct. 40. Deinde exponitur sigillatim, ad quos pertineat hæc oratio, ad regem vtiq;, ad seruos eius, id est ad consiliarios vel aulicos, denique ad ipsum quoq; populum. Transire verò per portas periphrastica notatione significat habitationem, vel vt quidam dicunt conuersationem habere in loco isto. Similis est loquutio, Ingredi & egredi, id est consuetudinem habere continuam in loco aliquo apud homines. Ergo cum legitur in Actis capite primo, Oportet ex his qui nobiscum versati sunt toto tempore, quo Dominus Iesus intrauit & exiuit inter nos, id ipsum verterūt alij, quo Dominus Iesus perpetuā vitæ consuetudinem egit nobiscum, idioma vtiq; linguæ sacræ obscurius nobis, ita illustrantes. *Exordium.* *Transire per portas.*

Iterum verò & propemodùm ad fastidium vsq; (tanti videlicet refert agnoscere, ea quæ annunciantur nobis, proficisci ex Deo) inculcat hoc quod adfert

Summa breui comprehẽsum magistratus officium.

Dei esse mandatum. Ait ergo, Sic dicit vel mandat Dominus. Mox duobus aut tribus verbis comprehẽdit totum regis, principumq; vel magistratus officium, & dicit, Facite iudicium & iustitiam. Id quod nos pulcherrimè reddimus & dicimus, Gricht vnd rächt halten, comprehendentes & ipsi vniuersum magistratus officium. Iudicium verò facere, est forum aperire, causas diligenter audire & cognoscere, & quidem vtranq; partem audire, nullum locum fauori aut odio similibusq; relinquere affectibus, audita verò & excussa caussa, iudicare quod æquum est, vel pronunciare id quod iustum est. Facere iustitiam, est quod iuste iudicatum est, iustè exequi, suum cuiq; tribuere, restituere eiectum, iniustum cohercere & opprimere, ita vt constet inter homines pax & iustitia, singuliq; suum illud possideant tranquillè. Sed de his loquutionibus dictum est alias quoq; in hoc nostro opere. Quid quod protinus subiicitur à propheta expositio fusior eorum, quæ breuioribus comprehensa & proposita sunt? Nam veluti per partium enumerationẽ explicat, quid sit facere iudiciũ & iustitiam. Dicit enim, Asserite spoliatum. De hoc dictum est ca. 21. Liberare ergo oppressos à vi opprimentium iniustè, est facere iudicium & iustitiam. Deinde subdit, Aduenam, pupillum & viduam ne contristetis. Sunt autem hęc tria hominum genera maximè omnium iniurijs exposita, eò quod infirmiora auxilijs destituantur. Ea de causa Dominus in lege aduenas, pupillos & viduas vbiq; commendat. Legatur Exodi 22. Leuit. 19. Deut. 10. & 24. cap. Alij legunt, Aduenam & pupillum & viduam ne fraudetis: quòd hoc genus hominum fraudibus & impostura magis pateat. Siue verò legas, Ne contristetis, quod magis mihi probatur, siue, Ne fraudetis, in idem recidit sensus. Addit his, Nemini prorsus vllam intuleritis iniuriam ipsi, neq; patiamini ab alijs inferri vlli. Valet enim hic dictamem naturæ, à Deo animis hominum insculptum, Quod tibi velis fieri, feceris alteri: & quod tibi fieri nolis, ne feceris alteri. Postremò, Et ne sanguinem, inquit, fuderitis in loco hoc. Quare autem non in loco hoc? an ergo in alijs licet? In alijs quidem, id est nullibi licet fundere sanguinem innoxium, at multò minus in eo loco, quem Dominus sibi consecrauit peculiariter. Malum ergo semper & vbiq; est effundere sanguinem, sed si vir Deo singulariter consecratus effundat, & in loco sacro, pessimum illud quidem est. Illa eadem prohibentur & Ieremię 7. Dissimulare hic non possum, quin ascribam S. Hieronymi explicationem huius sententiæ. Homicidas, inquit, & sacrilegos & venenarios (intelligit eos qui venena parant propinantq; alijs) punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium, &c.

Iudiciũ facere.

Iustitiã facere.

Fũdere sanguinẽ in loco hoc.

Promissiones & minæ.

Coniungit his consequenter promissiones & minas graues, quibus adhortetur atq; perpellat ad officium. Promittit enim existimationem ac honorem incolumem futurum, & pacem vel tranquillitatem regni saluam retinendam, si diligentes & fideles sint in exequendis recensitis muneribus. Vtitur autẽ promissionibus accommodis huic populo & gratissimis. Gaudet enim hoc hominum genus suspici, & in honoribus vel dignitatibus incolume manere. Deijci è gradib. ac ignominia afficí, inter maxima reputant tormenta. Deus autem sese nostris moribus pro sua bonitate attemperat, & ea proponit maximè, quæ maximè permouent homines. Mos autem erat ei genti celebris, currubus vehi & equis. Non est autem vt nos peregrinum ritum, hic quidem à propheta non reiectum, nobis quoq; peculiarem faciamus, ac currum candidis equis præcedentibus paremus. Potes enim adhuc pedes incedere. Relinque istam magnificentiam principibus viris: te verò quæ vel ciuis, vel mercatoris aut nobilis alioqui viri, vxores, ista dedecent. Nondum sedisti in Dauidis solio, &c. Ex opposito etiam minas graues commemorat propheta, Quòd si verba ista non audieritis, &c. Et ne impunè se ista contemnere posse crederent, iusiurandum interponit per Apostopesin

In wägnen faren.

pesin quandam iurantibus familiarem. Iurauí per me, ait Dominus, si non palatium hoc regium, vnà cum templo & vrbe in solitudinem sint redigenda. Nos dicimus, Dispeream, aut Deus me puniat, si te non conficiam. Deus autem iurat per semetipsum, Non sim Deus, nisi hoc fecero. Quàm certò viuo, tam certò puniam. Per semetipsum autem iurat. Quia iuramentũ præstari debet per summum optimum maximum. Nullus est autem summus optimus maximus, nisi solus Deus, ergo iurat Deus per semetipsum: sicuti & Paulus dixit Hebr. 6. & nos exposuimus huius operis cap. 4.

Copiosius verò per Allegoricam collationem differit de vastatione vrbis & regni, & de modo vastationis. Alij verò per Gilead intelligunt vrbem illam celebrem Amorrheorum, quæ aliquando Iudæis cessit, quam Syri deniq; principes illis eripuerunt, & propter quam grauissima bella inter ipsos commota sunt. Alij syluam, aut montem, vel principium syluæ aut montis Libani intelligunt, quæ sententia magis approbanda videtur. Sicut Gilead, vnde petebatur resina ad vulnera curanda, vel mons præcipuus, vel sylua excellentissima in Libano est: sic caput gentis huius est vrbs regia Hierosolymorum. Vt autem hæc sylua vel hic mons deiicitur, & vastatur: ita vastabo vrbem hanc cum gente. Nam sicut comparantur fortes rustici, qui mittuntur instructi securibus, ad excindendam syluam: ita sanctificabo, id est destinabo, eligam & præparabo, vel instruam milites vastatores, qui probè instructi armis, ex Babylone aduolent, ac præstantissimos quosq; homines, & nobilissima quæq; ædificia deiiciant, cedrorum instar, demùm & in ignem coniiciant, id est omnia igni vastent. Eandem parabolam sæpe aliàs adduxi etiam sub finem cap. 21. Videmus autem in hoc velutispeculo, quàm nihil sint coràm Deo, vel munitissimæ vrbes & arces. Perinde enim vt pinus vel cedrus, securi nullo quasi negotio deiicitur & comburitur, sic consumuntur ira Dei munitissima & robustissima in mundo quæuis. *Gilead.*

Porrò causam huius vastationis rursus ostendit, & quidem per Prosopopœiam. Nam elegantissimè fingit inducitq; viatores spectare campos vbi Troia, vt ille aiebat, fuerat, hoc est vbi Hierosolymorum vrbs steterat, ac ideò inter sese colloqui, & interrogare, Qua de causa tã celebris vrbs vastata sit? ac respondere sibi mutuò, ac dicere, Quia dereliquerũt, &c. Quid autem sit deserere vel violare fœdus Domini, exponit per consequentia, Adorarunt deos alienos, & seruierunt eis. Hoc ipsum hodie habetur pro cultu Dei, quo se multũ coràm Deo mereri stultè opinantur multi. Dominus concedat omnibus nobis, vt firmiter in fœdere Dei persistamus. Amen. *Causa vastationis gentium.*

Proponit vates infelix exemplum fratris Regi, & accusat iniustitiam & luxum in ædificando eiusdem.

CONCIO LXXVI.

Ne defleatis mortuum, neque lugeatis propter eum, sed impense flete super abeunte: quia non reuertetur vltra, vt videat natale solum suum. Quoniam sic dicit Dominus de Sallum filio Iosiæ rege Iuda, regnante pro Iosia patre suo, Qui egressus est de loco isto, vltra huc non reuertetur, sed in eo loco, quo eum captiuum abduxerunt, morietur, & terram hanc vltra non videbit. Væ ædificanti domum suam, non cum iustitia, & cœnacula sua absq; iudicio: qui proximum suum seruire facit gratis, & opus suum ei non reddit: qui dicit, Extruam mihi domum spacioſam, & cœnacula ventis peruia: excindit sibi fenestras, tabulatum (parat) ex cedris, & pingit minio. Num regnaturum te putas,

quòd cum cedris contendis? An non & pater tuus edit & bibit, & exequutus est iudicium & iustitiam, & bene erat illi tunc? Iudicauit causam pauperis & egeni, & bene habebat. An non hoc erat nosse me, dicit Dominus? Oculi verò tui & cor tuum non (respiciunt) nisi commodum tuum, & vt effundas sanguinem innocentem, atq; inferas iniuriam & oppressionem.

Exemplum infelix Sellum.

PRoponit propheta Ieremias regi Ioachimo exemplum fraternum infelix, quo terreat ipsum, & ad pœnitentiam reducat. Nam frater Ioachimi Ioachaz Sellum & ipse peccarat contra Dominum, faciendo quæ displicuerunt Domino, nimirum reformationem paternam deformando. Dominus ergo non felicitauit eius regnum, sed tradidit eum in manus Nechao Pharaonis Ægyptij regis, qui & captiuum abduxit in Ægyptum. Sicut tradit historia sacra 4. Regum 23. & 2. Paral. 36. Amplificat ergo huius Sellum miseriam à comparatis, vetans mortuos deflere, Iosiam inquam & Iohannam, ac reliquos nuper in acie cæsos à Nechaone. Vtcunq; enim miserabilis sit ipsorũ casus, calamitosiores tamen multò esse res Ioachaz: quippe cum mortui, in acie cadentes, agmina malorum effugerint, & concesserint in quietem, Ioachaz verò abductus sit in captiuitatem Ægyptiam, nunquam ex ea eluctaturus, nunquam rediturus in patriam, sed moriturus in vinculis & contemptu atq; in miseria extrema. Principiò itaq; obscurius hoc proponit: deinde verò significantius & nominatim, de quo loquatur exprimit, Sellum nominans. Neq; dubium est, quin hac calamitate fratris regem voluerit sapientiorem reddere propheta. Quasi dixerit, Ingens est calamitas fratris, sed in hanc peruenit suis peccatis, quòd videlicet idololatriam & falsum Dei cultum restituit, iudicium verò & iustitiam neglexit. Si ergo volueris effugere hanc, vel similem miseriam, vide vt restituas Dei cultum, iudicium & iustitiam. Videmus autem in hoc exemplo quàm grauiter ira Dei animaduertat in idololatras & iniustos principes. Discunt item æquanimius ferre mortem suorum, qui nõnunquam excedunt lugendi modum. Cogitent mortuos iam versari in gaudio inter cœlites, liberatos verò esse innumeris malis, effugisse denicq; captiuitatem, quam hodie videmus multos abripere, qui nihil tale cogitarunt vnquam. Quot obsecro vidimus & audiuimus, annis iam 30. circiter, grauibus hisce bellis attritos, & à Turcis in captiuitatem grauissimam esse abductos? Quantò verò leuius fers si chari tui homines hinc in quiete excedant, si tu eis claudas oculos, & sepelias, quàm si abducantur non modò nunquam rediturí, & à te separati perpetuò, sed grauissima insuper captiuitate ad mortem vsque excruciandi?

Luctus sit moderatus.

Contra insana & nimis sumptuosa ædificia

Pergit propheta accusare Regis iniusta & insana ædificia: quinimò describit monstrum ex multis contextum sceleribus, quod & grauissimè exagitat atque increpat. Ædificare quidem per se non est peccatum, modò non ex rapina, neq; cum iniuria, neque ad luxum, & præter modum citraq; decorum ædifices. Meminisse quemlibet oportet quid se deceat, quid tempus & locus ferant. Et iusta quidem moderataq; & vtilia ac necessaria ædificia, cùm priuata, tum publica laudem suam habent. Proinde vituperat in præsenti propheta iniuriam, luxum atque insaniam regis in ædificando. Ac primum quidem in genere cũ acri & horrenda exclamatione dicit, **Væ ædificanti** domũ suam, &c. Id quod in primis de rege intelligendum est, **præterea** etiam de omnibus omnium temporum ædificia construentibus. Deinde exponit ipse propheta, quomodo citra aut contra iudicium & iustitiam ædificetur, Qui vtitur, dicens, seruitio proximi sui gratis: vel, Qui proximum suum gratis seruire aut operari facit. Erant regibus sua tributa & seruitia decreta, quibus vti liberè poterant; non debuerunt autem

Vitia ædificantium.

populum

populum onerare nouis subinde intolerandisq; exactionibus & seruitijs. At hic peccabat rex Ioachim, vtens opera vulgi pro sua libidine & quidem plus quàm esset concessum, prætereagratis, nihil eis rependens præmij. Cogebantur enim suis impensis adesse regijs ædificijs. Ita verò exercuerunt quondam reges Ægyptiorum Pharaones populum Dei, sicut docet sacra historia Exodi 1. & 5. cap. Abutuntur eodem modo multi magistratus & nobiles suis subditis. Non damno quidem omnia seruitia, quibus adhibentur iure & ex pacto: reprehendo immoderatam duntaxat illam & tyrannicam exercitationem. Nec emphasi caret quod dicit, Proximo suo gratis abutens. Licet enim rex sis ac nobilis, nihilominus subditus ille tuus, siue opifex sit, siue rusticus, tuus ille tibi à Deo commendatus, proximus est & manet, ac debes tu illi dilectionem, denicq; vt ita cum ipso agas, qualiter tecum agi velles, si eius loco esses.

Negare mercenario mercedem.

Est & aliud iniustitiæ genus, quod in ædificando admittebatur à regè tunc, & nunc quoque designatur non à regibus tantùm, sed à vulgaribus quoque hominibus. Id est operas facientibus, vel mercenarijs mercedem non dare, vel nimium differre, vel iniquè & cũ contumelia reddere. Atqui grauissimum est hoc scelus, in cœlum pro vindicta clamitans. De quo alîas dictum est, ac scribitur Deut. 24. & Iacob. 5. Quisquis felicitatem amas, caue tibi sedulò ab hoc scelere, propter quod maledictio Dei & ædificium ipsum, totamq; domum tuam occupat atque adobruit.

Luxus ædificiorum.

Iam etiam luxus ædificiorum vituperatur. Inducit autem regem & quemlibet magna molientem ædificia, dicentem, Extruam mihi domum spacioſam vel amplam. Hebræi vocant domum mensurarum, quibus & mensurarum corpus, vastum appellatur corpus. Ædificia verò commendantur, quæ intra modum consistunt, & sufficiunt excipiendis nostris defendendisq; ab iniuria cœli hominibus. Quorsum verò attinet tam spacioſas extruere domus, in quibus vasta ædificia præter admirationem nullum habent vsum vtilem? Additur, Et cœnacula ventis peruia. Alij legunt refrigerantia, alij spacioſa. Quid si dicas perflatilia? In hunc enim vsum multæ excinduntur & aperiuntur feneſtræ, vt admittant auram. Qua in re iterum reprehenditur luxus & mollities: commoditas salubritasq; ædificiorum non damnatur. Sequitur aliud item vitium, Ac facit tabulatum ex cedrinis tabulis. Vel, Facit laquearia arcuata ex cedro. Welbt die gemach mit edlem holtz. Vel incruſtat (täfelet) parietes nobiliſsimo ligno. Nihil hic mediocre vel moderatum. Sculpunt multi magno pretio, neſcio quas effigies in tabulas istas nobiles & precioſas. His verò omnibus superaddi-tur & pictura exquisita & precioſa. Propheta minium (vel sinopedem, de quo Plinius in 35. cap.) posuit pro omnib. coloribus, adeoq; pro pictura artificioſa: speciem pro genere. Mirum autem non est, si hæc hodie quoque videantur in regum & principum aulis, cum in sæculo viuamus alioqui corruptiſsimo: quis verò non miretur & etiam execretur, quòd ipsi abbates & monachi, ac episcopi, patres, si dijs placet, spirituales, hoc in luxu, sæculares, vt vocant, principes, vincunt, & longè quidem vincunt, picturasq; fieri curant, quæ non modò spirituales non sunt, sed ne carnales quidem, sed turpius quiddam? Quis hinc non colligat quid aliquando sit futurum? Quid quod vulgares homines hic quoque semetipſos perdunt?

Regna non retinentur vel ſtabiliuntur luxu.

Porrò per Apostrophen ad Regem conuerſus, rogat an ideò se regnaturum putet, quòd contendat cum cedris, id est superare velit ædificiorum splendore maiores suos? Alij legunt, Num ideò regnabis, quòd immiſces te cedris, id est inhabitas palatia cedrina, sumptuoſiſsima inquã. Quasi dicat, neq; ædificijs splendidis & sumptuoſis, neq; quòd superas longè veterum vel auorum ædificia, re-

gnum tibi parabis ſtabile & diuturnum : ſed humilitate magis, moderatione & obſeruatione iuris & iuſtitiæ. Adhæc exemplo maiorum, Ioſiæ inquam, Dauidis & aliorum ſanctorum regum, per collationem adhibito, oſtẽdit regi, ipſum peccare grauiter, vt pote qui præcipuum iſtud nõ faciat, propter quod regibus multa ſunt conceſſa ſupra ſortem vulgarium hominum. Bibunt enim & epulantur ſplendidius reges, habitant commodius & magnificentius cæteris hominibus, veſtiuntur quoq; elegantius, deniq; venerantur ab hominibus. Cernuntur hæc in hiſtoria Dauidis & Berzellai. 2. Samuelis 19. cap. Sed quare hoc fit obſecro, aut quare hæc conceſſa ſunt principibus à Domino, quæ ſi etiam vſurpentur à diuitibus & vulgaribus dedecent? Quia miniſtri Dei ſunt, in hoc ordinati à Deo vt iudicium & iuſtitiam exequantur, ac deinde commoda & dignitates iſtas, ceu beneficiorum publicorum, publica præmia recipiant. Potiſſima ergo cura vel ſolicitudo principum eſſe debet, ne quid vel negligatur, vel pereat iuris & iuſtitiæ. Hæc ſi iuſta ſit & feruens, nihil peribit de præmijs. Iam ergo dicit prophe-

Quare ſplendor à Deo regibus conceſſus.

ta, An non & pater tuus edit & bibit? &c. Vſus quidem eſt epulis dapibúsque regalibus, inhabitauit palatia regia, &c. ſed hæc non reſpexit in primis & veluti ſola aut potiora: ſed potior illi cura fuit de exequenda iuſtitia publica. Iudicauit enim pauperis & egeni cauſam. Vnde benedictionem omnimodam accepit à Domino. Felix enim erat in omnibus. Hoc exemplum paternum imitari oportuerat, ſi felix eſſe volueras, ô rex, & beatum pacatumq; obtinere regnum.

Obſeruatio iuſtitiæ vera Dei cognitio.

Hic iam interiecto Epiphonemate, commendat patrum exemplum, vel iuſtitiam & pietatem, & per exclamationem, per interrogationẽ figuratam dicit, An non hoc erat noſſe me, dicit Dominus? Erat vtique & eſſet hodie adhuc, ſi imitareris exemplum parentum tuorum Dauidis, Ioſaphat, Ezechiæ ac Ioſiæ. Germanicè diceremus, Jch mein das heiſſe Gott kendt vnd geeret. Sed & apoſtolus Paulus requirit, vt ſi Deum verè & ex animo cognouimus, factis ſanctis hanc noſtram cognitionem prodamus. Dicit enim, Dicũt ſe Deum nouiſſe, factis autem negant. Titum 1.

Icon tyrãnici principis.

Cæterùm ex oppoſito iã exponit quàm diſpar ſit rex Ioachim maioribus ſuis, quantisq; fœteat ſcateatq; ſceleribus. Porrò oculi tui, inquit, nihil reſpiciunt, niſi emolumentum vel auaritiam. Patres tui longè aliud ſpectarunt, iudicium inquã & iuſtitiam, adde quòd liberales erãt: tu auarus es, iniuſtus, & ſordidus. Patres tui pepercerunt ſanguini, & curarunt ne effunderetur ſanguis innoxius, tu verò effundis ſanguinem innoxium eorum qui non probant ſuperſtitionem, impietatem & crudelitatem tuam, & c. Patres tui ſubleuarunt oppreſſos, & multa & magna beneficia contulerunt hominibus: tu verò opprimis ipſe miſeros, oppreſſos non aſſeris, & diuexas miſerè ac truculenter, quos iuuare debueras. Habemus autem in hoc principe imaginem principum tyrannorum. A quibus conſerua ac libera nos Domine.

Prædicit fata vel miſerum exitum regi Ioachim, filio eius Iechoniæ, & reginæ, principibus, deniq; & populo. Abducendos enim vnà omnes in Babylonem.

CONCIO LXXVII.

Iccirco ſic dicit Dominus de Ioachim filio Ioſiæ rege Iuda, Non plangent eum, Eheu frater, eheu ſoror, non plangent eum, Eheu Domine, heu inclyte. Sepultura aſini ſepelietur, lacerus & proiectus extra portas Hieruſalem. Aſcende Libanum & clama, in Baſan quoq; da vocẽ tuam, clama ab Abarim: quo-

rim: quoniam contriti ſunt omnes amatores tui. Loquutus ſum ad te rebus tuis adhuc integris: at tu dixiſti, Non audiam. Hæc fuit conſuetudo tua à puritia tua, vt non audires vocem meam. Omnes paſtores tuos ventus paſcet, & amatores tui in captiuitatem abibunt: & tunc erubeſces & pudefies ob omnem malitiam tuam. Sediſti in Libano, nidum poſuiſti in cedris, quàm grata (formoſa) eris cum venerint tibi dolores & anguſtiæ, inſtar parturientis? Viuo ego, dicit Dominus, etiam ſi fuerit Chonenias filius Ioachim regis Iuda, annulus ſignatorius in manu mea dextera, tamen iſthinc auellam te, tradamq́; in manum quærentium animam tuam, & in manum eorum, quorum conſpectum formidas, atque in manum Nabuchodonoſoris regis Babylonij, & in manum Chaldæorum. Et tranſportabo te & matrem tuam, quæ te genuit in terram aliam, in qua non eſtis nati, & iſthic moriemini: & in terram iſtam, ad quam ipſi animam ſuam attollunt, vt iſthuc redeant, non redibunt. Nunquid ſculptile contemptum & laceratum eſt vir iſte Chonenias, aut vas aliquod quod nemo deſiderat? Quàm abiecti ſunt tam ipſe quàm ſemen eius, & proiecti in terram quam non cognouerunt? O terra, terra, terra, audi verbum Domini, Sic dixit Dominus, Scribite virum iſtum abdicatum, qui nihil proſperè aget in diebus ſuis. Quoniam nullus de ſemine eius proſperabitur, vt ſedeat in ſolio Dauidis, & regnet poſthac in Iuda.

EXpoſuit ſuperioribus peccata regis & aulæ, ſubiungit conſequenter, pro more ſuo, commerita & iuſta ſupplicia. Exponit enim copioſè quid euenturum ſit ipſi Regi Ioachimo, quid filio regis Iechoniæ, quid item Reginæ, matri Iechoniæ, quid denique principibus & populo. Vaticinium eſt alioqui durum & acerbum, ſed iuſtum tamen, & commune omnibus idololatris & iniuſtis tyrannisq́; principibus, ac etiam impijs populis. Principiò autem dicit Ioachimum regem non tantùm captiuum ex patrio abducendum regno, ſed moriturum in itinere, proijciendum feris, cariturumq́; planctu & ſepultura. Id verò ſic completum eſſe exponit hiſtoriâ ſacra 2. Paral 36. Venit enim Nabuch. Hieroſolymas, & vinctum catenis regem abduxit. Solent autem homines huius ſæculi, & principes in primis, permultum curare magnicq́ facere, ſicut in Herode magno etiam apparet, luctum ingentem, exequias inſtructas, & ſepulturam nobilem ac ſumptuoſam. Cæterùm iſtis omnibus cariturum dicit Regem: id quod ſi credidiſſet, haud dubiè animum eius perculiſſet grauiſsimè. Sed impius, quod dici ſolet, non ſapit, niſi dum demerſus in profundum, dolet ſe non vidiſſe quod liquidò vidit. Imitando autem exprimit lugentium voces querulas ac eiulatum, Eheu frater, &c. Ita enim ſolebant plangere, & ad plangendum alios excitare. Cum Nero Cæſar ſibi quoq́ nephariam intuliſſet manum, vrbi nullum luctum, ſed publicum reliquit gaudium. Nemo conquerebatur è medio ſublatum, inclytum, nobilem & beneficum principem. Omnes gaudebant ſe liberatos eſſe à fera belua. Ac poſtremum hoc vertunt alij, Heu inclyte. Alij, Heu gloria eius. Alij, magnificentiam reponunt pro gloria. Germanicè reddi poterat, Ach deß edlen fürſten oder herren. Hieronymus verò exponens quid ſit aſinina ſepeliri ſepultura, ait, Pulchrè dicit ſepultura aſini eum ſepeliendum, vt alijs verbis ſignificet, inſepultum, hoc eſt à beſtijs auibusq́ lacerandum. Hæc eſt enim aſini ſepultura. Sed quid Hieronymum producimus interpretem, cum ipſe ſe Ieremias exponat atque dicat? Lacerus (alij verterunt putridus) & proiectus extra portas Hieroſolymorum. Nimirum quod ex vrbe abductus in itinere mortuus, & feris proiectus, à quibus & raptatus & laceratus eſt. Alij non diuerſo ſenſu reddiderunt, Protrahetur & proijcietur. Æquiſsimum autem fuit, vt ille pala-

Ioachim captiuus abductus.

Aſini ſepultura.

gnum tibi parabis ſtabile & diuturnum : ſed humilitate magis, moderatione & obſeruatione iuris & iuſtitiæ. Adhæc exemplo maiorum, Ioſiæ inquam, Dauidis & aliorum ſanctorum regum, per collationem adhibito, oſtẽdit regi, ipſum peccare grauiter, vt pote qui præcipuum iſtud nõ faciat, propter quod regibus multa ſunt conceſſa ſupra ſortem vulgarium hominum. Bibunt enim & epulantur ſplendidius reges, habitant commodius & magnificentius cæteris hominibus, veſtiuntur quoq; elegantius, deniq; venerantur ab hominibus. Cernuntur hæc in hiſtoria Dauidis & Berzellai. 2. Samuelis 19. cap. Sed quare hoc fit obſecro, aut quare hæc conceſſa ſunt principibus à Domino, quæ ſi etiam vſurpentur à diuitibus & vulgaribus dedecent? Quia miniſtri Dei ſunt, in hoc ordinati à Deo vt iudicium & iuſtitiam exequantur, ac deinde commoda & dignitates iſtas, ceu beneficiorum publicorum, publica præmia recipiant. Potiſſima ergo cura vel ſolicitudo principum eſſe debet, ne quid vel negligatur, vel pereat iuris & iuſtitiæ. Hæc ſi iuſta ſit & feruens, nihil peribit de præmijs. Iam ergo dicit propheta, An non & pater tuus edit & bibit? &c. Vſus quidem eſt epulis dapibúsque regalibus, inhabitauit palatia regia, &c. ſed hæc non reſpexit in primis & veluti ſola aut potiora: ſed potior illi cura fuit de exequenda iuſtitia publica. Iudicauit enim pauperis & egeni cauſam. Vnde benedictionem omnimodam accepit à Domino. Felix enim erat in omnibus. Hoc exemplum paternum imitari oportuerat, ſi felix eſſe volueras, ô rex, & beatum pacatumq; obtinere regnum.

Quæ ſplendor à Deo regibus conceſſus.

Obſeruatio iuſtitiæ vera Dei cognitio.

Hic iam interiecto Epiphonemate, commendat patrum exemplum vel iuſtitiam & pietatem, & per exclamationem, per interrogationẽ figuratam dicit, An non hoc erat noſſe me, dicit Dominus? Erat vtique & eſſet hodie adhuc, ſi imitareris exemplum parentum tuorum Dauidis, Ioſaphat, Ezechiæ ac Ioſiæ. Germanicè diceremus, Jch mein das heiſſe Gott kendt vnd geeret. Sed & apoſtolus Paulus requirit, vt ſi Deum verè & ex animo cognouimus, factis ſanctis hanc noſtram cognitionem prodamus. Dicit enim, Dicũt ſe Deum nouiſſe, factis autem negant. Titum 1.

Icon tyrãnici principis.

Cæterùm ex oppoſito iã exponit quàm diſpar ſit rex Ioachim maioribus ſuis, quantiſq; fœteat ſcateatq; ſceleribus. Porrò oculi tui, inquit, nihil reſpiciunt, niſi emolumentum vel auaritiam. Patres tui longè aliud ſpectarunt, iudicium inquã & iuſtitiam, adde quòd liberales erãt: tu auarus es, iniuſtus, & ſordidus. Patres tui pepercerunt ſanguini, & curarunt ne effunderetur ſanguis innoxius, tu verò effundis ſanguinem innoxium eorum qui non probant ſuperſtitionem, impietatem & crudelitatem tuam, & c. Patres tui ſubleuarunt oppreſſos, & multa & magna beneficia contulerunt hominibus: tu verò opprimis ipſe miſeros, oppreſſos non aſſeris, & diuexas miſerè ac truculenter, quos iuuare debueras. Habemus autem in hoc principe imaginem principum tyrannorum. A quibus conſerua ac libera nos Domine.

Prædicit fata vel miſerum exitum regi Ioachim, filio eius Iechoniæ, & reginæ, principibus, deniq; & populo. Abducendos enim vnà omnes in Babylonem.

CONCIO LXXVII.

Iccirco ſic dicit Dominus de Ioachim filio Ioſiæ rege Iuda, Non plangent eum, Eheu frater, eheu ſoror, non plangent eum, Eheu Domine, heu inclyte. Sepultura aſini ſepelietur, lacerus & proiectus extra portas Hieruſalem. Aſcende Libanum & clama, in Baſan quoq; da vocẽ tuam, clama ab Abarim: quo-

rim: quoniam contriti ſunt omnes amatores tui. Loquutus ſum ad te rebus tuis adhuc integris: at tu dixiſti, Non audiam. Hæc fuit conſuetudo tua à puericia tua, vt non audires vocem meam. Omnes paſtores tuos ventus paſcet, & amatores tui in captiuitatem abibunt: & tunc erubeſces & pudefies ob omnem malitiam tuam. Sediſti in Libano, nidum poſuiſti in cedris, quàm grata (formoſa) eris cum venerint tibi dolores & anguſtiæ, inſtar parturientis? Viuo ego, dicit Dominus, etiam ſi fuerit Chonenias filius Ioachim regis Iuda, annulus ſignatorius in manu mea dextera, tamen iſthinc auellam te, tradamq; in manum quærentium animam tuam, & in manum eorum, quorum conſpectum formidas, atque in manum Nabuchodonoſoris regis Babylonij, & in manum Chaldæorum. Et tranſportabo te & matrem tuam, quæ te genuit in terram aliam, in qua non eſtis nati, & iſthic moriemini: & in terram iſtam, ad quam ipſi animam ſuam attollunt, vt iſthuc redeant, non redibunt. Nunquid ſculptile, contemptum & laceratum eſt vir iſte Chonenias, aut vas aliquod quod nemo deſiderat? Quàm abiecti ſunt tam ipſe quàm ſemen eius, & proiecti in terram quam non cognouerunt? O terra, terra, terra, audi verbum Domini, Sic dixit Dominus, Scribite virum iſtum abdicatum, qui nihil proſperè aget in diebus ſuis. Quoniam nullus de ſemine eius proſperabitur, vt ſedeat in ſolio Dauidis, & regnet poſthac in Iuda.

EXpoſuit ſuperioribus peccata regis & aulæ, ſubiungit conſequenter, pro more ſuo, commerita & iuſta ſupplicia. Exponit enim copioſè quid euenturum ſit ipſi Regi Ioachimo, quid filio regis Iechoniæ, quid item Reginæ matri Iechoniæ, quid denique principibus & populo. Vaticinium eſt alioqui durum & acerbum, ſed iuſtum tamen, & commune omnibus idololatris & iniuſtis tyrannicisq; principibus, ac etiam impijs populis. Principiò autem dicit Ioachimum regem non tantùm captiu[illegible] ex patrio abducendum regno, ſed moriturum in itinere, proijciendum feris, carituramq; planctu & ſepultura. Id verò ſic completum eſſe exponit hiſtoria ſacra 2. Paral 36. Venit enim Nabuch. Hieroſolymas, & vinctum catenis regem abduxit. Solent autem homines huius ſæculi, & principes in primis, permultum curare magnicq; facere, ſicut in Herode magno etiam apparet, luctum ingentem, exequias inſtructas, & ſepulturam nobilem ac ſumptuoſam. Cæterùm iſtis omnibus carituram dicit Regem: id quod ſi credidiſſet, haud dubiè animum eius perculiſſet grauiſsimè. Sed impius, quod dici ſolet, non ſapit, niſi dum demerſus in profundum, dolet ſe non vidiſſe quod liquidò vidit. Imitando autem exprimit lugentium voces querulas ac eiulatum, Eheu frater, &c. Ita enim ſolebant plangere, & ad plangendum alios excitare. Cum Nero Cæſar ſibi quoq; nephariam intuliſſet manum, vrbi nullum luctum, ſed publicum reliquit gaudium. Nemo conquerebatur è medio ſublatum, inclytum, nobilem & beneficum principem. Omnes gaudebant ſe liberatos eſſe à fera belua. Ac poſtremum hoc vertunt alij, Heu inclyte. Alij, Heu gloria eius. Alij, magnificentiam reponunt pro gloria. Germanicè reddi poterat, Ach deß edlen fiirſten oder herren. Hieronymus verò exponens quid ſit aſinina ſepeliri ſepultura, ait, Pulchrè dicit ſepultura aſini eum ſepeliendum, vt alijs verbis ſignificet, inſepultum, hoc eſt à beſtijs auibusq; lacerandum. Hæc eſt enim aſini ſepultura. Sed quid Hieronymum producimus interpretem, cum ipſe ſe Ieremias exponat atque dicat? Lacerus (alij verterunt putridus) & proiectus extra portas Hieroſolymorum. Nimirum quod ex vrbe abductus in itinere mortuus, & feris proiectus, à quibus & raptatus & laceratus eſt. Alij non diuerſo ſenſu reddiderunt, Protrahetur & proijcietur. Æquiſsimum autem fuit, vt ille pala-

Ioachim captiuus abductus.

Aſini ſepultura.

tia ſua ſanguine fabrefacta, & malis parata artibus, non inhabitaret, ſed ex his extraheretur, præterea luctu careret, qui multis fuit occaſio & author amariſſimi luctus, denique qui multos ſuis etiam eiecerat poſſeſſionibus. Timeamus hoc Dei iudicium ſeuerum, & ſtudeamus ſemper iuſtitiæ & æquitati. De ſepultura dixi paulò copioſius capite huius operis 8.

Impios nil iuuant ſupplicationes.

Porrò oſtendit in malis tantis nullum alicunde affulſurum auxilium, imò illos ſpe ſua turpiter fruſtrandos. Nam ſperabant ex dijs & cultibus ſuis auxiliũ. Ergo iubet illos facere quod facturos ſciebat, aſcendere videlicet in excelſa illa ſua, ad phana, & ſupplicare dijs clamoribus quàm validiſsimis. Hic verò ſarciendum eſt, quod ſenſui deeſſe videtur, Sed huiuſmodi clamoribus nihil proficies. Quare obſecro? Quoniam omnes amatores tui contriti ſunt. Scimus autem prophetas appellare amatores, quos amaſios, & Germanicè bůlen nuncupamus, ac intelligere deos alienos. Nam idololatriam & illegitimum Dei vel deorum cultum appellat ſacra ſcriptura fornicationem & adulterium. De qua re dictum eſt aliâs in hoc opere. S. Hieronymus hæc intelligit de fœderatis Iudæorum Ægyptijs, quibus inaniter confiſi ſint. Diſcimus hinc neq; ſupplicationes, neq; maximorum regum ſocietates erepturas nos ex impendentibus propter deſtinatam impietatem malis. Variè verò conuerterunt interpretes מעברים Meabarim. Alij enim verterunt, Ab Abarim, vt ſit loci nomen, ſicuti Libanus & Baſan. Septuaginta Theodotioq; verterunt, Trans mare. Symmachus, De contra. Alij, Clama ad tranſeuntes. Alij, Clama ad transfluuianos. Alij, Clama à lateribus. Alij, Clama vndiq;. Senſus tamen in idem recidit. Significatur enim nullam ex vllo loco lucem affulſuram: omnes eorum conatus, quibus ſe volebant ex miſeria extricare, fruſtraneos fore.

Nolle audire verbum Dei, cauſa omnium malorum.

Ac nunc etiam cauſam mali tanti intertexens repetit, & dicit, Maturè ſaluis integrisq; rebus tuis te admonui per prophetas, ſicuti & 36. cap. 2. Paralipomenon dicitur, vt ageres pœnitentiam, & temetipſum eriperes ex malis vndique impendentibus: tu verò ſemper obtinuiſti antiquum & proprium tuum, ceruicem videlicet induratam, quam huic genti & ipſe Moſes Deuteron. 32. & beatus martyr Stephanus in Actis apoſtolicis tribuunt. Inobedientia ergo & contumax rebellio, qua annunciato verbo Dei contradicimus, & nos obedire nolle proteſtamur, illud grande peccatum eſt, quod inducit tandem omnis generis calamitates, exilium, clades, captiuitatem, excidium & extremam perniciem. Hæc, inquit, fuit via vel conſuetudo tua (דרכך) à pueritia tua, nimirum perpetua, quam nunquam depoſuiſti, ſemper profitens te velle pro tuo arbitrio, non ex præſcripto prophetarum vel pfafforum viuere. Quàm verò vulgare eſt hodie hoc peccatum? Quod à multis pro peccato non agnoſcitur, audentibus inſuper excuſare rebellionem per blaſphemiam, dum ideò ſe parere nolle aſſerunt, quòd doctrina propoſita ſit ex profeſſo corruptiſsima, neoterica, nequiſsima, ſchiſmatica & hæretica. Viuemus ergo, inquiunt, ex more patrum, &c. Sed videmus interim & præſentem ac grauem Dei manum atterere impietatem hanc, atq; teſtari, nihil ſibi impenſius probari quàm ſimplicem obedientiam, qua homines ſe verbo Dei ſubijciunt. Legatur hiſtoria Saulis & Samuelis 1. Sam. 15.

Principes quoque abducẽdi.

Porrò principes quoq; in captiuitatem abſtrahendos prædicit ob ſuperiorem maximè cauſam. Nam paſtores appellantur, qui veluti gregem, ipſum inquam populum ducunt, atq; gubernant. Hi debuerant verbo Dei & iuſtitia paſcere gregem ſibi creditum: ſed paſcebant vento & rebus nihili. Digni ergo erãt qui viciſcim paſcerentur vento, id eſt, omni ſpe ſua fruſtrarentur, certoq; perirent. Eſt enim prouerbialis loquutio. Sperabant autem ſingulariter in idola.

At præ-

Atq; prædicit signa Deorum, adeoq; ipsos Deos, amasios illos stultorum, etiam abducendos in captiuitatem, tantum abesse vt liberare possint à vinculis aut captiuitate. His iam infert, Cum ergo sic omni spe exclusus, experieris rebus nihili te confisum esse, tunc inquam erubesces & pudefies (wirst zů schand vnnd zů spot werden) atque ita puniet in te Deus incurabilem tuam malitiam.

Atq; hic iterum obijcit illis luxum, molliciem, superbiam, securitatemq; pernicioſam, & stultam in loca munitiora fiduciam, quæ nihil profutura dicit. Existimas, inquit, te tutam vel securam sedere, ac conquiescere in Libano, in montosa videlicet terra hac. Nidificasti incedris, vel inhabitas ædes splendidas, & es mollicula, superba, & luxu perdita, ac omnino præclaram ac formosam nunc te esse putas. Sed quàm obsecro eris gratiosa, quàm ornata, nitida, & elegans, cum inopinata calamitas te reddet deformissimam? Adducit enim parabolam mulieris formosæ, quæ doloribus adobruta parturientium pallet, & miserabili est aspectu, neq; vllo modo dolores aut declinare potest, aut subterfugere. Frequentissima est hæc parabola prophetis: vsurpata etiam ab Apostolo 1. Thessal. 5. Ita verò, inquit, & tibi vsuueniet, quæ nunc mirum in modum tibi places. Ita verò desinet tandem omnis superbia, mollicies, luxus & securitas in miserabilem exitum, vnde tibi non licebit eluctari. Cogita hæc maturè, & caue tibi quisquis tibi benè consultum cupis, alienaq; stultitia benè & vtiliter vtere. Interpretes variè reddiderunt, Quàm grata eris? Alij etiam legunt, Quam inuenies gratiam? Alij, Quomodo congemuisti? Alij, Quàm grata futura es Deo? Lutherus vertit, Wie ſchön wirſt du ſåhen? Sensus interim obscurus aut dubius non est. Nunc totus es in ornanda tua superbia & illustranda forma: sed aderit tempus, quo ista omnia in contrarium mutabuntur, succedétque deformitas & extrema miseria.

Superbia et luxuria taxatur.

Pergit consequenter subijcere fata Iechoniæ filij Ioachimi. Et primùm quidem hunc in captiuitatem abducendum dicit. Deinde adijcit etiam matrem fore abducendam. Postremò ostendit grauissimam futuram eius captiuitatem, ac desituram in ipso regiam maiestatem. Et hæc omnia copiosissimè & artificiosissimè exponit: vt ex his omnibus colligamus, quã sit calamitosum & exitio obnoxium, non parêre verbo Dei per prophetas nobis annunciato. Iurat Deus per vitam suam, adeoq; per semetipsum, quò minus vllus supersit vllæ dubitationi locus, quin potius credant omnes, ne iota quidem casurum in terram de his infortunijs quæ annunciantur principi & suis. Ac historia testatur reuera ne apicem quidem perijsse, sed ad amussim hæc omnia fuisse completa. Nam iniurato Deo nedum iurato sine dubitatione semper est credendum. Chonenias vel Chonias verò appellatur is qui erat Iechonias, ablato Iod. Arbitrantur interpretes hoc fieri per cõtemptum: perinde ac si tu Chonradum appelles Chůny/ Albertum Bårtschi. Sed perinde est. Significat certè vocabulum ipsum rectitudinem & firmitatem, &c. Quòd autem difficillius credebant Reges Iuda se abducendos & abdicandos, illud maxime in causa erat, quòd existimarent firmam fore promissionem Dei factam Dauidi, fore vt semper sedeat in throno Dauidis, filius Dauidis. At in præsentiarum dicit Dominus, Et si tu Iechonia sis mihi instar signatorij annuli in pollice vel digito dexteræ meæ manus, inde tamen abstraham vel euellam te, & dabo te in manum Babyloniorum. Non quorumlibet erat quondam (vt modò fit consuetudine praua & vituperanda) annulos gerere in manibus, sed eorum duntaxat, qui vel virtutibus meruissent, vel viri essent proceres, qui ex officio vel magistratu, obsignabant conuenta atq; pacta. Adhibetur ergo vsus annulorum ad obsignandam fidem eorum, quibus imprimuntur. Sicut autem reges Iuda Neri luminaria dicti sunt, ita etiam annuli signato-

Iechoniæ captiuitas.

Annulus signatorius.

rij. Dominus enim ſemper ſeruauit aliquos ex illa ſtirpe Dauidis lucernarios, ex quibus ſuo tempore excitaret illud magnum mundi lumen, quod illuminat omnem hominem veniendo in mundum. Ad eundem modum ſeruauit ſemper aliquos ex tribu Iuda, & domo Dauidis, per quos ceu ſignatorios annulos confirmaret promiſſionem veritatis ſuæ. Dum enim ſuperfuit ſemen Dauidis, conſtare potuit ex eo excitandum fore aliquando Chriſtum. Ideoq; Sorobabel nepos huius Iechoniæ, filius Salathielis, filij Iechoniæ, ab Haggęo cap. 2. manifeſtè appellatur annulus ſignatorius. Horrendum verò illud eſt, quod tametſi Iechonias ille eſſet, per quem vellet Deus confirmare veritatem promiſſionis ſuę, id eſt per ipſum vellet naſci Dauidis germen, nihilominus hæc prærogatiua ipſum liberare non poſſet, quò minus in grauiſſimã abriperetur captiuitatem. Agnoſcamus ergo nec generis nobilitatem, neq; vlla externa bona nos tueri poſſe à malo, ſed ſolam fidem exerentem ſe per pœnitentiam. Copioſiſſimè verò & pluribus verbis eandem rem exponit propter amplificationem mali, & excitandum metum in animis hominum. Nam dicit, Auellam te ex dextera mea. Tradam te in poteſtatem eorum, qui inſidiantur & inhiant vitæ tuæ. Et adhuc grauius, Tradam te in poteſtatem illorum, quorum vel aſpectum formidas. Et adhuc ſignificantius, Tradam te in manum regis Nabuchodonozoris Babylonij, & in manum Chaldæorum. Potuit vtique ſi voluit vaticinium intelligere rex pater & filius. Atque ita oportet minas Dei eſſe apertas, non obſcuras, minimèque ancipites.

Abducitur in captiuitatem & regina.

Sequitur iam etiam quid futurum ſit cum Regina, vxore Ioachim, & matre Iechoniæ, Abducetur & ipſa. Quò? In terram alienam: quemadmodum vos coluiſtis Deos alienos. Amplificat & hoc malum variè. Nam dicit, In terrã, in qua non eſtis nati, eijciemini. Acerbum verò eſt eijci ex patria in ſolum peregrinum & barbarum, in primis mulieribus delicatis & aulicis. Et in hac moriemini. Ac ne ſperarent ſe redituros, Non redibitis, inquit, ad illam terram, ad quam attollitis oculos. Loquutio eſt, pro eo quod eſt, In quam defigitis oculos, & per metalepſim, quam vnicè, & ex toto corde deſideratis. Nam quæ impenſè concupiſcimus, in ea defigimus oculos, & vt Germanicè dicam, ſpitzend die ougen darauf. Licet ergo vertere, in das ſy von hertzen gern wärind. Rurſus vides quis in exilium eijciat, quis reuocet, & reſtituat, Deus: vt manifeſtè claret in Babylonica captiuitate. Hiſtoriam abducti in captiuitatem Iechoniæ & matris deſcribit Ieremias, in primis verò 4. Reg. 24 cap.

Grauiſſima Iechoniæ captiuitas.

Pergit miſerrimam & grauiſſimam Iechoniæ captiuitatem non modò amplificare, ſed omnium veluti oculis ingerere cõtemplandam. Agit autem per parabolas & comparationes. Lectio autem diuerſior paulò, nihil obſcurat ſenſum. Alij legunt, Nun quid ſculptile contemptum & contritum eſt vir ille? Alij, Nun quid vas fictile atq; contritum? Alij, An ſculptile contemptibile & contritum? Alij, An truncus contemptus & diſſipatus eſt vir ille? &c. Comparat captiuum regem idolo turpi, aut trunco inglorio, aut imagini ſpoliatæ. Et quidem pulchrè. Nam reges exuti regia gubernatione & regno, referunt imagines exutas ſuis ornamentis & diſſipatas. Ac decet ſanè ita fieri, vt qui in gubernando idola eſſe volunt, id eſt, neq; ius neq; iuſtitiam reddere populo volunt, externa etiam illa gloria exuantur, & fiant quod omnino eſſe volunt, idola diſſipata, mörzis bild. Alluſum interim videtur à Germanis hoc vocabulo ad Deum Mayzim. Danielis. 11. Sed & Dauid dicit de idololatris, Similes fiant eis qui faciunt ea, & qui confidunt in eis. Mox eundem comparat vaſi, quo nemo delectatur, & quod omnes repudiant & abominantur. Nos quoque dicimus ad homines omnibus exoſos, du biſt ein fygend sälig gſchirr. Ergo alij vertũt, Ad quod nemo animum habet.

habet. Alij, Inquo non est desiderium. Alij, Quod nemini placet. Rursus per exclamationem interrogatione figuratam & cum admiratione, Quàm verò abiecti sunt & proiecti in terram, quam non cognouerunt? Nec mirum est Ieremiam tantoperè exagitasse captiuitatem Iechoniæ. Nam historia sacra tradit ipsum demùm liberatum fuisse è carcere sub Euilmerodach 37. captiuitatis anno. De qua re scribit & Ieremias cap. 52. Iterum verò per exclamationem Prosopopœia figuratam, & reduplicatione succensam, O terra, inquit, terra, terra. Sic exclamauit & Isaias cap. 1. Quasi dixerit, Si homines verbum Dei audire nolunt, saltem tibi terræ Iuda annunciabo, vt tu testificeris contra populum istum, atque adeò contra ipsum regem. Post illam excitationem animorum coniungit quid velit Dominus, Sic dixit Dominus, Scribite virum istum, &c. Scribi hæc vult Dominus, ad perpetuam rei memoriam, ceu rem infallibilem, indubitatam & irreuocabilem. Quid verò scribi vult Deus? Iechoniam fore עקרה quod Aquila reddidit sterilem & non crescentem, Septuaginta & Theodotio abominabilem & abdicatum, alij orbum. Atqui orbus non fuit, qui plures suscepit ex vxore liberos, sicut claret 1. Paral. 3. Abdicatum ergo & execrabilem malim reddere. Germanicè dicere potes, verdorben vnd verstossen/ vnglückhafft. Sequitur enim expositio, quo nomine vocauerit Iechoniam abdicatum & execrabilem, seu infaustum & calamitosum, Quia non aget prosperè in rebus suis, omnibus vitæ suæ diebus. Id quod vel per Synekdochen intelligẽdum est: quòd legatur sub finem vitæ exaltatus ab Euilmerodach: vel quòd hoc nomine infelix fuerit, quòd nullus de semine eius consedit amplius in throno Dauidis, neque regia potestate vsus legitur in tribu Iuda. Fuit quidem Sorobabel nepos Iechoniæ in eminentia cõstitutus, & dux Izraelis: fuerunt & alij post ipsum è stirpe Dauidis potẽtes in populo Dei: sed nullus ipsorum regia legitur amplius vsus potestate, throno, corona & magnificentia. Paruerunt principibus Medis, Persis, Macedonicis & Romanis. In Iechonia ergo cessauit gloria & maiestas regia Dauidicæ prosapię. Nam quod quidam ex Asmoneis Corona vsus legitur, pertinebant Asmonei ad tribum Leui. Christus demùm coronam & thronũ Dauidis accepit, non tamen corporaliter & more huius sæculi, sed more longè augustiore. Qui copiosiora de his legere cupit, legat apud S. Hieronymum, & D. Ioan. Oecolamp. in Comment. ad hunc locum. Domino Deo nostro sit laus & gloria.

Iechonias abdicatus & infelix.

Accusat grauiter pastores, interminatur eis exitium, & vaticinatur de Christo & felici eius regno, pios consolans.

CAPVT XXIII.

CONCIO LXXVIII.

VAe pastoribus, qui perdunt & dispergunt gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Propterea sic dicit Dominus Deus Israelis de pastoribus, qui pascunt populum meum, vos dispersistis oues meas, & eiecistis eas, & non visitastis eas. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, dicit Dominus. Et colligam ego reliquias gregis mei ex omnibus terris, ad quas eieceram eas ad habitacula sua, & crescent & multiplicabuntur. Ego constituam super eas pastores, qui eas pascent, & non timebunt amplius, neq; terrebuntur, neq; desiderabitur aliquid ex eis, dicit Dominus. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & excitabo germen iustum Dauidi: regnabitq; rex, & prudenter vel feliciter rem geret, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus eius salua-

bitur Iuda, & Israel habitabit tutó. Et hoc nomen quo vocabunt eum, Dominus iustitia nostra. Ideò ecce dies venient, dicit Dominus, vt non dicant vltra, Viuit Dominus, qui ascendere fecit filios Israelis de terra Aegypti: sed, Viuit Dominus, qui ascendere fecit, & qui introduxit semen domus Israelis de terra Aquilonis, & de omnibus terris, ad quas expuleram eos, & habitabunt in terra sua.

Qui nam sint Pastores populi.

OMNEM Sermonis impetum profundit iam in pastores populi. Pastores autem vocantur in scripturis, denique & in gentilium literis, reges, principes, duces, magistratus, vel principum consiliarij, denique pontifices, sacerdotes & doctores, ecclesiarum ministri. In vocabulo autem est parabola & collatio allegorica. Pastorum enim est inuigilare gregi, & hunc pascere & conseruare. Ita sanè magistratus est inuigilare saluti populi, sibi à Deo crediti, & bonis æquisque legibus, ceu salubri pabulo, pascere & seruare. Doctorum est inuigilare ecclesiæ Dei, hanc pascere verbo Dei & seruare. Sicuti docetur Ezechielis 34. Pastorum est ouiculas ducere, vel dirigere ac regere, vt in pascuis pascendo maneant. Magistratus est dirigere populum in iudicio & iustitia. Doctorum verò ecclesiam Dei regere doctrina, exhortationibus & increpationibus, &c. Pastorum est visitare gregem, id est inspicere diligentemque eius in omnibus curam gerere, & sanare ægras ouiculas. Germanicè dicimus, darzů lůgen vnd sorg haben. Debent autem hoc ipsum & magistratus & doctores Dei populo. Denique pastorum est oues colligere in vnum, ac prohibere ne dissipentur. Magistratus ergo in vnitate & concordia ciues retinere iubetur, nec permittere, sicut fecit Ieroboam, vt abstrahantur ab vnico templo, & vnica ara, ad altaria & phana. Multo magis requiritur hoc à doctoribus ecclesiarum, ne locum vllum permittant aut hæresibus aut schismaticis hominibus. Pastorum est defendere gregem à feris, & cohercere petulcas oues. Hoc ipsum mandat Deus etiam magistratibus & doctoribus, vt ordo quilibet suo gladio tueatur, & coherceat populum in ecclesia. Cæterùm appellabantur sæculo Ieremiæ, Ioachim, Iechonias, Zedechias, cum pontificibus, sacerdotibus, consiliarijs & prophetis, pastores, sed nomini minimè respondebant: descendens ergo in Palatium regis Ioachimi, iubente Domino, grauiter eos omnes propter neglectum officium accusat, ac minatur eis certissimum interitum. Vehementius tamen & multò copiosius postea inuehitur in pseudoprophetas vel doctores, propterea quòd hi reges & magistratus in ordine debuerant, doctrina veritatis, retinere, & subinde ad officium faciundum inhortari. At cum hic essent negligentissimi, morbus, & corruptela totum inuasit corpus, & superauit, ita vt nullus remedio relictus esset locus. Nam à capite defluit malum omne in subiectum corpus. Vnde & Dominus ipse Iesus ac apostoli eius, longè vehementius inuecti esse leguntur in pseudodoctores, quàm in vllum alium ordinem. Est ergo dicta hæc orationis pars peculiariter in corruptum magistratum, & in prauos doctores Ieremiæ sæculo viuentes, sed interim etiam in omnium sæculorum prauos antistites regnorum, rerumpublicarum ac ecclesiarum. Vnde etiam nunc, & apud posteros, maximus eius vsus est: modò tu commodè applices & locis & temporibus personisque.

Accusantur pseudopastores.

Oues & pascua Dei sunt.

Orditur ab exclamatione dicens, Hei prophetas perditores. Vel Vę prophetis ijs qui perdunt & dispergunt, vel dissipant, vel, vt vetus interpres dixit, lacerãt gregem. Addit autem Dominus (Dominus est enim huius orationis author: id quod pro more suo iterum hic inculcat) Pascuæ meæ: & postea subdit & nuncupat populum suum: significans proprietatem, vt sic dicam, populi pertinere ad Deum, reges & sacerdotes duntaxat alienorum bonorum dispensatores esse.

Vnde

Vnde colligere potuerunt se grauissimè peccare, si alienam possessionem dissiparent. Obseruent autem hæc ecclesiarum proceres, qui ita loquuntur & se gerunt, vt videantur ecclesiam seu populũ Dei sibi vendicare ceu peculium. Cur hic non audiunt Dominum ad Petrum (cuius personam iniquè induunt) dicentem, Pasce oues meas? Meas, inquit, non tuas. Et sæpe loquens cum regibus, & principibus Dominus, populum ipsis subditum, suum vocat populum, non regum peculium. Accusat autem Ieremias duo grandia in pastoribus maleficia: prius quòd perdant gregem: posterius quòd eundem dispergant vel dissipent. Id autem variis modis fit, iniquis iudicijs, bellis beluinis, rapacitate & exactionibus, variisq; iniurijs, doctrina denique schismatica & corrupta. Mox verò plenius qua re peccent repetit, & peccatis pœnam vel supplicium subnectit. Debueratis quidem pascere gregem meum, inquit, sed hoc non facitis: sed dispergitis potius: & eijcitis, id est in culpa estis cur eijciantur in exilium: neq; visitatis, id est, nec inspicitis quibus rebus indigeant, nec vllam ouium creditarum rationem habetis. Inde iam occasionem accipit denunciandi eis propter hoc peccatum, pœnam peccati. Vos non visitastis pro officio vestro oues, visitabit ergo vos Dominus. In posteriori membro alia significatione quàm in priori vsurpat Visitandi vocabulum pro puniendi. Veluti si is qui ad supplicium ducitur, dicat, Non feci ego iustitiam: nunc ergo carnifex iustitiam in me faciet. Significantius autem dicit se visitaturum malitiam studiorum ipsorum, id est se punitu rum ipsos, propter neglectum officium & malitiam patratam. Hoc ipsum certò expectent omnes non tam magistratus, quàm ministri ecclesiarum. Etenim si ipsi non visitent inspiciántque gregem, & inuigilent eius saluti, visitabit ipsos Dominus varijs supplicijs. Et hoc vt certissimũ experiebatur Ioachim cum suis omnibus.

Peccata pastorum.

Pœna pastorũ.

Porrò paulò lætiora subtexit, saltem ad consolationem piorum. Solent enim tristibus & asperioribus læta vel meliora intertexere prophetæ, & in medijs tenebris lucem illam mundi Messiam, verum Dei filium, salutem & cõsolationem omnium fidelium, proponere. Vbi interim occurrit eorum murmuri, qui audierant nullum porrò ex posteris Iechoniæ in solio Dauidis sessurum, atq; ideò obijciebant, Si nullus in throno Dauidis sedebit, ergóne falsa sunt, quæ prædicata sunt nobis à maioribus de Messia sessuro in throno Dauidis? Nunc ergo ostendit venturum omnino Christum Dominum, tametsi interim nullus ex posteritate Iechoniæ, qui lucernarius & annulus signatorius erat, vteretur aut frueretur maiestate regia. Ita verò noster Ieremias etiam euangelista erit apparebitq; omnes patres nostros, quotquot ab ipso Adamo consolationem acceperunt, erectiq; sunt in difficultatibus suis & vixerunt, vixisse, & omnem consolationem accepisse ex vnigenito Dei filio, vero & vnico totius mundi saluatore. Sicut enim nos credimus in eum qui venit, & ex eo viuimus, & consolationem accipimus: ita maiores crediderunt in venturum, & seruati sunt per eundem.

Seruat Deus promissionem Dauidi factã.

Christus prædicatur

Sunt quidem hæc vtcunq; etiam impleta in liberatione & reditu Izraelis ex Babylone, plenius autem Christi & nostris temporibus, & implebũtur omnium plenissimè in iudicio illo vniuersali extremo: id quod aliàs quoq; diximus. Principiò recollegit reliquias Izraelis ex captiuitate Babylonica, in quam Dominus Izraelem coniecerat iusto iudicio. Sed & electos ex omnibus terris euocat Christus ad consortium vitæ ac salutis. Nam Ioan. 11. cap. legimus, Iesus moriturus erat, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Deinde ouiculas has in habitacula sua vel in caulas reduxit, in societatẽ vtiq; ecclesiæ, & tandem etiam vitæ beatæ: sicuti Ioan. 10. ipse Dominus pastor ille bonus exponit. Porrò in terris iterum in ecclesia soboleſcunt, & multiplicantur: sicuti copiosius exponitur

Restitutio Israelis.

Dominus constituit pastores super populum suum.

ab Isaia cap. 49. capitis finem. Et quidem constituit super eos quos ex Babylone reduxerat, pastores egregios, Ezram, Iosueum sacerdotem, Haggeum, Zachariam, Malachiam & alios. Postremis verò temporibus constituit apostolos veros ecclesiæ Dei pastores, quos dedit (obserua ipsum Deum dare pastores ecclesiæ suæ. Apocal. 2. 3.) in ædificationem ecclesiæ, & salutem gregis: sicut exponitur Actorum 20. & Ephes. cap. 4. Hi pauerunt verbo Dei gregem: sicut & Petrus docuit 1. Pet. 5. Horum opera factum est, vt oues nec timeant vltra, nec terreantur. Non enim timent mortem sicut antea, cum nunc sciant illã esse ianuam ad veram vitam. Non timent pericula sine consolatione & fortitudine. Non terrentur amplius spectris, & dæmonum illusionibus, & minis. Hic inquam euangelij effectus est potentiss. & saluberrimus. Accedit his quòd non visitabuntur. Sic habet Hebraica veritas, pro quo vetus interpretatio legit, Et nullus quæretur ex numero. Alij verterunt, Nec imminuentur. Alij, Non deficient. Alij, Non desiderabuntur. Sensus est, Non est quod visitentur & recenseantur, aut inspiciantur, cum omnia eorum habeant optimè, & nemo ex eis perire possit. Nam nemo electorum perit: sicut Dominus ait Ioan. 17. Ergo sicut alibi dicitur, Nemo docebit proximum suum, pro eo quod est, Omnes erunt docti à Deo: ita hic dicitur, Non visitabuntur, id est rectè habebunt, & non peribunt aut deficient, vt visitatione nihil sit opus. Ita cernis Visitandi vocabulum iterum in aliena significatione vsurpari.

Elegantiss. descriptio Christi.

Iam verò amplissimam & pulcherrimam perspicuamq; Christi & regni eius descriptionem subdit vates, cuius beneficio omnia superiora cedunt ecclesiæ: ac diserte iam explicat, Deum promissa sua Dauidi seruaturum, vtcunq; post lechoniam nemo amplius in Iuda sit regnaturus. Locus est memorabilis & obseruabilis, qui plurimùm fidem nostram confirmat. Numeratur autẽ ab omnibus, cùm Hebræorum tum Christianorum interpretibus, inter maximè illustres & minimè controuersos locos, editos de Christo. Dignus est ergo qui summa cum diligentia à nobis & explicetur, & à nobis audiatur. Christus largiatur suum hic nobis spiritum, qui illustret nos.

Certò veniet Christus.

Ante omnia cum iterum, & pro more suo, repetit, Dicit Dominus, authorem & authoritatem huius vaticinij nobis aperit, atq; cõmendat Deum. Deinde dicit venturum tempus nimirum definitum, quo colophon omnium promissionum Christus sit exhibendus nobis. Temporis verò articulum Ieremias non attingit & expendit, Daniel verò calculat cap. 9. Satis Ieremiæ fuit indicare tempus esse definitum à Deo, & numeratos esse dies, quibus euolutis venturus sit Messias. Hunc principiò iustum, verum & genuinum Dauidis germen vocat, nimirum florem & fructum ex virga vel surculo Maria & radice Iesse. Promiserat Deus se daturum Dauidi germen, vt claret in historia sacra & Psalmis. Ea promissio hic repetitur, & certò complenda confirmatur. Vnde & iustum germen, genuinum inquam, vel verum, & hoc ipsum quod Dauidi nascendũ erat, nuncupatur. Sic autem voluit significare quàm significantissimè, quòd Christus sit futurus verus homo, & substantiam humanam ex substantia virginis accepturus, quæ erat filia Dauidis. Vnde & Christus in euangelio appellatur Filius Dauidis, &c. Et ab apostolo Semẽ Abrahæ, & ex semine Dauidis. Heb. 2. & Ro. 1. Tertullian. de Carne Christi disputans contra Valentinianos & omnes negantes Christum veram assumpsisse ex virgine carnem, huius loci euidentiam obseruauit, ac dixit, Quomodo dicit Elisabeth, Beatus fructus ventris tui? Quis hic fructus ventris vel vteri, qui non ex vtero germinauit? qui non in vtero radicem egit? qui non eius est cuius vterus est? Et qui vtiq; fructus vteri? Christus. An quia ipse est flos de virga, proiecta ex radice Iesse, radix autem Iesse genus

Christus verus homo, semen et filius est Dauidis.

Dauid.

Dauid: virga ex radice, Maria ex Dauid: flos ex virga, filius Mariæ, qui dicitur Iesus ipse erit & fructus? Flos enim fructus, quia per florẽ & ex flore omnis fructus eruditur in fructum. Et reliqua. Habemus ergo in hac descriptione Christi Domini, Christum verum esse ex Maria hominem. Sed & modus conceptionis & natiuitatis Christi ostenditur. Dicit enim Deus, Suscitabo vel excitabo ipsi Dauidi germen. Alludit autem ad legem de excitando semine fratri mortuo. Etenim si frater decessisset absque hærede, cogebatur alter frater vxorem fratris mortui ducere, & ex ea semen excitare fratri mortuo. Cum ergo substantia corporis Christi non referatur ad Ioſephum (Non enim ex Ioſepho concepit Maria, quę virgo permanet) Dominus ipse dicit, Ego suscitabo Dauidi semen. Quo modo autem excitat Deus? Per Spiritum sanctum, fœcundam reddit virginem: sicut ab angelo exponitur Luc. 1. cap. Concepit ergo virgo & peperit virgo, non ex vllo viro, sed ex Spiritu sancto, per omnipotentiam Dei, producentis ex nihilo omnia, ergo & efficientis, vt virgo ex proprio sanguine suo, substãtiam daret corpori Christi, atq; eo modo ipsa virgo veram carnem, id est verum hominem, matris inquam genitricis filium pareret. *Modus incarnationis Dominicæ.*

His quod maximè ad Christi descriptionem veram attinet, officium videlicet & dignitatem Christi attingens, dicit, Regnabitq; rex. Qualis sit rex Christus, & quale regnum eius alibi explicatum est copiosissimè. Iam etiam regnandi felicitas, prosperitas, regisq; exquisita sapientia non tacetur. Sed & modus regnandi exponitur, cum dicitur, Et faciet iudiciũ & iustitiam in terra, non modò quòd in cœlis nunc residens, ipse regnat in terris æquissimè, atq; adeò iustissimè in magno illo iudicio iudicabit, sed quòd etiã sanctissimè per reges & magistratus, qui verè sua Domino dederunt nomina, res sanctissimè administrat, vt videre licet in bonis principibus. De regno Christi alibi dictum est fusius, vt nihil opus sit eadem hic repetere. Præstantissimum verò beneficium & virtutẽ Christi saluberrimam explicans, quid nobis conferat dicit, In diebus eius saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter vel tutò. Duo autem notantur quæ ex Christi redemptione habemus, salutem vel iustitiam ac vitam, & pacẽ vel tranquillitatem aut securitatem animorum. Certè quia saluator vnicus est Dominus noster, Iesus appellatus est ab angelo, Lucæ 1. & Matth. 1. Petrus quoque ita hunc nobis vnicum proponit Saluatorem, vt neget in alio quoquam, sub Sole esse vllam prorsus salutem, Acto. 4. Dominus verò ipse præmonuit nos habituros in mundo tribulationes, in ipso autem pacem, Ioan. 16. Nam & Paulus, Iustificati, ait, ex fide pacem habemus erga Deum, &c. Rom. 5. Est autem ineffabile beneficium, pacatam habere conscientiam. Inde enim enascitur gaudium spirituale maximum, & laus ac gratiarum actio. Hæc verò omnia & tanta quidem beneficia confert Christus Dominus credentibus in ipsum. *Christus Rex.* *Christus Saluator & pax nostra.*

Concludit verò hanc egregiam Christi descriptionem propheta per adiectionem nominis Christi, quo miro compendio comprehendit quis & quantus sit Christus, & quid nobis conferat. Est autem nomen cuiuslibet rei breuis definitio & descriptio. Et hoc est nomen, inquit, quo ipsum nuncupabunt homines, Deus iustitia nostra. Vel, Dominus iustus noster: sed prior lectio simplicior est. Ita enim legitur, Et hoc nomen eius, quo vocabunt eum (homines scilicet) יהוה צדקנו Deus iustitia nostra. Si verò omnino contenderis legendum, Dominus (per Dominum autem intelligas Deum) iustus noster, non concertabo cũ quoquam. Vtranq; lectionem indicauit & Hieronymus. Vtraq; item in eundẽ sensum recidit. Principiò paucis his verbis ostenditur, non modò quis & quantus sit Dominus noster Iesus, sed & (quod etiam antea dixi) quid conferat nobis. Est autem non modò homo verus ex semine Dauidis & filius Dauidis, sed etiam *Nomen Christi quo eum vocabunt homines.* *Christus verus & substantialis Deus.*

etiam Dominus, & Deus verus, viuus & sempiternus. Id quod etiam ipse Dominus cõmonstrauit, disputans contra pharisæos, apud Matthæum in cap. 22. Legitur autem in præsenti prophetæ vaticinio nomen Dei, non illud commune angelis & magnatibus, Adonai, sed incommunicabile nomen Dei tetragrammaton, Iehouah, quod à vita & essendo nomen habet. Est enim æterna essentia diuina, filius, patri coæqualis, vita in seipso æterna, & vitam ac esse omnibus conferens. Id quod apertissimè exponitur etiam in euangelio, vbi ad hunc locum apparet allusisse angelum dicentem ad virginem, Filius altissimi vocabitur. Certè Ioannes in 1. cap. & 5. & 6. & 8. & 10. Euangelij sui plurima habet, quæ ad huius loci explicationem & confirmationem diuinitatis Christi veræ pertinent. Idem in epistola sua vlt. cap. disertis verbis dicit, Hic est verus Deus, & vita æterna. Confutantur his clarissimis testimonijs Iudæi, Ariani, Mahumetistæ, & Seruetani, cum omnibus suis complicibus, non ingenuè, verè & simpliciter confitentibus Iesum Christum Dominum nostrum verum esse Deum, patri per omnia consubstantialem & coæqualem. Deinde confert nobis Dominus noster iustitiam, atque adeò ipse est iustitia nostra. Nam peccata nostra non imputantur nobis propter eius mortem ad damnationem: imputatur autem eius nobis iustitia ad vitam æternam. Nam Paulus in 1. ad Cor. cap. 1. Factus est nobis Christus, inquit, à Deo, sapientia iustitiaq; & sanctificatio & redemptio, &c. Et iterũ, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ei peccata sua, cum eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum. Si verò legas, Dominus iustus noster, ille quidem nõ sibi quidem soli, sed nobis potius iustus est, iustificans omnem eum, qui confidit in ipsum: sicuti iterum attestatur apostolus, Rom. 3. cap. Habemus iam elegantissimum, apertissimum & saluberrimum de Christo Domino nostro testimonium, satis idoneum ad confutandos errores multos multorum, & ad confirmandam fidem nostram in Christum. Adijcitur his, Iccirco ecce dies venient, dicit Dominus, vt non dicant vltra, Viuit, &c. Quæ vt etiam in 16. cap. indicatũ est, exponi possunt de pœna, quòd videlicet certò abducendi sint in captiuitatem Babylonicam. Verisimilius tamen est ipsum loqui hic de restitutione Israelis propter Christum, ac de vocatione omnium gentium per Christum. Philip. 3. Habitabimus autem in terra nostra, cum ex his terris sublati, in æterna agemus patria. Id quod concedere nobis dignetur benignus pater cœlestis, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Christus confert nobis iustitiam, vel iustificat nos.

Philip. 3.

Pergit accusare pastores populi, indicans ipsorum peccata, simul etiam pœnam aut supplicia eis debita annunciat.

CONCIO LXXIX.

Ad prophetas, Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea, factus sum instar viri ebrij, quem vinum turbauit, à facie Domini & à facie verborum sanctitatis eius. Quoniam repleta est terra adulteris, & propter iuramentum (vel execrationem) luxit terra, & speciosa deserti exaruerunt, & fuit cursus eorum malus, & potentia eorum non recta. Etenim tam propheta quàm sacerdos hypocritæ fuerunt (vel impiè egerunt) quin & in domo mea malitiam eorum deprehendi, dicit Dominus. Iccirco via eorum erit eis ceu lubrica in caligine, in qua impellentur & cadent: quia adducam super eos malum, annum visitationis eorum, dicit Dominus. In prophetis quoq; Samariæ vidi rem insulsam: nam in Baal prophetabant, & populum

meum

meum Israel seducebant: sed & in prophetis Hierusalē vidi fœditatem. Adulteria enim cōmittunt, & incedunt in mendacio, roborant manus pessimorum, quò minus redeat quisq; à malitia sua, factiq; sunt mihi omnes illi instar Sodomæ, & habitatores eius sicut Gomorrha. Iccirco sic dicit Dominus exercituum contra prophetas istos, Ecce ego cibo eos absynthio, & potabo eos aquis fellitis. A prophetis enim Hierusalem egressa est hypocrisis (vel iniquitas, vel malitia) in vniuersam terram.

POst intertextum de Christo vaticinium redit ad pastores, & maximè ad prophetas, ac ab initio titulum ponit, Ad prophetas, vel Contra prophetas. Alij legunt simpliciter, Prophetis, & ex initio capitis, vt sensum absoluant, repetunt Væ. Alij legunt, Propter prophetas, & sequentibus mox absoluunt sensum, contritum est cor meum: vt sit sensus, Prophetæ in causa sunt, quòd cor meum in me fractum est. Cæterùm Hieronymus quoque arbitratur consequentibus per reliquum huius capitis titulum præmitti. Est autem prophetæ vocabulum medium, cùm bonis tum malis commune. Omnes enim concionatores appellantur prophetæ. At de malis, id est de pseudoprophetis, loquitur in præsentia, de mendacibus inquam doctoribus, & seductoribus populi. Superius autem dixi Ieremiam in pseudoprophetas grauius vehementiusq; inuehi, quàm in reges & proceres corruptos. Nam pereuntis populi culpa, adeoq; principum corruptela & corrupta gubernatio residet in pseudoprophetis, qui debuerant ex officio Deiq; mandato mederi morbis principum & populi. Ergo dum sal insipidum est, non potest non omnes carnis partes putredo fœda consumere. Eam ob rem dixi etiam Dominum nostrum Iesum Christum multò vehementius exarsisse in scribas & pharisæos, populi doctores vanos, quàm in ipsum miserum & exorbitantem populum. Vnde iam constat, in ecclesia nihil esse calamitosius prauis corruptisue doctoribus vel doctoribus.

Differitur singulariter contra prophetas.

Vtitur autem exordiolo pathetico & tragico prorsus. Dicit enim se totum cohorrescere, cum sanctissimum Deum, & verbum eius sacrosanctum, quid videlicet ille velit, & quàm hoc salutare sit hominibus, inspiciat, rursus & ex opposito secum expendat, quales sint sui sæculi prophetæ, & quàm nihili imò pernicioſa ipsorum doctrina. Nam Deum non reuerebantur, & voluntatem eius curabant minimè, deinde nec verborum legisq; Dei vllam habebant rationem, prædicantes ea populo, quæ ipsis videbantur bona, quæ denique videbantur augere rem domesticam, fauoremq; principum & voluptates parare. Tria verò dicit quæ rem vehementer amplificant & incendunt. Principiò, Cor meum, inquit, in medio mei contritum est. Quo testatur magnum se dolorem fastidiumque ex pseudoprophetis concipere. Germanicè dicimus, Das hertz im lyb möchte mir zerbrächen. Deinde, Ossa, inquit, solidiores videlicet corporis mei partes, contremiscunt & concutiuntur horrore, ex illis concepto. His addit præterea parabolam & comparationem, Similis factus sum homini temulento, qui incensus vino, mirum in modum æstuat, atque adeò & vacillat, neque quid agat nouit. Quibus omnibus significatur prophetam maximè commotum esse propter corruptelam pseudoprophetarum. Tantum abest vt potuerit cum eis colludere, garrire & perpotare. Id quod multis hodie prophetis in vsu est frequentiore, quàm deceat atque conueniat. Cum enim ipsi sint Euangelij Christi synceriores concionatores, familiarius tamen quàm par sit conuiuantur cum ijs, qui euangelij doctrinam hæreseos turbarumq; accusant, & miserum sibi creditum populum non modò seducunt, sed in seductione præterea violenter vel malis artibus retinent.

Quomodo affectus fuerit Ieremias erga pseudoprophetas.

Culpa prophetarum sceleribus redundant omnia.

Porrò rationem subdit cur ita commoueatur aduersus pseudoprophetas, Quoniam ipsorum culpa omnia sceleribus malisq; redundant. Ordine autem aliquot recenset, cætera complectitur in his. Principiò, Terra, inquit, plena est adulteris: spiritualibus, inquam, & carnalibus. At ferè fit, vt qui Deo fidem non seruat, hominibus quoque, in primis verò mulierculæ aut vxorculæ suæ, eandem violet. De adulterio spirituali & carnali iam dictum est sæpius. Deinde redundant omnia iuramentis ait, non tam temerarijs, illegitimis, ac impijs, quàm

Sterilitas arui ex conscelerationc.

execrationibus blasphemijsq;. Huic sceleri, vt & superiori, addit pœnam, dicēs, Propter execrationem luxit terra. Luget autem terra quando speciosa & vberrima pascua exarescunt, & pabulum negant, agri quoque fertiles fiunt steriles. Dum enim omnia virent & fructificant, læta vocantur pascua. Sed & in verbis prophetæ sequitur, & quidē per interpretationē. Et speciosa deserti, id est agri, vel amœna ac læta pascua arui exaruerunt. Ea de re dictum est in cap. huius operis 9. & 14. Coniungit istis iam alia quoq; crimina, Cursus eorum malus fuit, vel ferebatur & fertur ad praua. Intelligit autem instituta eorum omnia ac vitæ totius cursum, tendere ad malitiam. Nos dicimus, Jr läben iſt böß überal. Quibus accedit quòd potentia ipsorum non est firma, vel non est recta. Si qui instructi sunt inter ipsos vel potentia vel facultatibus, viribus aut opibus, his quidem abutuntur. Vnde nec firmæ sunt, neq; stabiles erunt. Iniusta enim potentia & facultates iniquæ vel perperam acquisitæ ac vsurpatæ mox dilabūtur, etiam proprium perdentes possessorem.

Prophetæ hypocritæ.

Pergit in accusatione pseudoprophetarum, ac quales sint ecclesiæ Dei proceres exponit, dicens, Ideò verò omnia malis redundant, quòd tam propheta quàm sacerdos sint hypocritæ, simulatores inquam, adulatores lubrici & impostores iniquissimi. Quales nos appellamus, beſchiſſen büben. Nam non corrigebāt scelera & sceleratos. Addit his aliud penè abominabilius. Quin & in domo

Templum Domini prophanare.

mea ait, malitiam eorum deprehendi. Eò nimirum prouexerant rem, vt in domo Dei peregrinus cultus conspiceretur, cerneretur inquam idololatria fœda, & auaritia nepharia sacerdotum, ex religione quæstum facientium. Est sanè malum vbicunque tandem pecces: sed si in ipso Domini Dei templo pecces, videris non immeritò conduplicauisse, imò multiplicauisse peccatum. Consecrauerat sibi soli hoc templum Dominus, vt claret 3. lib. Regum cap. 9. Neq; volebat vllum in ipso nomen coli, inuocari, nominari. Apparet itaque peccasse sacerdotes plus quàm enormiter, qui peregrinum & Dei, & deorum cultum inuexerant in templum. Quid verò dum hæc hodie audiuntur, cogitant, quibus summus Deo cultus videtur exhibitus, si omnia templa aris redundent erectis in honorem diuorum: cum sciamus templa Christianorum soli Christo esse consecrata, & ideò nuncupata quondam fuisse Dominica, nimirum à Domino Iesu, qui solus est omnium fidelium plenitudo?

Vacillāt in via & corruunt.

Sequitur porrò pœnæ commeritæ seu iustissimæ expositio. Rependit autem pari Deus, exponitq; illa per tropum propheta. Verbum Dei Dauid rectè nuncupauit lucernam pedibus suis propositam, deniq; viam inoffensam, expeditam, atq; firmam, minimeq; lubricam. Hac cum sacerdotes vnà cū populo ingredi nolebant, merebantur sanè per viam ingredi lubricam. Et lubrica quidem vel lutosa via admodùm est laboriosa & molesta: sed conduplicatur malum hoc, si accedat caligo. Nam iter facientes per lubricum in tenebris, impingunt facilè & corruūt. Sic inquam fiet, ait Dominus, sacerdotibus & populo isti, qui omnino volunt ambulare per lubricam viam idololatriæ, & traditionum humanarū. Occæcabuntur enim, impingent & corruent. Significatur enim hoc tropo horribilis excæcatio, conscientiæ implicatio ac desperatio. His punit Dominus

præferentes

præferentes vias ſuas vijs Domini Dei ſui. Exemplum horribile ſuppeditat nobis Saul cum Iudæis Chriſtum reſpuentibus. Videntur autem illa eſſe intelligenda de malis & pœnis animorũ internis, tantò acerbioribus, quantò corporeis atque externis præſtant ſpiritualia. Interim non deerunt hic quoq; mala externa. Sequitur enim, Quia adducam ſuper eos malum. Et quale hoc malum ſit explicans, ſubdit, Annum viſitationis eorũ. Alludit autem ad eos male frugi ſeruos, quos aliquando, certo tempore euoluto viſitant Domini, & cõmeritum de ipſis ſumunt ſupplicium. Ita minatur in præſenti ſe igni ferroq; & captiuitate eos puniturum. Annus ergo viſitationis aliud nihil eſt, quàm tempus vltionis.

Iterum per collationem oſtendit, quale & quantum ſit peccatum antiſtitum religionis. Doctrinam autem & vitam ſacerdotum decem tribuum prædicantium Baal ſimul cum Deo, atque ita ſeducentium populum Izraelis, appellat inſulſum vel inſipidum quidpiam (vngeſchmackt/das weder geſaltzen noch geſchmaltzen iſt) ſtultitiam & fatuitatem. Deſiderabatur enim in ipſa diuina ſapientia, nec condita erat ſale ſapientiæ, nimirum verbo Dei. Qui enim verbum Dei ſyncerè prædicant, in ſolo Deo prophetant, non ſimul etiam in Baal. De qua loquutione dictum eſt ſuperius: & hiſtoria ſacra hęc explicat 3. Reg. 18. & 4. Regum 17. cap. Atqui ne hodie quidem alio nomine aut titulo digna ſunt omnia hominum extra & contra verbum Dei commenta. Sicut autem iſti inſani vates Baalitæ, indigna cùm Deo tum populo Dei protulerunt in medium, quibus & ſeduxerunt & perdiderunt Dei populum: ita ſanè nunc prophetæ Hieroſolymitani, nihilo prudentiores facti miſero prophetarum Izraeliticorum exemplo & exitu, fœditatem admittunt. Alij vertunt, Horrenda & tetra deſignant, quibus non aliter Iudaicum populum in perniciem abducunt, quàm prius Baalitæ Izraeliticum populum perdiderunt. Quæ verò iſta fœda, tetra, atque horrenda ſint, ordine rurſus enumerat. Principiò enim cùm ipſi tum populus ipſorum fidei creditus, adulteria committunt, nimirum & ſpiritualia & carnalia. De quibus ſupra eſt dictum. Deinde incedunt in mendacio: id eſt, omnia vitæ ſuæ componunt, non ad regulã verbi Dei, ſed ad conſtitutiunculas humanas, quas apoſtolus quoque Paulus dixit auerſari veritatem. Sequitur inde hypocriſis, & quòd tam Deo quàm hominibus mentiuntur in omnibus. Germanicè vno verbo diceremus, Sy gond mit lügen vmb. Nihil eſt in eis veri & integri. His accedit quòd roborant manus malignantium hominum, nequam inquam vel peſsimorum nebulonum. Quomodo autem roborant? Ne quiſque redeat per veram pœnitentiam ad Dominum. Ergo extenuant peccata, quę exaggerant veri prophetæ ex lege Domini. Dicunt Deum non ita vt phantaſtici concionatores aiunt, moroſum ac bilioſum eſſe contra bonos ſocios. Sed & peccata facilè poſſe redimi votis & ſacrificijs. Addunt diem Domini adhuc longiſſimo à nobis interuallo abeſſe: Deum præterea non offendi imaginum vſu in templis, & electitijs cultibus hominum. Ita verò efficiunt, ne idololatræ & ſcelerati homines reſipiſcant. Ergo roborare manus alicuius, ſignificat aliquem in ſuo malo, vel bono propoſito confirmare, atque adeò ad perſeuerantiam inhortari, ad eam inquam rem faciendam quam facit. Magna verò in his culpa aperitur Papiſticorum quoque concionatorum, qui & ipſi ſibi creditum Dei populum mirificè adhortantur ad perſeuerandum in ſuperſtitionibus eccleſię Romanæ, &c. Poſtremò autem comparat eos propheta ſceleratis vrbibus, & à Deo cœlitus combuſtis, Sodomæ & Gomorræ. Quaſi dicat, Debuerat quidem regnum veſtrum inclytum Dauidis regnum eſſe & nominari: ſed tale non modò non eſt, ſed Sodomitica verius abominatio & Gomorraica cõſceleratio eſt. Peccatum Sodomæ quale fuerit exponitur in hiſtoria ſacra, Geneſ. 10. & Ezech. 16.

Conferuntur Iudaici ſacerdotes Iſraelitis Baaliſtis.

Fœditas tetra.

Iuda ſimilis eſt Sodomæ.

Certè cum prophetæ significare volunt, nullam amplius restare spem emendationis, paucos aut nullos supereſſe amplius homines probos, & ad extremum corrupta esse omnia, dicunt vrbem vel populum istum factum esse Sodomam. Sic dicitur ferè apud Isaiam in cap. 1. & apud Matth. in cap. 11.

Ex magnis vrbibus in vicinũ agrum deriuatur omne malum.

Sub finem iterum subijcit minas quibus supplicium commeritum eis denunciat. Verba repetuntur quæ in eandem formam pronunciata leguntur cap. 9. & exposita sunt Concione 36. Illud autem obseruatu in primis necessarium est, quod palàm dicit ex vrbe Hierosolymorum hypocrisim, iniquitatem, vel vt Vetus interpres vertit, pollutionem ingressam esse in omnem terram. Nam ex capite vitiato corrumpitur corpus vniuersum. Si in metropoli sint homines scelerati, ebrij, impij, blasphemi, legum contemptores, ac subditi vicini in vrbem veniant, ac videant maiores suos, homines nobiliores, & potentiores, vel in eminentia ac authoritate constitutos, fœdè ac turpiter viuere, existimant sanè & sibi licere paria facere, & corruptè viuere. Inde verò corruptela peruagatur per vniuersum populum, quem quidem grauiter punit Dominus, grauius autem potentiores exempla corruptelarum præferentes. Dominus custodiat nos ab omni corruptela. Amen.

Ostendit pseudoprophetas non esse audiendos, ac rationem reddit, cur non sint audiendi, &c.

CONCIO LXXX.

Sic dicit Dominus exercituum, Ne audieritis verba prophetarum qui prophetant vobis: vanitatem enim docent vos, & visionem cordis sui loquuntur, non ex ore Domini. Dicendo dicunt ad eos qui me irritant, Dominus locutus est, Pax erit vobis: & ad omnes qui ambulant in prauitate cordis sui, dicunt, Nil mali vobis accidet. Quis enim stetit in arcano Dei consilio, qui viderit aut audierit verbum eius? aut quis considerauit verbum eius, & audiuit? Ecce tempestas Domini cum furore egressa est, & turbo sese intorquẽs in caput impiorum subsidet. Non auertetur ira Domini donec fecerit illud, & donec exequutus fuerit cogitationes cordis sui. In nouissimo dierum intelligetis intelligentiam eius.

Deus ipse vetat audire pseudoprophetas.

IN media dissertatione contra pseudoprophetas consilium dat omnibus omnium temporum fidelibus quid faciant, cum Regum patrocinio ac fauore gnant pseudoprophetę, ac impunè mentiuntur, atque omnes seducunt. Anteomnia verò consilij sui authorem ostendit Deum, ne quis consilium fastidiat. Simpliciter verò dicit, Ne audieritis, id est, neq; auscultaueritis, neq; obtemperaueritis pseudoprophetis. Noxium est mendaces audire doctores, sic enim Eua est seducta: sed multò pestilentissimum est, si non modò audias mentientes, sed ijsdem etiam credas ac obtemperes. Rationem verò reddit cur pseudoprophetæ non sint audiendi, Vanitatem enim docent vos. Alij reddunt, Vanos vel fatuos reddunt vos, machend iich zů narren. Vetus interpres vertit, Decipiunt vos. Proinde ideò non sunt audiendi pseudoprophetæ, quia deceptores sunt, qui vanitatem & stultitiam humanam, non sapientiam diuinam prædicant. Id autem consequentibus duobus membris plenius illustrat & explicat. Principiò enim, Vanitatem vel visionẽ cordis loquuntur. Deinde non ex ore Domini loquuntur: ergo quotquot non loquuntur ex ore Domini, sed ex proprio corde, illi audiendi non sunt. Visio cordis humani illud est, quod excogitatũ in corde hominis, humano beneplacito profertur, absque authoritate & origine verbi Dei:

Visio cordis humani & os Domini.

videlicet

videlicet cum homo illud dicit & asserit, quod ipsi bonum videtur. Intelliguntur hic omnia placita humana, omnes constitutiones humanæ de religione pronunciatæ. Nam Os Domini est ipsa reuelatio voluntatis diuinæ, per legem & prophetas, vel per scripturas sanctas. Iccirco reiiciuntur in præsenti omnes doctrinæ non petitæ ex verbo vel fonte veritatis, quales quales sint, vel à qualibus cunq; inuentæ, & in medium prolatæ sint. Nam lex illa Dei, Ne audieritis prophetas ex corde suo, non ex ore Domini loquentes, perpetua est, aliis quoq; scripturarum locis tractata & inculcata. Eadem enim quæ hic dicuntur, commemorantur & in lege, Deut. 13. apud prophetam quoq; Ezechielem cap. 13. sed & in euangelio vetat Dominus audire falsos doctores, vt Matth. 7. & 24. Lucæ 6. Apostolus quoq; Paulus multis in locis præcipit nobis vt fugiamus pseudodoctores. Legatur ad Rom. 16. in Epist. ad Timotheum, &c.

Aliam quoque rationem profert cur non sint audiendi pseudoprophetæ, quia impijs rebellibus & impœnitentibus promittunt securitatem, & in flagitijs sceleribusq; ipsos non obiurgant & infirmant, sed confirmant. Quo simul proponit exemplum corruptæ doctrinæ, vel prædicationis pseudoprophetarum. Dicendo dicunt, inquit, pro eo quod est constantissimè & perpetuò adfirmare audent, se habere verbum Domini ad irritatores diuini nominis, quòd impunè facturi sint sua consilia ac instituta. Quinimò duo hic hominum genera ponit. Principiò irritatores. Hieronymus ostendit hic lectionem duplicem, Qui me blasphemant, &, Qui abijciunt verbum meum. Ac reuera irritant & prouocant Deum (tratzen Gott) qui abiecto verbo Domini sua sequuntur somnia, hoc est, qui non eo modo fidunt Deo, neq; ita colunt vt ipse verbo suo requisiuit: sed idola condunt, creaturas inuocant, & inuentiones proprias cultuum magni faciunt. Illi ipsi facto hoc suo Deum blasphemant. His verò dicebant prophetæ falsi, Dominus loquutus est, Pax erit vobis. Id est, Dei quoque institutum est quod sequimini. Non displicent ei huiusmodi cultus vestri. Gratiam & pacem per hos consequemini, & felices eritis per omnia An verò hæc non admonent quosuis doctrinæ Papisticæ, quæ & ipsa promittit electitijs cultibus, & humanis inuentionibus, remissionem peccatorum, gratiam & omnigenam felicitatem? Deinde commemorat eos qui ambulant secundum desiderium, vel libidinem, vel duritiam, vel prauitatem cordis sui: id est, qui quod libet faciunt (de hoc loquutionis genere dictum est superius) & deinde sacrificijs omnes patratas iniquitates expiari putant. His dicunt, Nihil mali vobis accidet. Ita hodie securitatem, pacem & omnium peccatorum condonationem promittunt prædicatores indulgentiarum omnibus conscelcratis.

Falsa doctrina promittit securitatem rebellibus.

Quoniam verò veri prophetę minabantur illis ipsis interitum certissimum, reiicientes nõ modo externa sacrificia, sed & omnem cultum electitium, annunciantes præterea captiuitatem & omnis generis calamitates atrocissimas: pseudoprophetę cum suis complicibus, iam non tantùm perseuerabant in erroribus & sceleribus, sed interim irridebant etiam prædicationem verorum prophetarum, eleuantes conuitijs istorum authoritatem, & prædicationem simul conuertentes in dubium. Nam per Mimesim cõmemorat quid pseudoprophetæ cum suis fautoribus dixerint contra veros prophetas, & ipsorum doctrinam. Quasi dixerit propheta, Quod verò Ieremias, Baruch, Vrias, Sophonias & alij prophetæ minãtur extrema quæq; à Domino, fictitium est & ementitũ. Quis enim stetit in secreto vel arcano Dei consilio, qui viderit & audierit verbum eius? Quasi dicat, Nemo prorsus. Addit, Aut quis admota propius aure animaduertit (hat gelõßlet) ad verbum eius, & audiuit? Ita sanè audias multos nostra ætate concionatoribus oggannientes, atq; dicentes, Isti concionatores de Deo, de Dei volũtate,

Contemptus et irrisio verbi Dei.

de præmijs & supplicijs, de vita & morte æterna, perinde garriunt, ac si aliquando fuerint in cœlo & viderint ea, quæ exponunt. Cæterùm impudentia & audacia armantur, vt ita ausint garrire. Nam certum est, Deum illis nuspiam esse loquutum, illos nunquam vidisse cœlos aut inferos. Certum est, neminem vnquã ex mortuis redijsse & exposuisse mortalibus statum futuri sæculi. Incerta & conficta sunt omnia, quæ proferuntur ab eis tanta cum confidentia (Wär wolts denen phantästischen pfaffen gesagt haben?) Quis enim ipsis cœlestia illa explicasset? Equidem non possemus concionatores explicare diuina illa & cœlestia quæ exponimus, ex nobis ipsis. Nemo enim hominum illa vel nouit, vel vidit vnquam. Christus autem Dei filius, qui ab æterno est cum patre, & in sinu patris, vt dicit Ioannes, is nobis illa exposuit. Angeli, patriarchæ, prophetæ & apostoli, qui per Dei gratiam & reuelationem illa certissimè intellexerunt, & quędam viderunt etiam, nobis reuelarunt. Christus denique qui resurrexit ex mortuis, statum futuri sæculi nobis aperuit. Ergo cum ex illis certis fideiq; dignis testibus ea annunciamus de Deo, & rebus diuinis, quæ annunciamus, errare vtiq; aut incerta proferre non possumus. Qui ergo prædicationem nostram vel fastidit, vel vituperat, non nostram prædicationem, sed Dei reuelationem fastidit & vituperat. Proinde vani & blasphemi sunt clamores eorum, qui cum impijs omnibus contra conciones petitas è verbo Dei clamant, & dicunt, Quis stetit in consilio? &c.

Vnde habeant cœlestia & futura concionatores, quæ annunciant.

Postremò constanter asseuerat contra omnes rebelles & conuitiatores prophetarum, Deum verbi sui veritatem in promissis & minis seruaturum, atq; perditurum nebulones, quos pseudoprophetæ non perdendos fore affirmabãt. Ac vtitur figurata & vehementissima oratione. Interitum enim ipsorum (hoc est hostem Babylonium, captiuitatem & omnes calamitates, à Domino immittendas eis) comparat tempestati sęuissimæ, quę diu conglomeratur in aere, magno cum horrore contemplantium, tandem verò sese contorquens atq; rotans, subsidit in capita nihil tale expectantium. Ira Dei, vindicta est Dei. Ne enim sperarent malum auertendum fore, vti sæpe cernimus tempestates dissipari & per ventos in alias deijci plagas, mox addit, Non auertetur ira. Id est, nulla restat spes vllius liberationis. Vindicta enim diuina non desinet, nisi prius mala compleuerit, dispersęritq; omnia, quæ Deus in animo concepit in istam effundere gentẽ. Nemo ergo polliceatur sibi securitatem contra minas prophetarum. Illa omnia euidenti concludit Epiphonemate, & dicit, Nunc quidem ista omnia non vultis videre & intelligere, tandem verò vel in fine, mihi credite, non modò intelligetis, sed & experiemini vera esse & immutabilia quæ pronunciauit verbo suo Dominus. Nos dicimus, Jr werdends zů letst wol innen werden, id est, certissima hęc sunt. Confirmant ergo hæc veritatem ac certitudinem verbi Dei. Cui gloria.

Nõ fallit Deus verbo suo.

Pergit differere contra pseudoprophetas, quos mirificè exagitat.

CONCIO LXXXI.

Non misi prophetas istos, at ipsi cucurrerunt: nihil loquutus sum ad eos, ipsi tamen prophetant. Si stetissent in concilio meo, verba mea nota fecissent populo meo, ac reduxissent eos de via sua mala, atque de malitia studiorum suorum. An non Deus de propinquo ego, dicit Dominus, & non Deus de longinquo? Num abscondet se quisquam in latebras, vt eum videre nequeam? ait Dominus. An non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus. Audiui quenam di-

nam dicant prophetæ prophetantes mendacium in nomine meo, dicentes, Somniaui, Somniaui. Quousq; est hoc in corde prophetarum, vt prophetent mendacium, vt prophetent dolum cordis sui? Qui volunt facere vt populus meus obliuiscatur nominis mei per somnia sua, quæ narrat quisq; proximo suo, quemadmodum & patres eorum nominis mei obliti sunt per Baal. Propheta apud quē est somnium, narret somnium: & is apud quem est verbum meum, loquatur verbum meum verè. Quid enim paleæ ad triticum, ait Dominus? An non verbum meum est sicut ignis, ait Dominus, & sicut malleus conterens petram? Propterea ecce ego contra prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea, quisq; à proximo suo. Ecce ego contra prophetas, ait Dominus, vsurpantes linguam suam, qui dicunt, Dixit. Ecce ego contra prophetas somniantes mendacia, dicit Dominus, quæ narrant, & seducunt populum meum suis mendacijs atq; leuitatibus suis: cum ego non miserim eos, neq; præceperim eis, & sic nihil vtilitatis afferant populo isti, ait Dominus.

PErgit accusare, insequi & exagitare, atque adeò etiam depingere suis coloribus pseudoprophetas, ostendereq; ipsos à pijs non esse audiendos: minari denique eis grauem iram Domini, qui diserte dicit se istis occursurum. Ac falsos quidem prophetas esse qui non sint audiendi à pijs, hoc potissimùm nomine euincit, atq; ita etiam eos falsi accusat, quod non sint missi à Deo, & tamen cucurrerint, quodq; nihil eis sit loquutus, & tamen prophetauerint. Declarat autem consequens orationis membrum præcedens. Nam mitti prophetam, est instrui verbo quod missus annunciet. Currere ergo est docere vel prædicare: ipse vocat prophetare. Ac fit allusio ad res Regum & Rerumpublicarum, qui eximiæ fidei spectataeq; authoritatis viros ablegant, quibus Instructiones, quas vocant, capita inquam peragendarum rerum tradunt. Ita enim & Deus noster delectos sibi homines adiungit, quos præceptis suis atq; adeò verbo suo & scripturis instruit, mox ablegat ad populos, quibus verbum Dei annuncient. De Vocatione & Missione, Interna & Externa dictum est aliàs. Cæterùm prophetæ prædicantes populo Ieremiæ temporibus tales non erant. Dominus enim nihil cū eis loquutus fuerat, non instruxerat eos verbo suo, ergo non misit, licet ipsi strenuè suaderent prædicando. Nam nugas & commenta sua annunciabant, non verbum Domini.

Prophetæ quos Dominus non misit, non sunt audiendi.

Mox verò subijcit quæ explicent præcedentia, & ait, Si stetissent in consilio meo, &c. Solent reges mittere consiliarios suos legatos. Et stare in consilio, nihil aliud est, quàm participem esse consiliorum principis, & esse è numero consiliariorum. Sensus itaq; est, Si prophetæ isti meæ voluntatis fuissent conscij, & legati à me missi, Sequitur quod sensum absoluat, Verba mea populo meo annunciassent, & reduxissent eos, &c. Proinde certissimæ veræ missionis notæ sunt. 1. Stare in consilio Dei, id est conscium esse voluntatis Dei. 2. Annunciare verbum Dei, & non verbum hominum. 3. Et quidem non quouis modo annunciare: sed in finem certum, nempe ad emendationem vitæ, vt deserant homines idololatriam, impietatem, scelera, &c. Ergo quotquot prædicant, & voluntatis diuinæ conscij non sunt, vel scripturarum imperiti sunt, quotquot verbum Dei purè & solum non prædicant, neq; ad emendationem omnia dirigunt, sed sceleratis parcunt, sceleraq; non acriter accusant, missi non sunt à Domino. Plures ergo hodie currunt, quos Dominus nō misit, qui Papam & Decreta, Scholastico rumq; nugas, & monachorum Sermones conceptos prædicant populo, scripturas verò non verētur insimulare hæreseos, puluillos insuper sub cuiuslibet conscelerati hominis cubito consuunt: vt & Ezechiel dixit, cap. 13.

De notis veræ missionis.

Dominus vbiq; præsens curat res hominum.

Quoniam verò erant cùm prophetæ tum etiam talium prophetarum audi-
tores, qui dicerent, Deum circa cardines cœli, in gloria sua versari, & de homini
bus in terra reptantibus non modò nihil esse solicitum, sed ne hos quidem tam
scrupulosè obseruare, quàm asseuerabant Ieremias & sui sodales: qua re metum
Dei tollebant ex hominibus: per occupationem, An non Deus de propinquo,
ait, & non Deus de longinquo sum, dicit Dominus? Quibus verbis adfirmatur
Deum vbiq; esse præsentem, videre & audire, ac etiam curare res hominum vni
uersas: mentiri verò illos, qui affirmant Deum nihil curare res mortalium. Con-
futantur his omnes, cum Epicuro, Dei negantes prouidentiam, negantes item
Deum scrupulosè obseruare res nostras. Qua re sanè tollunt (quod iam etiam di-
xi, non frustra autem repeto) omnem Dei metum. Reuerentia Dei ex eo nō mo-
dicè increscit, si credamus ipsum omnia nostra scire, & videre etiam cordis recef
sus intimos. Si non credas Deum videre res tuas, si non credas Deum audire vo
ta tua, certè patrabis absq; pudore sceleratissima quæq;, neque inuocabis illum,
quem te nescire existimas, neq; vllam tui rationem habere. Cæterùm quomodo
Deus vbiq; sit præsens, & omnia impleat, exposuit S. Aurel. Augustinus in mul
tis scriptorum suorum locis, & maximè in Epist. 57. ad Dardanum. Quod verò
attinet huius loci lectionem dissimilem, S. Hierony. in Comment. suis ad Iere-
miam, Aquila & Symmachus, ait, similiter interpretati sunt, Nunquid Deus de
propinquo siue vicino ego sum, & non Deus de longè? Lxx. verò & Theodotio
sensu vertere contrario, vt dicerent, Deus appropinquans ego, dicit Dominus,
& non Deus de longè. Quòd scilicet superiores asserant Deum non tantùm vi-
cina, sed & ea quæ longè sunt cognoscere: nec præsentia, sed futura conspicere.
Isti verò vbiq; existimant Deum esse præsentem, nec aliquem locum esse, vbi nō
sit Deus. Quibus paulò post & hæc subdit, Quod autem in prophetis crebrò di
citur, Hæc dicit Dominus, propterea semper infertur, ne contemnantur, quasi
verba prophetarum, sed admoneantur iugiter, Dei esse sermones quos loquun-
tur, &c. Ad idem etiam refertur quod sequitur, An quisquam tam demens est,
vt existimet se in tam Abditum recondere posse locum in quo à Deo non videa
tur? Item, An non cœlum & terram ego impleo? Sicut & Isaiæ 66. manifestè suffi
guratur & dicitur, Cœlum mihi sedes, & terra scabellum pedum meorum. Ve-
tat autem religio ista crassè per imaginationem carnalem exponere. De Deo au
tem omnia hominum videnti, requirenti ac disponenti, & ex abstrusissimis qui
búsque latitare volentes protrahenti, lege Dauidem in Psalmo 139. & prophetā
Amos in cap. 9. Reuereamur ergo Dominum.

Nemo latere & oculos Dei subterfugere potest.

Deus nouit & falsos doctores & doctrinam falsam.

Porrò vniuersalem hanc doctrinam de Deo omnia videnti & audienti ap-
plicat iam singulariter suo instituto, & disertè dicit, Deū audire quę prophetæ i-
sti falsi doceant. Simul autem confutat ipsorum doctrinam, indignam sanè quæ
audiaturà pijs & prudentibus auditoribus. Prophetant, inquit, sub nomine meo
mendacium. Id est prætexunt me, quasi ego illis reuelauerim ea, quæ ipsi ex se-
metipsis confingunt & concinnant, mendacia. Qualia verò illa? Dicūt, Somnia
ui, somniaui. Per Mimesim doctrinam & exclamationes pseudoprophetarum
in concionibus ipsorum recenset. Perfrequenter enim solebant iactare in con-
cionibus, se vidisse in somnijs visiones diuinas, per quas approbare & confirma
re voluerunt idololatriam suam & suos electitios cultus. Eodem modo audias
hodie monachos iactare apparitiones angelorum, visiones virginis & diuorū,
qui hoc aut illud mandauerint, ordines & facta vel instituta approbauerint, &
contraria condemnauerint. Verùm has veteratorias esse impostoras cùm expe
rientia dudum, tum locus insignis apostoli ad Colosſ. 2. docuit, &c. Alioqui in-
somnia non in vniuersum damnātur in scripturis. Insomnia habuere Pharao &
Nabuch.

Somnia & visiones angelorum.

Nabuch. ex Deo, quæ religiosè interpretati sunt viri sapientiss. Ioseph & Daniel. Per somnia item non rarò voluntatem suã seruis suis reuelauit Deus, & per visiones suos erudiuit. Contra pseudoprophetas autẽ hos somniatores nũc grauiter inuehitur Ieremias, nec sine stomacho dicit cum admiratione quadam, Quousq; tandem erit hoc in corde prophetarum istorum, vt pergant prophetare tanta cum impudentia mendacium? Mendacem ergo rursus appellat doctrinam ipsorum. Quare? Quia somnia, fictiones nimirum cordis proferebant, non verbum Domini. Sequitur enim, Vt prophetent dolum cordis sui? Somnia ergo quæ iactabant, non erant immissa à Deo somnia, sed conficta ex corde doloso, ad decipiendum miseros mortales. Certè monachorum nostrorum insomnia & visiones huc in vniuersum pertinent, vt ijs confirmetur & propagetur veneratio imaginum, inuocatio diuorum, cultus electitius, & quicquid est & habet monachismus, vt inquam ipsi sint in precio & authoritate, crescantq; ipsorum opes, honores, potentia & voluptates. Sic inquam visiones & insomnia ipsorum nõ ex Deo sed ex corde doloso profecta sunt.

Somnia non ex Domino, sed cordis malitia.

Rursus ex effectu doctrinæ ipsorum ostendit hanc nihil habere diuini. Diuina enim doctrina illud in primis efficit, vt animis hominum infigatur Deus, ac honoretur quàm sanctissimè & vnicè. At somnia humana Dei obliuionem inducunt. Diuini ergo nihil habent, & ab omnibus repudianda sunt. His coniungit exemplum, Sicut & patres ipsorum, ait Dominus, mei per Baal oblìti sunt. Nam dum animum intendebant cultui Baalis, & ita alienos quoq; Deos amabant, reuerebantur ac colebant, Deum certè non solum obseruabãt toto corde, sed paulatim Dei obliuiscebantur. Vidimus nos nostra ætate per doctrinam Papistarum & Monachorum maximè, Dei patris & vnigeniti filij eius fidem cultumq; refriguisse in omnium eorum cordibus, qui diuam virginem & diuos, iuxta fabulas humanas & inuocarunt & coluerunt. Certè doctrinam somniorum, & cultus electitios monachorum, sanam doctrinam & cultum Dei legitimũ prorsus in obliuionem abduxisse, testis est ipsa irrefragabilis experientia.

Humana doctrina facit obliuisci Dei.

Quia verò verbum Dei non tantùm accusat, obiurgat confutatq;, sed etiam vtilia docet, ostendens quid placeat Deo, & quid fieri velit & debeat, consequenter iubet annunciare verbum Dei purè, absq; omni commixtione humanarum traditionum, vetat commiscere cum somnijs & intentionibus humanis. Ostendit enim maximum esse discrimen inter verbum Dei & verbum hominum, atq; adeò vt hæc nolit (sicut modò etiam dixi) inuicem commisceri. Quod quidem dogma admodùm est obseruabile, egregium & necessarium. Frustra enim hodie politici aliquot nimiumq; ciuiles viri, multis tentant doctrinam Christi & Antichristi reducere ad concordiam, idq; per concessionem & permixtionem doctrinæ vtriusq;. Atqui docuit nos dudum Dominus, nulla cum vtilitate noua vina condi vtribus veteribus, atq; veteri ac detrito vestimento assui portionem aliquam panni noui. Negauit item Apostolus componi posse Christum cum Belial, lucem cum tenebris, ac templum Dei cum idolis. Audiamus ergo quid in præsenti pronunciet Dominus. Propheta, inquit, apud quem est somnium, narret somnium, &c. Simplex & pura est hæc doctrina, nempe diuina cum humanis non esse commiscenda, neque humana venditanda pro diuinis: ac verbum Dei verè & syncerè esse proponendum. Nam & Petrus apostolus dixit, Si quis loquitur, loquatur vt oracula Dei. Genus loquẽdi per se euidens est, perinde ac si dicas, Tu tuis fruere, & mea mihi intacta sine. Nam sensus est, Nolo tecum vllum habere commercium, vt pote à cuius rebus abhorreo prorsus. Ita in præsenti Dominus, Nolo, inquit, commisceri inter se verbum meum & somnia humana. Volo autem vt verbum meum annuncietur verè, vel fideliter, aut purè, inte

Verbũ Dei illibatũ est conseruandũ, absq; cõmixtione doctrinæ humanæ.

grè, & ſyncerè. Rationem mox addit. Quid enim paleæ cum tritico? Nos dicimus, Wie rympt ſich ſpräwer vnd kernen zamen? Vel, Quam ſimilitudinem aut conuenientiam inter ſe habent paleæ & triticum? Eſt enim prouerbialis loquutio de rebus inter ſe prorſus diſſimilibus & nullo modo comparandis. Sed & adiecta ſententia & ſe explanat & verbi Dei maieſtatem vel excellentiam oſtendit, dicens, An non verbum meum eſt ſicut ignis & veluti malleus petram conterens, diſſipans, diffindens? Eſt autem in his parabolis vel alluſionibus multum gratiæ ac euidentiæ. Benè enim confertur verbum Dei frumento. Nam viuit homo verbo Dei & ſatiatur, ſicut dicitur Matth. 4. Palea inanis eſt, ſpeciem habens frumenti, ſed non paſcit. Doctrinæ enim hominum ſpeciem habent ſapientiæ, quod & Paulus agnoſcit, ſed reuera ſtultitia ſunt, & leues reddunt homines, qui quouis doctrinæ vento (quod vetat apoſtolus) circũferuntur. Porrò ignis puriſſimus eſt, conſumit arida, purgat, illuminat & calefacit. Sic etiam verbum Dei per ſpiritum ſanctum facit. Doctrina hominum fumo ſimilis eſt. Oculos enim animi infeſtat, obturbat & occæcat. Verbum Dei ſicuti gladius ad Hebræos 4. appellatur, ita malleus nunc quoq; nuncupatur, etiam duriſſimas petras conterens & diſſipans. Verbi enim Dei per ſpiritum ſanctum maxima vis eſt. Reddit enim lapidea corda mollia. Grauis & intoleranda eſt eius annunciatio impijs, qui ſe ei opponunt, ſed fruſtra. Confringuntur potentia Dei & impij & impiorum regna. Sicut vniuerſus hiſtoriæ curſus euincit. Scelera quoque per verbum Dei grauiter increpantur. Parcit his doctrina humana, & ſi quando accuſat, videntur ſpargi paleæ, & cauda vulpina incuti. S. Hieronymus hunc prophetæ locum exponens, Pulchrè doctrina peruerſa, inquit, paleis comparatur, quæ medullam non habent, nec poſſunt nutrire credentium populos, ſed de inanibus ſtipulis conteruntur. Et quia ſolent hæretici ſemper proſpera polliceri, & cœlorum regna peccatoribus pandere, vt dicant, Parata ſunt tibi regna cœlorum: potes imitari maieſtatem Dei, vt abſq; peccato ſis. Accepiſti enim liberi arbitrij poteſtatem & legis ſcientiam, per quam conſequaris quod volueris, decipiuntq; blãditijs miſeros & maximè mulierculas oneratas peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ. Et reliqua.

Coloſſ. 2. Epheſſ 4.

Verbum Dei ignis eſt.

Deceptionũ et pſeudoprophetarum genera.

Tandem verò colligit deceptionum & pſeudoprophetarum genera, quibus minatur extrema quæq; à Domino. Dum enim dicit, & tertiùm repetit, maxima cum vehementia, Ecce ego contra prophetas iſtos, ſcilicet me opponam, minatur malum extremum. Quis enim non exhorreſcat, qui audiat Deum hoſtem ſuum futurum? Germanicè diceremus, Sich ich wil an ſy hin. Quaſi dicat, Cum emendari nolint, ac ſe inuictos putent, regúmque patrocinio defendantur, vt multis videatur impoſſibile eſſe hos vel in ordinem redigi, vel è gradu vel faſtigio ſuo deturbari, & pro meritis puniri poſſe, ego me eis obijciam, ego illis occurram, qui me arbitror ſatis inſtructum eſſe, qui commeritum de ipſis ſumere queam ſupplicium. En ergo ego adſum, ego iſtos cohercebo. Ac primũ quidem genus deceptionis & pſeudoprophetarum eſt illud, quod ſuffuratur miſero populo verbum Dei. Fit hoc modis varijs. Nam eleuare ſolent verbum Dei impoſtores, dicentes hoc obſcurum eſſe, imperfectumq;, quod niſi illuſtretur cõmentationibus humanis, & abſoluatur traditionibus, nihil certi boniue docere poſſit. Itaq; doctrina hominum præfertur verbo Dei. Sunt qui in vniuerſum Bibliorum interdicant lectionibus. Hi omnes ſuffurãtur verbum Domini, & quidem hodie. Quidam locos aliquot ex ſcripturis decerpunt, ac eoſdem violenter detorquent ad ſuum inſtitutum prauum. Hæc hodie fiunt. Ieremiæ temporibus, alijs quoq; & alijs rationibus tollebant verbum Dei è populo, ſua ſomnia è diuerſo inſerebant ſimplicium animis. Ad ſecundum genus pertinent mollificantes

(vt qui-

(vt quidam legunt) linguam suam. Alij vertunt, Qui assumunt linguas suas. Reuera, qui vsurpant linguam suam, id est, qui prompti sunt lingua & audaces. Nos dicimus, die das mul bruchen dörffen: magna videlicet præditi linguæ fiducia, qua & decipiunt simplices. Habebant illi in ore, Ipse dixit, affirmantes ea quæ dicebant Dei esse voces, &c. Ad tertium genus referuntur somnia & inanes visiones. De quibus antea dictum est, ac sequitur in præsenti, Et seducunt populum meum mendacijs suis, atque leuitatibus. Alij legunt, blanditijs. Hieronymus, miraculis. Sed alludit iterum ad paleas. Leuissima enim & prorsus omni spiritu Dei inania sunt decreta hominum. Ac repetit hic iterum, Non misi istos, non præcepi illis quicquam. Addit, Nihil vtilitatis adfert illa doctrina populo: imò ceu pernicies certissima nocet plurimum. Quod & apostoli postea dixerunt. Cauendi sunt itaque, & non audiendi pseudoprophetæ, quos perdet Dominus. Cui soli gloria in sæcula. Amen.

Grauiter obiurgat contemptores prophetiæ, & scurriliter de ea loquentes, interitum & ignominiam eis denuncians.

CONCIO LXXXII.

Cum populus iste te interrogauerit, aut propheta aut sacerdos, dicens, Quodnam est onus Domini? dices ad eos, Quodnam onus? Et abijciam vos, dicit Dominus. Quòd si propheta, sacerdos, aut populus dixerit, Onus Domini, visitabo virum talem & domum eius. Sic dicetis quisque ad proximum suum, & quisque ad fratrem suum, Quid respondit Dominus, & quid loquutus est Dominus? At oneris Domini vltra ne memineritis. Suum enim cuique verbum onus erit: & peruertistis verba Dei viuentis, Domini exercituum, Dei nostri. Sic dices ad prophetam, Quid respondit tibi Dominus, & quid loquutus est Dominus? & non dicetis Onus Domini. Iccirco sic dicit Dominus, Quandoquidem dicitis verbum istud, Onus Domini, ego autem misi ad vos, ne diceretis, Onus Domini, iccirco ecce & ego vos leuando tollam, & abijciam vos à facie mea, & ciuitatem istam quam dederam vobis & patribus vestris, & adficiam vos sempiterno opprobrio, & æterna ignominia, quæ in obliuionem nusquam veniet.

Contra illusionem & contemptum verbi Dei.

SVb finem Orationis 9. Ieremias grauiter reprehendit & obiurgat ingens cùm sacerdotum tum promiscui populi flagitium, id quod si perseueret in finem, non temerè appellari mereatur peccatum in Spiritum sanctum. Nam prædicationem verbi Dei, à Ieremia propositam, vertebãt in fabulam & ludibrium, scurriliter & per irrisionem fastuosam vanamq; de illo loquentes, contumelioseq; appellantes prophetam, ac dicentes, Vbi verò est onus illud tuum Ieremia, de quo subinde garris, & nos inaniter territas? S. Hieronymus in suis Commentarijs hæc eleganter explicans, Verbum Hebraicum, inquit, משא Aquila, ἄρμα, id est onus & pondus, interpretatur. Symmachus, LXX. & Theodotio assumptionem. Vbicunque ergo graue est quod Dominus comminatur, & plenum ponderis ac laboris & importabile, in titulo quoque ἄρμα, hoc est pondus dicitur, &c. Quia igitur prophetæ solebant populo peccatori tristia nunciare, & cõminari supplicia, vt eos retraherẽt ad pœnitentiam, clemens autem & misera tor Dominus, diu sententiam differebat, putabat deceptus populus & pseudoprophetarum fraude reductus, non ventura quæ Dominus minabatur, & rem

seueram in ludum & iocum verterant, prophetantibusq; prophetis, quasi irridentes, dicebant, Rursum hic videt pondus & onus Domini: atque ita fiebat vt nequaquam vltra visio, sed per iocum atq; derisum onus & pondus appellaretur. Præcepit ergo Dominus, vt siue populus, siue propheta, siue sacerdos interrogauerint Ieremiam, Quodnam sit pondus, vel quę assumptio Domini, respondeat eis, & dicat, Vos estis onus, & vos estis assumptio. Assumam enim vos & proijciam, illidamq; terræ, & interire vos faciam. Et reliqua quæ sequuntur in Hieronymo. Similia prorsus audias hodie à quibusdam verbi Dei contemptoribus, quibus, cum crapula, ebrietas, mercenaria militia, auaritia, libido & petulantia accusantur ex verbo Dei, & dira commemorãtur supplicia, semper est in ore, Semper isti pfaffi comminiscuntur aliquid infortunij, semper pastor queritur de lupis, cum Deus neq; ita morosus sit, sicuti isti Deũ fingunt, neq; ipsi tantoperè displiceãt mores nostri, quantoperè isti volunt videri. Pergamus ergo in nostris studijs voluptuarijs. Satis adhuc spacij & temporis erit ad pœnitentiam, cum viribus naturæ destitutus, necessitate cogar voluptatibus renunciare: interim viuam pro meo arbitrio & genio. Mendacia sunt in vniuersum omnia illa, quæcunq; comminiscuntur prædicatores nostri de ludicijs Dei, &c. Et quæ huius generis alia cõminiscuntur Heliogabali & Irrisores omnis disciplinæ & doctrinæ salutis veræ. Docet autem Dominus Ieremiã, quomodo se gerat, & quid regerat incessantibus ipsum, impudenterq; obijcientibus, Quodnam onus annuncias nobis Ieremia? Nam subijcit, His respondebis, Quodnam onus? Certè abijciam vos, dicit Dominus. Responsio illa magnam habet indignationem, simul & eclipsim, vti fieri solet in huiusmodi mordacibus responsionibus. Sensus enim est, Quid quæritur à me, quodnam onus annunciem? Etenim si scire vultis quodnam onus annunciem, dico vos omnino esse onus, vtpote qui facti sitis Domino Deo nostro pondus importabile (Gott ein grosse liberburde) qui & porrò non sufferet aut feret vos amplius, sed proijciet à se, terræq; illidet, vt solent qui molestum & odiosum onus ex humeris in terram, magna cum indignatione, dejciunt. Significat autem illos & abijciendos fore à Deo, & magnis multisq; calamitatibus atterendos. Vnde discimus nusquam cedendum aut silendum esse irrisoribus, aut scurris verbi Dei prophanis & impijs, sed constanter annunciandam esse eis iram & vindictam Domini.

Dominus punit omnes verbi sui irrisores.

Porrò enim apertius explicat quod dixerat, ostendens Deum certò animaduersurum in omnes tales scurras & irrisores, vel contemptores verbi diuini. Quisquis fuerit, ait, vel ex doctoribus, vel ex plebeis, qui petulanter & per ludibrium dixerit, Onus Domini, ego sanè visitabo super virum talem. Visitandi verò vocabulum comprehendit omne malum, ac significat propheta, Deum certissimè & grauissimè vindicaturum se de huiusmodi irrisore, imò & de domo eiusdem. Sed dicas, Quid commeruit domus innoxia? Sciendum ergo non minari Deum innoxijs, sed quòd ferè domus soleat patremfamiliâs insolentem, petulantem & irrisorem, sequi insolentia, petulantia ac irrisione. Dum enim domus nihil aliud videt & audit quàm impia, iocos, illusiones & contumelias, assuescit & ipsa illusionibus. Sed de pœna illusorum sub finem dicetur paulò copiosius.

Quomodo excipiendum & audiendum verbum Dei.

Cæterùm in media hac obiurgatione & reprehensione institutionem admodùm vtilem interserit, Nam Deus est benignus qui semper docet vtilia. Principiò itaq; docet quomodo excipiendum vel audiendum sit verbum Domini, dilligenter vtiq;, & magna cum reuerentia perquirendũ, quid à nobis requirat Dominus, agnoscendum item quod per prophetas nobis loquatur Dominus, ac cogitandũ insuper quomodo conformemus nos sanctissimę eius voluntati. Nã hoc est quod

est quod dicit Ieremias, Sic dicet quisq; ad proximum suum, & quisq; ad fratrem suum, Quid respondit Dominus, & quid loquutus est Dominus? Deinde docet à quo nobis, cum annunciatur verbum Dei, caueamus, ne videlicet dicamus, Onus Domini, id est, vt caueamus nobis ne petulanter irrideamus vllo modo prædicationem verbi Dei, neue loquamur scurriliter de verbis Domini. Rationem verò huius sui mandati subiungit, & ait, Etenim suum cuiq; verbum onus erit. Id est, quod quisque petulanter scurratur, & per ludibrium dicit, Onus Domini, abundè cuiq; ponderosum satis erit onus; nimirum vberrima mali calamitatumq; & pœnarum materia. Si enim reddenda est ratio, iuxta verbum Christi Seruatoris, de quouis verbo otioso, quantò magis de indignis & contumeliosis verbis dictis in annunciationem verbi Dei sanam, reddenda erit ratio? Quantò item grauiores dabunt pœnas, si appellauerint doctrinam euangelicam hæresim & doctrinam seditiosam? denique si exurant ipsa Biblia? Addit huic protinus & aliud, ostendens quale sit hoc scelus, illusio videlicet verbi Dei. Peruertistis, inquit, verba Dei. Peruersio ergo est illusio illa. Ac reuera nihil aliud est quàm peruersio, quoties in alienum sensum, siue per ludibrium, siue per malitiam detorquemus verbum Dei, vertimusq; in iocum, fabulam & dicterium. At peruertere verbum Dei scelus est maximum, at nostro sæculo frequentissimum. Quidam enim in deliciis habẽt detorquere scripturas sanctas, atq; adeò ipsum Symbolum apostolicum cum Oratione Dominica, ad suas scurriles illusiones. Quidam hoc referunt ad Pasquillum ciuem, imò scurram illum Romanum. Verùm non excusatur quisquam fictitij idoli, id est Pasquilli vel saxi titulo, qui cum verbo Dei ludit, rebus ludicris ac leuibus applicat, & verbum Dei peruertit. Multa cum reuerentia & serio cum timore Dei loquendum est de verbo Dei, neq; temerè aut inaniter est vsurpandum nomen Domini. Facit autem ad exaggerationem huius sceleris, quod nõ contentus est dixisse, Peruertistis verba Dei viuentis, sed insuper addit, Domini exercituum, & Dei nostri. Quasi dixerit, Oportebat vos maiorem tanto numini exhibere reuerentiam, & non ita contemptim ac per ludibrium loqui de verbo Dei tanta maiestate verendi. Damnantur istis illi quoq;, qui propter compendium aut auaritiam, aut ambitionem vincendiq; cupiditatem detorquent, deprauant & corrumpunt vel peruertunt scripturas sanctas. Id quod nostra quoq; ætate vulgarius est quàm deceat.

Matth. 12.

Peruertere verbum Domini.

Pasquilli ex detortis confecti scripturis.

Quod autem modò dixit & docuit cum reuerentia audiendum esse verbum Dei, nullatenusq; hoc irridendum aut peruertendum, id ipsum repetit totidem propemodùm & omnino similibus verbis. Repetitio autem illa inanis non est: sed id quod dicitur probè commendat, inculcat, atque animis nostris infigit atque insculpit. Repetitione itaque vehementer commendat nobis reuerentiam erga verbum Domini, & erga conciones factas ex verbo Dei. Sic dicet quisq;, ait, ad prophetam sibi missum aut datum à Domino, Quid respondit tibi Dominus? Et reliqua.

Reuerẽtia summa exhibenda est verbo Dei.

Per consequentia verò copiosius prosequitur pœnam diuinitus illis destinatam, qui nullis emendantur admonitionibus, sed pergunt pertinaciter irridere verbum Dei, & scurriliter loqui de Concionibus ex verbo Domini religiosè formatis. Principiò autem culpam istorum ostendit, & quodammodo conduplicat, Ego quidem misi concionatores, & monui ne faceretis quod facitis: hoc est, ne diceretis, Onus Domini (Gottes burde) sed pergitis vos, & dicitis more vestro, Onus Domini: id est, ludibrio habetis conciones verbi Dei. Deinde se hanc peruicaciam puniturum subdit, & ait, Eam ob rem agam vobiscum, vt solet agi cum onere. Hoc vbi diu subsidit in humeris portantis nõ sine molestia, proiecit tandem illud à se in terram. Ita enim cum longanimitate mea patienti vos diu

Pœna contemptoribus & irrisoribus destinata.

iam ſuſtinuerim, & quaſi in humeris meis portauerim, expectans emendationem vel pœnitentiam, ea verò nuſpiam compareat, quin potius vos oneri adiſciatis onus, cogor tandem vos in ſublime attollere, & à me in terram proiſcere & illidere: id eſt, grauibus ſupplicijs vos perdere, & à facie mea abiſcere, vel prorſus negligere, vt in luto inhærentes, intereatis in peccatis veſtris. Alludit autem, dum dicit, leuando tollam, id eſt, in ſublime attollam ac delibrabo, ad geſtum illorum, qui quo grauius onus illidant in terram, prius altius attollunt. Hieronymus legit, Tollam vos portans, & derelinquam vos. Alij legunt, Leuando tollam, & obliuiſcar veſtri. Senſus in idem redit. Significat enim ſe iſtos grauiſsimè puniturum. Ipſe enim ſeſe exponens, addit, Et ciuitatem iſtam, quam dedi & vobis & veſtris patribus, abiſciam videlicet, aut eius obliuiſcar, eamq; derelinquam: id eſt, diripi, incendi & vaſtari ſinam. Addit & alia admodùm grauia, Et adficiã vos ſempiterno opprobrio, &c. Nam par pari refert Deus iuſtiſsimus. Sicut enim ignominia verbum Dei affecerunt, & irriſerunt, ita meruerunt ignominia ſempiterna, quæ nunquam aboleatur, adoperiri. Complentur hæc etiam in hoc ſæculo, & maximè in futuro: ſicuti commemorant hiſtoriæ, teſtantes omnes verbi Dei contemptores ignominia à Deo ſemper fuiſſe adopertos. Et iſta eſt ſors omnium illuſorum, vt inquam æterna ignominia afficiantur, qui Deum & verbum ac prophetas eius nunquã deſierunt opprobrijs contumelijsq; afficere. Atque vtinam probè hæc expendant, qui hodie plurimum ſibi permittunt, putantes id ſibi impunè contra conciones ſacras licere quod libet. Sed experientur tandem manum Domini grauem. D. Hieronymus aít hæc pleniſsimè expleta eſſe in Iudæis poſt aduentum Chriſti Domini. Vrbem enim ipſorum exciſam eſſe, ipſosq; æterna adopertos ignominia, eò quòd filium Dei & Euangelium eius ſpreuerint & irrideant. Domino Deo noſtro ſit laus & gloria ſemper.

ORATIO IEREMIAE DECIMA.

Viſione oſtendit Iechoniam cum abductis in captiuitatem benignũ Deum experturum: cõtra verò Zedechiã cum ſuis iratũ.

CAPVT XXIIII.

CONCIO LXXXIII.

OStendit mihi Dominus, & ecce duo corbes ficuum poſiti erant ante templum Domini, poſteaquam captiuos abduxerat Nabuchodonoſor rex Babylonis Iechoniam filium Ioachim, regem Iuda, & principes Iuda, & opifices & incluſores de Hieruſalem, & duxerat eos in Babylonem. Corbis vnus continebat ficus valde bonas, quales ſunt ficus præcoces, alter verò corbis continebat ficus valde malas, quas præ auſteritate non edas. Dixitq; Dominus ad me, Quid vides tu Ieremia? Et dixi, Ficus, ficus inquam, & quidem bonas valde: ficus item, & quidem malas valde, quas præ auſteritate nemo edat. Et factũ eſt verbum Domini ad me, dicens, Sic dicit Dominus Deus Iſraelis, Sicut ficus iſtæ bonæ (ſunt) ſic agnoſcam in bonum captiuitatem Iuda, quam emiſi de loco iſto in terram Chaldæorum. Ponam enim oculos meos ſuper ipſos in bonum, & reducam eos in terram iſtam: adificabo eos & non diruam,

diruam, plantaboq́; eos & non euellam. Dabo insuper eis cor, vt me cognoscant, quòd ego sim Dominus: ipsi erunt mihi populus, & ego ero eorum Deus: quia reuertentur ad me ex toto corde suo. Et sicut ficus malæ, quæ comedi non possunt præ austeritate (& abijciuntur) dicit Dominus: ita dabo Zedechiam regem Iuda & principes eius, & reliquias Hierusalem, quæ reliquæ factæ sunt in terra ista, & qui habitant in terra Ægypti: hos inquam dabo in diuexationem & in malum omnibus regnis terræ, in opprobrium, in prouerbium, in fabulam, & in execrationem in omnibus locis ad quæ eiecero eos. Et mittam in eos gladium, famem, & pestem, donec consumantur de hac terra, quam tradidi eis & patribus eorum.

VIDETVR Oratio Ieremiæ decima, hoc locò ea de causa collocata esse, quòd in præcedenti Oratione prædictum est Iechoniæ, futurum, vt in Babylonem abducatur captiuus. Nunc ergò prophetiæ veritas subiungitur, vt discamus nihil addubitare de verbis Domini, siue bona siue mala nobis annunciantibus. Est autem argumentum huius Orationis Visio oracularis, visionisq́; clara explicatio: in qua enarranda vtemur hoc ordine. Principiò commemorabimus ex historia sacra paucis, Visionis occasionem: deinde ipsam visionem qualis sit dicemus. Inde eius expositionem tractabimus. Postremò vsum & fructum ostendemus, id est paucis enarrabimus quæ inde ad nos redeat vtilitas. *Veritas & firmitas verbi Dei.*

Occasio fusè exponitur in 24. cap. 4. libri Regum: cuius hæc est summa. Successit in regno Iudaico parenti Ioachimo, per Nabuchodonosorem abducto, filius Iechonias, iam annos natus 18. Sic enim visum fuerat regi Babylonio. Iechonias verò fidem non seruauit vel Deo, vel Regi, rex itaq́; Babylonius misso exercitu obsedit vrbem Hierosolymam. Rex Iechonias dedidit se Babylonio, qui mox ipsum cum matre regina, cum vxoribus & vniuersa aula, denicq́; cum flore totius regni, ad 10000. hominum secum abduxit in Babylonem, præciosissimis quoque rebus & templi & regiæ conuasatis. Abduxerat paulò ante idem Nabuchodonosor parentem Ioachimum, & bonam portionem rerum & hominum præstantissimorum, inter quos ducebatur tunc etiam Daniel. Certè à captiuitate Iechoniæ, & non à capta vrbe, incipit supputatio 70. annorum captiuitatis. Substituebatur autem in Iechoniæ abducti locum Zedechias. At hic cum reliquis suis existimabat Iechoniam stultè egisse, qui se tradidisset captiuum regi barbaro. Sperabat nescio quid ampli, ac omnes omnia sibi pollicebantur feliciora: contra, stultitiam in Babylonem abductorum, & lugebant & incusabant. Proinde mittit ad hos Ieremiam Dominus, qui his annunciet felices esse captiuos, infelices in vrbe & agro adhuc residuos, & quòd non rectè iudicent de vera felicitate & infelicitate. Vnde claret Orationem hanc dictã esse circa principium regni Zedechiæ impij & perfidi regis. *Historia huius loci.*

Cæterùm agit cum his more prophetico per visionem oracularem, quæ talis est: Obijcit Ieremiæ per visionem prophetică duos calathos vel corbes aut sportulas refertas ficubus, & positas quidem ante templum. Mox interrogat Dominus Ieremiam, & quid videat? Respondet vates, duos se videre corbes ficuum, ac diuersi quidem generis. Nam alium calathum continere ficus dulces, quales esse soleant præcoces: alium verò habere ficus malas, & quidem pessimas, id est, acerbas & austeras, adeò vt præ acerbitate comedi non possint ab vllo homine, ac proinde abijciantur & conculcentur. Hoc inquam est paradigma. De Visionibus prophetícis, & de genere loquutionis rationeq́; docendi per visiones & paradigmata vel parabolas, abundè dixi antea, vt modò inaniter illa re- *Visio oracularis.*

Sportæ ficuum ante templum.

peterem. Ante templum videt illas ſportulas collocatas, quòd res ipſa, per illas ſignificata, pertinere videatur ad omnes, qui vtebantur templo, & quòd Deus illa voluerit extare in propatulo coràm oculis omnium, quorum item auribus in templo per concionem ſacram iuſsit ingeri per Ieremiam. Et quemadmodum omnibus perſuaſum erat oculos Domini ſemper intentos eſſe in templum Hieroſolymitanum, & Dominum hoc curare ſeriò: ſic innuere voluit Dominum ſeriò inuigilaturum ei negotio, quod corbibus ſignificabatur.

Expoſitio viſionis.

Sequitur autem expoſitio ipſius Domini, explicantis planè quid per corbes & ficus intellexerit aut adumbrare voluerit. Quemadmodũ enim ficus, inquit, gratæ ſunt hominibus, cupidè præcoces decerpentibus: ita acceptus & charus erit mihi Iechonias cum ſuis abductis in captiuitatem. Et quemadmodum acerbæ ficus omnibus ingratę ſunt, ac negliguntur ab omnibus, abiiciuntur & conculcantur: ita ſanè inuiſus mihi erit Zedechias cũ ſuis, quos abiiciam & barbarorum pedibus conculcari ſinam. Significant ergo calathi illi duo, duos populos. Prior cum principe Iechonia commiſerat ſe voluntati & miſericordiæ Domini, ac crucem ſubiens dediderat ſe Babylonio regi, & abductus in Babylonẽ, in captiuitate agebat: hic ſignificabatur per bonas ficus. Bonitas autem non refertur ad bonitatem populi abducti, ſed ad clementiam Dei, qui ſe propitium fore populo illi promittit. Alioqui populus propter peccata commiſſa abducebatur in captiuitatem. Dicit autem Dominus, Captiuitatem Iuda, vel captiuos Iudæos, agnoſcam in bonũ. Reſpondet autem loquutioni huic Germanica noſtra, Ich wil ſie zů gůtem gedencken. Propitius ei ero, ac benefaciam, amoreq; & ſtudio ſingulari proſequar. Obſeruandum autem illud, quod Dominus dicit, Se emiſiſſe captiuitatem in terram Chaldæorum. Licet enim Nabuch. abduxerit, per diuinam tamen prouidentiam & iudicium Dei iuſtum abduxit. Sed vt aliàs ſæpe, ſic in præſenti ſemetipſum exponẽs, quid intellexerit per agnitionem in bonum, ſubdit, Et ponam oculos meos ſuper ipſos in bonum. Eſt autem hæc loquutio Hebręis vulgaris (ſumpta ex hominum conſuetudine) qua ſignificant, Deum aſpicere res mortalium oculo benigno & clementi, non truci: nimirum curare res eorum iuuareq; & propitium eſſe. Nam eos quibus bene volumus, benignè aſpicimus, &c. Rurſus autem per interpretationem ſubiungit, & ait, Reducam eos in terram iſtam, Sic inquam clemens & propitius eos reſpiciam. Addit & aliud beneficium, Ædificabo eos, & nõ diruam: plantabo, & non euellam. Genus loquutionis petitum eſt ab ædificantibus & agricolis. Significat autem ſe illos multiplicaturum, & multiplicatis benedicturum, omnesq; in benedictionibus conſeruaturum. Iſtis coniungit adhuc tanto maiora quantò corporalia præcellunt ſpiritualia. Promittit enim ſe illis daturum cor docile & intelligens, quod videlicet cognoſcat, ait Dominus, quòd ego ſum Dominus. Ex quibus, licet pauciſsimis verbis, intelligimus Deum dare homini intellectũ rerum cœleſtium atq; ſalutis. Homines enim ſua natura cæci ſunt & ignari rerum diuinarum: intelligimus item quæ ſit ſumma & quis ſcopus veræ intelligentiæ, cognitionis & ſapiẽtię, nouiſſe videlicet quòd Dominus ipſe ſit Dominus & Deus noſter, propitius vtique peccatis noſtris, pater, defenſor, & theſaurus noſter, ex quo vno in nos deriuentur bona & ſalutis omnia. Hoc totum agnoſcebant Iſraelitæ, cùm ad victoriam Heliæ contra Baaliſtas obtentã, clamabant vniuerſi, Dominus eſt Deus, Dominus eſt Deus. De hac cognitione dixi nonnihil cap. huius operis. 9. Ad expoſitionem gratiæ fuſiorem & planiorem illa quoq; faciũt, quæ ſequuntur, Ipſi erunt mihi populus, & ego ero illorum Deus. Summa ea eſt æterni fœderis & promiſsionum omnium. De qua dictum eſt aliàs copioſiſsimè. Ponuntur hæc verba etiam Gen. 17. cap. Adiungit his rationem cur ſit futurus illorum

Duo populi cũ duobus regibus

Cor docile dat Dominus.

illorum Deus, Quia reuertentur ad me ex toto corde suo. Est enim reuersio quę dam ad Deum, sed non integra, quinimò magis hypocritica. Vera autem & syncera erit illa conuersio de qua hic loquitur: verè ergo erit ipsorum Deus, Dominus vniuersorum. Completa sunt autem ista omnia, primùm quidem in Iechonia & captiuis. Nam Euilmerodach è carcere eductum præposuit ipsum omnibus principibus. Historia Hesther item declarat quantoperè amauerit Deus captiuos, & pro salute ipsorum inuigilauerit, atq; in maximis periculis conseruauerit. Deinde completa sunt illa in liberatione populi Dei ex captiuitate Babylonica, & postea vsq; ad tempora Christi. Postremò autem omnium plenissimè complentur illa & in Christo Domino nostro, & in sancta eius ecclesia.

Posterior populus per acerbas ficus significatus, rebellis ille erat populus, qui sub rege Zedechia Ieremiæ sermones fastidiebat, Deumq; ipsum conspuebat. Significanter enim exprimit Zedechiæ regis nomen, & reliquias vrbis & regni. Reliquias inquam ex abductis in captiuitatem sub Ioachim & Iechonia. Adiungit his habitantes in Aegypto, eos inquam, qui descensuri erant in Aegyptum, ac ibidem habitaturi, vt audiemus cap. 44. & circiter. Hos omnes dicit se Dominus coniecturum in diuexationem, in malum seu infortunium ingens, in opprobrium & cõtumeliam, in prouerbium item, & fabulam, & execrationem. De quibus aliâs dictum est sæpius. Interea ait se missurum in illos famem, gladium & pestem, donec penitus consumantur, & nihil prorsus fiat ex eis residui. Hoc ipsum minatur Deus etiam nobis & omnibus inobedientibus & rebellibus. *Quid rebelles sint passuri.*

Nam ex isto Iudæorum infortunio ille redit ad nos fructus, quòd ipsorum infelici exemplo territi, discimus obediendum esse prædicationi verbi Dominici, & non obmurmurandum, nisi & nobis interire libeat. Habemus in hac etiam Oratione dogma singulare & necessarium, mundanos homines vehementer errare in suo iudicio, dum felices aut fortunatos esse putant, qui nullis subditi calamitatibus felices viuunt in hoc sæculo. Ita certè omnes Christiani propter impositam crucem existimantur miseri, beati verò persequutores ipsorum, & quicunque abnegando religionem aut dissimulando, præsentibus temporibus commodis & voluptatibus sese accommodant, aut qui vsuris & artibus cruentis opes congerunt maximas. Contrarium hic sanè apparet, Iechonias enim captiuus, beatus & felix pronunciatur, Zedechias verò liber & Iudaico regno præfectus, qui videbatur felix præ Iechonia, est omnium miserrimus & calamitosissimus vnà cum suis omnibus. Sed & illud ex his colligimus, Deum veracem & clementem & iustum, finem aliquando malorum facere, & consolari & liberare suos afflictos: rursus incurabiles certò & suo quidem tempore punire grauiter. Timeamus ergo Dominum Deum nostrum, & demus ei gloriam, qui solus est benedictus in sæcula sæculorum, &c. *Fructus & vtilitas huius orationis.*

ORATIO IEREMIAE VNDECIMA.

Summam colligit Concionum suarum, ac denunciat eis exitium & captiuitatem septuaginta annorum propter commissa peccata.

CAPVT XXV.

CONCIO LXXXIIII.

VErbum quod fuit ad Ieremiam ſuper vniuerſo populo Iuda anno quarto Ioachim filij Ioſiæ regis Iuda, qui annus primus fuit Nabuchodonoſoris regis Babylonis, quod loquutus eſt Ieremias propheta ad cunctũ populũ Iuda, & ad omnes habitatores Hieruſalem, dicens, A decimo tertio anno Ioſiæ filij Amon regis Iuda, vſq; in hunc diem (viginti iam tribus annis) factum eſt ad me verbum Domini, & alloquutus ſum vos manè ſurgendo & loquendo, & non audiuiſtis. Et miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos prophetas manè ſurgendo & mittendo, attamen non audiuiſtis neq; inclinaſtis aurem veſtram, vt audiretis. Dicebat autem, Reuertimini quæſo quiſq; à via ſua mala, & à malis ſtudijs veſtris, & habitabitis ſuper terram, quam dedit Dominus vobis & patribus veſtris à ſæculo in ſæculum. Ne iueritis poſt Deos alienos, vt colatis eos atq; adoretis eos, neq; exaſperetis me opere manuum veſtrarum, & non malefaciam vobis. Sed non audiſtis me, dicit Dominus. Exaſperaſtis enim me operibus manuum veſtrarum in malum veſtrum. Iccirco ſic dixit Dominus exercituum, Eò quod non audiuiſtis verba mea, ideò ecce ego mittam & accipiam vniuerſas familias Aquilonis, dicit Dominus, & Nabuchodonoſorem regem Babylonis ſeruum meum, & adducam eos in hanc terram & ſuper habitatores eius, & ſuper omnes gentes iſtas quæ circumquaq; ſunt, & funditus excindam eos. Et ponam eos in ſtuporem, in ſibilum, & in vaſtitates perpetuas: perdamq; ex eis vocem lætitiæ, & vocem gaudij, vocem ſponſi & ſponſæ, vocem molæ & lumen lucernæ. Redigeturq; vniuerſa iſta terra in ſolitudinem & vaſtitatem, & ſeruient gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annos.

Orationis huius ſcopus.

ORATIO hęc Ieremiæ XLI. ordine, veluti ſummariũ eſt omnium concionum habitarum vſq; ad 4. annum regis Ioachim: eſt denicq; ceu proteſtatio quæpiam, & quidem grauis, qua affirmat conſtantiſſimè, ſe quidem toto hoc tempore neglexiſſe nihil in ſuo miniſterio erga ipſos, ac Deum in primis accuratiſſimam impendiſſe operam, vt reuerterentur in viam iuſtam, nec perirent ſed ſeruarentur, cæterùm ipſos oblatam ſalutem repuliſſe contumaciter. Huiuſmodi itaq; eſt quod dicere videtur, quale illud Domini Ieſu in ſancto euangelio celeberrimum, Hieruſalem, Hieruſalem, quoties voluite congregare ſicut gallina pullos, &c. Matth. 23. Nõ quòd Pelagianicum his liberum arbitrium aſſeratur (quod & in Comment. ſuis ſuper hunc locum oppugnauit S. Hieronymus) ſed quòd culpa grauis populi rebellis & pereuntis oſtendatur, in ipſis non in Deo reſidere.

Titulus orationis.

Titulum more ſuo præfigit, & hunc ſatis copioſum, in quo iterum oſtendit authorem omnium Deum. Nam dicit verbum vel reuelationem eſſe factam, nimirum à Domino Deo. Apponit item tempus quo dicta ſit hæc oratio, annum 4. Ioachim, quem eundem dicit fuiſſe Nabuchodonoſoris annum Babylonici videlicet regni primum. Aperit autem ſe in præſentiarum prophetiæ diuinitas. Quis enim putauiſſet hunc Nabuchod. illum ipſum eſſe qui erat afflicturus populum Domini? Iam verò coniungit hũc cum Ioachimo, quaſi dixiſſet, Hic princeps & Ioachimum, & regnum Iuda perditurus eſt. Et quidem creſcit hæc virga Domini, ſimul atq; fruticeſcũt ſcelera Ioachimi, & populi Iuda. Sceleratiſſimus fuit Pontifex Bonifacius octauus, qui primus Iubileum Iudaicum in eccleſiam reduxit; ſed ſimul cum ipſo exortus eſt Otthomannus, ſtirps & radix Turcicorum Im-

rum Imperatorum, qui vereor, reformabunt reformationem accipere nolentes. Non ignorant historiarum studiosi, quantum Romanæ ecclesiæ ademptum sit, & quanta mala illata sint Papisticis Christianis à Turcarum Imperatoribus, quibus Dominus gladium tradidit ad puniendum Papatum. Præterea exprimitur etiam in hoc titulo, ad quos pertineat hæc Oratio, ad cunctum populum Iuda, & ad omnes ciues Hierosolymitanos. Alibi verò diximus, nihilominus hæc etiam hodie pertinere ad populum Dei.

Titulo subnectitur Oratio vel Concio Ieremiæ 11. cuius argumentum vel summa & scopus hic est, Deus ceu benignus pater peccantes vos reuocauit maturè satis in viam per prophetas suos: vos autem vestri similes perpetuò, bellum veluti suscepistis cum Deo, & ad meliorem vocanti frugem, rebellastis, & etiam num contradicitis, & in via scelerum pertinacissimè pergitis. Eam ob rem peribit, vastabiturq; regnum, & in captiuitatem abducetur populus à rege Babylonis Nabuchodonosore. Atque hæc sunt quæ copiosè tractauit omnibus suis orationibus hactenus per nos ab initio huius operis expositis. Auspicatur autem à tempore. Nam subducta ratione ostendit se iam munere prophetandi vsum fuisse per annos viginti tres continuos. Queritur autem, quòd vtcunque diligenter suo munere functus sit, nullo tamen cum fructu ipsos docuerit, quippe cũ à malitia sua abduci non quiuerint. Tempestiuè, inquit, surrexi, instar vigilantis, & nihil negligentis patrisfamilias, summaq; diligentia annunciaui vobis, quæ mihi crediderat Dominus: cæterùm vos non audiuistis. Audiuerunt quidem concionantem, sed non obtemperauerunt concionanti, ac perinde in studijs suis prauis perrexerunt, quasi nihil eis fuisset dictum, nihilq; audiuissent prorsus. Eandem prorsus videas hodie in multis incurabilem corruptelam, & infractum ad pessima quęq; cursum. Dominus potentia & misericordia sua reflectat eum. Supputatio temporis, cuius hic fit mentio, sic constat. Imperauit sanctissimus rex Iosias annis 31. Ergò si ordiaris supputationem Ieremiæ ab anno 13. Iosiæ, habebis reliquos vsq; ad 31. decem & nouẽ. Quibus si coniunxeris Ioachimi annos quatuor, numerabis in vniuersum annos 23. Ex qua supputatione illud quoq; colliqueſcit, sub Iosia quoq; pessimum fuisse populum Iuda, licet ipse ad viuum resecasset omnem cultum peregrinum, & purum putum Dei cultum restituisset. Tacuit quidem & se non opposuit palàm reformationi populus, quam cernebat probari tanto regi, & palàm confirmari lege Domini diserta & expressa: sed expectabant interim opportunitatem aliquam, qua adiuti iugum verbi Dei excuterent, & ad vomitum idololatriæ redirent, inquo se abundè satis volutarent. Fuerunt itaque hypocritæ truculenti: quorum hodie quoque videas magnum vbique esse numerum, expectantium redemptionem Israelis, hoc est vt oppressa prædicatione verbi Dei, & reformatione quæ ex hac constituta est proculcata, redeant ad Papæ delyria, imò abominationes. Certè filij Iosiæ protinus à morte parentis inueteratos errores reuocarunt, & fœdissimam idololatriam restituerunt. Concionabatur quidem Ieremias contra hanc malitiam ipsorum, sicuti & Sophonias, sed nullo cum fructu. Etenim non solus Ieremias in illo populo concionatus est. Misit enim Deus multos alios etiam prophetas (id quod sacra quoque historia testatur, 2. Paralip. vlt. quod ipsum etiam facit ad exaggerandam impietatis ipsorum magnitudinem & grauitatem) sed ne hos quidem audire sustinuerunt, tametsi maturè Deus ipsos mitteret, & ipsi diligentissimè suum munus exequerentur, docendo perspicuè & adhortando validè. Similem prorsus peruicaciam impingit & accusat Dominus Iesus in Iudæis apud Matthæum in cap. 23. Ac reuera grande est nephas, licet hodie multis videatur esse religio & in veteri, vt vocant, religione constantia. Sed experientur ali-

Argumentum orationis.

Supputatio temporis.

Grauis populi culpa.

quando, ſicuti & Iudæi, quàm placuerit Deo ipſorum inuicta peruicacia, & rebellio impiſſima.

Summa propheticæ doctrinæ in hoc argumẽti genere.

Iam verò recolligit cùm ſuæ, tum omnium aliorum prophetarum doctrinæ ſummam, genus, argumentum vel materiam. Omnes omnibus ſuaſerunt pœnitentiam, quæ eſt vera ad Deum reuerſio, qua fit vt homines relictis dijs alienis & ſceleribus, vera fide Deum ſolum complectuntur, diligunt, colunt & adorãt, operamq; dant verè bonis & Deo placitis operibus. Huic concioni adiecerunt & illud, Fore vt ſi pij eſſe pergant, permãſuri ſint perpetuò in terra patribus ipſorum ipſisq; conceſſa. De qua re dictum eſt circa initium cap. 7. Quoniam autem omnes prophe-, in primis veram fidem in Deum inculcauerunt, & idololatriam conſtantiſſimè condemnarunt, ideò Ieremias hoc caput doctrinæ ceu præcipuum & primæ tabulæ in lege Domini primum, diſertè recolligit, recolligendoq; exprimit, Ne iueritis poſt Deos alienos, &c. Atq; vtinam homines noſtri ſæculi iſta quoq; audirent, & idola cũ dijs alienis deſererent, ac à ſolo Deo vero penderent Porrò opera manuum idola eſſe alibi diximus, vtpote quæ nihil omnino habent niſi quod eis contulit manus artificis. Quàm verò fœdum & abominandum eſt, hominem manibus ſuis parare Deum, & deinde coràm illo procumbere & adorare? Verè hoc tam effronti & propudioſo ſcelere exaſperatur, & grauiſſimè quidem ad iram prouocatur iuſtiſſimus Deus, qui toties in lege ſua mandauit ne homines operibus manuum ſuarum exaſperent ipſum. Loquutio autem hæc valdè grauis eſt, euincitq; Deum indigniſſimè ferre idola: quod & manifeſtis comminationibus expreſſit in Decalogo lege ſecunda. Adiecerunt tamen prophetæ iterum promiſſionem obſequentibus, Nõ malefaciam vobis. Opponunt iterum huic promiſſioni comminationem. Si verò non paruerit is mihi, cedet illud vobis in malum, vel in exitium.

Pœna impœnitenti populo deſtinata.

Conſequenter enim recolligit quæ cùm ipſe tum alij prophetæ prædicarunt de pœna irroganda contemptoribus Dei & verbi eius. Copioſè autem & diſertè hanc cauſam agit. Et vt in capitalibus ſententijs culpa pœnæ præmittitur; ita in præſenti quoq; capitalem ex ore Dei ſententiam contra Iudæos & omnes rebelles recitans, Eò quod non audiſtis verba mea, inquit, ideò ecce ego, dicit Dominus, mittam & accipiam, &c. Hoſtes ergo nomine proprio exprimit: quò minus dubitarent de veritate comminationis: & vt intelligerent cur antea in titulo coniunxerit nomen Nabuchod. cum nomine Ioachim. Per regem autem Babyloniorum Nabuchod. & Babylonios, interficiam ait, vel vaſtabo, vel funditus vt anathemate notatam deuotamq; excindam terram hanc. Et cum dicit, Familias Aquilonis omnes accipiam & mittam, ſignificat ſe ducem belli futurum, paraturumq; & adducturum exercitum barbaræ gentis numeroſiſſimum. Ac Nabuch. regem Ethnicum appellat in præſenti ſeruum ſuum, non vt Petrum aut Paulum nuncupauit ſeruos, ſed in ſuo genere & officio, cohercendi videlicet & excindendi rebelles Iudæos. Videmus enim reges varij generis habere ſeruos, diuerſis deſtinatos munijs. Cæterùm iuſtiſſima erat illa pœna quam Iudæis rebellibus irrogabat. Dedignabantur enim audire legatos vel oratores à Deo miſſos, prophetas benignè & ſeriò ſuadentes pœnitentiam: proinde digniſſimi erant, qui militem barbarum audirent & ei vſque ad probrum extremamq; ignominiam parerent. Atq; vtinam nobis quoq;, qui hodie tam ſecurè prædicationem verbi Dei faſtidimus, & repellimus, aut ſaltem aſpernamur, nõ eadem ſors cum Hieroſolymitanis ciuibus obueniat. Amplitudinem vel grauitatem miſeriamq; vaſtationis atrociſſimæ, vtcunq; reuocans ſub ſenſum auditorum, Et ponam eos in ſtuporem, ait, & in ſibilum, atq; adeò vt vaſtitates extremas omninoq; deploratiſſ. De quo loquutionis genere dictum eſt ſuperius. Iam & enumeratione elegãti

ganti exponit tollendam esse omnem licitam etiam lætitiam, luctum verò grauissimum, ploratum & eiulatus latè omnia occupaturos. Voces gaudij & lætitiæ in messe & torculari, ferijsq; exaudiuntur. Voces sponsę & sponsi in nuptijs: quæ cum lætitia celebrari solent. Vox vel strepitus molæ non auditur, cum deficit frumentum nec supereſt quod molatur. Significatur ergo defectus & inopia panis pariter & omnium eorum quibus vita hominum sustentatur. Est itaq; periphrasis famis & inopiæ. Apud Amos minatur se Dominus daturum eis puros ac defecatos dentes. Lucernas verò solebant sub noctem in publicis gaudijs & cœtibus excitare in plateis (wie wir die hartzpfannen anzünden) adde & in conuiuijs. Nam ad lucernam conuiuari solebant. Proinde cum dicit se extincturum lumen lucernæ, significat se cœtus publicos, & gaudia publica, & conuiuia nocturna sublaturum è medio. Atq; vt in summa totum negotium vno verbo complecteretur, & disertè quid vellet ediceret, Redigeturq; vniuersa ista terra, inquit, in solitudinem & vastitatem: ac gentes illæ cùm Iudaicæ, tum vicinæ Ammonitarum, Moabitarum, Idumęorum, &c. seruient regi Babylonio septuaginta annis. De Iudæis peculiariter captiuitas 70. annorum exponenda est. Ea incipit ab abducto Ioachim & Iechonia, & terminatur in primo anno Cyri: sicuti alijs in locis fusè ostendimus. Rursus autem prophetiæ diuinitas ex hoc tam exactè posito 70. annorum numero inclarescit. Credamus ergo in omnibus prędicationi prophetarum & apostolorum Domini Dei nostri. Cui gloria in sęcula. Amen.

Tolletur ab eis omne gaudiũ.

Versatur adhuc in eodem argumento, & subinde significantius se exponit, ostendens & gentes esse vastandas.

CONCIO LXXXV.

Cumq; impleti fuerint septuaginta anni, visitabo & ipsius regis Babylonici & eius gentis iniquitatem, ait Dominus, ipsam quoque Chaldæorum terram ponam in solitudines perpetuas. Et adducam super terram hanc omnia verba mea, quæ contra eam loquutus sum, cum omnibus quæ scripta sunt in libro isto, quæ prophetauit Ieremias, super omnes gentes: quoniam operabuntur in eis etiam gentes multæ, & reges magni, rependamq; eis iuxta opera ipsorum, & iuxta opus manuum suarum. Quoniam sic dicit Dominus Deus Israelis ad me, Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & fac ex eo bibant omnes gentes, ad quas ego te mitto, & bibent & commouebuntur, ac insanient à facie gladij quem ego inter eos mittam. Tuli itaq; calicem istum de manu Domini, & potum ex eo dedi omnibus gentibus, ad quas misit me Dominus, nempe Hierusalem & vrbibus Iuda: regibus eius & principibus eius, vt redigantur in desolationem, in stuporem, in sibilum, atque in execrationem, vt (declarat) hæc dies. (Dedi) etiam Pharaoni regi Aegyptio, & seruis eius, principibus eius, & vniuerso populo eius. Vniuerso Occidenti, & cunctis regibus terræ Vz, omnibus deniq; regibus terræ Palæstinæ, Ascalon, Gazæ, Accaron, & reliquijs Azoti, Edom & Moab & filijs Amon. Cunctis quoq; regibus Tyri, & omnibus regibus Zidon, atq; regibus Insularibus vltra mare, Dedan quoq; & Thema, Buz, & omnes extremantes angulos. Omnibus regibus Arabiæ, & omnibus regibus Arabiæ desertum inhabitantibus. Cunctis regibus Zimri, & omnibus regibus Elam, vnà cum omnibus regibus Medorum. Omnibus regibus Aquilonis, propè aut longè sitis, cuiq; cum proximo suo: & omnibus regnis terræ, quæ sunt in superficie orbis. Porrò rex Sesach post illos bibet. Et dices ad eos, Sic mandat

Dominus exercituum, Deus Israelis, Bibite & inebriamini, vomite & corruite, & non resurgetis à gladio, quem ego in vos mittam, Quòd si renuerint calicem de manu tua accipere ad bibendum, dices ad eos, Sic dicit Dominus exercituum, Omnino bibetis. Quoniam ecce ego incipio affligere in vrbe, quæ vocatur nomine meo, & vos omnino impunè abiretis? Non impunè feretis: quia ego gladiũ aduoco super omnes habitatores terræ: dicit Dominus exercituum.

Deus punit etiam persequutores fidelium.

DIxit iam ante hæc Ieremias Regem Iuda vnà cum Iudæis abducendos à Babyloníjs in Babylonem captiuos, atque inde ante septuagesimum annum non liberandos. Dicat autem aliquis, Quî verò fit, quòd nos qui inuocamus Dominum, & Domini Dei Izraelis populus appellamur, vastamur & captiui abducimur, idololatræ verò & hostes Dei verbíq; eius, nõ modò victores nostri sunt, sed etiam in absolutissima felicitate viuunt, triumphatores inquam, opulenti, & totius orbis Domini, cum interim sint scelestissimi & multis modis dignissimi, qui puniantur & excindantur? Respondet itaq; per occupationem, & ostendit, ne Babyloníjs quidem aut alíjs gentibus parcendum fore, sed & has cũ illis propter peccata esse puniendas & vastandas: ac primùm quidem gentes per orbem terræ vniuersas, & quidem per hunc eundem Nabuchodonosorem: deinde verò Babylonios quoque fore excindendos. Ita verò quondam in veteri ecclesia sub potentiss. Romanorum monarchia, Christiani grauiter affligebantur, cùm quòd rubiginem peccatorum sic tolleret expurgaretq; à suis, tũ quòd suos probaret, Dominus: tandem verò & Romanum imperium discerpebatur in minutissima frustula, in vindictam sanguinis innoxíj effusi. Hodie quoq; multi miranur, quî fiat quòd spirituales isti patres in tantis honoribus, dignitatibus, voluptatibus atque opibus triumphent, qui tamen praua doctrinæ seductionisq; in orbe Christiano promotores & defensores sunt, sed & in sceleribus impunè viuere videntur, cum interim inuocantes nomen Christi, & credentes euangelij doctrinæ, ab istis proscribantur, spolientur, & varíjs cruciatibus truculentissimè interficiantur, ceu hæretici, schísmatici & homines scelestissimi ac veluti piaculares. Cæterùm sicuti collisa prior bestia, cecidit: ita & posterior fracta corruet, & iudicabitur mox à Dei filio. Id quod tractatum audiuistis in Apocalypsi, id est Reuelatione Domini per Ioannem apostolum. Breuiter testatur hic prophetæ locus, Deum iustum esse & veracem: vtcunq; suos puniat, & per infideles puniat, nunquam tamen permissurũ vt vel persequutores fidelium, vel vlli scelerati & impíj homines impunè peccent, aut peccauerint contra Dominum. Docet ergo hic locus nos agnoscere iustitiam, & veritatem Dei, in primis autem recipere timorem eius: & ne despondeamus animum, si videamus nos affligi quidem à Deo per impios, sed ad tempus parci impíjs.

Babylonius rex & populus punitur à Deo.

Proinde exactis septuaginta annis affirmat Dominus se visitaturum regem Babylonium, nimirum Baltazarem, & Babyloniorum iniquitatem. Id quomodo completum sit, disci potest ex historia sacra, quæ describitur Danielis cap. 5. Addit se terram eorum redacturum in solitudinem. De qua re plura sequentur cap. 50. & 51. plura item dicuntur apud Isaiam in cap. 13. & 14. Quem locum enarrans beatus Hieronymus, Princeps Medorum Darius, inquit, primus, Babyloniorum destruxit imperium, occiso Baltazare, nepote Nabuchodonosoris, qui Euilmerodach filius fuit. Et sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorram, sic & Babylon subuersa non habitabitur in æternum. Pro illa enim Seleuciam & Ctesiphontem vrbes Persarum inclytas fecerũt, &c. Ista verò veluti comprobans subjicit argumentum à veritate comminationum Dei. Et adducam super terram hanc omnia verba mea. Illa autem reuelauit per Ieremiam, cuius nomen hic ma-

hic manifestè exprimitur, scriptũ autem eius in postrema huius libri parte ponitur, nempe in cap. 50. & 51. Apparet autem prophetias illas omnes contra Gentes, paulò ante hanc orationem, vel cum ipsa, æditas esse. Nam manifestè consignatur annus Ioachim, ibidem quoque, quartus, sicuti in præsenti. Alibi verò diximus hinc elucere Deum gentium quoque esse Deum, & illis quoque reuelare verbum & voluntatem suam, quam cum præuaricentur, meritò suaq; culpa puniantur à Deo. Porrò quid passuri sint Babylonij, ex copioso suo sermone strictim hic perstringens Ieremias, dicit, Quoniam operabuntur in eis etiam Gentes multæ & reges magni, & ita rependam eis pro ipsorum meritis. Quasi dicat, Babylonij hactenus subegerunt plurimas gentes & reges potentes, multumq; laboris insumpserunt in domando orbe vniuerso: cæterùm vicissim multi reges & multæ gentes, non parcent vllis sumptibus atque laboribus, donec & ipsam Babylonem subigant atque subruant. Par ergo pari rependam. Multis & varijs gentibus infesta fuit Babylon, multi ergo populi conspirabunt in exitium Babylonis. Audiant hæc quibus volupe est bello vexare gentes varias, spoliare regna omnia, iactare victorias, & ostendere trophęa. Qua enim mensura alijs mensi sunt, eadem alij remetientur eis. Locus hic variè redditus est ab interpretibus. Alij enim legunt, Nam vtentur etiam eis ipsis gentes multæ & reges magni: id est, dominabuntur eis ipsorumq; (Babyloniorum inquam) vtentur seruitio. Vnde alij legunt, Quoniã seruient & ipsi eis, gentes multæ & regna magna. Id quod satis est obscurũ. Vetus interpres legit, Quia seruierũt eis, cum essent gentes multæ & reges magni. Lutherus vertit, Vnd sy söllend ouch dienen / ob sy glych wol grosse völcker vnnd könig sind. Sensus in idem recidit, Babylonios dominos multarum gentium & regum, subdendos fore multis gentibus & regibus. Etenim Medi & Persæ cũ multis sibi adhærentibus populis deuicerunt Babylonios & destruxerunt. Obseruandum verò illud est in primis, quod Dominus dicit, sic se illis repensurum quod deliquerint. Est ergo Deus mali vltor & vindex iustissimus: non Deus siculneus & dormiens in vtranque aurem, neque rationem ullam habens clamantium ad ipsum: vtcunque longanimis sit erga tyrannos, & vindictam ad plurimos proferat annos. Opportunè adest semper.

Par pari repeti diuit à Domino.

Deus est vltor iustus.

Consequenter illustrius ostendit & Babylonios & omnes per orbem gentes fore à Deo puniendas. Vtitur autem probatione & demonstratione, quam ab authoritate diuina petijt. Ostentum enim vel visionem & imaginationem oracularem sibi exhibitam à Deo profert. Visio autem illa prophetica talis est, Tenet Deus in manu sua poculum. In poculo continebatur vinum furiosum. Hoc poculum porrigit vati Ieremiæ, mandans hoc circumferat per omnes in orbe gentes, hisq; vinum hoc furoris propinet, & simul iubeat vinum hoc epotare, vacillare, euomere, furere & corruere. Accipit autem propheta ex manu Domini poculum, gentes accedit, & vinum hoc propinat omnibus, mandans, bibant, rotentur, euomant & concidant. Hæc visio est. Nunc quid per hanc Visionem significatum sit, non difficile est ex verbis prophetæ præsentibus & alijs scripturæ locis colligere. Dixi cap. 13. miram esse virtutem vini in homine: & Dominum libenter vti parabola vini, quòd homines etiam tunc peccarent ebrietate, vti nunc vel hodie quoque, non parum peccent. Poculum vel calix in scriptura afflictionem grauem, & consortium vel participatum mali, vt ex Euangelio verbisq; Christi claret, significat. Poculum est & datur è manu Domini. Bella enim & mala illa, quæ orbem atterunt, sunt à iusta Dei manu ac prouidentia. Appellatur verò vinum quòd est in poculo, vinum furoris vel vinum furiosum: idq; duplici de causa. Principiò quia afflictio illa orbis oritur ex iusta

Ostendit Gentes certò puniendas fore.

Vinum.

Poculum.

Vinum furoris

Dei ira & furore eius magno, quo æstuat contra mundum impœnitentem. Deinde quia vinum hoc hauſtum facit bibentes furere, vacillare, & corruere: id eſt, vt inopes conſilij & auxilij, quid agant neſciant, ſed duntaxat in ſuum exitium ruant, inſtar ebriorum. Ac videas eos qui ira Dei calamitatibusq; premuntur ferè ebrios referre, neque certi quid agant habere. Gladius autem in præſenti bella ſignificat grauia, quibus afflictæ gentes iſtæ inter ſeſe colliſæ atque complosæ corruerunt atque interierunt. Atq; ita ſeſe expoſuit quid intellexerit per vinum furoris.

Catalogus gentium puniendarum à Deo.

Subnectitur his multarum & maximarum gentium catalogus. In quo non eſt quòd immoremur curioſius. Quædam enim Gentes ex ſcripturis ſatis ſunt cognitæ: quædam verò propter vetuſtatem & nomina commutata, quales fuerint certò dici non poteſt. Teneamus nos id potiſsimum, Deum nulli genti peccatrici parcere, & ſæpius iudicio generali veluti percurrere orbem & excutere impœnitenti mundo veternum, per bella, peſtes vel morbos, & famem vel inopiam rerum, vt in orbe manifeſta ſigna ædat ſe curare res mortalium, ſe noſſe quid agamus, ſe odiſſe ſcelera & ſceleratos. Ita certè per Nabuchodonoſorem orbem puniuit Ieremiæ temporibus. Poſtea verò grauibus bellis Perſarũ, attriuit mundum. Cohercuit hos Alexãder & paucis annis percurrit hic Macedo orbẽ atq; vaſtauit. Sequuti ſunt Romani rerum domini, qui armis omnia propè mundi regna inuaſerunt & attriuerunt. Teſtãtur præterea hiſtorię quid poſt 400. annos à Chriſto nato Gotthi & alię gẽtes barbarę Rom. irrogauerint imperio. Sequutę ſunt mox aliæ atq; alię gentes vaſtatrices, ac Sarraceni maximè ac Turcæ. Conſtat ergo ex rerum temporumq; cognitione & experientia certa, Deum iuſtum & ſanctum non ſemper, neq; plus ęquo diutius conniuere ad conſcelerationem orbis, ſed viſitare impœnitentes, & iuſtitiæ ſuæ iuſtæq; vltionis inſignia conſtituere trophęa. Nulla verò gens, quantùmuis vetuſta, ſapiens potens & clara, euadere poteſt manus Domini. Id quod liquidò claret in gentibus his multò clariſsimis, quorum nomina ponuntur in hoc catalogo.

Iudæi.

Primi in hoc infelici, ebrio, furioſo & exitiali conuiuio accumbunt, bibunt, vomunt, volutantur, furiunt & pereunt Iudæi cum ſuis regibus & principibus, quos Nabuchodonoſor rex interficit, capit, captiuosq; abducit. Terra redigitur in deſolationem, ſtuporem & ſibilum ac execrationem. Sicuti ſuperius eſt expoſitum. Secundum locum in conuiuio hoc luxurioſo, imò cruento potius & cruore largo redundante, habent perditi luxu effœminatiq; Ægyptiorum reges & populi, cum quibus bello cõgreditur Nabuchodonoſor eosq; vincit & ſubigit: cuius rei mentio fit Ierem. 46. Accumbunt cum Ægyptijs & Occidentales alij. Sunt qui legant, Omni promiſcuo vulgo. Hieronymus vertit, Et vniuerſis generaliter, complectens nimirum vicinas Ægyptijs gẽtes, quas bello Ægyptio domuit Babylonius. Vzitæ qui ſint, apertum eſt ex hiſtoria Iob. Terrã Auſitidem nuncupauit Hieronymus. Noti ſunt omnibus Palæſtini cum ſuis quinq; Satrapijs, ſaltem ex hiſtoria Regum. Geth hic omittitur. Æzoto tribuuntur reliquię, quòd non vulgariter oppugnatum & deſtructum eſſet à rege Aſſyriorum Senacherib, vt extat apud Iſaiam. Ita notiſsimi ſunt ex ſcripturis ſanctis Idumæi vel Edomitæ, Moabitæ, & Ammonitæ, quos omnes grauibus bellis domuit Nabuchodonoſor, ſicuti videre licet in poſtrema parte operis vel libri huius prophetæ. Iam & Tyrus & Sidon munitiſsima loca Orientis, oppugnata & ſubdita ſunt Nabuchodonoſori, ſumptibus & laboribus eius immenſis. Id quod Ezechiel multis proſequitur 26. 27. & 28. ca. Idẽ propheta multis quoq; agit de fatis aliarum gentium quarum in preſenti fit mentio. Vnde conducit ſi ea cognoſcas diligenter, & cum his conferas. Certè Dominus noſ. per vnum Ieremiam, ſed

Ægyptij.

Occidens.

Vz.

Palæſtini.

Idumæi.

Moabitæ.

Ammonitæ.

Tyrus.

Sidon.

& per

& per alios prophetas fata gentibus longè lâteq; per orbem diſsitis annunciauit. Annumerãtur Tyrijs & Sidonijs, inſulares principes trans mare, vel in ipſo mari, ac in prominentibus in mare terris, regnantes. Hieronymus in ſuis Commentarijs, Trans Cyprum & Rhodum, inquit, & inſulas quæ appellantur κύκλαδες. Et hæ enim à Babylonijs occupatæ ſunt, &c. Quibus ſi coniungas alias maris occidui inſulas, atque adeò ipſam Græciam, Italiam, Hiſpaniam, in mare prominentia regna, ac veluti inſulas, nihil peccaueris. Sunt enim qui exiſtiment legatos miſſos eſſe ab extremis Gadibus ad regem Nabuchodonoſorem, qui formidini fuerit vniuerſo Occidenti, imò toti orbi. Certè Babylonium regnum apud Danielem primo & potiſsimo loco collocatur & auro conferitur, inter omnia metalla præſtantiſsimo. Dedan regio nomen hoc habet à filio Abrahæ, nato ipſi ex Cethura. Theman indeptum eſt nomen à filio Izmaelis, ſic nuncupato. Buz verò fuit filius Nahor ex Melcha. Ex quo orti ſunt Buzitæ. Notæ fuerunt eo ſæculo hæ gentes. S. Hieronymus, Hæ gentes in ſolitudine ſunt, vicinæ & mixtæ regionibus Izraelitarum, quos nunc Sarracenos vocant. Et de quibus dicitur, Qui attonſi ſunt in comam. Hæc ille. De loquutione autem illa, Qui attonſi ſunt in comam, dixi ſub finem cap. 9. In præſentia verti, Et omnes extremantes angulos: id eſt omnes illos, qui in vltimis ſinubus finibuſq; terræ & maris habitant. Subdit Izmaelitis & mare accolentibus populis protinus Arabes, & horum duplicem facit mentionem, quòd alia ſit felix Arabia ac Petrea, alia verò Arabia deſerti, id quod differentiæ gratia adijcitur à propheta. Quanquam non deſint qui hunc locum ſic legant, Omnibus regibus Arabiæ, & omnibus regibus Occidentis habitantibus deſertum. Sed ſenſus in ſidem recidit. Nam intelligit Arabes deſertum ad Occaſum inhabitantes, qui & Schenitæ nuncupantur. Sequuntur in ordine reges Zimri. Zimran fuit & ipſe Abrahæ filius ex Cethura. S. Hieronymus, Ex eo quod Zamri annectitur Elam regibuſq; Medorum, arbitramur & Zamri regionem eſſe Perſidis: niſi fortè ex eo quod præceſsit Arabia, & hi reges ſolitudinis accipiendi ſunt. Hæc ille. Ac poſterior eius ſententia videtur veriſimilior. Elamitæ apud Plinium quoque Perſæ ſunt, notiſsimi Orientis populi, ſicuti & Medi, quos quidem omnes ſibi ſubdidit Nabuchodonoſor, ſicut ex alijs colliqueſcit prophetis. Porrò ne nimis oblongo catalogo cogeretur cæteros reges & alia regna Aquilonis commemorare, vno verbo complectitur tam propè quàm longè diſsitos, quenque cum proximo ſuo, & vt Germanicè hoc exprimam, einen mit dem anderen. Loquutus autem videtur de Scythia & gentibus vltra Hircanum mare, verſus Tanaim ſitis, &c. Quinimò his adhuc vniuerſalius coniungit, Et omnibus regnis terræ, quæ ſunt in ſuperficie orbis. Nulla ergo excipiũtur regna, omniaq; regis Nabuchodonoſoris, omnium in mundo maximi Principis, Regis, aut Imperatoris dominio ſubijciuntur. Ita verò Domino viſum eſt ſub hoc principe ter maximo tantam conſtituere monarchiam, & ſimul peccata punire laſciuientis orbis, rurſus tamen mederi omnibus regnis, quæ ſub vnitatem voluit reuocare, vt cõmodius & magis pacatè viuerent, ipſumq; Deum agnoſcerent. De qua re teſtatur Daniel abundè. Sunt qui aliorum regum encomia canant: ſed nemo propemodùm celebrauit Nabuchodonoſorem omnium maximum in orbe principem, niſi ſoli prophetæ: quorum ſcripta cum non fuerint ita vulgaria, vt prophanorum hiſtoricorum libri, neque hi etiam res Nabuchodonoſoris propter vetuſtatem diligenter expoſuerint, mirũ non eſt, præferri huic magisq; celebrari alios quoſdam, vt Cyrum, Xerxem, Alexãdrum, & neſcio quos alios. Sub finem catalogi apponit Ieremias, Rex autem Seſach poſt illos bibet. Varia diſputant de hoc nomine interpretes. Cõſulat qui velit S. Hieronymum, qui dicit Seſach nihil aliud

inſulæ.

Dedan.

Theman.

Buz.

Arabes.

Zimri.

Elamitæ & Medi.

Aquilonis reges.

Nabuchodonoſor omnium maximus in orbe princeps.

Seſach rex Babyloniæ.

sonare quàm Babel. Certè ex 51. cap. Ieremiæ constat Sesach tribui Babyloniæ. Quidam arbitrantur potentissimam fuisse eam Babylonis vrbem, & hic poni pro ipso rege Babylonio. Quid si dicamus Baltasari regi Babylonio tribui hoc nominis propter luxum & effœminatum animum? Etenim Ægyptij molles & effœminati sunt semper habiti. Horum autem rex quidam Sesach est compellatus, vt iam Ieremias vltimum Babyloniorum regem ebrium, & luxu perditum vocarit, veluti probroso & infami nomine Sesach. Significat alioqui Sesach (quod Hebraicorum nominum interpretes annotant) vanitatis aut lætitiæ poculum. Certè Baltasar vanissimus alioqui rex periit miserè & horribiliter inter pocula. Et de Sesach rege Ægyptiorum legitur 2. Paral. 12. Ascendit Sesach rex Ægypti Hierosolyma (sub Roboam filio Solomonis) accepitq; thesauros domus Domini, & thesauros domus regis, omnia tulit, &c. Quoniam itaq; Nabuchodonosor tulit & ipse vasa templi Dei, ac recondidit in suos thesauros, nec illis abusus est, quæ tamen nepos eius Baltazar protulit, & ex ijs cum insigni Dei contumelia & blasphemia bibit, nihil mirum, si Baltazar nunc dicatur Sesach, ad similitudinem sacrilegi istius regis Ægyptij, & iam etiam bibat ex poculo vino furoris mixto, qui biberat ex poculis templi Domini sacris. Hęc plenius alijs expendenda commendo, si fortè meliora & exactiora ipsi dent.

2. Reg. 11. 4. Reg. 24.

Mandatur eis vt bibant & vomant.

His insuper adijcit iam etiam mandatum Dei iubentis vt bibant. Quæ quidem præceptio nemini mandat ebrietatem vsque ad vomitum & insaniam. Prohibent hanc vbique scripturæ sanctæ: iccirco sub hac figura orationis significat propheta, gentes illas non posse euitare, quò minus miserè affligantur à Babylonijs eisq; subijciantur. Adijcitur enim expositionis gratia, Et non resurgetis à gladio quem in vos mittam. Quin additur & hoc, Quòd si renuerint calicem, &c. Qua sententia ostendit malum fore immedicabile & ineuitabile. Sunt enim inter homines prudentes aliquot & vafri, qui quò minus bello colidantur, bella fugiunt, omnes belli occasiones præscindentes, atque dicentes, Pacem, non bellum volumus (Wir wöllend nit kriegen / sunder frid haben) quia ex bellis opes collegerunt, quibus nunc incubant, ijsq; vellent securè, in omni voluptate sese volutando, frui. Ideoq; etiam dant hominibus liberis & pijs indignissima hostibus plurima, quò minus irretiantur bello, & puniantur. Verùm Dominus hic dicit, Bibendo bibetis: id est, Omnino bibetis, periculaq; belli nequaquam euadetis. Domino enim punire volente, & hominibus nulla pœnitentia Domino occurrentibus, nulla nos potest ex impendentibus malis subtrahere humana astutia.

Cum Deus puniat populum suum nõ potest non punire hostes suos.

Quinimò manifestissima demonstratione ostendit, gentes illas recensitas non effugituras Dei gladium. Ducitur argumentum à comparatis, sic, Si non parco vrbi & genti, quæ appellantur meo nomine, dicunturque, Vrbs Dei Izraelis, & populus Dei exercituum, certè vobis minus parcam qui alienis Dijs cultum exhibetis, meúmque nomen non præfertis, imò abolitum cupitis, & populum meum propter me persequimini. Sed vehementiore loquutionis genere vtitur Ieremias, cum per interrogationem & subiectionem, dicit, Afflictionem ordior in mea vrbe & gente, & vos impunè abiretis? (vnnd jr söltend vngestraafft vßgon?) Non fiet: non impunè feretis. Et protinus conclusionem subnectit, & dicit, Quia ego gladium aduoco, &c. Et appendit graue veritatis pondus, Dicit Dominus exercituum. Quis ergo non credet firmissimè huic nuncio? Non crediderunt vel Iudæi vel Gentes: cæterùm omnia verbotim & syllabatim suo malo maximo experti sunt. Ne dubitemus ergo de nuncijs Dei. Simili argumentatione vsus est Dominus noster in Euangelio, crucem humeris baiulans, & hanc ad locum Caluariæ portans.

Dixit

Dixit enim, Grauiſsimè affligetur Hieruſalem: quoniam ſi in humido ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Similiter argumentatus eſt & S. Petrus in fine cap. 4. in priore Epiſtola. Diſcant ergo hoſtes verbi Dei nihil gloriari de ipſorum ſucceſſu, victoriis & fortuna felici, qua vtuntur contra Euangelicos. Si enim ſuos filios affligit pater cœleſtis, quis credat ipſum parſurum hoſtibus ſuis? Imò grauius hos affliget. Sicuti & Apoſtolus teſtatus eſt 2. Theſſalon. 1. Timeamus ergo Dominum, attollamus oculos noſtros ad ipſum, ipſe liberabit nos cum fuerit opportunum, ipſe aſſeret gloriam nominis ſui, & puniet profuſas contra ipſum & eius Euangelium blaſphemias. Ipſi ſit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Mutata orationis figura idem dicit & inculcat quod antea, gentes à Deo propter peccata per orbem terrarum perdendas fore.

CONCIO LXXXVI.

Tu ergo prophetabis contra eos omnes ſermones iſtos, dicesq; ad eos, Dominus de excelſo rugiet, & de habitatione ſua ſancta dabit vocem ſuam: rugiendo rugiet ſuper habitaculo ſuo, & reſonabit clamor inſtar (torcular) calcantium ſuper cunctos habitatores terræ, peruenitq; ſonitus vſque ad extremum terræ. Quoniam diſceptatio eſt Domino cum gentibus, ipſum ſe iſtet iudicio cum omni carne, vt gladio tradat impios, ait Dominus. Sic enim loquutus eſt Dominus exercituum, Ecce malum egredietur de gente ad gentem, & turbo magnus excitabitur à lateribus terræ. Et erunt interfecti Domini in die illa ab extremitate terræ ad extremitatem terræ, non plangentur, non colligentur, neq; ſepelientur, ſed erunt in ſterquilinium ſuper faciem terræ. Vlulate paſtores & clamate, volutate vos in puluere qui inſigniores eſtis in grege: quia dies veſtri impleti ſunt, vt mactemini, & diſpergamini, & cadatis ceu vaſa expetibilia. Et peribit fuga à paſtoribus & inſignioribus in grege euaſio. Vox clamoris paſtorum (erit) & vlulatus inſigniorum gregis, Dominus enim vaſtat paſcua eorum. Et exciſa ſunt paſcua pacifica per furorem iræ Domini. Dereliquit quaſi Leo latibulum ſuum: nam terra eorum in deſolationem redacta eſt propter iram vaſtatoris, & præ furore iræ ſuæ.

IDem repetit propheta de excidio Iudæorum & omnium gentiũ propter peccata per Nabuchodonoſorem. Quod autem in ſuperioribus ſermonibus fecit frequentiſsimè, idipſum hic quoq; facit, oſtendens videlicet ea quæ proponit, authoritate & mandato Domini proponere. Deum enim mandaſſe vt prophetizet vel concionetur. Dei ergo ſunt illa omnia quæ hic dicuntur, licet prolata ſint ab homine Ieremia, organo Dei. Significanter autem dixit, Omnes ſermones iſtos. Etenim verbis Domini nihil oportet vel adimere, vel addere. Iam etiam verbotim in os prophetæ inſerit, quod ipſum prædicare voluit, Dicesq; ad eos, Dominus de ſublimi vel excelſo rugiet, &c. Summa autem omnium eorum quæ dicuntur hæc eſt, Excindentur per Dei potentiam & iudicium, omnes per orbem gentes, & inter primos Iudæi. Nec patebit vllum his omnibus effugium. Apprehendet Nabuchodonoſor omnes atq; ſibi ſubdet, vel è medio tollet. *Excidium omnium gentium.*

Horum autem omnium author Deus oſtenditur, qui confertur Leoni rugienti ac erumpenti, vt omnes circumquaq; greges dilaceret. Dicitur autem rugire Deus, quò ſignificetur eius ira vel vindicta. Leone autem rugiente, quis non *Deus eſt inſtar Leonis rugientis.*

expaueſcat? Dicitur inquam rugire è ſublimi, vel ex excelſo, nimirum de loco habitationis Dei ſancto, videlicet è cœlo, quod dicitur patria noſtra, & Dei habitatio: non quòd immenſus vllo concludatur loco, ſed quòd ibi ſe videndum fruendumq; beatis exhibeat, & omnibus ſpiritualibus gaudijs exaturet. Cum audimus cœlitus edi rugitum illum, intelligimus diuinam eſſe illam vindictam & incuſtabilem. Repetens verò & dicens, Rugiendo rugiet, imman ē ſignificat horrendumq; fore rugitum. Et quidem ſuper habitaculo Dei. Habet enim hic etiam in terris habitaculũ vrbem Hieruſalem atq; ipſum adeò templũ. Significatur in primis in Iudæos & vrbem ipſorũ, iram Dei deſæuiturã. Alia quoq; parabola exponit, vel illuſtrat rugitum illum, & reponit clamorem vuas calcantium. Sicut enim illi mutuò ſeſe hortantur ad agendum fortiter quod agunt: ita Dominus cœlitus hortabitur & valenter impellet Babylonios, vt fortiter & vrbem & gentem conculcent Iudæorum, adde & omnes habitatores orbis. Nam hæc vox fremitus vel tumultus (alij legunt vaſtitas, rem videlicet voce, ſonitu aut tumultu ſignificatam) pertinget vſque ad extremitatem terræ, omnes & ſingulas gentes peruadens atq; euertens.

Cœlum Dei habitaculum.

Aequa & iuſtiſsima eſt ira vel vindicta Dei.

Adijcitur iſtis, illam Domini potentiam & vindictam fore & eſſe iuſtam atque æquam. Alluditur autem ad capitalia iudicia, in quibus accuſatores ſe iudicio ſiſtunt, reosq; trahunt ad tribunalia, & ibi cum ipſis diſceptant atque ſcelerum intentatorum conuincunt. Conuictos carnifici iuſtè tradunt iudices ad iugulandum. Dicit itaque Ieremias diſceptationem eſſe Domino cum gentibus, actionem vtique iuridicam, eaq; de cauſa Deum ſubire iudicium (das er an oder in das rächt ſtande) cum omni carne, cum omnibus vtiq; per orbem gentibus, atq; hic impios & impœnitentes ſe dare, inquit, vel tradere gladio, vt inquam concidantur gladio Nabuchodonoſoris. Complebuntur hæc omnium pleniſsimè, quãdo Dominus noſter Ieſus Chriſtus veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Cui quidem iudicio vniuerſal. præmittuntur hæc ceu præludia quędam, ne putetur Deus in vtranq;, quod dici ſolet, dormire aurem, & ſemper parcere peſsimis. Diſcimus hinc præterea Deum iudicem iuſtum nemini mortalium vllam inferre iniuriam, ſed omnes quotquot punit, iuſtiſsimo æquiſsimoq; punire iudicio. Sæpe autem inducitur Deus in prophetis ob hanc ipſam cauſam iudicio contendens cum ſuis hoſtibus.

Supplicium impiorum fuſe deſcribitur.

Conſequenter verò copioſè proſequitur gladium cui traduntur impij iuſto Dei iudicio concidendi. Et quidem author iterum oſtenditur horum Dominus. Sic enim loquutus eſt, inquit, Dominus exercituũ, Ecce malum, vel calamitas. Ita enim vocat, quod antea gladium nuncupauit. Bellica ergo calamitas circumibit & graſſabitur per omnes in orbe terrarum gentes. Antea enim audiuimus etiam poculum illud iræ diuinæ circumferendum eſſe omnibus gentibus, vt ex eo ſeſe ingurgitent, vomant, inſaniant atq; concidant. Porrò turbini aut tempeſtati grauiſsimæ exorienti à lateribus terræ comparat bellum illud Babylonicum. Nam vt ſæua tempeſtas horribiliter omnia proſternit, ita & Babylonicus exercitus latè omnia vaſtabit. Quid quod conſequentibus ceu hypotypoſi populorum clades vel ſtrages omnium oculis coràm veluti contemplandas ſubijcit? cum dicit ab extremitate terræ vſque ad extremitatem terræ omnia adoperienda cadaueribus, quæ ipſe nuncupauit interfectos Domini, nimirum Dei iudicio & veluti Dei manu cæſos, vt ſint exemplum alijs ſanctè viuendi vitámque corruptam ad adhortationes Dei per prophetas factas, emendandi. Ad amplificationem pertinet miſeriæ, acerbitatiſq; pœnæ quod ſequitur, Non colligentur cæſi, non curabuntur, non habebitur vlla eorum ratio, non ſepelientur, neq; plangentur: breuiter vltimis carebunt honoribus, inglorij per omnia.

Quid

Quid quod instar sterquilinij iacebunt sparsim per terras? Lutherus vertit, Sy müssend vff dem fäld ligen vnd zů mist werden. Aequissimmm verò est, vt qui gloriam Dei non curarunt imò Deum contempserunt, dum vixerunt in hoc sæculo, ipsi quoq; contempti pereant in ignominia.

Vt autem vehementius auditores adficiat, affectumq; commoueat, conuer so sermone ad reges, principes, religionisq; antistites, per exclamationem, Vlulate, inquit, pastores. Pastores reges sunt & antistites religionis. Arietes verò in grege, vel maiores aut fortes gregis, principes & duces, magnates & seniores sunt populorũ. Hos iubet facere quod facturos alioqui sciebat. Vlulate, inquit, clamate, & volutate vos in puluere, vos inquam magnates & proceres populi. Qui sanè habitus est lugentium & extrema patientium. Habitu ergo lugubri miseram ipsorum sortem adumbrat. Sequitur enim quid proceres hi sint passuri. Quia dies vestri impleti sunt, vt mactemini, &c. Concessit vobis Deus facultates & gloriam, denicq; emendandi vitæ vestræ gubernationisq; corruptæ spaciũ: verùm abusi estis Dei donis, proinde facti estis similes pecudibus saginatis. Nam certo tempore saginantur, deinde producũtur in lanienam. Hoc vestrum tempus vt ducamini postquam satis lasciuistis, impletum est: nihil ergo restat nisi vt mactemini, dispergamini, & collidamini. Vtitur hic allusione ducta à poculis preciosis. Dum enim hæc integra sunt, in honore & precio sunt, vt crystallini calices: collapsa verò in terram ac fracta, nullius omnino reputationis sunt, sed contemptissima. Sic saluis integrisq; rebus, nobiles & potẽtes in hoc sæculo sunt in honore & authoritate: vbi verò exauthorantur à Domino, & de gradibus ceu præcipites aguntur, mirificè vilipenduntur etiam à vilissimis. Significat ergo propheta honoratissimos quosq; in extremum deijciendos contemptum. Vsus est aliâs illa allegoria saginatæ pecudis, & S. Iacobus in 5. cap. suæ epistolæ. Cogitent hæc sedulò apud se potentes huius sæculi, dum versantur in maiestate, & ebrij fortuna quid præ petulantia agant, nesciunt. Cogitent inquam se nũc splendido similes esse vitro, & collisioni proximos: meminerint ergo humilitatis & moderationis, & vt sedulò officium suum faciant.

Non parcendũ fore regibus et magnatibus.

Potentes & opulenti huius sæculi, dum audiunt calamitate aliqua insigni vastandum orbem, imaginantur se incolumes futuros, cum se fuga elapsuros sperent. At Dominus per vatem, Et peribit fuga, inquit, à pastoribus, &c. Quasi dicat, Amputabitur, aut subducetur eis omnis fugiendi spes. Nullum patebit eis effugium, Deo nimirum ipsos concludente ad commeritum supplicium. Est ergo genus loquutionis, Peribit fuga à pastoribus: id est, non dabitur potestas fugiendi pastoribus, neq; euadere poterunt principes. Hæc applicemus nostris, imò omnibus temporibus. Nunquam enim pœnam Dei effugient quos Deus destinauit perdere. Stultissimum verò est, si miser homo cogitet se euasurum manus Dei omnipotentis & vbiq; præsentis.

Nulla patebit punitis fuga.

Et quoniam iusserat vlulare & vociferari principes, nunc etiam caussam eiulatus tanti subiungit. Clamabunt, inquit, pastores, & eiulabunt principes, quòd Deus vastat euertitq; eorum pascua: id est, regna, palatia, & totum illud, vnde eis erat multò vberrimus quæstus, & vnde erant exquisitissimæ voluptates. Conticescunt, vel pereunt item & euertuntur pascua pacis: id est, quibus hactenus vsi, imò abusi sunt dum concessa est eis pax. Alij non malè reddũt Pacis pascua, integra, pulcherrima & amœnissima tempe. Pacificum enim Hebræis omne illud dicitur, quod est incolume & integrum. S. Hieronymus hunc locum exponens in Commentarijs pulchrè, Quando, inquit, habuerimus pacem, & non intellexerimus vel bona vel speciosa pacis, sed luxriæ nos & otio & voluptatibus dederimus, tunc conquiescent vel conticescent bona pacis, & auferentur à no-

Causa eiulatus

Abusus pacis inducit bellũ.

bis propter iram furoris Domini, & implebitur illud quod scriptum est, Cum dixerint Pax & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus: quo veniente omnia conticescent. Hæc ille.

Nabuchodonosor Leo.

Concludit orationem hanc Epiphonemate, allegoria eleganti ornato. Dicit enim Leonem: id est, Nabuchodonosorem latibulum suum, nimirum Babylonem dereliquisse, atque iam nunc cum exercitu contra gentes progressum esse, eamq; ob causam terras omnium gentiũ desolatas factas, idq; propter furorem vastatoris illius, & propter grauem iram eius. S. Hieronymus hæc interpretatur de Deo, & ait, Ipse derelinquet tabernaculum suum, de quo scriptum est, Factus est in pace siue in Salem locus eius, & habitatio eius in Zion. Ipse relinquet sedem suam, & implebit quod per eundem hunc prophetam loquutus est, Dimisi domum meam, dereliqui hæreditatem meam. Reliquit autem quasi Leo cubile suum, vt omnes bestiæ vastandi terram eius habeant potestatem. Leone enim custode & præside, nullus ad eandem audet accedere. Et reliqua. Deligat quisque sententiam probabiliorem: mihi prior magis probatur. Tota autem hæc oratio docet omnes gentes timere Dominum, vtpote qui iudex iustus inultum non sinit, si vitam viuamus impœnitentem. Domino Deo nostro sit laus & gloria in æternum.

NARRATIO HISTORICA.

Concionatur Ieremias iubente Deo in atrio templi: sed capitur à sacerdotibus & populo.

CAPVT XXVI.

CONCIO LXXXVII.

IN principio regni Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, factum est verbum istud à Domino, dicens, Sic dicit Dominus, Sta in atrio domus Domini, & loquere ad omnes vrbes Iuda, venientes ad domum Domini, vt adorent, cuncta verba quæ præcepi tibi vt ad eos loquaris, nec diminuas verbum (si forte audiant & conuertantur, quisq; à via sua mala, vt & me mali pœniteat, quod constitueram illis facere, propter malitiam studiorum suorum) dicesq; ad eos, Sic ait Dominus, Si non audieritis me, vt ambuletis in lege mea, quam vobis proposui, vt audiatis verba seruorum meorum prophetarum, quos ego mitto ad vos, tempestiuè surgendo & mittendo: Si (inquam) non audieritis, faciam domui huic, sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem omnibus gentibus terræ. Audierunt autem sacerdotes & prophetæ atq; cunctus populus Ieremiam sermones illos prædicantem in domo Domini. Cumq; Ieremias finem fecisset loquendi omnium eorum, quæ loqui ad vniuersum populum Dominus præceperat, apprehenderunt eum sacerdotes, prophetæ & cunctus populus, & dicebant, Morte moriatur. Et quare prophetasti in nomine Domini, dicens, Fiet domui isti quemadmodum Silo, & vrbs ista vastabitur, vt nemo sit qui eam inhabitet?

ORDO arbitrarius non naturalis seruatur in collocatione historiarum & orationum huius prophetæ. Contexitur enim nunc Narratio historica de re, quæ ante proximam Orationem euenit. Colligitur autem iterum

iterum ſumma vniuerſæ propemodùm doctrinæ vatis Ieremiæ. Exponitur qua fide & diligentia Ieremias ſibi impoſitum munus obierit: & quomodo exceptus ſit à ſacerdotibus & populo fidelis eius labor. Nam capiunt ipſum in templo, occiſuri quoq; eundem in ſeditione. Porrò procurrit magiſtratus ad ſedandam turbam, ſiſtiturq; Ieremias iudicio, ac accuſatur protinus à ſacerdotibus læſę maieſtatis. Reſpondet pro ſe Ieremias, & conſtanter quidem ſe defendit. Iudicum verò alij abſoluendum pronunciant, alij cædendum iudicant: liberatur tamen atq; abſoluitur opera ſanctiſſimi, prudentiſſ. & conſtantiſſimi viri Ahikam. Plurima in hac hiſtoria habebimus & exempla & dogmata rerum variarū: in primis verò quis ſit modus ac proceſſus agendi ſacerdotibus contra fideles teſtes veritatis, & quæ ſit horum patientia & conſtantia. *Summa huius loci.*

Ante omnia per notationem temporis inſinuatur occaſio hiſtoriæ huius. Dicitur enim facta per initium regni Ioachim regis Iuda filij Ioſiæ. Hoc verò in acie cæſo, ſucceſſit in regno ei Ioachaz filius, qui protinus cœpit paternam, ex verbo Dei formatam reformationem deijcere, & fœdam idololatriam reſtituere atq; erigere. Cæterùm captus à rege Aegyptio, abductus eſt in Aegyptum. Surrogatus eſt ei hic Ioachim, frater eius, qui tamen infelici exemplo fratris nihil commotus, perrexit in cœpta idololatria abſoluenda. Quamobrem Deus, qui longanimis eſt, & mortem peccatoris non vult, ſed magis vt conuertatur & viuat, prophetas ſuos, Vriam, Ieremiam, ac alios mittit, per quos errantes reuocet in viam rectam. Tametſi enim ſinat illos ingredi vijs ſuis, vias tamē ipſorum nec probat, nec violenter eos reuocat, ſed verbo ſuo hortatur, vt redeant & viuant. Papiſtas quoque permiſit Deus vijs ſuis ingredi, ſed miſit interim teſtes ſuos, qui verbo Dei Papiſtica confutarunt, & veram doctrinam ſalutis perſpicuè docuerunt. *Dicta hæc & facta in initio regni Ioachim*

Et vt antea ſæpe ita hic quoque iterum author horum oſtenditur Deus, per hoc quod toties repetitur, Verbum iſtud factum eſt à Domino, &, Sic dicit Dominus. Iam & locus prophetæ indicatur in quo prædicare iubetur, atrium videlicet templi: id quod conſtructum erat ad excipiendum vulgus, qui ibi & ſacrificia ſpectabat, orabat, & verbum Dei vel lectiones concionesq; ſacras audiebat. Præterea innuitur quibus nam prædicet, Omnibus ciuitatibus Iuda ad adorandum venientibus. Intelligit autem ciues oppidorum Iuda venientes ad templum religionis ergò. Alioqui nec Ieremias audiri potuiſſet ex atrio in omnibus ciuitatibus Iuda, neq; ciuitates ipſæ potuiſſent venire Hieroſolymam. Proinde ſicuti Matth. 3. per tropum dicitur tota vrbs Hieroſolymorum veniſſe ad Ioannem, ita in præſenti idem tropus cernitur. Adorandi verò vocabulum comprehendit totum cultum qui impendebatur Deo in templo. De quo antea dictum eſt. His inſerit Dominus mandatum, ne quid verbis Dei detrahat vel imminuat aut extenuet propheta: ſed omnia & ſingula ita proponat populo, ſicut accepit à Domino. Eſt autem hoc mandatum Dei, vt repetitum ex Deut. 4. & 12. ita perpetuum & omnibus concionatoribus omnium ſæculorum datum. Nullus prædicator ex ſuo debet arbitrio quod vult, aut quod alijs viſum eſt, qualeſcunque tandem ſint, ſiue Philoſophi, ſiue Papæ, ſiue Patres, ſiue Sophiſtæ, ſiue Epiſcopi aut doctores, docere, ſed hoc duntaxat quod accepit ex ore Domini, traditumq; legitur in authentico Dei verbo. Hoc denique legitimè, & ſyncerè debet tractare, nihil peruertere, nihil detrahere, aut mollius duriúsue proponere quàm velit Dominus. A qua præſcriptione quàm alieni ſint, qui hactenus ſoli voluerunt haberi orthodoxi doctores, paucis exponi non poteſt. Sed & pleriſque cognitum eſt. *Locus prædicandi.* *Nihil eſt Domini verbo detrahendum.*

Additur his omnibus finis omnium Concionum propheticarum, in quem *Finis omnium Concionum.*

videlicet finem Deus iubeat prædicatores concionari, vt audiant obediantq́, & conuertantur homines à malo ad bonum, à diabolo ad Deum, vt relinquamus idololatriam & scelera, & amplectamur verum Dei cultum, operamq́ demus virtutibus. Id si fiat syncerè, pœnitet & Dominum mali quod inferre statuerat impœnitentibus. De qua loquutione dictum est cap. 18. huius operis. Cum verò hic sit finis Concionum omnium, studeamus omnes, vt in omnibus cõcionibus oculos animi nostri aduertamus ad hunc scopum, ne ea audiamus in iudicium, quæ nobis annunciantur à Domino per ministros ad salutem.

Oratiuncula Ieremiæ.

Porrò subiungitur Oratiuncula, quam iubente Domino habuit Ieremias in atrio templi ad vniuersum populum. Est ea ceu summarium quoddam omnium Ieremiæ sermonum: quemadmodum & proximè præcedens. Paucis absoluitur verbis, quod haud dubiè copiosioribus proposuit. Admonitio est ac adhortatio, ne pergant facere quod faciunt, extra & contra legem Dei cultum comminisci & instituere: sed per omnia & in omnibus legem à Deo propositam inspiciant, omniaq́ sua ad illam componant, vt ad regulam certissimam. Vt hoc fiat, mittit prophetas Deus, qui vrgeant hoc Dei opus. Maturè autem mittit, sicut dictum est cap 25. Retinent prophetæ homines in officio, ne erumpant in idololatriam & cultum peregrinum. Vtinam verò hoc ipsum hodie possit nostri sæculi hominibus persuaderi, vt contenti præscripto verbi Dei, temperarẽt sibi ab electitijs, arbitrarijs propr̃ijsq́, id est humanis, vel ab homine inuentis cultibus. Alioqui si homines templum ingrediantur sedulò, si precentur, sacra faciant. & adorent, omnia illa Deo sunt ingrata. Quia fiunt sine fide per inobedientiam & propriam nostram electionem in rebellione contra Dominum: qui in lege vetuit quemuis facere quod ipsi bonum videatur: sed mandat omnes præscriptis contineri verbi Dei: cui prohibet quicquam vel addi vel adimi. At temporibus Ioachim contraria his faciebant. Iosias contrà in omnibus fuerat legem Dei sequutus.

Pœna inobedientium.

Quò autem commoueat vehementius, apponit pœnam, quam sumere velit de inobedientibus. Si enim non obtemperaueritis mihi, & templum diruam, & ciuitatem in execrationem tradam omnibus gentibus terræ. Exemplum item adiungit, Silo: vt simul comprobet, vel verisimile faciat, locum vel officinam religionis fore vastandam. Id quod multis videbatur non modò impossibile, sed nepharium quoq́ & sacrilegum, si quis cogitasset hoc vel dixisset. Fuit autem Silo, vbi erat tabernaculum temporibus Iudicum & Heli, à Palestinis vastata, maximè ob eam causam, quòd sacerdotes & prophetæ essent corruptissimi, & populus non conuerteretur ad Dominum. Eadem cum causa esset & Ieremiæ sæculo, non difficile creditu fuit & Zion fore vastandam. Quæ verò hic perstringuntur paucissimis verbis à Ieremia, ab eodem expoliuntur & exponuntur copiosissimè in cap. huius operis 7. 8. 9. vbi idem argumentũ tractauit fusissimè.

Audiunt impij quidem sed nõ credunt.

Audierunt hæc omnia sacerdotes, pseudoprophetæ & populus, sed non crediderunt. Nihil ergo profuerit audiuisse, nisi etiam credamus propositis, & accommodemus nos auditis. Ac quamuis hi fuerint contra Ieremiam præduri, tractabiliores tamen & mitiores nostris in eo fuerunt, quòd nostri ne audire quidem sustinent. Audiunt hi orantem vsq́ ad finem: nostri obstrepunt principijs, & omnino audire nolunt disserentes. Luculenta quoq́ fides & diligentia Ieremiæ vniuersæ commendatur ecclesiæ, cum dicitur. Omnia ea ad populum est locutus, quæ iniunxerat Dominus, vt loqueretur. Quis non expectet hic amplissima à Deo præmia, gloriam item & defensionem à Domino? cæterùm fit in populo seditio: in ea apprehenditur propheta, & postulatur vulgi clamoribus ad necem. Addunt causam, quòd contra templum & vrbem prophetasset. Eadem accusatio instituitur contra Stephanũ in Actis cap. 6. Quæ quidem omnia ostendunt no-

Fides & diligẽtia Ieremiæ.

dunt nobis quæ sors maneat fideles Dei ministros: quos Dominus non deserit nec negligit, sed veluti aurum igni probari sinit. Amplissima verò præmia illis in alio illo sæculo largitur. Apparet hic etiam quomodo populus excipiat verbum veritatis, clamoribus inquam, vinculis & verberibus. S. Hieron. in Comment. suis, Sacerdotes, inquit, & prophetæ, quos pseudoprophetas manifestius transtulerunt LXX. irascuntur Ieremiæ quòd vera prædicat, & subuerso templo & ciuitate deserta, sit peritura religio, & lucra ex religione venientia: iccirco apprehendunt eum, & consentiente sibi populo, morti destinant: quare dixerit in nomine Domini, Sicut Silo erit domus hæc: & vrbs desolabitur, eò quod non sit habitator. Si quando igitur propter mandata Domini & fidei veritatem, vel sacerdotes nobis, vel pseudoprophetæ, vel deceptus populus irascitur, non magnoperè curemus: sed exequamur sententiam Dei, nequaquam præsentia mala, sed futura bona animo cogitantes. Deo æterno viuo & potenti sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Considunt Iudices, accusatur à sacerdotibus Ieremias, qui causam suam agens, pro se liberè dicit.

CONCIO LXXXVIII.

Et congregatus est omnis populus aduersus Ieremiam, in domo Domini. Et audierunt principes Iuda verba ista, ac ascenderunt de domo regis in domum Domini, & consederunt in ostio portæ Domini nouæ. Dixerunt autem sacerdotes & prophetæ ad principes, & ad omnem populum huiusmodi verba, Reus mortis est homo iste: quoniam prophetauit aduersus vrbem istam: quemadmodum auribus vestris audiuistis. Et dixit Ieremias ad cunctos principes, & ad vniuersum populum, hæc verba, Dominus misit me, vt prophetarem contra domum istam, & contra vrbem hanc omnia verba quæ audistis. Nunc igitur emendate vias vestras & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, tunc pœnitebit & Dominum mali huius, quod loquutus est contra vos. Et ecce ego sum in manu vestra, facite mihi quod bonum & rectum videtur. Verumtamen hoc certò scitote, quod si me interfeceritis, ponetis contra vos ipsos sanguinem innoxium, & contra vrbem istam, & contra habitatores eius. Quoniam in veritate misit me Dominus ad vos, vt loquerer in aures vestras omnia verba ista.

CAptum in templo audiuimus Ieremiam à sacerdotibus. Porrò quid factum sit, eleganter & simpliciter describitur. De populo audimus quòd contra Ieremiam fuerit congregatus vel conglobatus. Vbi vulgi obseruanda est varietas & inconstantia. Nam paulò post iudicat idem populus, vbi Ieremię defensionem audisset, ipsum esse dimittendum, & impunè quidem. Mox sub finem capitis oportuit ipsum liberari ex manibus populi. Sicut autem in euangelio populus impellitur à sacerdotibus, vt à Pilato Barabbam petat, non Iesum: ita sacerdotes hic quoque vulgum in Ieremiam exasperasse videntur. Abutuntur etiam num hodie vulgi insania & insciția sacerdotes papistici cõtra euangeliũ Christi. *Vulgus conglobatur contra prophetam.* *Mar. 15.*

Cæterùm turba in templo contra Ieremiam excitata à sacerdotibus, sopitur & non infeliciter componitur per principes. Hi enim dicuntur ex regia aula ad uenisse in templum, vbi audiuissent seditionem esse excitatam, & consedisse in ostio vel in uestibulo & ingressu portæ templi dominici nouæ. Appellabatur ea noua, fortassis quòd non ita pridem esset instaurata. Ad ipsam erat cõsistorium, *Principes sopiunt motum ac urbam.*

vel locus, aut sedilia, in quibus considebant iudices, acturi vel cognituri res religionis controuersas. Eorum verò exemplo discimus magistratus legitimi esse, non tantùm sedare turbas, sed etiam ius dicere, eripereque oppressum ac cohercere insolentiores & iniquiores: id quod apostolus quoque docuit in 13. ad Romanos. cap.

Publici iudicij de religione typus.

Proponitur autem hic elegans iudicij publici forma vel descriptio. Principiò enim adumbratur accusatio sacerdotum & pseudoprophetarum. Deinde adiungitur rei aut acccusati defensio. Postremò subijciũtur iudicia vel iudicata iudicum. In his exhibetur nobis pulcherrimus typus actionum vel tractationum causarum ecclesiasticarum in synodis vel coetibus. Non liberum & impune erat cuilibet in populo Dei credere ac tradere, quod ipsi bonum & rectum videbatur: sed mandatũ erat singulis hoc tantùm credere & profiteri, quod verbo Dei expressum erat. Si qui ergo exorirentur, qui diuersum à regula tradita in lege Domini populo proponerent, illi propter eam rem vocabantur in ius, ac serio agebatur cum ipsis, incurabilesq; & pestiferi homines tollebantur è medio. De qua re extat lex lata Deuteronom. 13. Iudices in rebus dubijs consulebant Leuitici ordinis legis peritos: neq; his licebat respondere ex suo arbitrio, aut ex sua animi sententia: sed iubebantur id quod verbo Dei traditum erat respondere. Id quod mox exequebantur iudices. Ita verò Dominus consuluit populi sui tranquillitati, cauitq; ne corrumperetur religionis syncera puritas. Ac quoties Iudęi res suas ad hoc verbi Dei præscriptum componerent, incolumes sanè & integrę erant res ipsorum: afflictæ contra & perditissimæ, quoties præterita illa Dei ordinatione, quibuslibet liberum sinerent credere, & in religionis negotio quod liberet tradere & alijs audacius cõmendare. Certè ad veteris ecclesiæ exemplum videntur beatissimi reges Constantinus & alij pij Imperatores sua etiam iudicia & suas synodos instituisse. Cum Arius Alexandrinus spargeret dogma de eo quòd filius Dei non esset patri consubstantialis, sed creatura potius, conuocauit in synodum episcopos vel ecclesiarum doctores Constantinus Niceam, propositoq; codice sacro, postulauit vt ex hoc ostenderent quid de cõtrouerso dogmate sentiendum sit. Et quod isti ex scripturis protulerunt, ille imperatorio edicto promulgauit, pœnas constituens impijs rebellibusq; temeratoribus. Papa Romanus postremo hoc sæculo, omnem sibi de sacris ecclesiasticisq; rebus iudicandi decernendiq; potestatem rapuit, Imperatoribus, principibus, magistratibus, episcopis & ecclesiarum doctoribus è gradu suo deiectis. Abutitur autem potestate illa sua, quam tantùm non immensam faciunt, & plenissimam nuncupant, ad stabiliendam vel conseruandam ampliandamq; tyrannidẽ, & ad opprimendum euangelium Christi cum vera Christi Domini ecclesia.

Concilium Nicænum beati Constantini Imp.

Accusatur Ieremias à sacerdotibus.

Videamus qualis fuerit sacerdotum contra Ieremiam instituta accusatio. Intentionem postulationemq; suam præmittentes, dicunt, Iudicium mortis est viro huic. Quæ quidem loquutio perinde valet, ac si tu dicas, Ieremias mortẽ commeruit, vel dignus est, qui morti adiudicetur. Nos dicimus, der mensch sol vom läben zum todt gricht werden. Hic sermo & hæc accusatio minimè decebat aut ornabat ordinem sacerdotalem & propheticum. Horum certè fuisset laborare, ne eriperetur homini vita, sed seruaretur potius. Si errabat, quare non conuincebant erroris, & reducebant errantem in viam rectam? Hoc certè sacerdotes & prophetas Dei decebat. Ergo cum nihil spirant nisi cædes & sanguinem, parum sacerdotaliter se gerunt. Interim ne quid temerè videretur agere, causam subiungunt & probationem, quare Ieremiam repetant ad mortis supplicium, Quoniam prophetauit aduersus vrbem hanc, vastandam videlicet forè vnà cum templo.

Quare Iudæi noluerint audire vrbem esse vastandam.

Quod capitale visum est illis; sicuti alibi ostendimus. Videbatur enim crimine

mihe læsæ maiestatis diuinæ reus, qui putaret possibile, vt Deus sua exturbare tur sede, conculcaretur omnis diuinitus institutus cultus, ac insuper dissiparetur vrbs, in qua tamen credatur Messias reuelandus, qui tamen quodammodo non venturus insinuetur eo ipso quòd eius sedes & metropolis vastanda dicatur. Addunt & aliam probationem huius iã propositæ causæ. Sicut auribus vestris audiuistis. Nihil ergo necesse erit id probare multis, aut testibus adductis confirmare. Ipsi omnes audistis, & quidem non alienis, sed propriis auribus vestris. Cædatur itaq;. Hæc sacerdotalis fuit accusatio instituta contra Ieremiam. Neque hodie sui dissimilis esse videtur ordo sacerdotalis, Romanensis maximè. Quid enim aliud hodie audias à sacrificis & monachis, contra eos qui euangelium aduersus Papismum prædicant, quàm Capiantur, Occidantur, Comburantur? Meruerunt, cum sint execrabiles hæretici abinquisitoribus accusati ac damnati. Nam concionantur contra sanctam Romanam ecclesiam, contra almam & sanctissimam vrbem, Petri & Pauli limina, contra beatissimum patrem & sanctissimum Christi vicarium, contra clerum Domini, & contra decreta pontificum patrumq; recepta. Quare non potius, in medium proposito codice sacro, euincunt erroris, quos clamoribus adobruere, & principum gladio è medio tollere, non seruare, cogitant?

Defendit se Ieremias strenue

Descendamus modò ad responsionem & defensionem sanctissimi prophetę Ieremiæ. Probandum est illud in hac re potissimùm, quòd locus concedituraccusato, pro se respondendi: & quòd iudices ipsum contra vim iniquam sacerdotum defendunt, quodq; benignè & citra sermonis eius interruptionem auditur. In Ieremia verò maximè obseruandum & commendandum est, quòd ingenuè, simpliciter & fortiter agit. Non facit hic quòd quidam solent nostro sæculo, qui cum satis liberaliter & intrepidè docuerunt contra idololatriam, contra scelera magnatum, & contra errores varios, vbi in vincula conijciuntur, & tormentis quæstionibúsque adhibentur, incipiunt suos temperare sermones, & paulò durius asperiusq; dicta, mollire vel commodius interpretari: id est, veritatem obscurare, & loqui perplexè. Ieremias quod antea dixerat, nunc repetit verbis ijsdẽ. Nihil obscurat, nihil profert mollius, nihil simulat aut dissimulat: sed simpliciter & verè veritatem prius professam, nunc repetendo confitetur. Discunt itaque eius exemplo omnes concionatores & omnes pij atque fideles homines, ingenuè, fortiter & perspicuè confiteri veritatem. Id quod & Dominus nos docuit apud Matthęum in cap. 10. Rursus colligimus ex defensione Ieremiæ licere Christianis suam aduersus calumniatores & hostes defendere innocentiam, in primis autem causam bonam Dei. Tametsi enim Dominus præceperit, & dixerit, ne malo resistamus, idem tamẽ se defendit in iudicio, dum percuteretur à ministro pontificis. Sicut autem moderata & non bilioſa est Ieremiæ defensio, ita curent viri boni, vt positis affectibus, sanctè respondeant aduersarijs, & causam suam agant candidè. Potuisset Ieremias recriminari, & multa accusare in aduersarijs: sed temperat hic sibi: ac ante omnia causam ipsam agit diligenter, demum verò aliquid etiam de sua adijcit persona.

Libere, fortiter & simpliciter confitenda est veritas.

Principiò enim omissis omnibus quæ alius dicere potuisset, ad rem ipsam accedit, in qua versabatur cardo, ac non negat se omnia illa verba dixisse, quæ audierint prolata ab ipso, contra templum & vrbem: sed addit, Hæc non dixi ex aliquo animi mei morbo vel affectu, non dixi illa ex priuata authoritate meóue arbitrio, aut ex vllius hominis suggestione, sed ex mandato Dei æterni, qui me ad vos misit, & vt hæc omnia loquerer præcepit. Cui cum obediui, concione illa mea nihil me peccauisse existimo: nisi vos Deum accusare & ei crimẽ læsæ maiestatis impingere libeat; quod tamen impietatis esset extremæ. Ista opposuit cau-

Agnoscit se fecisse quod fecerat, sed dicit se ex Dei imperio fecisse quod fecerat.

fæ ipſorum, qua probabant Ieremiam extremo afficiendum eſſe ſupplicio, quòniam prophetaſſet contra vrbem ſanctam. Cui oppoſuit, Prophetaui ſanè, ſed iubente ſic prophetare Domino. Imitandum verò arbitror ſanctum hoc diuini prophetæ exemplum, quoties in ius vocamur propter conciones habitas, quas liberè profiteri debemus ita à nobis habitas eſſe, vti habuimus, habitæq; fuiſſe à nobis dicuntur: ſed oſtendamus interim illas nos non ex nobis ipſis confinxiſſe, ſed petijſſe ex verbo Domini. In primis autem caueamus ne quid proferamus in noſtris concionibus quod non queamus, ſiquidem neceſſe ſit, commonſtrare in ſacris literis. Quòd ſi nihil à ſcripturis diuinis alienum protulerimus, nihil ſimus ſoliciti, tametſi cœlum, quod dici ſolet, ruat. Seruabit enim fidos veritatis teſtes in ſempiternum verax & iuſtus Dominus.

Deus non minatur ut perdat, ſed ut reuocet.

Porrò ne videretur vel Deus ipſe vel Dei vates voluptatem capere ex interitu templi, vrbis & gentis, conſequẽtibus oſtendit ſe quærere doctrina hac ſua populi periclitãtis ſalutem, Deum quoq; nõ perditurum ipſos, ſi conuertantur & emendent corrupta ſua ſtudia: vnde & hortatur eos ad pœnitentiam. Vera pœnitentia eſt ſi vias noſtras & ſtudia noſtra: id eſt, omnia noſtra inſtituta & facta, atque adeò totum vitæ curſum emendemus ad normam verbi diuini. Id quod innuitur cum à propheta additur, Et audite vocem Domini Dei noſtri. Qui verò audiunt legitimè, etiam obediunt ſanctè. Qui verò ex animo conuertuntur, & veram agunt pœnitentiam, eos fauore, nullo furore, proſequitur Dominus, qui pœnitere dicitur de malo, quando id non irrogat, quod ſe irrogaturum minabatur impœnitentibus. Rurſus verò iubemur omnes pij concionatores hoc prophetæ imitari exemplum, vt ſi alicui genti contigerit nos annunciare minas Domini graues, ſimul etiam adhortemur eandem ad iuſtam pœnitentiam, (inculcando, Deum erga pœnitentes ſuarum pœnitere minarum) omnemq; moueamus lapidem, vt quantum in nobis eſt, illos Deo noſtro lucrifaciamus, ipſiq; animaduertere poſsint, nullo nos affectu prauo, ira aut inuidia, odióue contra illos ferri, ſed dolere de ipſorum interitu, ac ſitire nos ipſorum ſalutem.

Pro ſua etiam perſona aliquid dicit propheta.

Poſtremò poſtquam ſatis cauſam ipſam Dei tractauiſſet, cumq; rabioſis vocibus conclamarent omnes, Morte moriatur, tandem etiam de ſua quoq; perſona, quam furibundè & vnicè peti cernebat, aliquid ſub finem defenſionis ſuę appendit. Sum ſanè in manibus veſtris, nihil hic deprecor, ſi quid cõtra Deũ & ius peccaſſe videor, nihil mihi & meæ vitæ metuo, facere vobis ſanè libet, quod videtur vobis bonum & rectum. Præualetis ſanè potentia ſeu viribus. Tenetis me vinctum pro veſtro arbitrio. Interim verò cum ita efferatis vocibus vociferemini, Reus eſt mortis vir ille, diſſimulare nec poſſum nec debeo, quid futurum ſit, ſi perrexeritis, me qui nihil commerui malui, trucidare. Cum enim ſim Dei propheta, hoc vobis denuncio, Si veſtra abuſi fueritis poteſtate, & me occideritis atrociter ac nefariè, fore vt in vos culpa & pœna recidat ſanguinis innoxij: id eſt, quòd propter ſanguinem innoxium effuſum, ſubituri ſitis iudicij aut ſupplicium horrendum. Nam conſtantiſſimè affirmo, me eſſe innoxium. Quoniam quæ annunciaui, ex imperio vel mandato dei annunciaui vobis. Sic illud quod in defenſione ſua primarium fuiſſe audiuimus, prudẽter ſub finem orationis ſuæ repetit & inculcat. Poteſt autem Ieremiæ exemplo confirmatus quilibet concionator, pro ſe quoque paria apud aduerſarios ſuos dicere, ſi modò & hoc verè poteſt addere, Quoniam in veritate, nimirùm certiſſimè, miſit me Dominus. Poteſt autem hoc liberè aſſeuerare, ſi id quod docuit, non aliunde, quàm ex verbo Dei petiuit. Hinc quoque diſcimus eos qui innoxium ſanguinem fundunt iudices & populi, non modò capitibus ſuis, ſed inſuper ſuper ciuitates & gentes ſuas culpam inducere ſanguinis. At quàm graue ſupplicium ſtatuatur

Sanguinem fundere innoxium

fuſoribus

fusoribus innoxij sanguinis, exponit & lex diuina, & continua omnium temporum historia. De qua re dictum est superius quoq; in hoc opere. Est item grande discrimen inter sanguinarios illos, cum dubium non sit, grauius peccare eos cõtra Dominum, qui legatos testesq; Dei fideles trucidant, qui parricidia cõmittunt, denicq; qui propter lucrum & vilissimam pecuniam, citra delectum, quosuis sibi obuiam factos sternunt atq; conculcant absq; omni misericordia: quam qui iniuria affecti ad vindicandos sese prosiliunt, sanguinemq; fundunt. Dominus Deus noster concedat omnibus in orbe hominibus, vt magni faciant humanum sanguinem, & impollutas manus retineant.

Subijciuntur sententiæ iudicum pro Ieremia & contra eundem, alijs eum absoluentibus, alijs condemnantibus.

CONCIO LXXXIX.

Et dixerunt principes atque cunctus populus ad sacerdotes & prophetas, Hic vir non est reus mortis: quoniam loquutus est nobis in nomine Domini Dei nostri. Et surrexerũt viri de senioribus terræ, dixeruntq; ad omnem cœtum populi, loquentes, Micheas Morasthites prophetabat etiam in diebus Ezechiæ regis Iuda, ac dicebat ad omnem populum Iuda, dicens, Sic dixit Dominus exercituum, Zion vt ager arabitur, & Hierusalem in aceruos redigetur, & mons domus in excelsa syluæ. Num verò interficiendo interfecerunt eum Ezechias rex Iuda atque omnis Iuda? An non potius timuit Dominum, & exorauit faciem Domini? vnde & Dominum pœnituit mali eius, quod contra eos decreuerat. Et nos committeremus tantum malum contra animas nostras? Fuit autem & alius quoque, qui prophetauit in nomine Domini, nempe Vrias filius Semeæ de Kiriath-Iearim, qui prophetauerat contra vrbem hanc, & contra hanc terram, iuxta cunctos sermones Ieremiæ. Et audiens rex Ioachim, & omnes potentes, & omnes principes sermones eius, & rex quæsiuit interficere eum. Cumq; hoc audiuisset Vrias, timuit & fugit, peruenitq; in Ægyptum. Misit ergo rex Ioachim viros in Ægyptum, nempe Elnathan filium Achbor, & viros cum eo in Ægyptum, qui educentes Vriam ex Ægypto perduxerunt eum ad regem Ioachim, qui eum gladio percussit, & cadauer eius proiecit in sepulchra vulgi. At manus Ahikam filij Saphan fuit cum Ieremia, ne traderetur in manus plebis, & trucidaretur.

Iudicia pro Ieremia & contra eundem.

SEquuntur iam post accusationem sacerdotum & defensionem Ieremiæ diuersæ iudicum sententiæ de causa capitali. Nam alij absoluendum esse Ieremiam statuunt, alij verò occidendum pronunciant. Ahikam verò vir primarius & incomparabilis seruat Ieremiam. Proponitur autem nobis ceu in speculo contemplandum, qualia sint iudicia ecclesiastica suscepta propter religionem vel doctrinam, ex qua turbæ oriri videntur. Ac proferuntur hæc suis pulcherrimè coloribus distincta, vt pios in casibus similibus confirment ac consolentur. Et quidem superiora sæcula plurima huius generis exempla habent, vt ne nostrum quidem sæculum exemplis caret similibus.

Populus facilè huc, & illuc impellitur.

Principiò ponitur sententia iudicum absoluentium Ieremiam. Pronunciant pro Ieremia autem principes, nimirum saniores & religiosiores, & cunctus populus, nimirum audita Ieremiæ apologia, qua commotum esse arbitramur. Hieronymus, Populus, ait, qui prius fuerat à sacerdotibus & pseudoprophetis supplãtatus, iungitur iam principibus ciuitatis, & pro Ieremia loquitur. Citò enim

vulgus indoctum, accepta ratione, mutat sententiam. Hæc ille. Cæterùm paulò post audiemus opera Ahikam esse factum, quò minus Ieremias traderetur in manus populi. Vnde apparet populum, pro vulgi ingenio, vel instabilem fuisse, iam à partibus Ieremiæ, iam verò aduersariorum oratione audita, rursus contra Ieremiam, vel partem saniorem fecisse cum propheta, insynceriorem cum aduersarijs prophetæ. Vtcunq; verò hoc habeat, vulgatum est plebem in huiusmodi dissidijs in contraria scindi studia. Quare non oportet pios propter vulgi inconstantiã ita moueri, vt de concepta veritate vel religione abnegent aut dissimulent tantillum, aut metu prorsus deficiant. Qui autem pro Ieremia pronunciant, dicunt, Huic viro non est iudicium mortis, id est, mortem non commeruit. De loquutione hac dictum est prius. Subijciunt rationem, Quoniam loquutus est nobis in nomine Dei nostri. Quasi dicant, Impium autem foret persequi legatum Dei, nec aliud loquentem quàm verbum Dei: & quidem Dei nostri, cui paremus meritó. Discunt hoc exemplo iudices non tantùm iudicare, sed iudiciorum quoq; suorum euidentes proferre rationes. Iustè enim iudicandũ est. Vtinam verò valeret hæc ratio hodie quoq; apud iudices, qui audiunt vinctos, non accusari violatæ legis diuinæ, sed pontificiæ. Quod enim docuerũt aut confessi sunt, scripturis diuinis confirmant. At hæ Decreta & Decretales pontificias oppugnant.

Iudicium iustum.

Sententiam istam principum confirmant & illustrant seniores terræ, per exemplum vetus, factum sub Ezechia, ante annos centum aut circiter. Seniores verò illi rerum memores antiquarum authoritate reuerendi erant. Surrexisse dicuntur, eò quod rem istam seriò, magnaq; cum fide & diligentia egerint. Nam ita decet tractare causas capitales, de fide vel religione potissimum institutas. Ac solet Dominus in defensionem seruorum suorum excitare homines graues & multis magnisq; dotibus ornatos. Verè enim pro seruis suis vigilat Dominus: qui si nullos excitet, vt pro Vria, meliora vticq; præuidit pro illo, quem trucidari ab ingratis hominibus sinit. Cæterũ exemplũ quod proponunt huiusmodi est, Micheas sanctus Dei propheta sub felicissimo & laudatissimo rege Ezechia eadem docuit quæ nunc Ieremias sub Ioachimo rege prædicauit: imò dixit ille multa multò liberius: & tamen neq; à rege, neq; à populo ad necem postulatus est, quin illi quibus ipse concionatus est, conuersi sunt ad Dominum: nephas ergo esset, si cum pœnitentiam agere deberemus, illum occidere pergeremus, qui nobis suadet pœnitentiam. Iccirco optimè iudicasse censemus iudices, qui Ieremiam pronunciarunt esse absoluendum.

Senes pro Ieremia loquuntur sapienter.

Micheæ in dicendo fides & libertas.

Complurima verò in his veniunt obseruanda, in primis præclarum & saluberrimum esse sanctum legitimumq; maximè apud populum exemplorũ vsum. Qualis verò fuerit Micheæ concio, aliquot verbis citatis exponunt. Concio ipsa integra habetur Micheæ 3. Hæsit autem memoriæ piorum quod dixerat Micheas sermone figurato, Zion vt ager, &c. Quæ quidem verba eum habent sensum, & vrbem & templum ita fore funditus eruenda, vt ibi conspicienda sint, non quæ in vrbibus, sed quæ in agris aut campis syluisq; cernuntur, nimirum arua & arbores, &c. Dixit idem propheta & alia multa in principes & magistratus intolerabilia delicatis auribus. Cæterùm propter istam parrhesiam neque vinctus est, neq; occisus. Quid ergo? Populus agnouit prophetam vera loqui, regnare ea scelera, quæ dixerat ille superauisse. Agnoscebant omnes iustitiã Dei non posse non punire huiusmodi gentem, quæ sic sepulta iaceret in nephariis flagitijs: ergo per Dei gratiam, in semetipsos descendentes, egerũt pœnitentiam. Vera item pœnitentia obiter hic describitur. Qui enim verè cõuertuntur ad Dominum, sanctè timent Deũ, credunt verbo eius, supplicant illi (orare enim faciem

Discenda ex prædicationibus vera pœnitentia.

faciem Domini, est supplicem fieri non alieno Deo, sed Deo viuo & vero) vt condonet delicta, & spiritum conferat suum, per quem seruiant Deo in synceritate & veritate. Ita verò seniores terræ, obiter & aliud interim agentes, docuerunt populum præsentem, pœnitentia potius fore opus quàm furore contra prophetam Domini. Sequitur autem nostram pœnitentiam, Dei pœnitentia. De qua dictum est antea sæpe. Si enim nos conuertamur ad Dominum, conuertitur Dominus quoque ad nos, sua gratia, & non prosequitur nos ira sua, vindicans nostra peccata, quæ iam condonauit. Colligimus hinc hodie quoque eadem nobis pietate opus esse, nempe ne irascamur prophetis obiurgantibus nos propter vitam nostram cõsceleratam, sed vt agnoscamus potius nostram miseriam, & conuertamur ad Dominum, ne is malum, quod nobis minatus est, nobis iustè inferat. Quod sequitur, Et nos committeremus tantum crimen, &c. resarciendum est per adiectam particulam, Absit, vel Prohibeat hoc Dominus: ni mirum vt cum patrũ exemplo pœnitere deberemus, velimus magis innoxium & bona suadentem trucidare. Nam suboſtendunt hoc grande esse malum contra animas parricidarum commissum, nimirum quod vindicaturus sit in ipsis Dominus. Audiant hæc qui hodie nimis faciles sunt ad effundendum sanguinem hominum Christum confitentium.

Porrò per Antithesim opponitur iam contrarium iudicium eorum, qui Ieremiam occidendum iudicarunt. Proferunt & ipsi ex abrupto exemplum, quo seniorum retundatur propositum exemplum. Quasi dixerint, Si vestrum existimatis valere debere exemplum, cur nostrum quoque non valeat, cum causa sit vtrobique eadem, prophetæ vtrobique, & reges vtrobique fuerint populi Dei, qui ista passi sint ac fecerint? Vrias enim opponitur Micheæ. Vterq; propheta fuit: vterq; contra vrbem & gentem prophetauit. Rex fuit Ezechias, rex erat Ioachim. Ezechias non occidit Micheam, qui nihil mali ab eo perpessus est. Ioachim occidit Vriam. In ea re dissimilitudo erat. Validum autem fuit hoc exemplum: quia periculosissimum erat loqui contra regis adhuc viuentis iudicium. Sed & exponunt diligenter quanta diligentia & seueritate vsus sit rex contra Vriam. Vehementissimè ergo vrgent pari ratione Ieremiam è medio esse tollendum. In his complurima iterum obseruatu digna occurrunt, quæ ordine perstringemus. Principiò quemadmodum hostes verbi Dei & prophetarum retundunt vetus exemplum domesticum: ita hodie quoque videas aduersarios euangelicorum contra vetera scripta prophetarum & apostolorum, adducere noua pontificum & Conciliorum decreta, quæ pluris faciunt, quàm diuina & authentica. 2. Mirabilis hic apparet Dei bonitas & misericordia, qui hominibus vsque adeò corruptis & sanguinem prophetarum sitientibus tam nobiles mittit prophetas, desiderans errantes reuocare in viam iustitiæ. Synchronos alibi fuisse dixi, Vriam, Ieremiam, Baruch, Sophoniam. Ac nobilem fuisse prophetam Vriam ponimus extra controuersiam: vtpote cuius maiores & patria non sine causa commemorantur. 3. Omnes autem prophetæ illi in eodẽ versantur argumento. Singuli enim prædicant verbum Domini, hortantes omnes ad pœnitentiam, ac minantes impœnitentibus grandia supplicia. 4. Reges autem ac principes delicatas ferè aures habent, nec ferendo sunt, si fideles eis dentur ministri à Deo, qui liberè scelera ipsorum accusent. Nam persequuntur eos, fouent autem adulatores. 5. Quanquam Vrias vir esset egregius & propheta insignis, humani tamen aliquid patitur, etsi citra vitium. Timet enim & fugit, atq; adeò abdit aut recondit sese in Ægyptum, existimans se tutius latiturum inter apertos hostes, quàm inter hypocritas & simulatos amicos. Idem tamẽ paulò post retractus & ad regis impij tribunal adductus, nihil tergiuersatus

Pronunciatur iam contra Ieremiam.

Plures nobiles prophetæ ingrato & perdito populo.

Regum stultitia.

Fuga & constantia.

aut negasse legitur. Vnde Hieronymus hunc locum enarrans, Animaduertenda est constantia prophetalis, inquit, quòd ne de Ægypto quidem retractus Vrias mutarit sententiam, sed videns sibi intentari mortem, nihilominus sit loquutus quæ præceperat Dominus. Quodq; timuit & fugit & ingressus est Ægyptum, non infidelitatis, sed prudentiæ est indicium, ne frustra nos offeramus periculis. Alioqui & Dominum Saluatorem de manibus persequutorum lapsum legimus, & præcipientem apostolis, Cum vos persequuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam. Hæc ille. 6. Considera autem hic mihi regis parricidæ, in re scelerata diligentiam. Non parcit hic vllis vel sumptibus vel laboribus, sed mittit in Ægyptum vsq; legatos authoritatis alicuius, vt reduceret Vriam, hominemq; ingenij petulantis, vt videbatur ipsi, & indomiti ac turbulenti, coherceret & perderet. Videas principes & magistratus hodie quoq; magnas facere expensas, in res à Deo prohibitas & noxias, parcere verò sumptibus, & cessare vbi minimè vel parcendum erat vel cessandum. 7. Mirum autem non est mississe Ioachim legatos ad regem Ægypti. Nam hic Nechao ille fuit, qui post cæsum Iosiam regem sanctissimum, Ioachas fastigio regio deiecit, ac Ioachimum in locum deiecti substituit. Ac solent aliâs principes alioqui dissidentes, aut non per omnia consentientes, in Christo tamen persequendo, colludere & bene congruere. Cuius rei exemplũ habemus in Pontio Pilato, & Herode etiam. Ne ergo miremur si eadem occurrunt nostro etiam sæculo. Principes dant hostes aliorum principum principibus ad supplicia, vt pariter ab illis accipiant quos oderunt. Sed vtrunq; tam Ioachimum quàm Ægyptium regem perdidit Nabuchodonosor, sicut Imperator Romanus Pilatum deiecit fastigio, & Herodem ablegauit in exilium. 8. Cæditur Vrias propter verbum Dei, vt qui fuerat hactenus propheta, iam etiam fiat martyr, moriaturq; pro testamento Dei. Proinde ne sit nobis graue mori pro Christo & sancto eius Euangelio, qui nouimus & Christum pro nobis esse mortuum, & nos tot habere nobilia martyrum exempla, adde & præmium amplissimum. 9. Noli mirari cæsum esse Vriam, seruatum autem Ieremiam, & quidem in causa eadem, & apud eundem principem. Prouidentia Dei omnia rectè, & ad vtilitatem ecclesiæ suæ temperat. Occiditur & Iacobus in Actis Apostol. & liberatur in eadem causa, & sub eodem principe, Petrus, qui cum audisset in Euangelio à Domino se occidendum fore in senio, rogat Dominum, quid futurum sit cum Ioanne apostolo, quo genere mortis & hic tollendus sit? At respondet ei Dominus, non debere illum curare aliena, sed illud potius, vt Spartam quam sit nactus ornet. Ita nobis non est disputandum cum Deo, cur hunc occidi sinat, alium à morte liberet: sed cogitet quisq; quod suum sit officiũ, & adnitatur hoc præstare fideliter, cogitet diuinam prouidentiam nõ aberrare, nihil temerè facere, atq; adeò credat quisq; cum Apostolo, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. 10. Sanguine autem innoxij effuso, non est satiatus tyrãnus, nisi & in mortui sæuiat corpus, quod non sinit condi more prophetico, sed proijcit illud in sepulchra vulgi, hominum videlicet ignobilium. Apparet enim sepulchra prophetarum propter ministerij dignitatem, fuisse paulò instructiora. Ergo cum hic rex occidisset Vriam tanquam blasphemum & seditiosum, negat illi consuetam sepulturam. Id quod commemoratur, nõ quòd sepultura animæ separatæ à corpore vel prosit vel obsit, sed quòd taxare voluit tyranni sæuitiam inexplebilem. De sepultura dictum est in hoc opere alibi copiosius. Refertur in Reuelatione Iesu Christi cap. 11. Antichristum proiecturum corpora fidelium, per opprobrium & contumeliam, curaturumq; ne vllo sepeliantur cum honore. Quod quàm seueriter hodie exerceatur à multis, qui videre non vult, cæcus est.

Diligentia persequutorum.

Colluſio principum in perſequendo.

Cur cædatur Vrias, parcatur verò Ieremiæ.

Sæuitur in mortuos.

Hac

Hac oratione videntur animi populi sic commoti atque incensi, vt multi ex eis postularint Ieremiam ad mortis supplicium. At nō defuit Dominus Ieremię cui auxilium non semel promiserat, atq; hunc iam veluti miraculo aut per omnipotentiam suam liberat. Vsus est ea in re opera Ahikam, viri laudatissimi & incomparabilis. De hoc enim scribitur, At manus Ahikam filij Saphan, fuit cum Ieremia. Pro quo nos diceremus, Ahikam hatts mit Jeremia: Id est, causam eius egit ac iuuit. Vnus autem vir nihil hic in furente turba potuisset efficere, ni si manus Domini fuisset cum ipso. Domini ergo beneficium est quod hic Ieremiæ confertur. Cui haud difficile est in multis vel in paucis seruare quos seruatos vult. Dicuntur hæc ad consolationem afflictorum, & in extremis desperatisq; periculis conflictantium. Nemo ex potentioribus posthac dicat, Quid fecissem? Solus eram. Nulla vspiam affulgebat spes. Omnes in aduersum nitebantur. Discimus enim hoc exemplo præclaro, nunquam desperare, sed semper & apud omnes & in extrema desperatione agere constanter & cum spe, cùm Dei ipsius, tum sanctorum eius negotium. Si complacitum est Domino, dabit euentum tibi felicem. Si aliud visum est Domino, tu tamen id fecisti, quod ex officio facere debuisti. Gloria & laus sit Domino Deo nostro in sæcula sæculorū. Amē.

Liberatur Ieremias per Ahikam.

ORATIO IEREMIAE DVODECIMA.

Suadet Ieremias s. regibus & Zedechiæ, vniuersoque Iudæorum populo vt principi suo Nabuchodonosori obediāt, & contra ipsum non conspirent, nisi extrema mala experiri velint.

CAPVT XXVII.

CONCIO XC.

IN principio regni Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, factum est verbum istud ad Ieremiam à Domino, dicens, Sic dixit Dominus ad me, Fac tibi lora & iuga, & imponito ea collo tuo, & mitte ea ad regem Edom, ad regem Moab, ad regem filiorum Ammon, ad regem Tyri, & ad regem Zidonis per manum Legatorum qui veniunt Hierosolymam ad Zedechiam regem Iuda, præcipiesq; vt ad Dominos suos loquantur, & dicant, Sic dicit Dominus exercituū, Deus Israelis, Sic dicetis Dominis vestris, Ego feci terram, hominem, & animantia quæ sunt in superficie terræ, virtute mea magna, & brachio meo extento, & trado eam ei cui rectum fuerit in oculis meis: nunc autem tradidi omnes terras istas in manum Nabuchodonosoris regis Babylonis serui mei. Dedi quoque ei feras agri, vt ei seruiant: & seruient ei omnes gentes, & filio eius, & nepoti eius, donec eius quoq; terræ tempus veniat: seruient ei inquam gentes multæ, & reges magni. Porrò gens aut regnum quod seruire Nabuchodonosori regi Babylonis, & quod collum suum subdere iugo regis Babylonij noluerit, visitabo eam gentem gladio, fame & peste, donec consumam eos in manu eius, ait Dominus. Vos ergo ne audiatis prophetas vestros, diuinos vestros, somniatores vestros, mathematicos vestros, & maleficos vestros, qui vobis dicunt, Non seruietis regi Babylonio: quia mendacium vaticinantur vobis, vt vos longissimè abducant à terra vestra, vt ego eijciam vos & pereatis. Gens autem quæ subdet collum suum iugo regis Babylonij & ei seruiet, relinquam eam super terram suam, ait Dominus, & colet eam & habitabit in ea.

Quando hæc Oratio sit habita.

ORATIO hæc Ieremiæ 12. comprehenditur hoc 27. capite, à cuius initio mox consignatur, quãdo sit habita, nempe in principio regni Ioachim. De qua consignatione dubitatur, & varia traduntur ab interpretibus. Hieronymus arbitratur eam particulam pertinere ad finem capitis præcedẽtis, vt quicquid factum legimus in cap. 26. intelligamus esse factum in principio regni Ioachim. Est qui existimet reuelatam esse quidem hanc Orationem in principio regni Ioachim, sed pronunciatam demùm sub Zedechia. Alij putant mendum esse scribarum aut librariorum, qui pro Zedechia scripserint Ioachim. Fortassis nomen vnius fratris pro alterius nomine positum est. Manifestum alioqui est ex contextu, denique ex principio capitis sequentis, hæc quæ dicuntur omnia referenda esse ad tempora Zedechiæ.

Occasio huius orationis.

Occasio autem Orationis est huiusmodi, Nabuchodonosor magnus à morte patris sui Nabuchod. Prisci, bellũ intulit Aegyptio regi, ac vicit fudítque ipsum in Charcamis, quarto Ioachimi anno, sicut Ieremias testatur in cap. 46. Recuperauit ergo Syriam & Iudæam, cui Ioachimum præfecit. Aegyptius verò non desijt aspirare ad monarchiam: vnde & Ioachim solicitauit ad defectionem: quam cum moliretur, oppressus est à Nabuchod. qui Iechoniam in regnum collocauit, mox tamen mutata sententia, illum captiuum abduxit in Babylonem, & Zedechiam in locum eius reposuit. Hic verò & ipse diu solicitatus ab Aegyptio, cœpit tandem 4. anno regni sui cum vicinis consultare regibus. Nam comitia conscripsit (mira audacia) & ad ea regum quinque Legatos vocauit, de recuperanda libertate excutiendoque iugo Nabuchodonosoris, consultandi gratia. Veniebãt ergo vicinorum regum Legati quinque Hierosolymam, nempe Legati regis Idumæi, regum item Moabitici & Ammonitici, denique regũ Tyri & Zidonis. Eadum fierent, excitauit Ieremiam Dominus, per quẽ sufficit in Comitijs istis consilium saluberrimum, nempe vt obedientiam præstent fidelem Nabuchod. & ne rebellionem contra ipsum defectionemque meditentur. Ac dubium non est quin principum Legatis oratio Ieremiæ fuerit amarissima. Nam Regum animi non sinunt se reflecti facilè à suis semel conceptis consilijs: nihilominus paret prophe ta Domino, & feliciter & fideliter expedit sibi commissum negotium. Quò autem altius animis principum infigeret propheta quod suadet, iubente Domino, non verbis tantùm, sed symbolo quoque addito (de qua agendi ratione iam antea dictum est satis) commendat obedientiã. Nam iugum imponit ceruicibus suis, quod & loris astringit collo, & hoc habitu comparet primùm vniuerso populo. mox etiam Legatis regum, ad quos in ipsa Comitia irrupisse videtur. Est autem iugum seruitutis obediẽtiæque & humilitatis vel deiectionis aut subiectionis symbolum. Cæterùm videtur iugum non vnum duntaxat, sed sex iuga parasse propheta. Nam iubetur illa mittere regibus. At erant quinque regum Legati, quinque ergo iuga fuerunt mittenda, ac pro Zedechia & Iudaico populo vnum retinendum.

Iuga imponit collo suo.

Orationis genus & status.

Oratio verò ipsa generis est suasorij. Suadet enim obedientiam, & ne rebellionem contra suum Dominum instituant, vel ab ipso deficiant. Certo autem ordine in ipsa vtitur. Principiò enim loquitur cum Legatis quinque Regum: deinde eadem ingerit regi Zedechiæ & aulæ eius: postremò conuertit sermonem ad sacerdotes & vniuersum populum. Ex his colligimus immensam esse Dei bonitatem, qui etiam prauos homines admonet in tempore, vt resipiscant, & ne pereant. Colligitur ex his quoque generalis doctrina, quemlibet populum obedire debere suis magistratibus, & non audire turbatores rebus nouis gaudentes, & multa quidem splendidè commentantes de libertate & publico bono, sed contra Dominum, iubentem quemuis nostrum obedire suo magistratui, & ei pendere aut

dere aut præstare omnia sua illa iura, de quibus dixit apostolus Rom. 13.

Principiò quidem quinq; principibus ostendit Dominus per prophetam, se esse monarcham, qui plenum obtineat imperium in vniuersa terra. Etenim se omnia quæ sint, condidisse, omnia ergo ipsius esse: vnde iam colligit se posse regnum dare in terris, cui velit: cum omnia iure proprietatis ad ipsum pertineant. Obseruemus autem in præsenti Dominum Deum nostrum esse regem regum, conditorem omnium: omnia eius esse propria, ipsum dare posse res conditas cui velit. Condidit autem omnia per verbum vel per filium, & per extentum brachium, id est per immensam potentiam. Est ergo Deus ille noster, Deus omnipotens, & vniuersorum Dominus, rector vel gubernator omnium. Hæc dixit in genere de omnipotentia & vniuersali dominio Domini Dei nostri; porrò descendet ad specialia. *Dominus est cõditor, & Dominus omniũ.*

Ostendit enim consequenter quinq; regibus, quòd ille Deus qui regnum dare potest cui vult, imperium dederit Nabuchodonosori, atq; adeò velit sub eius dominio esse ipsa quoq; animantia, nedum homines. Imò seruient ei, ait, gentes multæ & reges magni. Præterea ostendit, quàm diu sit regnaturus Nabuchodonosor, per tres inquam generationes. Seruient enim, ait, ei, & filio eius, & nepoti eius. Successit enim Nabuchodon. patri filius Euilmerodach, & post hunc regnauit Baltazar nepos Nabuchodonosoris, nihil habẽs paternarum virtutum, sed erat ignauus princeps & degener. Defecit itaq; in ipso & prosapia illa, & regnum Babylonicum. Eleganter verò dicit propheta, Donec eius quoque terræ tempus veniat. Vnde discimus diuinam prouidentiam moderari res omnes in cœlo & in terra, adeò vt ne temporis quidem momenta videantur exempta. Prę fixit Dominus omnibus rebus suos terminos: quos nemo, sicuti & Iob testatur, præterire poterit. Quoniam verò Domini Dei sunt imperia omnia, & is ea dedit Nabuchodonosori, inde vult quinq; reges colligere, æquum & iustum esse, vt ei obediant, & non ab ipso deficiant. Sequitur inde & aliud quidpiam vniuersalius, æquum & iustum esse, vt subditi quilibet, suis pareant dominis. Nam his, illos subiecit. Ita docuit Iudæos Dominus in euangelio obedire Cæsaribus, & eis dare tributa, & alia debita præstare officia. Quin ipse quoque eis pendit tributum. Et S. Petrus mandauit obedire magistratui etiam prauo, licet non in prauo. Pluris enim semper facienda est veritas Dei, quàm potentum authoritas. *Qui regnum dare potest cui vult, dedit Nabuchodon.* *Subditi pareãt suis magistratibus.*

Præterea ab vtilitate & damno ductis argumentis, suadet parere Nabuchodonosori. Nam rebelles, contumaces & defectores ego, ait Dominus, puniam. Visitare enim Dei punire est in præsentiarum. Et genera vel species pœnarum cõmemorans, recenset gladium, famem, pestem, donec consumantur & pereãt: id est, his non desinam vos affligere, donec sustulero è medio vos omnes, nullo amplius superstite. Proinde si rebelles, seditiosi & defectores, timere nolunt homines, Deum saltem metuant: quem hic intelligunt se habiturum hostem, si pergant perfidè contra magistratum suum agere, etiam si magistratus contemptum suum vel nolit, vel non possit vindicare. Satis potens est Dominus, qui dicit, Visitabo eam gentem, &c. Sic apostolus ad Rom. Qui restiterint, inquit, sibi ipsis iudicium accipient. Paulò post vtilitatem quoq; commemorat obtemperantibus sano Dei consilio propositam, nempe hos non ejiciendos ex patrijs sedibus, sed in his permansuros, & quidem culturos terram, & pace fruituros ac felicitate. Quæ omnia opponuntur calamitatibus superius recensitis. Petita sunt autem omnia ex lege Domini, ex Leuitici 26. & Deuteronom. 28. cap. sicuti aliâs sæpe diximus. *Pœna rebellantium suo magistratui.*

His verò mediam inserit admonitionem, ne reges illi quinque audiant suos *Admonitio, ne audiantur pseudo prophetæ.*

diuinos, diuersum illis, non ex Deo, sed ex diabolo mendace & homicida, suas dentibus. Sicut enim Iudæi habuerunt prophetas, sic gentes habuerunt suos diuinos, aruspices, mathematicos, veneficos. Quos omnes in lege sua proscripsit Deus, Deut. 18. eijciens eos ex cœtu populi sui. Quos tamen à Iudæis receptos esse tradunt historiæ, neque rarò sed sæpissimè, verùm non nisi irato Deo. Hos hic vocat impropriè prophetas. Erant enim pseudoprophetæ: sed & prophetæ vocabulum vsurpatur pro sapiente, diuino & oratore cuiuscunq; religionis. Diuinos alij augures vocarunt. Diuinare solebant ex volatu auium, aruspices ex inspectis extis sacrificiorum. Somniatores insomnijs prauis & malis artibus excitatis credunt, & somnia ceu oracula narrant. Ostensum est alibi non omnia somnia esse vana: & Deum voluntatem suam nonnunquam reuelare per somnia. Mathematici astrologi sunt, ex astrorum cursu & influxionibus cœlestibus diuinantes. Malefici verò vel Venefici sunt, qui vtuntur sathanæ ministerio, quales sunt necromantici, & id genus alij fœdere cum dæmone connexi: qui etiam Imperatorum regumq; grauissimis censuris damnantur. Frequens horũ omnium fit mentio in scripturis: sed nullibi non proscribuntur. Apud reges illos quinque erant augures & mathematici, qui splendidam ijs regibus pollicerentur victoriam, modò fœdere inter se & cum Zedechia & Aegyptiorum rege coalescerẽt, & iugum Babylonij à se abijcerent. Hortatur autem Ieremias, ne istis credant falsis consultoribus. Nam mendacium eos prophetare, & in perniciem extremam adducturos, si sequantur, omnes. Suadet itaq; nõ esse audiendos. Quanto verò minus hodie doctores, monachi, sacerdotes, & cæteri Papæ coniurati sunt audiendi, qui contra scripturam ex suis capitibus comminiscũtur dogmata prauа. Audiamus potius Deum nobis loquentem per filium, prophetas & apostolos. Ei Deo sit gloria, &c.

Perseuerans in eodem argumento, eadem denunciat Zedechiæ, sacerdotibus & populo, quæ annunciauerat quinque regum legatis.

CONCIO XCI.

Et ad Zedechiam regem Iuda eadem per omnia loquutus sum, dicendo, Subijcite colla vestra iugo regis Babylonij, & seruite ei & populo eius, & viuetis. Cur moriemini tu & populus tuus gladio, fame & peste, quemadmodum loquutus est Dominus de gẽte, quæ regi Babylonio seruire noluerit? Ne audieritis sermones prophetarum prophetantium, ac dicentium vobis, Non seruietis regi Babylonis: quia illi mendacium prophetant vobis. Quoniam non misi eos, ait Dominus: & tamen illi mendaciter prophetant in nomine meo, vt eijciant vos, pereatis q; tam vos, quàm prophetæ, qui vobis prophetant. Ad sacerdotes quoque & ad vniuersum populum istum sic loquutus sum, Sic dicit Dominus, Ne audiatis verba prophetarum, qui prophetant vobis, & dicunt, Ecce vasa domus Domini, nunc citò reuertentur ex Babylone. Mendacium enim ipsi prophetant vobis. Ne audieritis eos, sed seruite regi Babylonio & viuite. Cur enim vrbs ista in solitudinem redigeretur? Quòd si illi sunt prophetæ, & si verbum Domini est apud eos, orent quæso Dominum exercituum, quò minus reliqua vasa, quæ sunt in domo Domini, & in domo regis Iuda atq; Hierusalem, Babylonem perueniant. Sic enim dixit Dominus exercituum de columnis, de mari, & de basibus, & de reliquis vasis, quæ reliqua sunt in vrbe ista, quæ non abstulit Nabuchodonosor rex Babylonis, cũ transferret Iechoniam filium Ioachim re-

chim regem Iuda de Hieruſalem in Babylonem, omnes deniq; illuſtres in Iuda & Hieruſalem. Quia ſic dicit Dominus exercituum, Deus Iſraelis, de vaſis reſiduis in domo Domini, & in domo regis Iuda, & Hieruſalem, Babylonem transportabuntur, & ibi manebunt ad eum vſq; diem, que ego viſitauero eos dicit Dominus, & transferam ea, reducamq; ea in locum iſtum.

EAdem quæ expoſita ſunt quinq; regum legatis, repetuntur iterum & inculcantur etiam regi Zedechiæ, deinde etiam ſacerdotibus & vniuerſo populo. Intelligimus autem aulæ etiam proceribus, & vniuerſo nobilium ordini dicta eſſe, quæ ad Zedechiam dicta leguntur. Singulis verò tanta diligentia inculcari iſta videntur, ne quis ignorantiam vllo modo prætexere poſſit. Cernitur item ea in re inſignis Dei fides & diligentia erga homines peccatores, quos ſeruatos non perditos cupit, eaq; de cauſa in tempore non tantùm monet, ſed repetit, repetendoq; vrget etiam modis omnibus ſalutem. Dixi prȩterea ab initio huius Orationis commendari nobis hic in primis obedientiam, quam præſtemus magiſtratui, fugiamus autem rebelliones, ſeditiones, ac defectiones. *Repetita & inculcata in ſcripturis.*

Regi ergo Zedechiæ ſuadet ne collum ſubducat iugo (alludẽs ad ſymbolum quod præferebat) regis Babylonij, ſed ſeruiat ei potius & Babylonijs. Rationem autem cur ita ſuadeat ſubijcit, Viuetis. Loquutio eſt ſignificans omnia illius fore tuta, felicia, incolumia, ſalua, integra. Nam addit per vehementem interrogationem oppoſitum, Cur moreremini tu & populus tuus gladio? &c. Mors vitæ opponitur, comprehendens omne infortunium, omnem miſeriam atq; calamitatem. Inculcat mox iterum diſtrictum & certiſſimum Dei iudicium, Quemadmodum loquutus eſt Dominus, &c. Porrò, Quî fit, ais, quòd tantopere obedientiam requirit in præſenti Ieremias, at in 10. cap. ſicuti & Iſaias propheta in cap. 40. & inde vſq; ad 49. tam diligenter hortatur ne Babylonijs obſequantur? Reſpondeo. Aliud eſt obedire alicui vt principi, aliud verò iſti ſe facere etiam in religione conformem. Ideoq; duplex eſt obedientia: alia quidem in ijs quæ pertinent ad regnum vel reſpub. in externis: alia verò in rebus ad religionem ſpectantibus, & internis. Iudæi ergo iubentur obedire Babylonio in externa adminiſtratione: non iubentur illi ipſi obedire in religione, vel ſuperſtitione potius. Vnde & ſaluator diligenter inter hæc diſcernens, Date Cæſari, ait, quæ Cęſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt. Præterea non vrſerat Nabuch. vt Iudæi ſua religione poſita, ethnicam vel gentilem reciperent, ſed liberam permiſit eis ſuam illã religionem veram. Siue quòd intelligeret nunquam animos hominum vehementius exardeſcere quàm cum eripitur eis religio paterna, vel certè quòd alias ob cauſas cerneret non expedire nunc illis paternam ſubtrahere religionem. Nullam ergo difficultatem, nullum periculum habuit obedientia, quam ſuadebat Iudæis Ieremias. Et commendanda eſt humanitas & ęquitas ac prudentia regis Babylonij, qui cum victor eſſet, clementer ſua vtebatur victoria, neque cogebat Iudæos gentilem recipere ſuperſtitionem. Hodie diuerſum videas magna cum truculentia principum quorundam, quos tandem & ipſos compeſcit Dominus. *Zedechiæ cũ ſuis ſeruiat regi Babylonio.* *Duplex obedientia.* *Nabuchodonoſor non adigit Iudæos victos ad ethnicam religionem.*

Quoniam verò Ananias propheta cum ſuis complicibus ſuadebat defectionem à principe Babylonio, & pollicebatur omnia felicia, fore inquam vt vinceretur Babylonius, & intra bienniũ, non tantùm vaſa templi, ſed & rex Iechonias cum captiuis magna cum gloria rediret ex captiuitate Babylonica, in quam illum cum theſauris & proceribus abduxerat Nabuchod. hortatur Ieremias regem, ne credat vaticinio Ananiæ & amplis pollicitationibus pſeudoprophetarum. Sic enim & quinq; regum legatos monuerat. Rationes autẽ addit cur non ſint audiendi. Principiò quia mendacium prophetant: deinde quia nõ miſi eos, *Non audiẽdos eſſe pſeudoprophetas.*

ait Dominus, Tametsi enim nomine meo prophetent, prætexunt tamen nomen meum suis erroribus & deceptionibus. Postremò, Si audieritis eos, eiȝcient vos è patria, & inuoluent miseriȝs extremis, & nunquam explicandis. Addit, illos vnà quoq; cum seductis perituros. Nam in euangelio quoque dixit Dominus, Si cæcus cæcum duxerit, ambo cadent in foueam. Si verò prophetæ audiendi non sunt, qui mendacium prophetando, homines propellunt ex patria, & inuoluũt miseriȝs extremis, & nunquam euoluendis, corporalibus tamen: quantò magis fugiendi sunt doctores, qui eiȝciunt nos patria cœlesti, doctrina sua à scripturis aliena, & tormentis inferorum perpetuis alligant? Cadunt hic quoq; in eandem foueam & doctor prauus, & praua doctrina corruptus: etsi fatear grauius puniendum qui aliȝs fuerit author perniciei.

Sacerdotibus & populo quoque inculcatur obedictia.

Postremò eandem rem iam etiam sacerdotibus, quorum magna erat authoritas, & vniuerso populo, inculcat, vt inquam obediãt principi suo Nabuchod. & non audiant prophetas diuersum suadentes. Proinde ne pigeat eandem rem subinde inculcare, licet ȝsdem verbis, modò eadem res à Deo sit & vtilis. Eadem scribere vobis, ait ad Philip. apostolus, me quidem haud piget, vobis autem tutum est. Copiosius autem in hac parte agit contra pseudoprophetas, quos sacerdotes eò libentius audiebant, quò impensius sacra sibi vasa restitui desiderabãt. Pluris illi faciebant aurea vasa templi, quàm ipsos homines & pietatem. Deus verò pluris facit homines vasa sua dilecta & templa spiritualia & flatilia, pluris item facit innocentiam hominum, quàm preciosissima quæq; non modò in templo, sed & in toto mundo. Fuerunt in veteri ecclesia qui etiam aurea pocula Cœnæ dominicæ tanti facerent, vt indignum existimarent, fractis illis, hominum subuenire necessitati. Cæterùm à pluribus beatis patribus, in primis ab Ambrosio, tales confutati sunt, Officiorum lib. 2. cap. 28. In genere autem suadet, & ait, Ne audiueritis illos prophetas. Speciatim verò, qualis eorum fuerit doctrina, exponit, Dicunt, Ecce vasa domus, &c. Causam rursus addit cur audiri non debeant, Quia mendacium prophetant. Addit & contrarium eorum doctrinæ, Vos parete Babylonio. Vtilitatem coniungit, Viuetis: vt superius est dictum. Quòd si non paruerit is, vos ipsi ceu manibus vestris euertetis patriam vestram. Et viuidius quidem est quòd per interrogationem hoc pronunciat, & ait, Cur vrbs illa in solitudinem redigeretur? Redigetur autem in solitudinem, nisi paruerit is Babylonio. Eritis autem vos authores excidij patriq; vestræ. Quæ res sanè indignissima erit, & infamiam conciliabit vobis nunquam eluibilem in sempiternum. Cogitet hodie etiam quisque apud se, quàm fœdum sit futurum, si ipse suis manibus patriæ subuertat muros. Subruunt autem muros patriæ suæ quot quot impia vita, & rebellione, seditionibus & defectionibus occasiones suppeditant, in solitudinem redigendi patriam cuiusq; barbaris hostibus.

Vasa templi omnia prædã fore barbarorũ.

Subiungit his aliud longè durius aut acerbius. Adeò vasa, inquit, oblata non reducentur, vt potius ea quæ supersunt adhuc in templo, in domo regia, & in vrbe Hierosolymorum, & ipsa sint priora illa consequutura & transferenda in Babylonem. Simul ostendit Ananiam cum suis non esse tam excellentes prophetas, quàm se venditabant. Nam excellentiores à Deo missi prophetæ, magna & miranda à Deo suis impetrarunt precibus, vt Moses sæpe, Samuel & Helias. Cæterùm deprecentur isti nostri, inquit Ieremias, ne vasa reliqua transportentur in Babylonem. Hoc autem prohibere non possunt, quò minus futurum sit: proinde cernitis quales sint prophetæ.

Porrò occasione huius expositionis vaticinatur consequenter de omnibus instrumentis templi reliquis in Babylonem transportandis. Columas illas insignes à Solomone paratas singulariter nominat, item Mare æneum, nimirum ca-

cabum

cabum vel polubrum abluendis rebus maximè sacerdotum manibus & pedibus destinatum: propter aquarum copiam mare appellatum. Bases item exprimit, quas Germanici interpretes verterunt, das gestül / fortè sustentamentum polubri sacri, in quod lauacrum templi incubuerit. Varia certè instrumenta nominantur à Ieremia in vltimo capite huius operis, quæ Chaldæi abstulerint & secum vexerint in Babylonem. Non est itaque quod speremus in vasa & ornamenta templi. Nam sæpius spoliatum templum legimus. Alia ornamenta nimirum viua & spiritualia requirit Dominus. Dum verò hæc exponit Ieremias, obiter captiuitatis Iechoniæ meminit: nec præter rationem Nam cum illam quoque futuram Ieremias prædiceret, nemo sermonibus eius monitoris credere voluit, donec experirentur plagam Dei apertam. Ita nunc quoq; futurum innuit, vt citius captiuitatem excidiumq; sensuri sint, quàm credituri. Miscet tamen his, propter electos lætiora, fore vt tempore iusto & à Deo præuiso, expleto, vasa sint reducenda cum hominibus Hierosolymam. Id quod factum esse testatur liber 1. Ezræ. Ac promiserat in lege Dominus Deuter. 30. se miserturum afflictorum suorum, neque semper concessurum impijs quietem & lætitiam: sed liberaturum illos ex malis, in hos autem effusurum omnem indignationem. Credamus ergo veracissimis Dei promissis, & cõmendemus nos semper, in persequutionibus maximè, immensæ eius misericordiæ, &c. Ipsi sit laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen. *De liberatione ex Babylone.*

Describitur disceptatio habita inter Ananiam & Ieremiam.

CAPVT XXVIII.

CONCIO XCII.

FActum est autem in illo ipso anno, in principio regni Zedechiæ regis Iuda, in anno quarto, mense quinto, vt diceret ad me Ananias filius Azur, qui erat de Gabaon, in domo Domini, in conspectu sacerdotum atque totius populi, dicens, Sic loquutus est Dominus exercituum, Deus Israelis, dicens, Confregi iugum regis Babylonis. Adhuc intra duos dierum annos, reducam ego ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ abstulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, & auexit ea in Babylonem. Ipsum etiam Iechoniam filium Ioachim regem Iuda, & omnes captiuos Iuda, qui Babylonem ingressi sunt, ego reducam ad locum hunc, ait Dominus: quia conteram iugum regis Babylonij. Respondebat autem Ieremias propheta Ananiæ prophetæ coràm sacerdotibus & coràm vniuerso populo, qui stabant in æde Domini, & dicebat Ieremias propheta, Amen, Sic faciat Dominus & confirmet (vel suscitet) Dominus verba tua, quæ vaticinaris, vt reducat vasa domus Domini, & omnes captiuos è Babylone in locum istum. Veruntamen audi quæso & tu sermonem, quem ego loquor in auribus tuis, & in auribus totius populi. Prophetæ qui fuerunt ante me & ante te retro temporibus, & qui prophetarunt super regiones multas, & super regna magna, de bello, de afflictione, & de peste: propheta inquam qui vaticinatus est de pace, cum euenerit verbum prophetæ, cognoscetur propheta ille, quòd ipsum miserit Dominus in veritate.

DESCRIBITVR diligenter disceptatio vel disputatio, aut colloquium habitum inter Ieremiam & Ananiam prophetas. Ille verus erat prophe ta, hic falsus. Quæstio tractatur, An Babyloniæ regnũ sit destruendum *Argumentum huius actionis.*

modò, & vasa templi redcenda vnà cum Iechonia rege & captiuis in vrbem Hierosolymorum? Ait Ananias: negat Ieremias, vt claret ex capite 27. Nunc enim in cap. 28. contradicit Ieremię Ananias, & constanter quidē contendit falsa vaticinari Ieremiam. Discimus autem ex hac historia morē esse huius sæculi, vt cum à Deo per fideles suos ministros proponitur veritas, exoriantur de repentè qui oppugnando simplicē veritatem mendaciū hominibus inculcent, & prędicatores veritatis insolēter diuexent. Ita enim apparet in historia sacra, sanctos Dei prophetas, atq; in his Heliam in primis, suos habuisse hostes & antagonistas. Habuit aduersarios ipsi contradicentes ipse Christus Dominus: habuere sancti apostoli, habuere fideles quondam ecclesiarū ministri, & sacrarum literarum interpretes. Sic enim futurum dixerat Dominus in Euangelio, inimicum hominē superseminaturum bono semini semen malum. Quò minus mirandum est, si in postrema hac mundi ætate, atq; adeò & in fecē mundi, videamus innumerabiles exoriri in omnibus mundi regnis, qui se obijciant aduersarios prædicatoribus synceræ veritatis, & hos quàm importunè oppugnent. Falluntur qui ex hac pugna colligunt euangelium esse fugiendum, vt quod dissidia & turbas post se trahat. Causa enim dissidij euangelio nō est impingenda prædicato, sed prauis corruptisq; hominibus se opponentibus euangelio.

Pugnæ & certamina in ecclesia de religione vel doctrina.

Tempus huius disceptationis ab initio consignatur, principium inquam regni Zedechiæ. Ergo cum mox quartus subiungitur annus, intelligimus loqui Ieremiam de primis annis regni, & non de primo anno. Additur & mensis consignatio. Scriptura enim libenter circumstantias prosequitur & excutit, vt inde certitudo ac veritas historiæ colligatur. Nam scriptura est veritas confessa & manifesta. Describitur mox & antagonista vel aduersarius Ieremiæ. Nomen eius est Ananias. Genus non ignobile. Dicitur enim filius Azur, nimirum viri clari. Patria est Gabaon & professio prophetica. Prophetæ vox media est ad bonum & ad malum, ad verum atq; ad falsum. Prophetæ enim dicuntur & qui reuera boni sunt prophetæ Dei, & qui mali sunt ac pseudoprophetæ. Porrò quid cōmouerit hunc prophetam ad vaticinandum tam auspicata in Comitijs regijs, non exprimitur in præsenti. Dubium autem non est, quin voluerit regibus gratificari imò adulari, & læta quæ libenter audiunt homines, dicere, applausum ergo quærere, honorem & opes. Quibus omnibus accessit instigatio sathanæ patris mendacij, satagentis & omnia tentantis ne homines agant pœnitentiam & credant verbo veritatis, atque seruentur. Quid hodie instiget plerosq; ad contradicendum veritati euangelicæ, in aperto est. Si enim gloriam ab hominibus non captarent, si non inhiarent congerendis thesauris, & his deinde in omnigenas voluptates effundendis, ac honoribus & dignitatibus huius sęculi suis sibiq; parandis, dudum sanè arma deposuissent, & pacem colerent cum prædicatoribus euangelij. Iam etiam locus indicatur in quo sit disputatum, publicè in templo, ac in conspectu sacerdotum, & totius populi. Ac locus etiam sacer actioni addit nonnihil dignitatis. Dominus quoq; in loco celebri voluit hæc tractari, quò magis perspicua essent omnibus.

Certitudo & veritas scripturæ.

Propheta.

Porrò doctrinæ genus in primis diligenter describitur aut cōsignatur quod proposuit Ananias. Principiò facit etiam ipse doctrinæ suæ authorem Deum. Nam dicit perinde vt Ieremias, Sic loquutus est Dominus exercituum, Deus Izraelis. Solent enim & pseudoprophetæ suis somnijs atq; figmentis prætexere sacrosanctū Dei nomen, non sine turpitudine, temeritate & blasphemia. Et quid audias hodie aliud, quàm Mandanus authoritate omnipotentis Dei & nomine apostolorum Petri & Pauli? Quæ ipsi confinxerunt, venditant sub titulo Constitutionis ecclesiæ, quę regatur à Spiritu sancto, & non erret; vnde consequens

Doctrina contraria doctrinæ Ieremiæ.

sit &

sit & constitutiones ipsorum perinde accipiendas esse atque ipsius Dei ore prolatas. Scilicet. Talis fuit & assertio huius Ananiæ patriarchæ papisantium. Deinde duo suæ assertionis capita proponit. Primum, Confringetur vel conteretur aut vastabitur regnum Babylonicum. Quod opponit Ieremiæ propositioni, Seruient omnes gentes ei, & filio eius, & nepoti eius. Secundum caput & ipsum ex diametro pugnat cum doctrina Ieremiæ, dicentis, Non reducentur hinc vasa ablata, neque reducetur huc sospes Iechonias, &c. Ananias enim ait, & vasa intra biennium reducenda, & rediturum cum abductis in captiuitatem Iechoniam regem. Et quò plus authoritatis haberent sua illa, repetit iterum, Ait Dominus: &, Conteram iugum regis Babylonij. Mira verò audacia biennium his rebus præscribit. Sic quondam vaticinati sunt quidam ethnicorum, intra certum annorum numerum, Christi nomen & religionem è terris penitus extirpanda fore. Ea de re scribit Petrus Crinitus capite 10. lib. de honest. discip. 23. Et hodie audimus certa tempora constitui, quibus restituenda sit cum idolis Missa, & vniuersa reliqua superstitio. Contendunt verò omnium validissimè Papistæ nauiculam Petri nunquam submergendam: id est, sedem Romanam semper stabilem mansuram, regnaturosq; Pontifices supra omnes reges & principes. Et hoc quidem de se prædicat illa Apocal. 18. Sed cadet, imò cecidit iam Babylon, & tota tandem abolebitur ab ipso Domino, veniente in iudicium. Similes præterea Ananiæ sunt docentes in cathedris, atque clamantes, Vera & certa sunt quæ tenet, & tenenda proponit Romana ecclesia. His ergo credite. Etenim animas nostras deponimus ceu veritatis pignus, ita rem habere, sicuti dicimus: ac nisi ita res habeat, cedimus illas diabolo. At non acciperes vel pro leuicula pignus quodlibet, nisi constaret pignus depositum iustum esse pignus non leuiculum. Cur ergo in negotio salutis vel vitæ æternæ acciperes animam sacrificij, quam ipse ita negligit, vt ipsam pro nihilo habere videatur?

Vaticinia vana.

Animam suam pignoris loco deponentes.

Ex opposito nunc perstringitur & Ieremiæ responsio atque assertio. Principiò autem modestissimè respondet, & optat felicia omnia populo. Non enim odio quopiam in populum ista pronunciauerat, quæ attulerat ex ore Domini. Amabat enim populum, & malis omnibus ipsum liberari optabat. Dicit ergo, Vtinam vera sint quæ attulit Ananias. Non quòd ita negaret nunc quæ prius asseruerat. Talis enim loquutio est, qualis illa cum dicimus, Mendax haberi vellem, modò quod futurum dixi, non fieret. S. Hieronymus hunc locum explicans in Commentarijs suis ad Ieremiam, Optat fieri, inquit, quod pseudopropheta mentitur. Hoc enim significat Amen. Quo verbo sæpe vtitur Dominus in Euangelio, Amen amen dico vobis. Et cupit pro rerum prosperitate, magis illum quàm se vera dicere. Vnde & alius propheta testatur, dicens, Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer. E contrario Ionas contristatur, quòd mentitus sit, & arguitur à Domino, vtilius prophetę esse mendacium, quàm tantæ ruinæ multitudinem. Ac ne videretur pseudoprophetæ comprobare vaticinium, sub aliorum exemplo absque iniuria mentientis asserit veritatem, &c.

Ieremias nullo populi odio docuit quæ docuit.

Mich. 2.

Eleganter enim subdit, Tametsi mallem meliora, deteriora tamen vaticinari compellor, ac præparans Ananiæ & populi aures, Veruntamen audi quæso, inquit, & tu sermonem, &c. Consequenter enim approbat idipsum quod prius in cap. 27. proposuerat. Approbat autem exemplis prophetarum veterum. Et ne quis ea exempla reijceret, ostendit ea stabiliri in verbo vel in lege Domini, Deuter. 18. vbi inter alia dicitur, Ita verò deprehendetis quinam sint prophetæ veri. Si enim quæ futura prædixerunt, euenerint (& non ad alienum Deum pertraxerint, sicut declaratur Deut. 13.) inde apparebit illos esse veros prophetas.

Exempla scripturis uel lege suffulta.

Proinde in causa præsenti cum tu Anania dicas intra biennium reducenda vasa, & rediturum Iechoniam cum captiuis, ego verò hoc totum negem & pernegem, cõmittamus tempori determinationem veritatis, quæ & temporis filia dicitur. Si enim euenerit, quod tu euenturum prædixisti intra biennium, agnoscam te vera dixisse, me autem falsa: cæterùm si non euenerit quod euenturum prophetasti, omnes videbunt te vanum esse vatem, me autem vera & salutaria populo prophetasse.

Si autem non veniat quod prædictum est.

At dices hic, Quid sentis de Iona & Isaia, quorum vterque futurum dixit, quod factum non est? Ionas enim dixit, Subuertetur Niniue. At non est subuersa. Dixit ad Ezechiam Isaias, Morieris tu & non viues. At vixit Ezechias. Ergóne pseudoprophetæ fuerunt? Non fuerunt. Nam cum conditione loquuti sunt prophetæ: quod & Ierem. 18. audiuimus. Quoniam verò Niniuitæ & Ezechias conuersi sunt ad Dominum, Dominus pepercit eis. Quæ verò Ieremias, Ionas, & Isaias aliâs proposuere, ad eum omnino modum completa sunt, sicuti complenda prædixerunt.

Quid faciamus in controuersijs religionis.

Docemur hac assertione Ieremiæ, quid hodie quoq; faciamus in controuersijs religionis. Quis enim iudex sedit in hac prophetarum disceptatione? Nemo hominum. Ieremias reiecit totam causam ad exempla veterum prophetarum è scripturis petita, aut secundum scripturas & legem Dei instituta. Deligamus ergo & nos iudices scripturam diuinam, & exempla ac pronunciata veterum prophetarum & apostolorum. Quicquid horum doctrina & exemplis defendi aut doceri potest, habeatur pro compertissimo & certissimo. Neque erit hodie cur finem vel euentum expectemus dogmatum. Dogmata quæ sequimur, dudum sunt declarata, & euentu comprobata. Non tamen negamus ex euentu iudicandas esse prophetias, quæ iam de nouo proferuntur. Nos vetera habemus, & veteribus innitimur. Discimus præterea ex Ieremiæ exemplo modestè agere cum aduersarijs veritatis, sicuti hic egisse videmus Ieremiam, qui cum liberius loqui potuisset contra aduersarium, modestissimè tamen cum ipso egit. Hodie conuitijs & furoribus & debacchationibus & condemnationibus horrendis aguntur ferè omnia in disputationibus. At decebat moderatiores esse sermones Christianorum. Non pigebit nunc quoque recensere ea quæ leguntur in hæc verba apud S. Hieronymũ ista explicantem, Poterat Ananias Ieremiæ dicere, Falsum loqueris, Decipis populum, Non es propheta, sed pseudopropheta. Quod si dixisset, poterat & pseudopropheta in Ieremiam eadem retorquere: ergo non facit iniuriam. Et quasi ad prophetam loquitur, Non solùm ego sum propheta & tu, sed fuerunt ante te & me multi alij, quorum fuit Isaias, Oseas, Ioel, & Amos, & cæteri. Prophetarunt, inquit, contra terras multas, & regna non parua, sed magna: bellum illis & aduersa & rerum omnium penuriam nunciantes. Et è contrario fuerunt alij, qui pacem pollicerentur & prospera. Vtrorumq; sententia non adulatione mendacij, sed rerum exitu cõprobata est. Sub aliorum ergo exemplo de se loquitur & Anania, quòd cùm rerum finis aduenerit, tunc prophetarum veritas ostendatur. Hoc idem loquutus est & Dominus per Mosen, quòd propheta vaticinij fine (vel veritate) monstretur. Et hoc animaduertendum, quòd non minaciter, non truculenter, sed fiducia veritatis increpet mentientem, & differat in futurum, vt qui audiunt, rerum exitum præstolentur. Hæc ille. Dominus dirigat concertationes omnes propter religionem institutas, ad gloriam nominis eius. Amen.

Immodestia nostrorum temporum in disputando & scribendo.

Pergit describere exitum disceptationis cæptæ inter prophetas.

CON-

CONCIO XCIII.

Et tulit Ananias propheta iugum de collo Ieremiæ prophetæ, & confregit illud, simulque Ananias in conspectu totius populi, dixit, Sic dixit Dominus, In hunc modum confringam iugum Nabuchodonosoris regis Babylonij, & quidem adhuc intra duorum annorum spatium, de collo omnium gentium. Et abijt Ieremias viam suam. Factumque est verbum Domini ad Ieremiam (postquam confregisset Ananias propheta iugum de collo Ieremiæ prophetæ) dicendo, Vade & loquere ad Ananiam, dicens, Sic dicit Dominus, Iuga lignea confregisti, & facies pro eis iuga ferrea. Quia sic dicit Dominus exercituum, Deus Israelis, Iugum ferreum posui super ceruicem omnium gentium istarum, vt seruiant Nabuchodonosor regi Babylonio, & seruient ei: quin & bestias agri dedi ei. Et dixit Ieremias propheta ad Ananiam prophetam, Audi quæso Anania, Dominus non misit te, tu verò confidere fecisti populum istum in mendacio: iccirco sic dicit Dominus, Ecce ego mittam te de superficie terræ. Hoc enim anno morieris tu: quoniam defectionem loquutus es contra Dominum. Mortuus est itaque Ananias propheta illo ipso anno, mense septimo.

AVdacibus verbis coniungit consequenter Ieremias audax facinus vel temerarium factum Ananiæ prophetæ, detrahentis ex collo Ieremiæ iuga, eademq; confringentis. Id quod non multum abest à vi manifesta. Solent enim pseudoprophetæ manu armata iniurijsq; sarcire quod deesse sibi sentiunt ratione & argumentis. Ita in faciem percussus est ipse Dominus à ministro pontificis, & apostolus Paulus in iudicio coram Anania Hierosolymis. Inuenias hodie etiam disputatores qui malint verberibus & vi magistratus per carnificem disputare, quàm scripturas & rationes adducere sanas. Subiectis autem verbis, cur detraxerit iugum è collo Ieremiæ, subindicat, & ait, Ita conterã iugum, &c. Opponit ergo hoc symbolum vel hanc Chriam, Ieremiæ symbolo, suoq; illud veluti subuertit & proterit. Mira ergo fuit huius prophetæ audacia: vt nuuc quoque pseudoprophetæ nihil non audent. *Audacia & iis pseudoprophetarum.*

Audaciæ admodum præfractæ opponitur iam patientia & modestia Ieremiæ prophetæ, & quidem verbis paucissimis. Nam nihil respondet, non recrimi natur aut clamoribus & execrationibus omnium aures opplet. Sic enim se nihil profecturum intelligebat, sed occasionem potius daturum impudenti, agendi impudentius. Præterea neq; se quærebat neq; sua: contentus ergo fuit asseruisse veritatem, vtcunq; veluti victus à victore deridéri videretur. Certè docet nos Ieremiæ exemplum, quod & Solomon docuit, stulto non semper respondendum iuxta ipsius stultitiam. Ac in passione Domini legimus Dominum non omnibus respondisse quæstionibus, atq; accusationibus. Nam videbat se nihil profecturum. Sed & stultum omnino est, apud stolidum populum triumphare velle. *Modestia Ieremiæ.*

Cæterùm cum Domino ceditur omnis vindicta & assertio, nusquam dormitat, nunquam sinit veritatem opprimi. Nouam ergo nunc instituit actionẽ contra Ananiam, & quidem superiore grauiorem multò, qua & verbum suum confirmat Dominus, & pœnam cùm Ananiæ tum rebellibus verbo Dei omnibus, immorigerisq; paratam indicat. Sic enim pronunciat Dominus, Statueram quidem leui ac tolerabili iugo premere reges & populos, si videlicet meis paruissent consilijs: sed quoniam rebelles sunt, conduplicabitur eis calamitas. Et tu quidem Anania huius mali author es. Quia enim rebellionem suades, ea de causa tu pro ligneo iugo ferreum, id est duram seruitutem & inuictam calamitatem imponis collo tuorum. Claret hinc doctores, si malè & contra Dei decretum vel verbum *Asserit verbum suum Dominus.*

populum ſibi ereditum doceãt, perdere, & interitus authores eſſe. Quantam verò his pœnam paratam eſſe credimus? Et cum Ieremias, iubente Domino, repetit ea ipſa verba quæ ſuperius in capite 27. ſunt poſita, intelligimus nullum ex verbis Dei (quod ſcriptura alibi quoque teſtatur) cadere in terram, quod non compleatur. Oportet enim fieri, quod Deus verbo ſuo futurum dixit. Diſcimus item illos qui moderatam diſciplinam ex rebellione reſpuunt, maioribus aliquando ſubijci tormentis. Vnde præſtat patienter ferre manum Domini, & in ipſa afflictione illud Dauidis repetere perpetuò, Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Vaticiniũ contra Ananiam. Poſtremo loco peculiariter conuertit ſermonem ad Ananiam prophetam, & ipſi ſingulariter ſua fata annunciat, pſeudoprophetiæ præmium. Vnde generaliter colligimus, omnibus pſeudoprophetis paratum eſſe à Deo ſupplicium, quod de eis ſumit, quando ipſi fuerit viſum. De quo copioſe eſt dictum capite 23. & in 2. Pet. 2. cap. & in epiſtola Iudæ. Præparat verò Ananiam præfatiuncula & ait, Audi quæſo Anania. Deinde peccatum eius accuſans, dicit, Dominus non miſit te, neque quicquam in mandatis dedit: & tamen auſus es, ex tuo arbitrio vana ſpe lactare miſeros, quaſi intra biennium ſint reſtituendi. Feciſti, inquit, eos confidere verbis vel rebus mendacibus aut nihili. Eſt autem grauiſsimum peccatum, non miſſum currere. De quo dictum eſt capite 18. Grauiſsimum denique peccatum eſt, homines miſeros doctrina eò dirigere, vt rebus nihili fidãt. Quod qui turpius faciant ijs, quibus vulgare eſt docere indulgentias, purgatorium, cultum & inuocationem diuorum, & alias hominũ traditiones?

Mortem minatur Ananiæ. Subiungit iam more ſuo culpæ pœnam grauem Ieremias. Pœna autem eſt talionis propemodùm. Ananias enim non miſſus à Deo, cucurrit, & Deum offendit, Deus itaque mittet illum, ſed vt currat extra hunc mundum, id eſt vt moriatur. Germanicè verti poterat, Sich ich wil dich verſchicken ab der erden. Se enim explicans addit, Hoc enim anno morieris tu. Iterum verò ſupplicium ac pœnam attingit & ait, Quoniam defectionem loquutus es contra Dominum. Sanè non docuerat negare Dominum, aut quod deficere à Deo deberent Iudæi ad Deos peregrinos: ſed contrarium docuit doctrinæ Ieremiæ. Docent *Defectio à Deo* ergo defectionem à Deo, quotquot contraria ſcripturis docent. Dicuntur & Iſraelitæ defeciſſe à Deo, cum erecta imagine feſtum Domini celebrarent, Exodi 32. cap. Etenim vetuerat Deus erigere imaginem, & ſub illa numen colere. Cum ergo cultum inſtituiſſent contra legem, à Deo defectionem feciſſe dicuntur. Quid verò hodie aliud dicemus de ijs, qui verbo Dei abiecto, Deum colunt iuxta conſtitutiones hominum, imò diuos impenſius quàm ipſum Deum æternum?

Mors Ananiæ. Mortuus verò dicitur Ananias ſeptimo menſe, cum mors ei prædicta fuiſſet menſe quinto, altero ergo menſe mortuus eſt. Id quod diſertè exprimitur, vt videamus veritatem verbi Dei ſtare in perpetuum: & mendacia Dei non eſſe inanes & ampulloſas, effectu carentes. Timeamus ergo Dominum, qui nos & viuificare & occidere poteſt, quando & quomodo vult. Sæpe in hiſtorijs legimus, per mortes repentinas & probroſas, item difficiles & atroces, ex terris hoſtes Dei eſſe ſublatos. Interim precioſa eſt in oculis Domini mors ſanctorum eius. Ergo non ſemper inter mala, ſed optima numeratur mors. Mors itaque impiorum peſsima eſt. Mors prædicta à Domino vt pœna, & quæ coniuncta eſt cum maximis ſceleribus, & illata propter ſcelera à Deo, ea demum calamitoſiſsima eſt: qualis Ananiæ erat, & multorum aliorum. At mirum eſt morte hac fatali nihil commoueri populum. Sed rarò ſapit populus. Dominus miſereatur noſtri.

Epiſtola

EPISTOLA IEREMIAE
AD CAPTIVOS IN BABYLONE.

Epistola ad captiuos in Babylone scripta, admonet quomodo se gerant, ac ne pseudoprophetis credant. Nam reducendos demùm fore post LXX. annos.

CAPVT XXIX.
CONCIO XCIIII.

HAec sunt verba Epistolæ, quam misit Ieremias propheta de Hierusalem ad reliquias seniorum captiuorum, tum etiam ad sacerdotes atq; prophetas & vniuersum populum, quem abduxerat Nabuchodonosor de Hierusalem in Babylonem (posteaquam abijsset Iechonias rex & regina atq; eunuchi, principes Iuda & Hierusalem, artifices & inclusores de Hierusalem) per manum Eleasa filij Saphan, & Gemariæ filij Helkiæ, quos misit Zedechias rex Iuda ad Nabuchodonosorem regem Babylonis ad Babylonem, dicendo, Sic dixit Dominus exercituum, Deus Israelis, ad omnem transmigrationem, quam transtuli de Hierusalem in Babylonem, Aedificate domos, & inhabitate: plantate hortos, & comedite fructus eorum: ducite vxores vt generetis filios & filias: sed & filijs vestris vxores ducetis, & filias vestras viris nuptui tradetis, vt pariant filios & filias, vt multiplicemini ibi, & non imminuamini. Quærite pacem ciuitatis, ad quam ego vos transtuli: & orate Dominum pro ea: quoniam in pace eius erit pax vestra. Quoniam sic ait Dominus exercituum Deus Israelis, Ne seducant vos prophetæ, qui inter vos sunt, & diuini vestri, neq; attendatis somnijs vestris, quæ vos somniatis. Isti enim mendaciter prophetãt vobis in nomine meo: non misi eos, dicit Dominus. Sic enim dicit Dominus, Posteaquam impleti fuerint septuaginta anni in Babylone, visitabo ego vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum vt reducam vos in locum hunc. Siquidem ego noui cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes nempe pacis & non afflictionis, vt dem vobis finem & expectationem. Inuocabitis me, ibitis, & orabitis ad me, & ego exaudiam vos, inquiretis me atque inuenietis: quia quæretis me ex toto corde vestro, & inueniar à vobis, dicit Dominus: & reducam captiuos vestros atq; colligam vos ex omnibus gẽtibus, atq; ex omnibus locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reducam vos in locũ, vnde vos captiuos abduxeram: quia dixistis, Dominus excitauit nobis prophetas in Babylone.

Occasio & argumentum Epistolæ.

HOc capite 29. traduntur duo, Epistola vel libellus Ieremiæ ad captiuos in Babylone: & historia de Semeia scribente ex Babylone contra Ieremiam, & hoc pro se respondente, & nunciante Semeiæ suum fatum. Diligenter verò meminit transmigrationis vel captiuitatis, qua Iechonias in Babylonem cum ingenti procerum turba & thesauris, abductus est. Quoniam ea facit ad intelligendam consequentem epistolã, cuius illa veluti occasio est. Prudenter autem obseruauit Ieremias opportunitatem. Nam cum Zedechias, nimirum in regni sui principio aut circiter, legatos in Babylonem mitteret, credidit certis & probatis viris Epistolam, captiuis abductis inscriptam. Epistola ipsa consolatoria est, & admonitoria. Etenim hortatur captiuos, vt æquanimiter fe-

rant captiuitatis iugum, vtpote quæ aliquando felicem sit finem sortitura. Admonet interea quid faciant aut quomodo se gerant in Babylone dum illic detinentur captiui. In primis vrget ne audiant pseudoprophetas, felicia & liberationem ante tempus promittentes. Addit præterea quid passuri sint, qui se obijciebant Babylonio, Zedechias inquam cum misero populo & pseudoprophetis.

Commiseratio & consolatio. Horum quorundam singularem & tragicum exitum ostendit. Factum hoc Ieremiæ condolentis captiuis & consolantis eosdem, docet nos in genere commiserationem & charitatem erga proximos, quos consolari, admonere & iuuare iubemur. Modus item adiuuandi vtcunq; delineatur. Nam quouis modo in tempore afflictis est subueniendum. Ieremias in præsenti iuuat scripto. Quicunq; ergo hanc gratiam & facultatem consequuti sunt à Domino, vt valeant scribendo, bene conferant sibi creditum talentum, & exponant in fœnus dominicũ, ad ædificationem & incrementum fidelium.

Titulus Epistolæ. Titulum epistolæ præmittit, & ait, Hæc sunt verba epistolæ (Alij vertunt, libelli aut voluminis) quam misit Ieremias. Simul adijcitur quibus inscripta sit epistola. Principiò reliquijs seniorum captiuorum. Reliquias vocat, quòd multi in difficili itinere & fortè ex mœrore excessissent. Per seniores intelligit populi proceres & magnates atque rectores. Nec ad seniores duntaxat, sed etiam ad sacerdotes, prophetas, & ad vniuersum populum scripsit. Illi ipsi iterum repetuntur, cum etiam author ostenditur Epistolæ Dominus exercituum Deus Izraelis.

Præscribitur quomodo se gerant captiui in Babylone. Mox autem abinitio docet quomodo se gerant captiui in Babylone inter Babylonios, non tam vt norint suum officium, quàm vt ex his colligant diutius habitandum illis esse in Babylone, quàm ipsi existiment. Sunt autem hæc pulchra admodùm præcepta œconomica. Iubet ipsos ædificare domos. Deus enim concessit homini commodè habitare in terris. Qui ergo ædificia damnant, contra Dei sententiam loquuntur iubentem in præsenti ædificare. Alibi verò luxuriosa damnat ædificia, & non necessaria. De qua re dictum est Ieremiæ 22. Ac constat patriarchas habitasse sub tabernaculis. Magis futurus locus est spectandus quàm præsens, &c. Deinde, Plantate hortos, inquit, & comedite fructus eorum. Cæterùm omnis generis agriculturam & negotiationes intelligit dũ hortorum cultum nominat. Præcipitur ergo labor, damnatur otium: sicuti & in apostolorũ literis. Sũt enim obseruãdi hac de re loci, Ephes. 4. 1. Thess. 4. 2. Thess. 3. Tollũ turè medio laboribus, artes malæ, furta, dolj, rapinæ, latrocinia. Hæc enim subnascuntur, si vel otio computrescamus, vel nostras res luxu & ignauia prodigentes alienis inhiemus. Conceditur hic quoq; vsus laboris & opum partarum. Dicit enim Dominus, Edite fructus eorum. Conceditur autem moderatus vsus, cum gratiarumactione: sicuti & apostolus docuit 1. Cor. 10. & 1. Timoth. 2. Coniugium quoq; commendat, iubens viros ducere vxores, & mulieres nubere viris. Sed & finem coniugij ostendit, Et multiplicamini, neq; imminuamini. Hæc repetita sunt ex Geneseos 2. cap. Commendatur vbiq; per sanctas scripturas coniugium, damnatur immunditia, fornicatio & adulterium. De qua re contexuit compendium apostolus, Hebr. 13. qui & educationem liberorum fideliter vrget in 2. cap. ad Titum, & in 1. ad Timoth. 5. cap. Dum verò Dominus iubet eos crescere, & non imminui, significat ipsos in captiuitate non fore delendos. Et ne innumeris præceptis suos molestaret, addit quod plurima in se continet officia humanitatis, Quærite pacem eius ciuitatis in quam ego vos collocaui, ait Dominus, & orate Dominum pro ea. Mox etiam adijcit rationem, Quoniam in pace eius erit pax vestra: id est, si illi pacem habuerint cum quibus habitaueritis, iam fruemini vos etiam pace & felicitate eadem. Si verò turbata fuerit, & varijs diue-

Quomodo te geras erga hospites tuos.

xata ca-

xata calamitatibus reſpub. in qua habitaueritis, non poterunt non res quoq; veſtræ turbatæ & calamitoſæ eſſe. Diſcunt hinc homines peregrini, quid faciant apud quos habitant, & ne more Iudæorum orent contra hoſpites ſuos. Omnium ſceleratiſſimi ſunt, quibus volupe eſt incommodare patriæ aut etiam palàm nocere. Iuſſit apoſtolus quoq; Paulus orare pro magiſtratu & tranquillitate regnorum ethnicorum, in 1. ad Timoth. 2. cap. Nemo autem illa huc rapiat, quaſi voluerit propheta fauere religioni ethnicæ. Alibi, vt in 10. cap. quid hic deceat fideles, oſtendit, ne communicent cum peregrinis religionibus, ſed ſe ab illis impollutos conſeruent. Orarunt & fideles primitiuæ eccleſiæ, ſicut recenſetur à Tertulliano in Apolog. cap. 30. pro imperatoribus & imperij felicitate: cæterùm religionem imperij ethnicam propterea non receperunt. Hactenus quid faciant in captiuitate docuit, ſimul etiam nos inſtruxit ſi ſimili caſu comprehendamur.

Poſt hæc admonet ne audiant pſeudoprophetas felicia nunciantes, nempe intra biennium ruiturum Babylonis regnum, captiuos verò cum Iechonia redituros in patriam. Sub prophetia autem, diuinatione & ſomnijs, intelligit omnis generis reuelationes. Breuibus verò illos confutans, Mendaciter, inquit Dominus, prophetant vobis. Non miſi eos: ergo prætexunt ſuis mendacijs nomen meum. De quo dictum eſt cap. 23. Porrò quid ſtatuerit Dominus in conſolationem ipſorum, exponit. In genere dicit ſe cogitationes pacis non afflictionis cogitare, nimirum vt poſt exactos 70. annos exoptatum captiuitatis finem conſequantur. Quò firmius autem hoc crederent, vt minimè vanũ, quod dixerat Dominum clementia vſurum erga ipſos & liberaturum deſtinato tempore ex captiuitate Babylonica, Noui inquit, cogitationes quas cogito ſuper vos. Quaſi dicat, Certiſſima & firmiſſima ſunt mea decreta de vobis concepta. Confirmãt hęc fidem noſtram, & bene ſperare de gratia & promiſſionibus Domini iubent. Copioſius item enarrat quid facturi ſint ipſi ex gratia Dei, & quàm benignè ſit ipſos complexurus Dominus. Summa omnium eſt, Inuocabitis me, & ego exaudiam vos. Videtur autem alluſiſſe ad 30. cap. Deut. Sunt & alij ſcripturarum loci teſtificantes Deum exaudire inuocantes ipſum in veritate. Obſeruanda eſt enim ſententia, Quia quæretis me ex toto corde veſtro, & inueniar à vobis. Iacobus enim apoſtolus dixit, Vir duplici animo ne exiſtimet ſe accepturum quicquam. Sunt autem iſta omnia longe clariora quàm vlla expoſitione indigeãt. Sub finem appenditur ſententia, quæ variè exponitur ab interpretibus, Quia dixiſtis, Dominus excitauit, & c. Videtur autem appendiſſe hæc verba in hanc ſententiam, Hæc paulò diligentius contra prophetas veſtros propoſui, quòd ſciam vos in Babylone perſuaſos eſſe, eos qui ſe apud vos venditant pro prophetis, veriſſimos eſſe propheras: ſed fallimini. Nam ſeducunt vos, & c. At ſæpe fit vt ſtulto noſtro ſeducti iudicio vtilia nobis fore putemus quæ reuera ſunt noxia. Dominus aperiat mentes noſtras, & dirigat omnia facta noſtra ad gloriam ſui nominis.

Non audiẽdos pſeudoprophetas.

Deus exaudit inuocantes ipſum in veritate

Exponit quid ſint paſſuri rebelles Hieroſolymitani, & in primis duo pſeudoprophetæ Achab & Zedechias.

CONCIO XCV.

Quoniam ſic dixit Dominus de rege qui ſedet in ſolio Dauidis, & de omni populo qui habitat in hac vrbe, de fratribus videlicet veſtris, qui non abierunt vobiſcum in captiuitatem, ſic inquam dicit Dominus exercituũ, Ecce ego mit-

tam in eos gladium, famem & peſtem, & ſimiles faciam eos ficubus auſteris, quæ præ auſteritate comedi non poſſunt. Et inſequar poſt eos gladio, fame & peſte, & tradam eos in commotionem omnibus regnis terræ, vt ſint execrationi, ſtupori, exibilationi & probro in omnibus gentibus, ad quas eos propulero: eò quòd non audierunt verba mea dicit Dominus, quæ miſi ad eos, per ſeruos meos prophetas, mane ſurgendo & mittendo: at non audiuiſtis dicit Dominus. Vos ergo captiui omnes quos miſi de Hieruſalem in Babylonem, audite verbum Domini, Sic dicit Dominus exercituum Deus Iſraelis ad Achab filium Kolaiæ & ad Zedechiam filium Maaſiæ, qui prophetant vobis mendaciter in nomine meo, Ecce ego tradam eos in manum Nabuchodonoſoris regis Babylonij qui trucidabit eos in oculis veſtris. Et ſumetur de eis execrandi formula ab omnibus captiuis Iuda, qui in Babylone ſunt, vt dicatur, Ponat te Dominus ſicut Zedechiam & ſicut Achab, quos rex Babylonis igne frixit, eò quòd ſtultitiam patraſſent in Iſraele, nempe adulterium commiſerunt cum vxoribus proximorum ſuorum & loquuti ſunt verbum mendax in nomine meo, quod non mandaueram eis: id quod ego ſcio, & teſtis ſum, ait Dominus.

Peribit vrbs cum rege & populo.

DIxit Ieremias Iudęorũ populum non reducẽdum ex Babylone in Iudęam, ſicuti pollicebantur multi pſeudoprophetarum, ſed per 70. annos in captiuitate detinendos, tandem verò liberandos fore. Cæterùm ſtabat adhuc Hieroſolymis templum, ſedebat adhuc in ſolio Dauidis Zedechias, ſatis item proſpera fortuna vti videbantur ciues Hieroſolymitani: quibus rebus nonnulli imò plerique captiui vehementer affecti, omnino ſe nunc liberandos, inq; patriam reducendos fore ſibi pollicebantur: conſequentibus itaque exponit copioſe, quid rex cum reſiduis in vrbe & regno Iudaico ſint paſſuri, extrema quæq; & calamitoſiſſima: vnde vetat propheta captiuos colligere ex felicitate (quæ videbatur eſſe felicitas, reuera erat infelicitas) reſiduorum in vrbe & regno cum Zedechia, ipſos quoq; captiuos nunc liberandos & reducendos in patriam, ibiq; eadem felicitate fruituros. Proinde ſapientes & docti à Deo nunquam de rebus iudicant, vel ex felicitate vel infelicitate aliorum, ſed duntaxat ex iudicio verbi Dei. Videntur ſanè auari, vſurarij, truculenti milites, auro & argento turgentes, eſſe beati: ſed verbum veritatis teſtatur illos eſſe infelices: rurſus pauperes & perſequutiones propter iuſtitiam ſuſtinentes beati appellantur in ſcripturis. Ac reuera beati erant captiui in Babylone, infeliciſſimi erant qui adhuc agebant Hieroſolymis. Ita miſer apparet Lazarus, felix diues epulo. Sed euentus & exitus vtriuſq;, maximè verò verbum Dei, diuerſum de vtroq; iudicare docet.

Non iudicandũ ex felicitate aut infelicitate

Rebelliũ Deo & verbo eius ſupplicia.

Copioſe autem exponit quibus malis velit Deus rebelles adoperire, atque adeò & abſumere. Ego, inquit, ego inquam Dominus Deus omnipotens, mittam in eos gladium, & reliqua. De quibus plagis dictum eſt 15. cap. huius operis & aliàs. Sicuti & de ficubus acerbis cap. 24. Pro acerbis aut auſteris ficubus legũt alij inquinatis, fœdis, tetris, abominandis. Adiũgit his aliud ſuperiore malo longè grauius. Cum enim venerint in hoſtium poteſtatem, neq; quieſcent ipſi, neq; ceſſabit eorum vexatio. Nam dabo illos in commotionem in omnibus regnis terræ: id eſt, efficiam necubi ſtabiles inueniant ſedes, ſed ſubinde locum mutare cogentur: vt qui nunc ſe firmiſſimum habere locum arbitrantur, nullum locum certum ſtabilemq; habituri ſint. Alij ergo verterunt hunc locum, Et efficiam vt territi circumcurrant in omnibus regnis terræ. Sequuntur & alia ex lege petita mala, & ſæpius in prophetis repetita, Vt ſint execrationi, ſtupori, &c. De qua loquutione antea quoq; dictum eſt. Subiungitur autem protinus cauſa tantorum malorum, Eò quòd non audierunt verba mea. Nam miſerat Deus ad ipſos Ieremiam,

miam, Vriam, Baruch & alios qui ſuadebant pœnitentiam, & ne rebellarẽt principi Babylonio: ſed fruſtra laborarunt prophetæ. Populus enim neq; mores corruptiſſimos mutauit, neq; Nabuchod. obedire voluit. Videmus autem noſtro etiam ſæculo grauius non peccari à populo & proceribus, quàm cum ſpretis Dei conſilijs bonis, & abiecto verbo Dei ſacroſancto quiſq; ſequitur ſui animi libidinem. Si enim cuilibet noſtrũ licet viuere pro ſuo arbitrio, cur tulit Deus legem ſanctam? cur promulgauit verbum ſuum ſanctum? Verùm hæc non audiuntur, ne hodie quidem à populo, vnde mirari deſinemus, ſi videamus hunc varijs modis diſcindi & perire.

Porrò cum antea in hac epiſtola monuerit ne audiant pſeudoprophetas, & id in genere dixerit, nunc nominatim & in ſpecie protrahit duos inter alios excellentiores, à quibus plus erat periculi, Achabum videlicet & Zedechiam, & grauiter in hos inuehitur, annuncians his quoq; fata ſua horrenda. Nemo autem miretur, ſi audiat hos nominatim perſtringi & protrahi in lucem ac palàm accuſari. Nam omnibus manifeſtum eſt apoſtolicum præceptum atq; exemplũ. Præcipit enim Timotheo & ait, Eos qui peccant coràm omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Idem Hymenæum & Alexandrum nominat palàm, & ait hos ſe tradidiſſe ſathanæ, vt diſcant nõ maledicere. Idem iterum Hymenæum & Philetum reſurrectionem mortuorum negantes æditis nominibus taxat atq; condemnat, ſicuti & Deman. Vnde paſtores eccleſiarum in primitiua eccleſia minimè hæreticorum nominibus parcendum exiſtimauerunt. Cauendum tamen hic miniſtris fidelibus, ne imprudenter aut petulanter quicquam inſtituãt, ſed in omnibus ædificationem ſpectent. Exponit autem quid presbyteri illi (de quibus quid diſputet Hieronymus quales fuerint, qui videre cupit, in Cõment. eius in hunc locum inueniet) ſint paſſuri propter ſuam illam exquiſitam pertinaceméq; malitiam. Tradam illos, ait Dominus (qui iuſtus eſt iudex & malorum vindex) in manus vel in poteſtatem regis Babylonij, qui eos palàm faciet exemplum ac trucidabit, idq; vobis videntibus, & omni alio populo ſpectante, vt fit in iudicijs publicis. Genus autem ſupplicij vel mortis quoque attingit, Igni aſſabit, torrebit, friget vel concremabit ipſos, **wirt ſy röſten vnd braaten**. Adiungit his, quod ſupplicij atrocitatem quodammodo amplificat. Petetur ab hoc ſupplicio à vulgaribus hominibus malè imprecandi formula. Quoties enim homines alicui extrema mala & horrendum ſupplicium imprecari voluerint, dicent, Eueniat tibi quod irrogauit rex Babylonis Achabo & Zedechiæ, quos ignibus frixit. Eſt autem hæc amplificatio vehemens. Ex qua nemo colligat licere alteri mala imprecari. Non enim ideò hæc producuntur, ſed in hoc duntaxat, vt appareat omnibus pœnæ atrocitas, & grandis Dei ira in pſeudoprophetas ſeditioſos & adulteros. Cauſa enim coniungitur his propter quam ſic hi duo puniti ſunt à rege. Stultitiam patrarunt, ait, nõ ſimplicem quidem ſed nephandam. Alicubi enim grauiſſima ſcelera appellat ſcriptura ſtultitiã. Etenim doctrina ſua presbyteri iſti populum miſerũ ſub prætextu diuini nominis ſeduxerunt. Eſt autẽ horrendum flagitium mentiri, & mendacijs ſeducere miſerum populum, mendacijs autem & impoſturæ prætexere nomen æterni Dei: quaſi hic mentiatur & impoſturæ ſit author. Deinde ſeditionem cõmouebant presbyteri illi contra regem: dum ad arma commouent populum alioqui plus quàm decebat auitæ libertatis cupidum. Iubebat potius ipſos quieſcere Dominus, & obedire regi Nabuchodonoſori. Poſtremò adulteri erant presbyteri illi, neque ſemel & iterum ſe hoc polluerant ſcelere. Significanter enim dicit, Adulterium commiſerunt cum vxoribus proximorum ſuorum. Proinde apparet hos in hoc ſcelere frequentes & impudentes ac inſatiabiles fuiſſe. At dicat hic aliquis, Quis tibi Ieremia hæc dixit

Singulariter ſingulares pſeudoprophetæ protrahẽdi.

1. Tim. 5.

Scelera igni ex piata.

de scelerib⁹ & futuro supplicio horum duorum presbyterorum? Fingis hæc contra eos ex malevolentia. Adiungit ergo sub finem & ait, Id quod ego scio & & testis sum, ait Dominus. Quasi dicat, Nihil hic ex me fingo. Habeo ista ex reuelatione Domini, qui cum sit omniscius, etiam est testis verax. Nemo ergo sibi polliceatur alicuius sceleris impunitatem, quòd scelus quoduis artificiose contegere & excusare possit. Viuit Deus qui videt omnia: omnia suo tempore in lucem producit, & testimonio irrefragabili producta confirmat, vt nihil efficias vtcunque constanter & absque pudore omnia excuses, tegas, neges & perneges.

Cõburere homines.

Nihil verò peccauit rex Babylonius, qui igni frixit aut vstulauit nebulones hos: peccant potius principes, & grauissimè quidem peccãt, cum sceleratos non puniunt, & non puniendo efficiunt, vt exultent & impunè grassentur scelera quæuis. Non est truculentia tyrannica, quando pro grauitate sceleris graue supplicium sumitur de scelerato. Igne quondam grauissima scelera sunt punita. Apparet hoc in incendio Sodomitico, quod ipse Deus cœlitus vrbibus immisita bominandis & incurabilibus. Idem ille Nabuchodonosor contemptum numinis & impietatem, vt ipse tunc iudicabat, igne voluit vlcisci Danielis 3. ca. Quid quod Thamar, Iudæ & nurus & coniux, propter adulterij suspicionem ad incendium rapiebatur, Genes. 38? Iussit & Zaethus Crotoniata adulteros igni cremare: cumq; ipsemet contra leges deprehensus esset adulter, in rogum ardentem insilijt. Iudaicæ leges lapidibus, Romanæ verò leges gladio puniunt adulteria. Quò magis mirandum est Christianos tam leuiter iudicare de adulterijs. Cæterùm tanto malo non leuem occasionem dedit, qui non in sede beati Petri, sed in prostibulo potius Priapi Lampsaceni sedet, ac coniugia sancta prohibet, atq; ita fornicationi & omni immundiciei fores aperit. Nos potius discamus ex seuera animaduersione in adulteros, quam à veteribus quondam exercitam cernimus, sanctè sancta colere coniugia, & ab omni nobis impuritate cauere. Licet enim adulteri Dauidis adulterium pro se adducant, propterea quod non legatur lapidibus adobrutus, apparet tamen historiam sacram legenti, vnde colligunt & ipsis esse parcendum, grauissimum de eodem sumptum esse supplicium. De quo aliàs dictum est. Oremus ergo Dominum vt animos nobis castos concedat.

Adulteri supplicio mortis affecti.

Exponit Ieremias quid Semeias contra ipsum egerit ex Babylone, propter scriptam ad Captiuos epistolam, & quid ipse vicissim Semeiæ futurum prædixerit.

CONCIO XCVI.

Ad Semeiam verò Nehelamitem loqueris dicens, Sic ait Dominus exercituum Deus Israelis, dicens, Eò quòd misisti literas tuo nomine ad vniuersum populum qui est Hierosolymis, & ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, & ad omnes sacerdotes, dicens, Dominus constituit te sacerdotem pro Ioiada sacerdote, vt sitis inspectores in domo Domini super omnem virum amentem & prophetare præsumentem, vt eum in neruum & truncum concludas, cur ergo non increpasti Ieremiam Anathotitem, qui prophetat vobis? Quin & super ista misit ad nos in Babyloniam, dicens, Diuturna erit (captiuitas) ædificate domos & inhabitate, plantate hortos & comedite fructus eorum. Et legit Sophonias sacerdos epistolam hanc audiente Ieremia. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens, Mitte ad omnes qui in captiuitate sunt, dicendo, Sic dicit Dominus ad Semeiam Nehelamitem, Eò quòd Semeias vobis prophetauit, quem

quem non misi, & considere vos fecit in mendacio: iccirco sic dicit Dominus, Ecce ego visitabo Semeiam Nehelamitem, & semen eius, nec erit ei vir qui habitet in medio populi huius, neq; videbit bonum quod ego facio populo meo, dicit Dominus, eò quòd defectionem loquutus sit contra Dominum.

SEcunda pars huius capitis, quæ his iam recitatis comprehenditur, exponit nobis historiam rerum inter Ieremiam & Semeiam prophetas peractarum. Est autẽ oratio mox ab initio hiulca, nec absoluta, ac proinde sarcienda ad hunc vel similem modum, Eò quòd tu Semeia Ieremiam malignè detulisti apud ordinem sacerdotum Hierosolymis, punieris à Domino. Proinde initio ponitur historia duorum illorum prophetarum: deinde subiungitur vaticinium Ieremiæ infelix contra Semeiam. Historia talis est, Scripserat in Babylonem Ieremias epistolam, quam exposuimus. Ea admodùm offensi & irritati sunt pseudoprophetæ, qui felicia in Babylone prædicabant captiuis, fore videlicet vt intra biennium caderet regnum Babylonis, & Iudæi captiui redirent felices & opulenti in patriam. Inter hos cum non postremus esset Semeias, scripsit & ipse epistolam ad Sophoniam, ad ordinem sacerdotum, & vniuersum populum Hierosolymis adhuc agentem. Ea hortatur vel monet Sophoniam, vt pro sua authoritate & pro suo officio, Ieremiæ & in dicendo & in scribendo, in concionando inquã Hierosolymis, & in missitandis in Babylonem epistolis audaciam compescat compedibus & carcere. Recitat autem hanc epistolam Sophonias ipsi Ieremiæ, sacerdotibus & populo. Vbi suggerit Deus quid rursus in Babylonem scribat Ieremias. Proinde subtexitur ibi infelix Semeiæ fatum. *Historia duorũ prophetarum.*

In hac historia veluti in tabula descriptum nobis exhibetur certamen, quod perpetuò viget in ecclesia inter veros & falsos doctores. Indicatur item modus procedendi contra Euangelium & doctores vel prædicatores Euangelij per Inquisitores, quos vocant, hæreticæ prauitatis. Videas ergo in præsenti & nostro quoque sæculo scripta doctorum aduersaria. Ieremias enim scribit in Babylonem, quod Deus mandauerat: Semeias scribit & ipse quod affectus eius depraua tus eum scribere iusserat, & scribit hic delatoriam epistolam ex Babylone. Sunt ergo Coryçei vbiq; sunt delatores, sunt accusatores, sunt actores, & inquisitores prauitatis hæreticæ. Intonant hi successionem, dignitatem sacerdotalem, castigationem, disciplinam, compedes & carceres, vt ea ratione synceritas doctrinæ & pax ecclesiæ conseruetur, sistatur autem vel impediatur felix Euangelij cursus. Scribuntur interim ista omnia ad consolationem & confirmationem sanctorum. Nam Dominus ipse in Euangelio, vsum huius loci & similium ostendens, Beati estis, inquit, cum persequutionem sustinetis, & homines contra vos omne malum effundunt, mentientes propter nomen meum. Sic enim fecerunt & prophetis, qui fuerunt ante vos, Matth. 5. Huc ergo referamus etiã præsentem Ieremiæ historiam. *Certamen prophetarum propter religionẽ.*

Sed inspiciamus singula, & quæ inde pietatis dogmata petenda, & quomodo singula sint intelligenda, inquiramus. Scribit Semeias pseudopropheta ex Babylone Hierosolymas ad Sophoniam, & scribit delatoriam epistolam contra Ieremiã. Vnde apparet multos homines nihil emendari ferula Domini. Abductus enim erat propter peccata & propter falsam doctrinã hic Semeias in Babylonem: sed nihilo melior factus ea disciplina, pergit nunc in rebellione contra Dominum. Tam difficile est videlicet mutare Æthiopem suum illum nigrorem, & Pardum varietatem. Multos habet hic Semeias imitatores, qui reddun tur deteriores per disciplinam, non Dei quidem percutientis vitio, sed propria & innata malitia. Sedulò ergo orandus est Dominus, vt liberet nos à malo. Con *Non emendari correctione Domini.*

Sophonias.

tra verò Ieremias pergit in benefaciendo. Porrò quis fuerit Sophonias ille, ad quem scribit Semeias hic, non exprimitur: videtur tamen is esse, cuius mentio fit in vlt. cap. 4. libri Regum: vbi Sophonias hic dicitur secundus fuisse à summo pontifice Saria. Fortassis fuit magister sacrorum, & episcopus doctrinæ & totius religionis, qui per vices functus est officio summi pontificis cum Saria. Certè vtcunque ea res habeat, ex hoc loco claret ipsum præsidem fuisse in domo Domini, siue inspectorem malis dicere. Hieronymus legit, Vt sis dux, præceptor, siue episcopus in domo Domini. Etenim rationibus vrget Sophoniam & alios sacerdotes Semeias, vt Ieremiam compescat. Proinde dicit Sophoniam

Ioiada sacerdos opprimit Athaliam & occidit Mathã Baalistam.

succesisse in locum & officium Ioiadæ sacerdotis. Hoc ergo insignis viri exemplo, & à successione officioq; persuadere vult, decere Sophoniam vt compescat & occidat Ieremiam. Nam de Ioiada sacerdote tradit historia sacra 4. Reg. 11. & 2. Paral. 23. quòd Athaliam impiam oppressérit, curaueritq; occidi, & quòd Mathanem Baalis sacerdotem populus ante aram trucidauerit. Cæterùm non benè applicat hoc exemplum Semeias. Ieremias non fuit de grege Athaliæ, neque fuit Baalista, sed purus vel syncerus Dei minister. Semeias potius cum suis conferendus fuit Baalistis. Cauendum ergo etiam atque etiam ne exemplis scripturarum abutamur. Licet sanè hostes Dei impios & incurabiles, pseudoprophetas etiam punire: sed suo loco, modo & tempore: de qua re alibi disputatum est. Neque enim facimus cum illis, qui neminem religionis ergò puniendum esse contendunt.

Significantius verò Semeias quid velit exprimit, & ait, Posuit te Dominus loco Ioiadæ, vt sis episcopus, inquisitor & superintendens in domo Domini, vt inquam inspicias sicubi oriri velint viri praui & amentes, qui doctrinam sanam corrumpant, & turbent pacem ecclesiæ. Hos enim cohercere iuberis vinculis aut carcere. Atqui cum vesanus & amens sit Ieremias, mirum sanè est, cur ipsum non castiges, ac in carcerem concludas? Cur verò furiosum & Schuermerum vel phanaticum hominem esse Ieremiam existimet, rationem subijciens, adducit eius Conciones quas habebat Hierosolymis, & Epistolam quam miserat in Babylonem, cuius argumentum Semeias in epistola sua paucis perstringens, comprehendit. Ea quæ hodie fiunt à nostris episcopis & inquisitoribus, mirificè illustrant hunc Ieremiæ locum, cum omnia sint vtrobique similia, vt ouum ouo non sit similius.

Superintendentes in ecclesijs.

Et bonum quidem est in ecclesijs esse superintendentes, vel episcopos & visitatores. Curent modò, qui ita vocantur, vt hoc sint quod dicuntur. Caueant ne efferantur superbia, neue tyrannide innoxios premant. Rationibus & scripturis magis agãt, quàm armata manu. Dixi modò vincula & gladium hic quoque locum habere suum: sed nihil temerè hic tentandum, nihil immoderatè & affectatè faciundum. Quidam mirificè insolescunt hoc nomine, quòd superintendentes nominantur; cæterùm Semeiæ hi magis similes sunt, quàm Ioiadæ. Dogmata enim & ritus, quos ipsi ex vana persuasione sibi semel vt indubitatos induxere in animum, non modò retinent, vtunq; contrarijs validisq; rationibus & scripturarum testimonijs confutentur, sed & omnibus alijs obtrudere volunt, adde quòd renitentes vel in exilium, vel in carceres conijciunt, aut certè

Schuermeri & arreptitij.

conuitijs adoperiunt. Appellant enim tales phanaticos homines, Schuermeros, phanasticos, arreptitios, maniacos, furiosos vel amentes. Ac prophetarum quoque tẽporibus apparet syncériores doctores appellatos fuisse væsanos. Insipiens enim mundi sapientia nõ potest non verè sapientes & veram sapientiam quæ ex Deo est, nuncupare fatuos, insanos, & stultitiam atq; insaniam: id quod & Paulus alicubi subindicauit. In 4. lib. Regum, cap. 9. aulici regis loram, nuncupant

ministrum

miniſtrum prophetæ Eliſæi, qui Iehuh inunxerat, & regem, Deo iubente, ordinauerat, væſanum. Ac vulgatum receptúmque eſt hodie pleriſque, concionatores, liberè verbum Dei prædicantes, ornare huiuſmodi titulis. Sed quid mireris huius mundi ſtultitiam malè iudicare de Dei vera ſapientia, cum diuina ſapientia non poſsit benè iudicare de humana ſapientia, quæ reuera eſt ſtultitia? Et quod nos legimus, Vt eum in neruum & truncum concludas, Hieronymus legit, Siue in cuſtodiam & in catarecten, quem Symmachus μόχλον, Aquila ipſum verbum Hebraicum poſuit צינוק. Alij vertunt, Vt ponas talem in cippum & truncum. Intelligunt autem per alterum quidem vinculum quo conſtringitur collum, per alterum verò catenam vel inſtrumentum quo manus conſtringuntur, armband.

Cæterùm laudandus eſt Semeias in eo, quòd verba Epiſtolæ Ieremiæ verè adducit: quòd his non alienum ſenſum affingit, corrumpit, inuertit, & alterum pro altero ponit ac calumniatur. Videas hodie aduerſarios noſtros in adducenda vel recitanda doctrina noſtra, mirabili artificio vti, & pleraq; noſtra corrumpere, inuertere atq; calumniari. Quo nomine peiores ſunt Semeia. *Semeias nõ eſt calumniator.*

Adiungitur his quid fecerit Sophonias accepta Semeiæ epiſtola. Legit ipſam, atque adeò & Ieremia audiente recitauit. Nihil aliud in præſentiarum feciſſe legitur. Res itaque aliter euenit, quàm Semeias ſperauerat aut inſtituerat. Ieremiam enim ſperauerat conijciendum in carcerem, & miris modis diuexandum. At nihil huius factum legimus. Cohibuit enim Deus furorem hominum, neque vlterius progredi voluit. Ipſe enim refrenat hoſtium verbi ſui cruenta conſilia, vt non tantum poſsint quantum volunt. In horto ad eos qui ipſum capiebant, dicebat, Si me quæritis, ſinite hos abire, loquens de diſcipulis. Vtcunque ergo Petrus Malchum vulneraſſet, nemo tamen in ipſum fertur: cohibente furorem hoſtium Domino. Idem hodie quoq; fieri credimus, cum diſſipantur hoſtium verbi Dei ferocia conſilia, & ſerui Dei præter omnium expectationem vel euadunt præparatas inſidias & grauia tormenta, vel cum ipſi hoſtes iuuant ſeruos Dei, ſicut milites Romani Paulum. Certè Nero ſæuiſsimus, ita diſponente Domino, Paulum in liberam poſuit cuſtodiam, ita vt qui vellent ipſum accedere poſſent: ipſe interim & prædicando & ſcribendo, plurimùm propagauit Euangelium. Credamus itaq; Domino Deo noſtro, ne formidemus & fugiamus, ſed faciamus potius intrepidè officium noſtrum, ac permittamus ipſi omnium rerum euentum. Ipſi cura eſt de nobis. *Defenditur à Domino Ieremias.* *Ioan. 18.* *Acto. 28.* *Philip. 1.*

Poſtremo loco recitat Ieremias fatum Semeiæ, præmium pſeudoprophetię. Vbi ante omnia obſeruandam puto indefeſſam & inflexibilem Dei conſtantiam. Tantum enim abeſt, vt Ieremias orator Dei à dicendo & ſcribendo in Babylonem abſtineat, propter Semeiæ querimoniam vel accuſationem, vt iam de nouo paret epiſtolam, quam ipſi Semeiæ mittat, ac contra eundẽ agat peculiariter. Atque ea non tantùm ſcire voluit Semeiam, ſed omnes inſuper agentes in captiuitate, nimirum vt ſupplicio iſtius commoti aut admoniti, diuinis ipſi mandatis parere diſcerent: denique vt totus mundus diſceret decretis & conſilijs vel verbis diuinis non reluctari & contradicere. Ideoq; ab initio diligenter inculcat verbum Domini factum eſſe ad Ieremiam. *Non ſuperatur Deus hominum audacia & pertinacia.*

Exponit autem hac parte quid peccarit Semeias. Prophetauit & quidem ſub nomine Domini, cum tamen Dominus ipſum non miſerit. Docendo vel prophetando confidere fecit miſeros captiuos mendacijs vel rebus nihili ac fallacibus. Sed & præuaricationem vel defectionem à Domino loquutus eſt. Quæ omnia qualia ſint, & quid ex ſingulis diſcendum ſit monui capite vigeſimo octauo. Iccirco hic ſum ſuccinctior, ne rem eandem cum tædio auditorum repetam *Peccatum pſeudoprophetæ.*

Pœna pſcudo-prophetarum.

ſæpiſsimè. Pœnam verò peccatis Semeiæ adpendit, Iccirco ſic dicit Dominus, Ecce ego viſitabo, &c. Viſitare in deteriorem accipitur partem, vt antea quoque ſæpè dictum eſt. Sed & ſemen, id eſt liberos & poſteritatem Semeiæ, ſe viſitaturum minatur Dominus. Non quòd filius portet patris iniquitatem, ſed quòd ſoboles parentem imitata, approbauerit parentis malitiam, & particeps fuerit emolumenti nephandi. Exponit autem quomodo velit familiam illam vniuerſam viſitare Dominus, Vt non ſit vir: id eſt, vllus ex hac proſapia, qui habitet in medio populi huius. Morientur ergo, & excindentur præmatura & infelici morte omnes. Itaque non videbunt bonum quod facturus eſt Deus liberandis aliquando ex Babylone. Fortaſsis intelligenda ſunt hæc tam de ſpiritualibus quàm corporalibus bonis. Grauis ergo pœna eſt quæ ſpoliat præſentibus bonis atque futuris. Graue itaque ſcelus eſt falſa doctrina: graue ſcelus eſt ſe ſanæ opponere doctrinæ, & ſanos doctores vexare & deferre tyrannis & perſequi. Cuius quidem rei memorabile in præſenti habuimus exemplum. Dominus Deus noſter deducat nos omnes in via ſua recta ad gloriam nominis ſui & ſalutem animarum noſtrarum. Amen.

ORATIO IEREMIAE DECIMATERTIA.

Conſolatur captiuos, promittens eis liberationem à Domino.

CAPVT XXX.

CONCIO XCVII.

VErbum quod ad Ieremiam factum eſt à Domino, dicens, Sic dicit Dominus Deus Iſraelis, Scribe tibi in librum aliquem omnia verba quæ locutus ſum tibi. Ecce enim dies venient, dicit Dominus, & conuertam captiuitatem populi mei Iſrael & Iuda, dicit Dominus, & reducam eos in terram, quam dedi patribus eorum, & poſſidebunt eam. Et hæc ſunt verba quæ loquutus eſt Dominus ad Iſraelem & Iudam. Sic enim dixit Dominus, Vocem horroris audiuimus, pauorem & non pacem. Inquirite quæſo, & videte num pariat mas, quare ergo vidi omnem virum manus ſuas habentem in lumbis inſtar parturientis, & verſas omnium facies in pallorem? Væ quia magnus eſt dies ille, vt ei non ſit ſimilis, & tempus tribulationis eſt Iacobo ex qua tamen ſeruabitur. Et erit die illa, ait Dominus exercituum, confringam iugum eius à ceruice tua, & vincula tua diſſoluam, & non redigent illum vltrà in ſeruitutem alieni, ſed ſeruiet Domino Deo ſuo, & Dauid regi ſuo, quē ego excitabo eis. Tu verò ne timeas ſerue meus Iacob, dixit Dominus, ne formides Iſrael: quoniam ecce ego ſeruabo te à longe, & ſemen tuum à terra in qua captiui detinentur. Et redibit Iacob & requieſcet, & ſecurus, nec erit qui ipſum terreat. Quoniam ego tecum ſum, ait Dominus, vt ſeruem te: quia conſummationem faciam cum omnibus gentibus, ad quas diſperſi te, veruntamen tecum non faciam conſummationem, ſed caſtigabo te in iudicio, neque mundando mundabo te.

NON

NON exprimitur an ea quæ iam sequuntur cap. 30. & 31. coniungenda sint præcedenti epistolæ, an constituant Orationem peculiarem, ordine iam decimam tertiam. Vnum quidem atq; idem est argumentū epistolæ & orationis huius. Vtrobique enim disseritur de liberatione populi Dei: nihilominus discreui hæc ab illis, & peculiarem orationem ex his quæ sequuntur 30. & 31. cap. feci, quòd ipse contextus dirimere hæc videatur. Cæterùm parum refert siue coniungas siue separes. Oratio est plane consolatoria, scripta ad imitationem Isaiæ, qui hoc ipsum argumentum tractat à capite 40. vsque ad caput 49. Consolatur enim Dominus per ministrum suum Ieremiam captiuos in Babylonem abductos atque abducendos, denicq; vniuersum Dei populum variis in terra malis exercendum. Pollicetur autem his fore, vt & captiuitas & mala quibus diuexantur, sint felicem sortitura finem. Nam liberandos ex captiuitate, & reducendos in patriam, ibicq; eis præstanda omnia quæ vnquam promisit ipsis & patribus ipsorum Dominus: in primis verò Christum pollicetur omnium promissionum Dei perfectionē & compendium. Ita deflectit propheta à corporali liberatione ad spiritualē, ac vaticinatur de rebus Christi & populi noui testamenti. Vnde consequens est, doctrinam hanc peculiariter quidem pertinere ad Israelem secundum carnem, sed maximè etiam ad Israelem, iuxta spiritum, ad Christianos inquam, ad nos atque ad posteros nostros in finem vsq; seculi. Ergo si quando calamitatibus premamur, & affligamur variis malis, petamus hinc consolationem. Apparet autem hinc & ex alijs prophetarum locis aut testimonijs pluribus, doctrinam de Christo sic satis vulgarē fuisse populo veteri, ac semper temporibus vel rebus difficilioribus vsurpatā ad consolationem afflictorū. Nam vera consolatio ex Christo est, & in Christo consummatur. Extra Christum, vt non est vlla salus, ita neq; solida consolatio. Christus est verissimus liberator. Typica fuere liberatio ex Ægypto & ex captiuitate Babylonica. Proinde complentur hæc quidem omnia, sicuti & alibi diximus: principiò quidem in Israele secundum carnem, sub Cyro, &c. deinde verò plenius in Christo ac Christianis: postremò autem omnium plenissimè in restitutione rerum omnium, in vltima illa die.

Scopus huius orationis.

Extra Christū neq; salus est, neq; cōsolatio.

Ab initio mox ostendit authorem huius suæ doctrinæ & consolationis Ieremias, ipsum videlicet Deum: idq; octies repetit atque inculcat, vt intelligeremus efficaces consolationes ex Deo oriri oportere, & in solum Deum inniti. Præterea iubet Deus prophetam hæc verba omnia conscribere in librum, vel conficere instrumentum & tabulas velut publicas. Solemus autem instrumentis compositis, res consignatas veluti perpetuare, vel in sempiternam rei memoriam posteris commendare, atq; ad hos veluti transmittere, tanquam certa & indubitata, vt si quod oboriatur dubium, ex præsenti instrumento confirmetur aut declaretur rei veritas. Proinde securi sunt, quibus huiusmodi obtingunt instrumenta. Sæpe verò in scripturis iussit Dominus res alioqui maximas consignare in chartas, veluti negotium salutis per Christum, apud Isa. in ca 8. Similis locus est in ca. 30. Iob, vbi optat confessionem fidei & spei suæ conscriptam esse in tabulam. Christus quoq; iubet cœlitus Ioannem scribere, certò seruandos fore credentes, Apoc. 14. Ideoq; non est quòd addubitemus tantillum de consolatione hac Dei, quā in literas, Deo iubente, retulit Ieremias. Faciunt hæc ad subleuandam fidei nostræ infirmitatem, stabiliendamq; spem nostram.

Vera cōsolatio ex vno existit Deo.

Res memorabiles transmittere scripto ad posteros.

Colligit autem caput & summam omnium quæ dicturus est, liberandos fore Israelitas & Iudæos ex captiuitate, reducendosq; in patriam, quā sint summa cū tranquillitate possessuri. Christiani in his respicimus ad liberationē spiritualem ab inferis & peccato, & ad patriam cœlestem, in quam credimus nos transferendos à morte.

Summa.

Iterum verò repetit ista non ab ipso esse profecta Ieremia, sed diuina esse oracula. Sæpe enim iam inculcauimus, veram & efficacem consolationem oportere proficisci à Deo. Ac obseruandum est maximè, quòd dicit non modò Iudæos, sed & Israelitas reducendos fore ex captiuitate. Id quod contra illos facit, qui fingunt vnam modò tribum Iuda, sub Cyro reductam esse in patriam. Omnes enim vel ex omnibus reducendos hic manifestè dicit, sicuti & alibi legitur.

Reductæ omnes tribus.

Præcedit liberationem maxima afflictio.

Cæterùm priusquam liberare velit ipsos Dominus, prædicit magnas turbas calamitatesq; maximas præcessuras, & miserè afflicturas passim vbique homines. Iustus est enim Dominus, qui peccata & peccatores, cum diu frustra pœnitentiam expectauit, grauiter punit. Proinde inducit homines conquerentes se audiuisse vocem horrendam, vbique formidinem, tremorem & bella, nullibi pacem proclamantes. Ita verò adumbrat omnia regna fore collidenda, & homines passim in Iudæa maximè conficiendos fore. De qua re dictum est cap. 25. Cum verò homines ferè, dum audiunt bellis atterenda omnia, existiment ac sperent se robore fortissimorum quorunq; militum asserendos, Ieremias figura quadam ostendit, nullum vspiam robur vel in fortissimis viris reliquum futurum. Iubet ergo inquiri, si fortè vnquam auditum sit marem peperisse? Id verò cum nunquam sit auditum, & res videatur impossibilis, rursus interrogat, vnde ergo sit quòd viri fortes omnes, puerperæ iam esse videantur, qui instar parturientium manus non admoueant armis, sed in lumbos incutiant, & toti palleant, colore exangues & mortuos referentes? Qua sanè figura significat, nullum esse expectandum auxilium ex militibus, cum omnes in vniuersum imbelles & mulieres sint futuri. Amplificat hæc amplius per exclamationem & comparationem. Exclamat enim, Væ, quia magnus est dies iste. Deinde per comparationem addit, ipsum non habere parem: id est, calamitatem illam carituram exemplo. Sequitur enim expositio quid intellexerit per diem illum, tempus afflictionis ipsi impendens Iacobo. Et certè nos qui in Christum credimus, non potuimus liberari, nisi præcedente passione Domini nostri Iesu Christi amarissima.

Nullum robur humanum liberat ex ira Domini.

Liberatio promittitur.

Consequenter verò manifestè vaticinatur de liberatione. Quo vaticinio captiuos in primis, deinde afflictos omnes consolatur. Dicit autem se ex tantis malis ipsos liberaturum. Vbi enim deficit humana sapientia, neque consilium euadendi inuenit: ibi diuina sapientia & potentia nullo negotio eripit, asserit & liberat. Credamus ergo in omnibus difficultatibus Deo, neque desperemus propter humanam potentiam & instructas contra nos hominum copias. Singulariter verò promittit, se ablaturum iugum de collo, & vincula captiuitatis relaxaturum. Loquitur de seruitute Babylonica. Addit ergo ipsos amplius non seruituros alienis, nimirum dijs: seruituros autē Deo creatori, & Dauidi regi suo, nempe Christo Domino. Quòd si legeris posthac, non futurum vt alieni eos in seruitutem redigant, iuxta literam exponi non poterit. Nam mox à liberatione Persæ & Græci, postea Romani dominati sunt Iudæis: spiritualiter autem completur, dum fideles per Christum liberati, verè liberi sunt etiam in media seruitute.

Promißio Christi ueri Dei & hominis.

Ioan. 8. Luc. 1.

De iugo & vinculis antea dictum est sæpe. Qui verò redierūt ex captiuitate Babylonica, nunquā postea dijs alienis seruierunt, sed Deo vero, expectantes Christum omnium promissionum complementū, quem & acceperunt suo tempore. Dicitur hic, sicut & .Ezech 34. Dauid, propterea quòd Dauid typū Christo prætulit, & quòd Christus ex semine Dauid genitus sit, iuxta carnem, Rom. 1. Singulariter ergo dicitur regi suo, nimirum Messiæ promisso, & in Dauide prefigurato. Nam prophetam non loqui de Dauide filio Isai, id manifestè conuincit quod ait, Quem ego excitabo eis. Vide quæ dicta sunt ea de re Ierem. 23. Colligimus hinc etiam Christum verum esse Deū cum patre. Dicit enim, Seruient Deo suo, & regi

& regi ſuo: regem inquam in eundem locum collocat cum Deo, & vtriq; tribuit cultum eundem. Falſos Deos colere non licet. Iſta verò de cultu Dei & Chriſti euidentiſſimè completa ſunt, Chriſti Chriſtianiſq; temporibus. Obijci poterit hic prophetę locus Iudæis, qui mirantur cur non ſufficiat nobis Deus colendus, cur addamus Chriſtum? Audiant ergo qui tales ſunt Ieremiam ſuum, imò & noſtrum dicentem, Seruient Deo ſuo & Dauidi regi ſuo. Chaldęus certè interpres, & Iudæorum expoſitores ſcripturę per Dauidem hunc intelligunt etiam ipſum Chriſtum Dominum. D. Hieron. hunc locum explicans, Iſte eſt Dauid, inquit, cuius & Euangelium meminit, daturum ſe nobis, vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coràm ipſo, omnibus diebus noſtris. Quomodo enim primus Adam & ſecundus Adam ſcribuntur iuxta corporis veritatem, ſic & Dominus atque ſaluator: quia iuxta carnem ex Dauid, totum in eo ſancta Maria conferente, quicquid fuit ex ſtirpe Dauid, & habente originem atq; conceptum de ſpiritu ſancto. Quodq; ait, Conteram iugum eius de collo tuo, &c. non dubium quin ſub typo Nabuchodonoſoris de diabolo ſentiendum ſit. Hæc ille. Obſeruemus hic diligenter liberari fideles à Deo, non vt libidini ſuæ indulgeant & nullis legibus æquis pareant, ſed vt Deo fideliſſimè inſeruiant, diabolum & regnum eius refugiant. Lucæ 1. 2. Petri. 2. *Finis liberationis.*

Pergit verbis conſolatione refertiſſimis, & ad imitationem Iſaiæ compoſitis, captiuos & afflictos propter pietatem conſolari. Amiciſſimis enim verbis captiuos affatur, & ait, Tu verò ne timeas, &c. Rationem ſubiungit, Ecce enim ego te ſeruabo à longè. Tametſi enim in hoſtilem, eamq; longiſſimè diſtantem, abductus ſis terram, liberabo te tamen indè. Quoniam verò captiuis 70. annos captiuitatis præſcripſerat, & multi ea eſſent ætate, quæ eouſque non videbatur perducenda, addit, Educam ſemen tuum è terra in qua detinentur captiui. Simul autem promittitur liberatio ex captiuitate diabolica & ex omnibus malis, ſemini Iſraelis ſpirituali. Additur & aliud quod ad declarationem beneficij facit, Et redibit Iacob & quieſcet. Quod quidem corporaliter vtcunq; impletum eſt: adimpletur autem ſpiritualiter plenius in ſanctis, qui in præſenti ſæculo tranquillis fruuntur conſcientijs, & poſt hanc vitam gaudio ſempiterno. Et quò certiora illa omnia eſſent apud afflictos, inducit Dominum loquentem, Quoniam ego tecum ſum. Vox plena conſolationis eſt, Ego tecum ſum. Quid enim deeſſe queat ei qui Deum præſentem vel apud ſe manentem habet? Sæpe hæc vox repetitur à prophetis & in Euangelio, Tecum ſum, vt te ſeruẽ. Ad amplificationem verò huius beneficij adijcit ſe conſummationẽ facturum cum omnibus gentibus, ad quas diſperſit captiuum ſuum populum: at conſummationem ſe facturũ negat cum ſuo populo. Eſt autem locutio Cõſummationem facere, noſtræ reſpondẽs, vßmachen, id eſt, in vniuerſum perdere & excindere. Quid ergo? Caſtigabo quidem te, ſed in iudicio, id eſt, cum moderatione vel modo tolerabili. Sic ſæpe ſupplicat Domino Dauid, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, &c. Solet autem Dominus ſeruos ſuos caſtigare, ſed moderatè, eoſdemq; iterum recipere in gratiam. Sicuti multa oſtendunt exempla. Sequitur, Neq; mundando mundabo te. Id quod alij verterũt, ſenſum magis quàm verba explicantes, Nec ſuccidendo ſuccidam te. Item, Veruntamen neutiquam ad purum putum excoquam te. Id eſt, non exactè omnia in te puniam. Alioqui enim ferendo non eſſes. Vulgaris verſio habet, Vt non videaris tibi innoxius. Quod Lutherus vertit, Sas du dich nit vnſchuldig haltiſt. D. Hieronymus hunc explicans locum, Docet ſuos, inquit, nequaquam pœnæ ſed eruditioni traditos, vt iudicarentur quaſi proprij, non perderentur quaſi alieni. Qui enim non credit, *Conſolatio euidens.* *Conſummationem facere.*

iam iudicatus est: hoc est, præiudicatus in interitum. Quod autẽ intulit, Vt non tibi videaris innoxius: siue iuxta Symmachum, Et mundus non mundabo te. Vel iuxta Aquilam, Cum te erudiero per iudicium, nequaquam innocentem faciam: illud significat, quòd omnis mundus indigeat misericordia Dei, & nullus, quamuis sanctus sit, securus pergat ad iudicem: contra nouam ex veteri hæresim, quæ putat in isto sæculo, & in ista carne mortali, antequam corruptiuũ hoc induat corruptionem, & mortale induat immortalitatem, perfectionem esse in quoquam, & omnes simul iustas posse implere virtutes, &c. Domino Deo nostro sit laus & gloria semper.

Pergit propheta in sua illa consolatione.

CONCIO XCVIII.

Quoniam sic dicit Dominus, Insanabilis ist contritio tua, & dolorifica plaga tua. Nemo est qui dijudicet causam tuam ad obligandum: sanationes vulneris non sunt tibi. Omnes amatores tui obliti sunt tui, nec quærũt te: quoniam hostili plaga percussi te, & sæua castigatione, propter multitudinem iniquitatis tuæ peccata tua inualuerunt. Quid clamas super contritione tua? Deploratus est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ, & quòd peccata tua inualuerunt, feci tibi ista. Porrò quicunq; te deuorant deuorabuntur, & omnes hostes tui, omnes inquam in captiuitatem abibunt: qui te diripiunt diripiẽtur, & qui te spoliant, eos spolium faciam. Ego enim adducam sanitatem tibi, & à plagis tuis sanabo te, dicit Dominus. Etenim propulsam te vocauerunt (dicentes) Zion est, quam nemo requirit. Sic dicit Dominus, Ecce ego conuertam captiuitatem tentoriorum Iacob, & habitaculorum eius miserebor: ædificabiturq; ciuitas super aceruum suum, & templum in loco suo manebit. Et exibit ab eis laus & vox gaudentium. Multiplicabo eos, & non imminuentur, honoratos eos faciam, nec erunt viles. Erunt filij eius vt ab initio, & cœtus eius coràm me dirigetur, visitaboq; omnes qui eum affligunt.

Populi Iudaici plaga insanabilis.

IN sua illa consolatione consequenter ostendit, morbum populi sui tantum esse, vt non possit sanari aut curari ab vlla creatura. Alluso est ad chirurgiam, & à corpore fit metaphora ad animum. Nam per morbum & contritionem peccata intelligit, & per plagam vel vulnus & peccatum ipsum & pœnam peccati, captiuitatem, clades, lues & calamitates. Dicit ergo contritionem populi Dei insanabilem vel periculosissimam esse, & plagam dolorificam vel morbidam: nimirum peccatum ipsorum & pœnam peccati non posse curari ab vllo homine. Sequitur enim, Nemo est qui iudicet causam tuam ad obligandum. Et adhuc clarius, Nullæ sunt sanationes vulneris tui. Sicut enim iudicando causa oppressi iuuatur, & oppressus per iudicium asseritur: ita nemo est inquit, qui seriò cogitet quomodo sanari possis. Et iterum per interpretationem, Omnes amatores tui obliti sunt tui. Amatores sunt dij auxiliares, tutelares, patroni, fœderati item & socij. Hi non curant tuam salutem. Nam etsi seruieris dijs alienis, & regum Aegyptiorum societatem tibi comparaueris, hi tamen neq; possunt te seruare, neq; volunt te seruatum. Cur autem nullę creaturæ eos seruare possint, ostenditur ratio, Quoniam hostili plaga, id est castigatione ęqua te percussi, adeò vt si velint non possint te liberare. Percussit autem Dominus populum suum hostili plaga, non morositate aliqua, sed propter multitudinem iniquitatum eius, & quoniam inualuerunt peccata eius, quorum nullum amplius fecerũt modum, exu-

perantes

perantes ſemetipſos in omni cõſceleratione, adeò vt Deus illis non potuerit amplius parcere, iuſtè ergo afflixit eos afflictione quam nemo mortalium tollere vel ei mederi potuit. Interim & hoc oſtendit, populum ſuum nullam obmurmurandi occaſionem habere contra percutientem Dominum. Quaſi dicat; Si autem vis conqueri & obmurmurare aut accuſare in tuis illis calamitatibus quenquam, non me Deum tuum accuſa, ſed temetipſum & peccata tua quæ inualuerunt. Ego itaque iſta tibi feci, id eſt puniui te, ſed iuſto iudicio, quia multitudine iniquitatum tuarum hoc commeruiſti quod pateris.

De peccato.

Hic locus erudit nos de peccato, quid inquam rectè de ipſo ſentiamus. Peccatum oritur ex homine, & punitur in homine iuſtè à Deo, ita vt homo non habeat quod conqueratur aut contendat cum Deo, aut accuſet Deum. Diſcimus item omnes homines obnoxios eſſe peccato, ita vt immundum non poſſit mundare id quod immundum eſt. Nulla ergo creatura poteſt ſanare peccati vulnera; etſi ſancta ſit creatura. Atq; hoc eſt quod in Euangelio dicitur, neminem remittere peccata, niſi Deum ſolum. Quod homines, id eſt miniſtri eccleſiarum, peccata remittere vel condonare dicuntur, ſecundum miniſterium id exponendum eſt, non ſecundum poteſtatem, quam ſibi Deus retinuit.

Deus hoſtes populi ſui punit.

Quanquam verò Deus populum ſuum percutiat, non retinet tamen iram perpetuò cõtra ipſum, imò nõ impunè ſinit ipſum opprimi à ſuis hoſtibus. Deus quidem vult populum ſuum paterno animo caſtigare, non ad perditionem, ſed emendationem: & in hunc finem ipſe hoſtibus vtitur, hoſtes autem odio & prauis affectibus incitati, contra populum Dei, non propter peccata eius, ſed propter veram religionem & alias cauſas ob quas immeritò ipſum perſequuntur, ad internecionem vſq; delere ſatagunt. Proinde iuſtus Deus cauſam ſui populi vindicaturus, dicit, Quicunque te deuorant, &c. Nam Deus iuſtus par pari rependit, qui alibi dixit, Qua menſura alijs menſi fueritis, eadem remetientur vobis alij. Promittit itaque Deus ſe vlturum ſanctos ſuos, illos inquam qui religionis ergò & alias iniquas ob cauſas perſequutionem ſuſtinuerunt, quam interim peccatis ſuis meruerunt. Videmus autem in continuo hiſtoriarum curſu Deum eccleſiam ſuam afflixiſſe propter peccata, per tyrannos, ſed iterum tyrannos grauiſſimis ſubieciſſe periculis, ac rependiſſe eis pro ipſorum ſanguinolenta crudelitate. Ita certè cecidit Niniue, capta & diſcerpta eſt Babylon, Roma quoq; miſerè deturpata, euerſa, & cladibus & calamitatibus eſt diuexata, poſtremò omni gloria exuta, & contumelijs omnigenis extremoq; contẽptu eſt adoperta. Quid verò in vltimo illo iudicio futurum credimus?

Deus curat ſuorum morbos.

Porrò manifeſtè & ſignificantiſſimè promittit ſe curaturum morbos & vulnera ſui populi. Vnde diſcimus, id quod apud homines impoſſibile eſt, nullo negotio confici à Domino: & quòd ille ſolus eſt qui condonat culpam peccati tollitq; pœnam. Notiſſimum eſt dogma Papiſticum, quo aſſeritur, culpam peccati condonari, pœnam differri in purgatorium, nec condonari. Intelligimus autem nos ex doctrina prophetica, Deum & ſanitatem adducere, & eundem plagas ſanare, id eſt cùm culpam peccati tum pœnam remittere, idq; ex gratia. Quanquam hic quoque aliam cauſam condonationis & liberationis, ſed minus propriam adducit, Quoniam propulſam vel eiectam & abdicatam ethnici te appellarunt, & Zionem dixerunt non amplius eſſe curæ Domino. Ergo vt videant ſe falli, & me non obliuiſci meorum, neq; reijcere eos in perpetuum, adero meis maturè, & curabo morbum ipſorum.

Liberat ſuos Dominus et beneficijs adoperit.

Iam ergo multis exponit beneficia, quibus afflictos iterum velit afficere, copioſè liberationis ex captiuitate & reſtitutionis bonũ enarrans, Ecce ego reſtituam captiuitatem tentoriorum, &c. Tentoriorum mentionem facit Dominus,

ad ſignificandam facilitatem reſtitutionis. Tam facilè reſtituam captiuitatem veſtram, quàm nullo negotio homines mutant ſua tentoria. Addit ſe & vrbem & templum reſtituturũ, ita vt mœnia ſuis antiquis fundamentis, iam aceruis lapidum & ruderum adopertis, rurſus ſint imponenda: id quod factum eſſe exponit Ezræ & Nehemiæ liber.

Laus & gratiarumactio ſacrificium Deo gratum.

Huic expoſitioni inſerit quid facturi ſint liberati & filij eccleſiæ, aut quid ſint Domino pro liberatione illa ſua repenſuri, Et exibit ex eis laus & vox exultantium. Laudis enim & gratiarumactionis ſacrificia offerunt pij pro beneficijs à Deo acceptis. Id quod acceptiſſimum eſt Domino, ſicuti ſæpe teſtificatur in Pſalmis, potiſſimùm autem Pſal. 50.

Pergit deinde in commemoratione beneficiorum quæ præſtiturum ſe promittit populo ſuo Dominus. Multiplicabo eos, inquit, & non imminuentur. Id quod hiſtoria completum eſſe teſtificatur. Nam Ioſephus multa numerat centena millia populi Iudaici quæ ſua ætate ſub bellum Iudaicum vixerint. Idem recitat plurima imperatorum & principum Romanorum edicta & priuilegia in honorẽ populi Iudaici promulgata. Breuiter, ſicuti ab initio in terra Ægypti & in terra Canaan multiplicati ſunt, & feliciter atque in honore & gloria vixerunt: ita ſanè fiet ipſis à liberatione ex Babylone. Cœtus eorum coràm me dirigetur. Id eſt, multi erũt paſſim cœtus eccleſiaſtici & politici, quibus omnia feliciter ſuccedent. Addit, imò repetit, ſe animaduerſurum ſeriò in hoſtes Iudæorum profeſſos. Viſitabo, inquit, eos, id eſt puniam ſeueriſſimè qui te afflixerint. Hæc expectent pij à Domino, quantum videlicet eis vtile & neceſſarium futurum præuiderit Dominus.

Expoſita hæc de eccleſia.

Spiritualiter aut ẽ ſingula de eccleſia ſunt exponenda, in qua hæc omnia pleniſſimè complentur: cuius captiuitatem Dominus conuertit in libertatem & felicem ſtatum. Aedificat Dominus deſtructam per tyrannos eccleſiam, ac veteri id eſt vnico fundamento Chriſto imponit. Eccleſia verò ſacrificia laudis offert pro gratiarumactione, in cœna Domini maximè, quæ in hoc inſtituta eſt à Chriſto, & appellatur Euchariſtia. Multiplicat item & honoratam reddit eccleſiam, cuius filij & cœtus vni Deo adhærent per Chriſtum, in quo diriguntur & defenduntur à Deo. Cui gloria.

Vaticinatur de Chriſto omnis conſolationis theſauro.

CONCIO XCIX.

Et erit fortis eius ex ipſo, & dominator eius de medio eius egredietur: & appropinquare faciam eum, & accedet ad me. Quis enim eſt iſte, qui cor ſuum tam voluntarium fecit, & ad me accedat, dicit Dominus? Eritis ergo mihi populus, ego autẽ ero Deus veſter. Ecce quaſi tempeſtas Domini egreſſus eſt furor, tempeſtas inquam permanens, quæ in caput impiorum ſubſidet. Non enim reuertetur furor iræ Domini, donec eam exequutus fuerit, & donec erexerit cogitationes cordis ſui. In nouiſſimo dierum intelligetis illud.

Vaticinium de Chriſto.

QVoniam Chriſtus Ieſus ſeruator noſter omnis conſolationis caput & theſaurus eſt, eam ob cauſam differit modò Ieremias de ipſo, & vaticinatur ex ore Dei de eius aduentu in mundum. Nemo autem intelligat vaticinia prophetarum, quaſi nihil profuerint ſui ſæculi hominibus, ſed venturis dũtaxat poſt Chriſtũ. Per Chriſtum enim veteres liberati ſunt ex Aegypto, & propter Chriſtum collata ſunt eis omnia beneficia, quæ eis ſunt collata. Sed & Paulus ipſe teſtatur

ſtatur in 1. ad Corinth. 10. cap. patres omnes eundem cibum & potum ſpiritualem nobiſcum ediſſe & bibiſſe, bibiſſe inquam de conſequente eos petra, petram fuiſſe Chriſtum. Proinde quæ in præſentia dicuntur de Chriſto, in hunc finem dicuntur, vt conſolationem adferant afflictis captiuis, & omnibus afflictis fidelibus ad finem vſq; ſæculi. Si autem veterum ſpes & conſolatio Chriſtus fuit, putat Chriſtianos aliam extra Chriſtum, aut nō à ſolo Chriſto conſolationem petere. Ac optimi quiq; interpretes hæc expoſuere de Chriſto. Vnde miror cur D. Lutherus maluerit cum quibuſdā Hebræis exponere illa de populo Dei, & non de Chriſto. Sic enim vertit hunc locum, Aber jre gewaltigen ſöllend vß jnen ſelbs geboren werden/ vnd jre herren von jnen ſelbs harkummen. Vnd wil jy für mich kūmen laſſen/ daß jy mir opfferind. Dann wär iſts ſunſt der ſo von hertzen gern mir opfferet/ ſpricht der Herr? Satis quidem liberè hæc vertiſſe videtur Lutherus, ego verò malo ei inhærere ſenſui qui profertur à pluribus.

Eſt ergo hæc deſcriptio Chriſti, & quid nobis conferat boni declaratio: quæ res cognita mirificè conſolatur afflictorum mentes. Principiò appellatur Chriſtus אדיר. Significat autem Adir magnificum, excellentem, honoratum, admirabilem, terribilem, glorioſum, fortem: quæ omnia Chriſto competunt propriſſimè. Eſt enim Deus omnipotens, victor peccati, diaboli, mortis & omnium potentiarum. Quis verò huic non confidat? Quis ſecuro animo ab hoc non pendeat, quem videt omnium eſſe potentem? Idem ille Chriſtus eſt dominator, dux & aſſertor ſui populi, rex, liberator & director eorum: ſicuti & Micheas de ipſo teſtatur in 5. cap. & Iſaias in cap. 9. Idem ille egreditur de medio ſui populi. Qua ſententia videtur alluſum ad promiſſionem Moſis, Deut. 18. cap. Certè natiuitas Chriſti ſecundum carnem ex populo Iſraelis, atq; adeò ex tribu Iuda & domo Dauidis prænunciatur. Chriſtus ergo Dominus & redemptor noſter, verus eſt Deus, verus etiam homo. His coniungit, Et appropinquare faciam eum ad me, & appropinquabit. Verba ſunt Dei, ſignificantis Chriſtum fore mediatorem inter Deum & hominem, propter cuius interuentum aditus pateat fidelibus ad patrem: ſicuti clariſſimè exponitur in ſcriptura apoſtolica. Ergo ipſi conceditur accedere propius ad patrem, & cum ipſo agere familiarius, noſtramq; cauſam ſic ipſi commendare, vt in Chriſto & per Chriſtum & nobis ad Deum liceat appropinquare. Quanquam hæc particula, Et accedet ad me, ita quoq; poſſit exponi, ſicut illa apud Danielem in 7. cap. Filius hominis vſque ad prouectum ætate acceſſit: vtiq; ſimilis & par ipſi eſt in gloria & maieſtate. Huius aliquid videtur ſenſiſſe beatus Hieron. qui in hunc locum ſcribit, Applicauit eum pater ad ſe, & acceſſit ad eum, vt diceret filius, Ego in patre & pater in me. Quia nullus poteſt ſic cor ſuum applicare Deo, nec ita vt filius patri eſſe coniunctus. Hæc ille. Etenim cum Chriſtus & patri ſit coniunctiſſimus, & cor ſuum voluntarium faciat, id eſt promptiſſimo & abſoluti ſſimo perfectiſſimoq; patri animo adhæreat, ita vt nemo purius & plenius, meritò per ipſum ſolum nobis ad patrem patet aditus, ac per ipſum omnia noſtra Deo patri grata ſunt. Confutantur his doctrinæ monachorum de interceſſione diuorum mundo inuectæ & confirmatæ. Nemo enim diuorum æquari poterit Chriſto, aut vllo modo componi cum ipſo.

Deſcriptio Chriſti.

Rom. 5. Epheſ. 2. Hebr. 10. & 4. &c.

Iam etiam quid ex Chriſto fideles habeant oſtenditur, licet verbis pauciſſimis petitis ex fœdere Dei, ac ſæpe in ſcriptura repetitis. Per Chriſtum ergo habemus, vt Deus ille ſummus optimus maximus ſit pater noſter, nos autem populus & filij eius. Qua re nihil poteſt dici aut fingi maius. Legatur apoſtolus ad Romanos 8. capite. Dixi eadem de re alibi plura. Hæc autem ſunt conſolatione pleniſſima.

Quid ex Chriſto habeamus.

Ex oppoſito autem exponit quæ pœna incredulos maneat: idq; per oratio-

Quid maneat incredulos.

nem figuratam. Comparat enim iram vel vindictam Dei tempestati grauissimę, quę postquam diu se conglomerauit, magno cum spectantiũ horrore, mox se demittit in aliquorũ capita, quos penitus atterit. Sic colligitur lõga mora per longanimitatem Dei, ira Dei, quæ subsidit demùm in capita impiorum. Hoc ipsum S. Ioan. baptista in Euangelio secundum Ioannem sic exposuit, Qui credit in filium, habet vitam ęternam: qui verò non credit in filium, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum. Addit his Ieremias vindictam Dei fore certissimam & seuerissimam immutabilemq́, ex qua se nemo extricare possit, & quę non cesset, nisi prius exequuta fuerit omnia iustissimi Dei contra impios iudicia. Frustra ergo multi sibi impunitatem pollicentur scelerum, maximè inobedientiæ fidei. Etenim si non rectè credamus syncerąq́ fide complectamur Dominum nostrum Iesum Christum, non poterit non certissima in nos Dei vindicta esse parata, vtpote cum hæc per solum Christum aboleatur.

Intellectus fidelium plenior.

Postremò omnium adijcitur Epiphonema, In nouissimo dierum intelligetis illud. Intelligebant quidem ista omnia etiam Ieremiæ sæculo, quantum eis opus erat ad sanam institutionem, consolationem atq́ salutem, qui videlicet obedienter & in vera fide Ieremiam audiebant: singula tamen rectius posteri intellexerunt, exhibita mundo salute aut seruatore Christo. Sed & omnia ista plenius intelligemus in vltima illa die, qua Christus iudicabit viuos & mortuos, rependetq́ cuilibet iuxta instituta cuiusq́. Nunc multi arbitrantur fabulas esse & cõmenta ministrorum, quæ dicuntur de gaudio cœlesti, & pœnis tartarorum sempiternis: sed in illa die rectius hæc non modò intelligent, sed etiam grauius sentient: quod & Malachias testatur in cap. 3. & 4. Oremus ergo Dominum, vt in illa die læti coràm ipso compareamus. Amen.

Promittit liberationem ex captiuitate, & fusè de ea disserit ad consolationem ipsorum.

CAPVT XXXI.

CONCIO C.

IN illo tempore, dicit Dominus, ero Deus omnibus familijs Israelis, & ipsi erunt mihi populus. Sic ait Dominus, Inuenit gratiam in deserto populus qui reliquus factus est à gladio, cum scilicet Israel iret vt pararet sibi requiem. E longinquo apparuit mihi Dominus, & dilectione perpetua dilexi te, ideo misericordia attraxi te. Adhuc ædificabo te, & ædificaberis, virgo Israel: adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium: adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ, plantabunt plantatores & prophanabũt. Erit tempus cum clamabunt custodes in monte Ephraim, Surgite ascendamus in Zion, ad Dominum Deum nostrum. Quoniam sic dicit Dominus, Iubilate in lætitia propter Iacob, & hinnite in capite gentium, annunciate, laudate & dicite, Serua Domine populum tuum reliquias Israelis. Ecce ego adduco eos de terra Aquilonis, & colligam eos de lateribus terræ, inter quos pariter erunt cæcus & claudus, prægnans & puerpera, cœtus magnus huc reuertetur. Cum fletu ingressi sunt, in miserationibus adducam eos, deducam eos ad torrentes aquarum, & per viam rectam, in qua non impingent: quoniam factus sum Israeli pater, Ephraim autem est primogenitus meus.

REPETIT

REPETIT Dominus ſummam propoſitam in cap. 30. ex verbis fœderis ſempiterni petitam, Deum videlicet futurum Deum populi ſui, & populum futurum Dei populum: quod quidem vt conſolatione refertiſſimum eſt, ſicut dictum eſt aliâs, ita pariter comprehendit officium noſtrũ quod Deo pro impenſis nobis debemus beneficijs, vt videlicet annitamur ipſius eſſe populus, qui ab ipſo ſolo dependeat, in omnibus ipſum ſolũ reſpiciat, & ipſum colat ſanctiſsimè. Nam eſt hoc æquiſsimum, cum ipſum ſeſe totum in nos effundat, nos amplectatur, prouehat, tueatur atq; conſeruet, denicq; bonis locupletet omnibus. Inſignis eſt ergo hæc promiſsio, vnde colligebant Iſraelitæ ſe emerſuros ex baratro captiuitatis barbaræ.

Liberatio ex Aegypto.

Probat autem Dominus veluti ex antecedenti, ab exemplo, quòd benefacere velit ſuo populo eundemq; liberare. Nam olim oppreſsio in Ægypto Iſraelis populo, & proficiſcente per deſertum, in quo varijs attritus eſt plagis à Domino propter peccata, conſecutus eſt ille idem populus gratiam apud Dominum, vt patres quidem educeret & liberaret ex Ægypto, liberos autem ipſorum ex gladio vel pœnis reſiduos induceret in terram promiſſam, in qua dedit eis pollicitam requiem. Cur ergo nunc non poſſet idem ille Deus, qui ſemper ſui ſimilis, beneficus, miſericors, ſapiens & potens eſt, reducere Iſraelem ex Babylone, & donare ipſi ſuam tranquillitatem? Ita perpetuis temporibus colligit Eccleſia, nunquam ſe deſerendam fore à Domino, qui nondum miſſo filio, Iſraelitico populo fuerit propitius: quantò magis nunc poſt Chriſtum exhibitum ſemperq; illum comparentem in conſpectu patris, veriſimile videatur nunquam deſerendam à Domino?

Deum homines diligere dilectione perpetua.

Quinimò ne quis obijceret, ad ſe nihil pertinere quòd olim Deus beneficia populo ſuo veteri præſtiterit, qui iam ſit de numero populi veteris, præoccupat hoc & ait, E longinquo viſus eſt mihi Dominus, &c. Id quod alij referunt ad tempus, alij ad locum: ſenſus tamen expoſitus eſt, Dominum prophetæ iterum apparuiſſe atque conteſtatum eſſe, (nam vt farciatur ſenſus, addendum videtur, Et dixit, aut ſimile quidpiam) ſe non ſemel dilexiſſe & beneficijs proſequutum eſſe veteres patres, ſed ſe retinere illam ſibi in genus humanum dilectionem perpetuam, vt quemadmodum olim patres dilexit, ita nunc etiam pergat diligere ipſorum liberos, nos videlicet & noſtros poſteros in finem vſque ſæculi. Proinde ſicuti olim populum Iſraelis, quem dilexit ex miſericordia & ex mera gratia, ad ſe attraxit, id eſt varijs beneficijs ſibi obuinxit: ita eundem omnes poſteros Deum complecti, & his vti & maioribus benefacere aut benefacturum eſſe: ergo nunc quoq; captiuis in Babylone, & omnibus ſæculis conſequentibus, afflictis Deum ex dilectione & mera gratia benefacturum & ſeruaturũ ſuos. Elegans & conſolatione refertiſsima eſt hæc doctrina, quæ & Pſal. 136. tractatur, in quo varia opera Dei cõmemorantur, ac ſingulis propè ſubiungitur, Quoniam in æternum miſericordia eius. Ita enim ſignificat Deum quidem olim hoc feciſſe & beneficium contuliſſe populo ſuo, ſed eundem ſimul ſuum retinere benignum ingenium, ideoq; paratum eſſe quouis tempore benefacere, & ijs quidem omnibus, qui eius ope & liberalitate ſunt indigi. Sic inquam cum fructu eximio applicantur nobis omnia veteribus beneficia exhibita.

Gaudia honeſta.

Quod autem Deus captiuis in Babylone adeſſe, & eos beneficijs varijs adobruere velit, per conſequentia plenius exponit, Adhuc ædificabo te. Loquitur autem non tantùm de mũrorum extructione aut ædificijs, ſed de multiplicatione felicitateq; gentis. Promittit enim moderata gaudia, quòd his ſint fruituri cum voluptate honeſta. Tympanorum ergo ac chori ludentium meminit. Nam iſta olim vſurpata ſunt in populo Dei temporibus felicibus. Et conceduntur il-

la adhuc populo Dei tempore pacis, modò consistant in terminis mediocritatis. Qui autem his abutuntur ad luxum, ad lasciuiam & immodestiam, peccãt contra Dominum. Qui hodie choros nostrorum hominum absolutè defendunt, furiosos & impuros homines tueri videntur. Anabaptistæ concessa moderataq; gaudia oppugnantes, nimio rigore, vel in hypocrisim impellunt, vel in absurdiora scelera suos homines conijciunt. Ecclesia alioqui sua habet gaudia spiritualia, musicam & choros spirituales. Eadem ædificatur domus spiritualis super viuam petram per Spiritum sanctum & doctrinam apostolicam. Ad externam restitutionem verò illud quod sequitur pertinet, quod dicit vineas iterum plantandas in montibus Samariæ, in locis inquam vbi nobilissima vel præstantissima vina proueniunt. Qando autem in lege minatur Dominus, populum suum plantaturum quidem vites, sed nihil inde fructus percepturum, in præsenti addit, Et prophanabunt, id est fruentur fructibus, ac decerpent eos. Nam non licebat tribus primis annis quicquam de vinea nouiter plantata, velut immũda, percipere: quarti anni fructus cedebat Domino: quintus demũ annus proferebat fructus ei qui plantauerat. Ergo prophanare non significat corrumpere, sed iam vti fructibus, vtpote cõmunibus siue licitis iam concessisq;. Prophanum enim idem est quod commune, sicut & in Act. cap. 10. At ecclesia Dei appellatur nobilis Domini vinea. Nam profert illa fructus Domino, sicut exponitur in Euangelio secundum Ioannem, cap. 15.

Annunciatur palàm liberatio.

Porrò inducit custodes ex Ephraimitis, id est ex decem tribubus constitutos, qui vt olim fuerũt incentores ad desertionem populi Domini, ita nunc classicum cantaturi sint ad ascendendum in Zion & ad colendum verum Deũ. Significatur eo orationis genere, & Ephraimitas vel decem tribus ex captiuitate reducendos fore, & ipsos mutaturos mentem corruptam & defectricem, synceriusq; seruituros Domino. Et Zion quidem mysterium Christi redemptoris maximè adumbrabat veteribus, cuius ædificator erat Dauid, typus Christi, habens promissiones de Christo in Zion reuelando atque in eodem regnaturo, in ecclesia nimirum spiritualiter. Certè in hac clamarunt vigiles vel episcopi prædicatores Euangelium, quo omnes adhortati sunt ad amplexandum Christum & colendum puro corde Dominum.

Liberatio secũ trahit laudem & preces.

Præterea iubet iam ipse Dominus Deus captiuos iubilare, & in capite gentium, id est in metropoli gentium, Babylone vtique annunciare liberationem. Quæ quidem est manifestissima & certissima promissio liberationis: si scilicet in ipsa hostium metropoli annnncietur liberatio, & quidem impunè. Annũciatur autem Euangelium in metropoli sathanæ, in mundo, & prędicatur liberè remissio peccatorum & liberatio ex mundo immundo à sathana & inferno. Adiungitur huic annunciationi vel præconio laus & oratio vel gratiarum actio & preces: sed & precum forma certis verbis concipitur & exprimitur, Serua Domine populum tuum, reliquias inquam Israelis. Nam sicut antiquus populus sedulò pro liberatione sua orauit Dominũ, simul etiã pro benignitate Dei gratias egit & beneficia eius celebrauit: ita sanè facit etiam noui Testamenti populus, laudans pro liberatione Dominum, & orans eundem vt cœptam perficiat in finem vsque. Docemur ergo in præsenti, nostri esse officij sedulò Deum celebrare vel laudare & orare.

Adhuc significantius differit de liberatione.

Consequenter promittit iterum diserè libertatem certissimam. Ego, inquit, adducam de terra Aquilonis, nimirum ex Babylone, & colligam eos de lateribus, id est, de extremitatibus terræ hostilis, in quam dispersi meos. Certè Apostolos misit vsque ad extrema terræ collectum dispersas Christi ouiculas. Sed & viam ex captiuitate promittit fore expeditissimam, per quam tutò & commodè

ambulare

ambulare posſint cæci, claudi, grauidæ & puerperæ. Cum autem audimus hos inoffenſè viam ingreſſuros, qui alioqui in via expedita impingunt aut cõmodè progredi nõ poſſunt, facilè colligere poſſumus, Dei gratia & potentia, viam reddendam omnium facillimam. Neq; paucos ait venturos in terram promiſſam, ſed magnam copiam. Vocauit autem Chriſtus ad ſe claudos, cæcos & modis omnibus impeditiſsimos, quos maximis agminibus & via inoffenſa induxit in regnum Dei, in veram patriam. Ipſe enim tollit impedimenta omnia.

Clarius verò quod iam dixit expedit propheta conſequentibus. Licet cum lachrymis & mœrore huc peruenerint in captiuitatem, redibunt tamen cum gaudio maximo, idq; per meam benignitatẽ vel gratiam. Gratiæ enim ſunt iſta omnia, non meriti humani. Et in Euangelio dicit Dominus, Plorabitis & lugebitis, mundus contrà gaudebit, ſed mœror veſter cõuertetur in gaudium. Ioan. 16. Iam etiam qua commoditate ipſos ducere velit, exponit, Deducam eos ad torrentes aquarum. Nam in itineribus ſiccitas, æſtus, aquarum inopia & arida ſitis vexat itinera facientes: contrà verò dicit Dominus, copiam limpidarum & frigidarũ affuturam aquarum. Homines aliquando in itineribus deflectunt per viam non rectam, & impingunt in ſaxa, & impediuntur ſalebris. Dominus autem in præſenti, Rectà vos ducam, inquit, neque impingetis vſpiam. Rationem tantorum beneficiorum ſubijciens dicit, Quoniam factus ſum Iſraeli pater, &c. Ex gratia facio quod facio, pater ſum mei populi, delegi mihi primogenitum Ephraim, proinde non poſſum non his benefacere. Complentur hæc quotidie per Chriſti gratiam in eccleſia Chriſti. Deducit ille nos ad aquas, per viam rectam, efficitq; necubi impingamus: quoniam Deus eſt pater noſter, cuius nos ſumus filij. Ipſi gloria, laus & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum. Amen.

Progreditur in conſolatione inſtituta, & differit iterum de liberatione.

CONCIO CI.

Audite verbum Domini Gentes, & annunciate in Inſulis longè, & dicite, Qui diſperſerat Iſraelem, colliget eum, cuſtodietq; eũ ſicut paſtor gregem ſuum. Quoniam redemit Dominus Iacob, & aſſeruit eum de manu fortioris ſe. Venient igitur & laudabunt in monte Zion, & fluent ad bonitatem Domini (quam eis exhibuit) in frumento, in muſto, in oleo, & in fœtibus gregum & armentorum, eritq; anima ipſorũ ſimilis horto irriguo, nec vltra dolebunt. Tunc lætabitur virgo in choro, iuuenes & ſenes pariter: conuertam enim luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, atq; exhilarabo eos ex dolore ipſorum. Inebriabo quoq; animam ſacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis ſatiabitur, dicit Dominus. Sic ait Dominus, Vox in excelſo audita eſt, planctus & fletus amariſſimus: Rahel filios ſuos deplorauit, neque conſolationem vllam ſuper filijs ſuis recipere voluit: quoniam non ſunt amplius. Sic dicit Dominus, Prohibe vocem tuam à fletu, & oculos tuos à lachrymis: quoniam eſt merces operi tuo, ait Dominus: & reuertentur de terra hoſtili: ſed & poſteritatem tuam ea ſpes manet, ait Dominus: reuertentur enim filij ad terminum ſuum.

Liberatio populi Dei iubeatur annunciari inter gẽtes.

HIs quoq; promittit & promittẽdo probat liberationem ex Babylone. Nam nouo quodam vtitur orationis genere. Dum enim mandat gentibus annunciare longè & latè per inſulas illam liberationem populi ſui, non poteſt non

certissima esse illa. Deus enim non iuberet mendaciũ annunciare Insulis, & pergentes, apud quas non vult nomen sanctum suum pollui. Verba autem illis suppeditat, quibus annuncient illam liberationem celebrem. Qui, inquit, dispersérat Israelem, &c. Innuunt hæc verba Dominum Deum esse, qui ad portas inferorum ducat & reducat: & quidem posse eum qui perdidit seruare. Medæa apud Ouidium dicebat, Seruare potui, perdere an possim rogas? Equidem non videbatur possibile Iudæis vrbem Hierosolymorum subuerti posse. At subuertit eam Dominus, & quos voluit in Babylonem abduxit: impossibile item vidébatur illis ipsis eos reduci, & omnia restitui posse: sed restituit omnia Deus omnipotẽs. Accedit his aliud beneficium ingens, quòd prædicari Deus voluit inter Gentes, quòd non tantùm reducet & restituet populum suum Dominus, sed accuratissimam eius curam geret. Custodiet enim populum suum, inquit, sicut pastor gregem suum, cui cibum & potum salubrem & commodum suppeditat, quem item tuetur ne vel contagione & morbis, vel ferarum incursionibus pereat. Sed & verbis liberauit, redemit & asseruit, verbis præteriti temporis vsus est, loquẽs de re futura, ad significandam rei veritatem & certitudinem. Hæc redemptio ita erit certa & expedita, ac si iam sit perfecta. Potentiores fuere Iudæis Babylonij, sed robore superat omnes Deus omnipotens. Huic tutò omnes fidimus. Dominus est enim mortis, mũdi, diaboli & inferorum, peccati & omnis potestatis. Proinde si vult asserere nos, potest in qualibet huius sęculi difficultate & exipsis desperatis malis. Gentium quoq; vocatio his adumbratur ad gratiam Euangelij Christi. De qua re paulò post dicetur ex Hieronymo.

Gratitudo redemptorum.

Porrò quam gratiam liberati pro assertione & acceptis beneficijs, liberatori & benefico Domino relaturi sint, consequenter ostendit: vbi indicatur officiũ Christianorum, attexiturq; catalogus vberior beneficiorum, populo Dei à Domino conferendorum: pro quibus etiam gratias agunt pij, laudantes in omnibus liberalitatem Domini & gratiam immensam. Venient Izraelitę in montem vel in excelsum Zion, & iubilabunt vel laudabunt Dominum. Mons Zion fuit templo & cultui Dei consecratus, idem fuit & ecclesiæ Christi typus. Deum itaq; celebrarunt pij, & in loco sibi commonstrato à Deo, & in ecclesia sanctorum. Sequitur, Et fluent, id est magna copia conglomerabunt se ad bonitatem Domini, nimirum ad Dominum propter bonitatem eius & ad celebrandã bonitatem eius: vtpote ex qua is populo suo dedit frumentum, vinum, oleum, & alia quæ hic commemorantur. Addet his externis bonis & aliud longè præstantius, animum lætum & semper virentem. Nam dicit animum populi sui futurũ hortum irriguum, non marcescentem neq; æstu nimio torrefactum, sed semper florentem & fructiferum. Nihil prosunt opes quantumuis ingentes, nisi animus sit hilaris & bene compositus. Mœrentibus & perpetuis doloribus excarnificatis, quid voluptatis opes adferunt? Maximum ergo donum promittens, Animi eorum, inquit, semper virebunt, neq; vltra dolebunt. Id quod iuxta spiritum maximè completur. Donec enim in hoc sæculo viuimus, semper permulta perturbant gaudia nostra. Vetus interpres reddidit, Nec vltra esurient. Prętereat citat omnis generis hominũ ordines, virgines videlicet, iuuenes, senes & sacerdotes. Quibus omnibus pollicetur cum lætitia omnium rerum abundantiam. Nam locutio est, Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, pro eo quod est, rebus quibusq; præstantissimis saturabo sacerdotes, vt eorum animus nihil amplius optare possit. Discimus ergo rerum abundantiam suppeditari à Domino, vti & omnium rerum inopiam. His omnibus sanè nihil aliud pollicetur quàm omnium rerum copiam daturum suis ad saturitatem. Sub finem enim appendit, Et populus meus bonis his saturabitur.

Animus hilaris.

Sublimio-

Sublimiorem verò ſenſum reddemus iam verbis ſancti Hieronymi, dicentis, Et venient liberati & laudabunt liberatorem ſuum in monte Zion, hoc eſt, in eccleſia. Et confluent ad bona Domini, rerum omnium abundantiam, quæ non in frugibus & cibis carnis iſtius, ſed in virtutum varietate ſentitur. Super frumento, inquit, & vino, & oleo, de quo conficitur panis Domini, & ſanguis eius impletur: typus & benedictio ſanctificationis oſtenditur, dicente ſcriptura, Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et fœtu pecorum qui in eccleſia ſimplices ſunt: & armentorum quæ cornuta ſunt, & aduerſarios ventilant. Vt autem ſciamus, benedictiones has nequaquam ad corpus, ſed ad animam pertinere, ſequitur, Eritq; anima eorum quaſi hortus irriguus, ſiue qua ſi lignum fructiferum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, & paradiſus Domini in delitijs. Et vltra, ait, non eſurient: nequaquam ea eſurie, de qua ſcriptum eſt, Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: ſed ea quæ ſaturitate mutatur, & rerum omnium excludit penuriam. Tunc lætabitur virgo in choro, de qua ſcribit Apoſtolus, Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Et iuuenes ad quos loquitur Ioannes, Scribo vobis iuuenes, quoniam vicíſtis malignum. Et ſenes ad quos idem myſtico ſermone teſtatur, Scribo vobis patres, quoniam cognouiſtis eum qui ab initio eſt. Et cõuertam, inquit, luctum eorum in gaudium, vt quos terruerat crux, lætificet reſurrectio. Et conſolabor eos, & lætificabo à dolore ſuo, iuxta illud quod Dominus loquitur, Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur. Et inebriabo animum ſacerdotum, qui habent ſcientiam Dei: de quorum ore interrogant legem Domini, qui credunt in eum, ad quem propheta canit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchi zedek. Ebrietas autem ſacerdotum & in Apoſtolis comprobatur, quando ferue bant fide, & muſto pleni dicebantur. Vnde & locus in quo cõprehenſus eſt Dominus vocatur Gethſemani, quod in lingua noſtra vallem pinguedinis ſonat. Cumq; ſacerdotes pingues fuerint doctrina Domini, & inebriati in conuiuio Ioſeph, dixerint, Calix tuus inebrians quàm præclarus eſt: tunc erit & hoc quod nunc Dominus pollicetur, Et populus meus bonis adimplebitur meis. Quæ omnia nunc ex parte tribuuntur, tunc autem dabuntur in pleno, quando viderimus facie ad faciem, & corpus humilitatis noſtræ fuerit reſurrectionis gloria cõmutatum. Hæc omnia huc ex Hieronymi Commentarijs tranſtulimus.

Expoſitio horum ſecundum eccleſiam.

Rurſus alio orationis genere (nam mirè variatur figura huius orationis conſolatoriæ) liberationem ex omnibus malis promittit: quod beneficium vt ſplendidius eſſet, attingit etiam eiulatus matrum deplorantium ſuos liberos. Nam fingit eiulatum, planctum & amariſsimum fletum auditum eſſe in nubibus, Rahelem enim deploraſſe liberos ſuos, necq; vllam voluiſſe conſolationem admittere, propterea quòd non ſint amplius, Sas es mit jnen vß was. Vel enim trucidati erant, vel abducti in captiuitatem. Rahel autem mater fuit Ioſephi & Beniamin, auia Ephraim & Manaſſe: vnde vſurpatur Rahel per Antonomaſiam pro omnibus matribus decem tribuũ, cuius caput erat Ephraim, & tribus Beniamin, quæ erat coniuncta tribui Iuda. Significatur his omnibus inſignis calamitas populi Dei. Sequitur iam conſolatio, eaq; ex ore Domini. Nam diligenter & non ſine cauſa præfigit titulum, Sic ait Dominus. Prohibe vocem tuam à fletu, &c. Rationem mox ſubiungit, Quoniam eſt merces operi tuo. Id quod Lutherus vertit, Dann es iſt din arbeit nit vmb ſunſt. Locutio petita eſt è vulgo, & collationem quandam habet. Sicut enim merces datur fideliter ſeruienti aut laboranti aut patienti propter Dominum ſpontaneè: ita Deus certò rependit omnibus fideliter obedientibus ſiue laborando ſiue patiendo. Quid autem iſtis rependere velit, ſubiungit, Reuertentur de terra hoſtili. Et ſi qui modò viuunt,

Lugentes accipient conſolationem.

non tam diu autem victuri sunt, donec terminetur captiuitas, prorogandain annos septuaginta: attamen liberi ipsorum reducentur & attingent terminum suum. Qui fideliter Deo seruierint, adducuntur in gloriam regni cœlorum. Cæterùm de mercede bonorum operum disputaui aliâs copiosius: vnde petas licebit: sicuti & in Cõmentarijs ad Matthæum ostendi, quo sensu hæc Ieremiæ verba adduxerit Matthæus in euang. cap. 2. S. Hieronymus etiam hæc postrema infantibus ab Herode trucidatis applicans scribit, Melius ista intelligimus de paruulis, quòd mercedem habeant effusi sanguinis pro Christo: & pro terra Herodis inimici, teneant regna cœlorum, & reuersuri sint in sedem pristinã, quando pro corpore humilitatis, corpus receperint glorioſum. Ista est spes nouissima, quando iusti fulgebunt sicut Sol: & infantes paruuli atque lactentes absque ætatum incremento & iniurijs ac labore corporeo, resurgent in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi. Cui sit laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Infantes ab Herode occisi accipiunt mercedem.

Commemoratur pœnitentia captiuorum, & Dei clementia eos in gratiam recipientis, cum diligentiore adhortatione ad pœnitentiam.

CONCIO CII.

Audiui omnino Ephraim lamentantem, Castigasti me, & castigatus sum, sicut vitulus indomitus. Conuerte me & conuertar: quoniã tu es Dominus Deus meus. Protinus enim vt conuersus sum, pœnitui, & postquã eruditus sum, complosi (manus) super femur. Pudore sum affectus simulq; ignominia: etenim opprobrium adolescentiæ meæ fero. An non pretiosus est mihi filius Ephraim? an non filiolus delitiarum? Omnino enim adhuc memor eius sum, iam inde cum primùm loquerer cum eo: vnde & viscera mea commouentur super eum: omnino miserebor eius, dicit Dominus. Constitue tibi signa, ponito palmulas, aduerte cor tuum ad semitam eius viæ per quam ambulasti, reuertere virgo Israel, reuertere ad ciuitates istas tuas. Quousq; te subducis ô filia vaga? Quoniã creauit Dominus rem nouam in terra, fœmina circundabit vel amplectetur virum.

CRebræ personarum mutationes, velut in opere drammatico, reddunt hanc orationem difficillimam. Proinde nisi obseruemus iam loqui Deum, mox populum, rursusq; excipere Deum populum loquentem, ignorabis quid dicatur. Ac in præsentiarum inducitur ipse Dominus, qui eiulatum & lamentationem populi sui se audiuisse testatur. Dicit enim Dominus, Audiendo audiui, id est omninò & certissimè verissimeq; audiui lamentantem & eiulantem in captiuitate & præsentibus afflictionibus Ephraim. Diximus autem modò, prophetam intelligere per Ephraim & Ephraimitas vniuersum Israelis populum. Docet autem hac orationis figura Dominus, & veluti per exemplum Israelitarum, omnes homines quid faciant in suis afflictionibus quas sustinent propter sua peccata, & quomodo se gerant coràm Domino, vt tandem consequantur gratiam. Est autem hoc Dei & prophetæ consilium saluberrimum & obseruatu dignissimum. Proinde quid Israelitæ in captiuitate fecerint, ostendit, vt videamus quid nos agamus in afflictionibus nostris communibus & priuatis. Lugent Israelitæ & pœnitentiam agunt. Id ipsum faciamus & nos. Deus autem lugentium misertus, clementissimè ipsos recipit in gratiam, & amplissimè eis liberationem & restitutionem certam (necubi à scopo aberret) promittit.

Quid faciant homines in afflictionibus suis.

Idipsum

Idipsum expectemus etiam nos à Domino. Tandem diligentius ad pœnitentiam & veram Deo fidem præstandam adhortatur. Sed præstat sigillatim ista tractare.

In primis videtur illud esse memorabile & obseruatu necessarium, quod Dominus testatur se audire hominum lamentationes & querelas. Sæpe in luctu cogitat homo, Deum nescire suas ærumnas suosq; dolores, neq; videre neq; curare hominum miserias. Contra hanc tentationem confirmat nos in vera fide Dominus, qui hic dicit, Audiui, & quidem certissimè & verissimè (nam nota est iam nobis Hebraica illa Anadiplosis, Audiendo audiui) lamentantẽ Ephraim. Nam Psal. 56. Dauid quoq; dicit, Fugas vel migrationes meas numerasti vel numeratas tenes, repone vel repones lachrymas meas in vtere tuo (alij, in conspectu tuo legunt) nunquid non in numero vel in libro aut rationario tuo sunt? Certissimum est itaq; numeratas habere Deum omnes suorum lachrymas, tantũ abest vt ignoret lamentationes nostras. Proferet autem ille ipsas suo tempore, & iudicabit eos, quorum iniquitate lachrymæ excussæ sunt. Nam & in lege sua Exodi 22. ait Dominus, Nullam viduam aut pupillum affligetis: si verò afflixeritis eos, certò clamabunt ad me: & ego certissimè audiam eos, & excãdescet ira mea contra vos, &c. *Deus audit querelas hominũ, & omnia hominum videt.*

Cæterùm sicuti Israelitæ luxerunt & grauiter doluerunt, nimirum propter peccata commissa contra Dominum, non tantum propter afflictiones quas sufferebant propter peccata: ita oportet etiam nos dolere seriò propter peccata cõmissa contra Dominum, imò etiam agnoscere, quòd ea quæ sustinemus, iusto, Dei iudicio sustineamus, grauioribus digni supplicijs. Sequuntur ergo verba populi captiui deplorantis sortem suam miseram, & confitentis sua peccata, propter quæ meritò suo maximo castigationẽ Domini ferat. Castigasti me, inquit, & castigatus sum, sicuti vitulus indomitus. Alij legunt, non assuefactus nimirum iugo. Alij, non instructus. In ista parabola verò est confessio peccati. Comparat enim se populus Dei vitulo in amœnis pratis lasciuienti, & non curanti pastorum monita. Nam acceperat hic populus terram lacte & melle manãtem. Dati erant ei pastores, principes & prophetæ fideles. Sed abutebantur Dei beneficijs, nec parebant pijs monitis antistitum atq; procerum. Sequebantur autem in omnibus prauos vel corruptos suos affectus, erantq; lasciuia petulãtiaq; simi les vitulis. In nostra lingua quoq; solemus homines insolentes & insipientes, iuueniles q; ac stolidos affectus sectantes, appellare vitulos, vnzämpte Mertzen kalber. Libenter verò scriptura fœditatem peccatorum taxat per exempla bestiarum. Si ergo fœdum esse existimas porcorum & canum mentionem absq; præfatione veniæ, multò magis agnoscito longè fœdissimum esse, si homo canes & porcos vincat fœditate & impudentia. Irascuntur multi concionatoribus, quòd illi homines nõnunquam nuncupent vitulos, equos, canes & porcos, cum multò magis & prudentius irascerentur suis sceleribus, & sibi ipsis, qui parũ aut nihil differunt à bestijs, deformantes imaginem Dei, ad quam sunt conditi, & de ijcientes se infra bestiarum sortem. Cur illi ipsi non irascuntur Deo per scripturas loquenti & dicenti, Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Dominus in Euangelio vetat margaritas porcis, sanctum verò canibus proijcere. Sed & beatus Petrus fœdissima parabola producta in medium, quàm turpiter agant qui post acceptam doctrinam sanctimoniæ, rursus & impudenter se in omnibus fœditatibus volutant, subindicare volens, Accidit illis, inquit, quod fertur prouerbio, Canis reuersus ad proprium suum vomitum: & sus lota reuersa ad volutabrum cœni. Alia huius generis multa proferre possem, sed ex his, quæ adduximus, intelligis diserte confitenda esse Deo commissa scelera, & *Dolendum propter peccata & confitenda peccata.* *Vituli Canes & porci.*

nihil in his extenuandum, nihil dissimulandum. Nam hi conferunt se vitulo, & fatentur castigatos se sua culpa & suo merito. Ita confiteamur & nos peccata nostra Deo, & confiteamur simul iustum esse eius contra nos iudicium.

Orandus Dominus vt nos conuertat.

Confessioni iam subiungunt preces ad Dominum, Conuerte me, & conuertar: quoniam tu es Dominus Deus meus. Confiteri peccata seriò & pœnitere, non est opus humanarum virium, sed Dei donum. Conuersi ergo ad Deum orant, vt ipse eos conuertat, id est spiritum suum conferat, per quem immutati in animis & noui facti homines, agnoscant peccata & corruptionem hominis natiuam, doleant de his, confiteantur ipsa Deo & veniam consequantur, deniq; à peccatis & peccandi assuetudine abstracti, sanctam post hac vitam viuant. Hæc enim omnia comprehenduntur in Conuersione vera. Sunt autem illa omnia petenda à Domino Deo, qui solus peccata condonat, solus inspicit, regit & mutat, cognitaq; habet corda hominum. Ab alio quàm solo Deo hęc petere, grande scelus est, & stultitia maxima. Hæc autem nihil relinquũt vel præparatoriis nostris operibus, quibus mereamur gratiam Dei, vel viribus liberi arbitrij, quasi ex nostris viribus possimus peccata nostra agnoscere, ea confiteri, de his dolere, aut, vt vno verbo dicam, quasi est nobis possimus conuerti ad Dominum. Ergo omnis nostra idoneitas est ex Deo. 2. Cor. 3. Sunt & alia multa testimonia, quæ testantur, bonę cogitationis aut voluntatis nostrę motum omnem, initiũ, medium & finem conuersionis nostrę, ex Deo esse, non ex nobis, ne quis in semetipso glorietur, sed omnis gloria detur Domino Deo nostro.

Efficax vera pœnitentia.

Consequenter exponit quàm efficax sit ea pœnitentia, quæ liberali dono à Domino inspiratur. Protinus inquit, Atque conuersus sum, pœnituit me malorum. Ergo nisi conuertamur à Domino, syncerè pœnitere non possumus. Efficax est autem diuina conuersio, vt quæ certò inducat in animum iustum Dolorem veramq; pœnitentiam. Et quod modò dixit rursus alio orationis genere effert, Et postquam cognitus vel eruditus aut doctus sum (alij legunt, vbi mihi innotui: alij, vbi ostensum est mihi, Germanicè, **als ich gewitzget/vnnd bericht/oder kõnend gemacht worden bin**) percussi femur meũ. Quod antea dixit, Protinus vt conuersus sum, iam effert, Protinus vt cognitus vel doctus sum: nimirum per spiritum tuum edoctus & instructus in animo & commotus. Sicut autem prius dixit, Pœnituit: ita nunc dicit, percussi femur, vel complosi aut illisi manum in femur meum. Est autem hic gestus dolentium, & significat se protinus indoluisse propter peccatum, & quidem grauiter. Qui enim vellunt comam, manus complodunt, & femori illidunt, grauiter mœrent. Sequitur ergo ex illuminatione spiritus diuini, non hypocritica, sed vera & syncerissima pœnitentia. Quam & consequentibus verbis adhuc plenius aut copiosius pingit aut exponit, Pudore sum affectus simul & ignominia. Etenim meæ adolescentiæ opprobrium porto. Agnoscunt enim sancti, se ex peccatis suis nihil aliud habere quàm dedecus & ignominiam. Verissimè enim dixit Apostolus, Quem verò fructum habebatis tum in his, de quibus iam erubescitis? Quoniam verò ab adolescẽtia, id est à primis initijs, populus Israel rebellis fuit & sceleribus immersus, Deusq; tandem nocentem reperit, meritò fatetur Israel se portare opprobriũ adolescentiæ, nimirum supplicium commeritum ab adolescentia. Hæc expendamus diligenter omnes, & applicemus singuli nobis ipsis, in hoc vt veram agamus pœnitentiam: quæ sanè requiritur ab illis, qui liberari debent à malo, & veram in animis accipere consolationem.

Deus benignus clementer recipit pœnitentẽ.

Porrò inducitur iam Deus ploranti suo filio Ephraim, id est populo suo, in primis Israelitico, deinde singulis omnium temporum afflictis respondens, An non Ephraim est ille meus pretiosus filius, & filius quidem delitiarum, nimirum

quem

quem in delitijs habeo: ist er nit min koſtbarlicher / vnd lieber ſun / an dem ich min fröud vnd luſt hab? Ecce teſtatur Dominus, pœnitentes lugentésque ſibi chariſſimos & ſelectiſſimos eſſe filios. Quare quid amplius dulcius & conſolatione plenius dici poſſit non video. Exponitur autem hic locus ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto in Euangelio Lucæ 15. per parabolam patris benigniſſimè recipiẽtis filiũ ſuum perditũ. Nemo ergo deſperet in peccatis. Si enim pœniteat te peccatorum, Deus apertè fatetur te eſſe dilectum atq; vnicè dilectum ſuum filium. Ergo non eſt difficilis Deus in recipiendis peccatoribus neque multos & prolixos ſatisfactionis annos his præſcribit, ſed mox atq; pœnitentiam agunt, benigniſſimè eos ſibi coniungit. Nam & conſequentibus copioſius exponit paratam et amplam ſuam in pœnitentes beneuolentiam ſiue gratiam. Non, inquit, ſum eius oblitus, tametſi viſus ſim hactenus obliuione eum neglexiſſe. Quinimo vt recens mihi fuit eius memoria, cum primùm Iſraelem reciperem, & ei omnia bona pollicerer: ita nunc & adhuc memor ſum eius in bonum, neque meæ promiſſionis, fidei & veritatis obliuiſci poſſum. Id quod adhuc ſignificantius effert & ait, Vnde ex ipſis meis viſceribus ſuper ipſum commoueor, & certiſſimè & abundantiſſimè eius miſerebor. Quæ quidem ſunt vehementiſſima verba, omnibus nobis miſericordiam Dei promittentia: quæ quò plus authoritatis haberẽt, ſub finem ſubiuncta habent hæc verba, Dicit Dominus. Non eſt autem vt tantillum dubitemus de his, quæ nobis ab ipſo Domino Deo noſtro dicuntur. Quis autem neget iſta conſolatione pleniſſima & verè euangelica eſſe verba, promittentia nobis, Deum nobis miſeris peccatoribus clementiſſimum & miſericordiſſimum futurum.

Liberatio ex captiuitate iterum promittitur.

Quid quod adhuc plenius & planius promittit Deus ſe liberaturum captiuos, & nos quoque à malis, reducturum verò in patriam, & nos quidem in patriam illam cœleſtem & æternam? Nam de vtraque illa exponi debent. Figurat autem orationem alluſione facta ad itinera facientes. Si enim difficile & impexum ſit iter, vt periculum ſit aberraturum te inreditu à iuſto tramite, nectis ex arbuſtis & palmulis prominentibus nodos, congeris ad viam lapides in aceruum, vt illa tibi ſint ſignorum vice, illac recta iri via. Iubet ergo nunc Dominus Iſraelem ingredientem in captiuitatem Babylonicam, huiuſmodi ſigna ponere. Et addit, Et ponito cor tuum ad ſemitam viæ, per quam modò ambulas: id eſt, omni diligentia eam viam obſerua, per quam modò ingrederis, vt aliquot exactis annis per eandem regrediaris. Quo nihil aliud ſignificatur, quàm omnino liberandos fore ex captiuitate, & redituros domum. Imò vt omnia eſſent viuidiora & certiora, cũ dicere debuiſſet, Reuerteris virgo Iſrael: maluit dicere per imperatiuum, Reuertere virgo Iſrael. Oportuit enim dubitantes huiuſmodi locutionibus confirmari. Et his quidem omnibus iubemur in tentationibus confirmare fidem noſtram, necubi à ſpe noſtra recidamus. Certiſſima eſt ſalus noſtra.

Hortatur ad fidem & pœnitentiam.

Cum verò pœnitentia & vera fides, qua cum Deo arctiſſimè cõiungimur, in primis ſit neceſſaria, modò aliquid bonorum Dei velimus aſſequi, diligentius porrò adhortatur omnes ad pœnitentiam & fidem Deo præſtandam. Reuocat autem in memoriam quales aliquando fuerint, & quales modò eſſe debeant, aut qualis Dei populus ſit futurus. Orationis genus petit à connubio: fingit ergo Deum maritum, populum Iſraelis vxorem, ſed hãc parum pudicam & probam, ſed quæ marito Deſerto circumcurſitet atq; vagetur poſt ſcortatores & amaſios ſuos. Nã populus Iſraelis fœdus non ſeruauit, quod cum ipſo inierat Deus. Non enim contentus Deo, ipſum ſolum adorauit, inuocauit & coluit: ſed ſimul cum Deo, & aliquoties pro Deo, alienos Deos ſectatus eſt. Iam ergo à veteri inſtituto

deterrens, & grauiter increpans, Cum Deus clemens & propitius obliuiſci velit veterum iniuriarum, quare obſecro ſubducis te? cur refugis? Concede ad Dominum, & huic ſoli adhæreto per veram fidem. Cur autem huc vocet & ita eos hortetur, ſequentibus explicat, Quoniam creabit Dominus rem nouam, nempe quòd mulier virum amplexabitur. Prophetia ac promiſſio eſt, fore vt per miſericordiam Dei populus vxor Dei, marito ſuo Deo iterum reconcilietur. Senſus ergo eſt, Quandoquidem Deus erga te benignus eſt, & vult vt ei reconcilieris, age accedito per fidem ad eum. Noua hic erunt omnia. Nam veterum obliuiſcetur Deus, ceu nouum connubium & nouas tabulas parabit: non recordabitur veterum. Id quod eſt immenſæ bonitatis opus. Et hæc quidem completa ſunt vt cunque à ſoluta captiuitate Babylonica, pleniſſimè autem temporibus Chriſti, quãdo gentes & Iudæi Chriſtum ſponſum ſuum vera fide amplexi ſunt. Id quod res fuit planè noua, à Deo per magnam potentiam & bonitatem parata atq; perfecta. Vnde & creaſſe rem illam Deus dicitur. Singulare in his & illud eſt, quòd viri ſolent ambire connubia mulierum: hic mulier ambire perget virum. Quoſignificatur vehemens Dei gratia permouentis animos populi ſui, ruentis quodammodo in Chriſtum. Cumq; eandem hodie quoq; habeamus promiſſionem, fore vt Deus nobis animum det, qui ipſum amplectatur ſponſum noſtrum, ſtimulus hic eſſe debet deſerendi omnia alia ſalutis media, & omnes Deos alienos, adhærendi autem Chriſto per veram fidem & pœnitentiam. Quod vt nobis obueniat, ſedulò orandus eſt Dominus. Lutherus hunc locum aliter vertit quàm quiſquam interpretum. Sic enim conuertit, Dann der Herr wirdt ein nüws im land erſchaffen/daß die ſich vorhin wie weyber geſtellt habend/ſöllēd menner ſyn. Quaſi Deus promittat ſuis robur & vires per ſpiritum ſanctum. S. Hieron. exponit de incarnatione Chriſti Domini. Verba eius ſi quis requirat, hæc ſunt. Reuertere virgo Iſrael, reuertere ad ciuitates tuas, quas captiuus deſeruiſti. Vſquequò negligentia diſſolueris, & profundo errore vagaberis? Reſpice quid dicturus ſum, & vnde tibi tanta beatitudo expectanda ſit, diligenter attende. Audi quod nũquam ante cognoueras. Nouam rem creauit Dominus ſuper terram. Abſq; viri ſemine, abſq; vllo coitu atq; conceptu fœmina circundabit virum gremio vteri ſui: qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur ſapientia & ætate, ſed perfectus vir in ventre fœmineo ſolitis menſibus continebitur. Et paulò poſt, iterum, Simulq; & hoc notandum, inquit, quòd natiuitas ſaluatoris & conceptus Dei creatio nuncupetur. Hęc ille. Vtrunq; ſenſum coniunxit in ſuis annotationibus noſter Zuinglius. Domino Deo noſtro ſit gloria in æternum. Amen.

Fœmina circũdabit virum.

Incarnatio Chriſti creatura.

Amplius promittit liberationem ex captiuitate, & reſtitutionem, &c.

CONCIO CIII.

Sic dicit Dominus exercituum Deus Iſraelis, Adhuc dicent verbum iſtud in terra Iuda atq; in ciuitatibus eius, cum reduxero captiuitatem eorum, Benedicat tibi Dominus habitatio iuſtitiæ mons ſanctitatis. Et habitabunt in ea, Iuda & omnes ciuitates eius pariter, agricolæ & qui proficiſcuntur cum grege. Quoniam inebriaui animam laſſam, & omnem animam mœſtam expleui. Idcirco euigilaui & & vidi, & ſomnus meus dulciſſimus mihi fuit. Ecce dies venient dicit Dominus, & ſeminabo domum Iſraelis & domum Iuda ſemine hominum & ſemine iumentorum: futurumq; eſt, vt quemadmodum vigilaram ſu-

per eos

per eos vt euellerem, destruerem & euerterem, perderem atq; confringerem, sic vigilabo super eos vt ædificem & plantem, dicit Dominus. In diebus illis non dicent vltra, Patres comederunt vuam immaturam, & dentes filiorum obstupuerunt: sed vnusquisq; in iniquitate sua morietur: & quicũq; comederit vuam acerbam, illius dentes obstupescent.

PErgit copiosissima expositione vaticinari de liberatione certa amplissimaq; restitutione populi Dei, vt & his cõsoletur captiuos, & sanctis Dei mysteria Christi & sponsæ eius exponat. Iterum autem, more suo, horum omnium authorem facit Deum, & Deum quidem Israelis, Dominum Zaboth. Sunt autem ista sicuti & superiora exponenda, partim de Israelitis sub Cyro & Dario redeuntibus ex Babylone Hierosolymam, partim verò de Ecclesia Christi vel hominibus Christianis. In priori sanè discimus Deum authorem esse omnium beneficiorum corporalium, ac benefacere ipsum etiam afflictis, neq; perpetuò retinere iram. Ergo vtcunq; te afflixerit propter peccata, misereri tamẽ tui iterum volet, & adoperire gratijs. Nemo itaque desperet in quantùmuis grauibus tentationibus. In posteriori verò videmus prophetas Dei sanctos omnia mysteria Christi ac regni Dei nobis, vt & veteribus annunciasse: quæ postea reddiderunt clarius sanctissimi apostoli Christi. Vnde colligimus veteres, quotquot seruati sunt, per Christum vel per fidẽ Christi seruatos esse, turpissimũq; esse, si nos (quibus Christus præstitus est, sicuti illis duntaxat promissus erat) vel alium quæsierimus saluatorem, vel illi nos non totos firma fide crediderimus.

Iterum differit de restitutione

Ab initio manifestè dicit captiuos reducendos esse, & tunc quidem tantam in politia & re ecclesiastica felicitatem futuram, vt homines gratulaturi sint felicitati ei, ac dicturi, Benedicat tibi Dominus, &c. Nunc quidẽ periit omnis laus, celebratio & gratulatio, lamentationibus, planctibus & threnis omnia lugent & gemunt: at redibit aliquando melior sors, vt passim in vrbibus Iuda, adeóque tota terra, iterum celebraturi sint Dei benedictionem. Olim etiam floruit iustitia & sanctitas vera in Hierusalem, & in vniuersa terra Israelis: sed sicut commemorat in 1. cap. Isaias, sanctitas conuersa erat in immunditiam & prophanationem, iustitia in iniquitatem & violentiam. Ideò puniuit peccata populi sui Dominus captiuitate: nunc meliora à captiuitate promittit. Quid iustitia sit & sanctitas, quæ in primis requiruntur à regno sancto & repub. felici, dixi aliàs. Quid si referas iustitiam ad politiam, vel forum, & sanctitatem ad religionem vel templum? Omnia enim quæ in templo peragebantur, ad sanctificationem pertinebant, quæ confertur per fidem Christi, cuius sacramenta celebrabantur in templo. Gratulandum autem esse felicibus hic videmus, & orandum Dominum, vt felicitatem augeat & stabilem faciat. A solo enim Domino Deo nostro sunt vera iustitia & sanctitas, cum omnes homines sua natura sint iniusti & impuri.

Redibit felicitas.

Addit autem omnis generis & ordinis homines iterũ habitaturos ibi, quos distribuit in ciues ac opifices, in agricolas qui rus colunt, agros inquam & vineta, & qui sequuntur gregem, id est pastoritiam exercent, ac ex grege vel armentis viuunt pastores. Quibus significare videtur restituendum fore in integrum populum, habiturúmque omnia quæ pertinent ad perfectam rempub. Sunt qui hæc verba, Et habitabunt in ea, referant ad Hierusalem: cum autem impossibile sit ciues, agricolas & pastores habitare in vrbe non admodùm spacioſa, colligunt hæc interpretanda esse de ecclesia. De qua re videre licet Dominũ Ioannem Oecolampadium. Referri tamen poterant illa, Et habitabunt in ea ad terram Iuda.

Omnis generis & ordinis homines habitabunt iterum in Hierusalem.

Iam etiam causam reddit cur benedicturi sint homines Zioni, Quoniam ine-

Dominus inebriat animã siticulosam.

briaui animam lassam, & omnẽ animam mœstam expleui. Grauiter afflicti & de lassati sunt in Babylone: cæterùm absterſi omnem molestiam ipsorum & rependi gaudia: præterea ipsorum desideria expleui, iucundissima omnium bonorum satietate. Omnis itaq; hominum felicitas non est ab authore alio, quàm ab vnico Deo, qui ex mera sua gratia benefacit hominibus. De Inebriandi vocabulo & eius significatione dixi superius. Subiungit propheta, Ideirco euigilaui, & vidi, & somnus dulcissimus fuit mihi. Loquitur propheta in persona populi, qui in captiuitate sibi visus est versari in grauissimo somno, liberatus verò & reductus in patriam, veluti expergefactus. Vidit iam præsentem statum suum felicissimum, dulcisque fuit memoria captiuitatis è qua fuerat eluctatus. Dulcedinem enim quandam habet malorum commemoratio, quando superatis his, in felicitate illorum reminiscimur.

Exposita hæc de ecclesia Christi.

Ista autem omnia accommodari debent Ecclesiæ Christi, cui typum prætulit Zion & vrbs Hierusalem. Liberata illa ex captiuitate peccati, mortis, inferorum & diaboli, colit iustitiam & sanctitatis veræ particeps est: sicuti & Zacharias dicit in cantico suo Lucæ 1. cap. Iustitiam & sanctitatem (quorum & apostolus meminit Ephes. 4.) gratulantur ecclesiæ omnes pij, & Deo quoque benedicunt vel gratias agunt, quòd charismatib. omnigenis benedicit ecclesiæ suæ. Et quidem ecclesia propriè est habitatio iustitiæ & sanctitatis mons. Extra ecclesiam Christi nulla est vel iustitia vel sanctitas. In ecclesia sunt omnis generis & ordinis homines, ciues, agricolæ, pastores. Fides enim Christi hæc non reijcit & & damnat, quæ ad vitæ humanæ necessitatem pertinent: luxum & iniquitatem damnat. Siue ergo ciuis aut opifex, siue rusticus sis, non excludit te hæc tua professio ex ecclestia Christi & regno Dei. Nã in Christo vt non est Iudæus aut Græcus, vir aut fœmina, ita neque opifex aut agricola. Denique concordes isti omnes ecclesiam inhabitant, dilectione syncera se mutuùm prosequentes. Lassi porrò & mœsti in ecclesia multi sunt: sed recreat & consolatur, omnibúsque bonis adimplet hos Christus Dominus, sicuti docuit ipsemet in euangelio secundum Ioan. cap. 4. 6. & 7. Ac iucundum est fidelibus gratia sancti spiritus adimpletis afflictionum malorumq; meminisse, ex quibus singulari Dei gratia liberati sunt. Breuibus hæc perstringo. Copiosiora enim in his inueniunt atque inspiciunt vt cunq; in sacris exercitati.

Multiplicat Deus populum suum.

Consequenter pollicetur sese multiplicaturum & homines & iumenta atque greges. Id quod exponit idiomate Hebræis peculiari, Seminabo domum Israelis semine hominum & iumentorum: id est, efficiam vt & homines & iumenta felicissimè prolem propagent, omniaq; sint fœcundissima, nulla vspiam sterilitas, quæ inter maledictiones numeratur, appareat. Subiungit Dominus, se contrario studio inuigilaturum ipsorum multiplicationi & copiæ. Antea enim, sicuti primo capite audiuimus, id quod huc vsque etiam semel & iterum repetitum est, inuigilauit Deus istorum exitio: quod hic pluribus verbis & allusionibus exponit. Constat itaq; cum excidia regnorum tum ortus ac felices euentus ab authore Deo proficisci, & ad hunc solum referenda esse etiam singulorum hominum fortunia & infortunia. Si verò Deus velit plantare regnum aliquod, aut diruere, nulla erit in mundo potentia quæ obstare poterit. Cæterùm multiplicationem fidelium in ecclesia promittit Dominus non modò hic, sed & apud Isaiam in capite 49. & 51.

Corrigit Deus iudicia populi sui.

Promittit præterea populum suum à liberatione longe detersioribus iudicijs de operibus Dei iudicaturum. Nunc malè iudicabant de Deo & eius operibus. Dicterium enim composuerant amarissimum, Patres edisse vuam immaturam ac ideo acerbam, sed non horum, sed filiorum potius dentes obstupuisse

(nos ap-

(nos appellamus erggen vnd langen) peccauisse nimirum patres idololatria & fœderibus cum alienigenis principibus coniunctis, ijsq; rebus occasiones dedisse bellis & calamitatibus, quibus modò absumantur filij. Quasi verò Deus iniustus non punierit peccata in parentibus, quæ iam in liberis nihil tale meritis grauibus persequatur supplicijs. De hoc prouerbio copiosius scribit Ezech. in 18. cap. Atque vtinam non cogeremur etiam hodie non disparia ab illis audire, quos inspirat sathanas, antiquum illud virus suum instillans impiorum animis. Patres sanè nō impunè peccauerunt, quod tota testatur historia sacra. Cum verò filij essent paternarum idololatriarum & omnium impietatum veri hæredes, quid peccauit Deus aut quo nomine est accusandus, si puniat in liberis paternas impietates: maximè cum hoc se facturum prædixerit in lege Exodi 20? Cæterùm populus noui testamenti & ipse à Spiritu sancto illuminatus optimè iudicat de Dei iudicijs & operibus, vnumquenque puniri & perire propter suam ipsius iniquitatem. Nam disertè dicit in Euangelio Dominus, Qui credit, habet vitam æternam: qui non credit, iam iudicatus est, Ioan. 3. cap. Dominus concedat nobis spiritum discretionis.

Iterum disserit de restitutione populi Dei, & de gratia Christi ac fœdere nouo cum nouo populo Dei.

CONCIO CIIII.

Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel & cum domo Iuda fœdus nouum, non iuxta fœdus quod pepigi cum patribus eorum, tempore quo prehensa manu eorum, eduxi eos de terra Ægypti: quod fœdus meum ipsi irritum fecerunt, & ego dominatus sum eis, dicit Dominus. Hoc verò fœdus est quod feriam cum domo Israelis post dies istos, ait Dominus, inseram legem meam in interiora ipsorum, & in cor eorum scribam eam, eroq; Deus eorum, ipsiq; erunt mihi populus. Et non docebit vltra quis proximum suum, aut vir fratrem suum, dicens, Cognoscite Dominum: sed omnes me cognoscent à minimo eorum vsque ad maximum eorum, dicit Dominus. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.

SVmma consolationis qua Ieremias captiuos consolatur, hæc est, Reducet vos ex captiuitate Dominus Deus vester, restituet vos in integrū, exhibebit item Christum & omnia cum ipso charismata, fœlicitatem, benedictionem & omne bonum. Peculiariter autem vaticinatur de gratia Christi verbis iam recitatis. Confert Legem & Euangelium, & huius præstantiam commendat ac celebrat: disserit & de legis abrogatione, & vtroque veteri ac nouo Testamento, præcipuè tamen de hoc. Locus est memorabilis & maximi fructus, dignus qui obseruetur. Exposuit eum ante nos apostolus Paulus, & applicauit Christi temporibus in epistola ad Hebræos, cap. 8. *Argumentum huius loci.*

Dicit autem se cum populo suo initurum aut percussurū fœdus, & quidem nouum, & quare vetus abroget, & quale nam nouum sit futurum exponit: qui quidem huius loci scopus est ac argumentū. Et quia de fœdere sermo est, dicendum est nōnihil de ipso. Fœdus initur aut percutitur inter duos vel plures. Conueniunt isti inter se de rebus necessarijs, ac pollicentur, & mutuā fidem stipulantur, atq; in hunc finem capita rerū vel articulos constituunt, quos in membranā conscribunt, deinde vel iureiurando vel alijs cæremonijs confirmant aut roborant. Hunc verò morem hominum Deus imitans, iniit fœdus cum sanctis pa- *De fœdere.*

Deus init fœdus cum hominibus.

tribus, Adamo, Noe, Abrahamo, Moſe, & quidem conditionibus certis, quas confirmauit poſtea cruore: ſicuti aliàs expoſitum eſt copioſiſſimè. Certè Exodi 20. & 24. cap. recitantur fœderis Dei initi cum hominibus Iſraelitis, conditiones vel capita, mox ſcribuntur illa in lapideas tabulas, & confirmatur hoc fœdus ſanguine ſacrificiorum fuſo.

Vetus Teſtamentum.

Et quidem fuit hoc vetus teſtamentum ſeu fœdus quod Dominus cum Iſraele percuſſit in monte Sina. Obſeruandum autem, in fœdere eſſe quædam ſubſtantialia, vt vocant, & quædam acceſſoria vel accidentalia. Subſtantialia comprehenduntur in duabis tabulis per decem præcepta: accidentalia ſunt tabernaculum cum omnibus ſuis inſtrumentis, ſacerdotium cum ſacrificijs, votis, feriſs & reliquis huius generis cæremonijs. Acceſſerunt illa ſubſtantialibus non alio conſilio, quàm confirmandis illis, & nequis ſuo arbitrio cultum quem Deo exhibeat excogitaret, atque ita à ſubſtantialibus aberraret. Potiſſimùm verò intelligimus cæremonias cum de veteri fœdere loquimur: de quo & Ieremias in præſenti loquitur. Hoc enim cum patribus percuſſum eſt, cum Deus apprehenſa manu populi, eduxit ipſum ex terra Ægypti. Apprehendunt manum & ducunt pueros vel liberos ſuos ipſi parentes, fidem & diligentiam eximiam eis ſic præſtantes. Ducimus item prehenſa manu eos, qui nobis ſunt familiariores & chariores. Idcirco ſignificat hac locutione Dominus ſe eduxiſſe populum ſumma cum fide & diligentia, & amore ſelectiſsimo hunc fuiſſe proſequutum, & defendiſſe ab omnibus malis quàm accuratiſsimè. Id quod & hiſtoria ſacra manifeſtè & certò multis comprobat beneficijs Iſraeli à Deo exhibitis. Vetus ergo Teſtamentum eſt lex ipſa cum vniuerſo cultu Leuitico. Libri quoq; hac de re ſcripti, quomodo videlicet legem Deus tulerit, patres elegerit, populum ab iſtis prognatum duxerit & reduxerit, ac quomodo erga ipſum ſe geſſerit, & viciſsim qualem ſe populus erga Deum geſſerit, ex hac re appellantur rectè vetus Teſtamentum vel fœdus antiquum.

Apprehendit manum ipſorũ.

Fœderis veteris abrogatio.

Cur autem legem hanc veterem & fœdus antiquum mutarit vel abrogarit Deus, multæ adferuntur cauſæ: de quibus alibi eſt diſputatum. In præſenti dicit, Ipſi fœdus meum irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eis. Id quod alij legunt, Et ego maritus eorum eram. Paulus, Septuaginta interpretes ſecutus, vertit, Et ego deſerui eos. Lutherus vertit, Vnd ich hab jy zwingen müſſen. Senſus, quantum ego videre poſſum, recidit in idem. Quoniam illi violarunt fœdus, ideo ego coactus ſum dominari eis, & mea contra illos authoritate imò ſeueritate vti, in puniendo. Deſerere verò vel deſertio Dei poſt ſe trahit animaduerſionem & tormenta. Animaduertit autem Dominus in fœdifragos gladio, fame, peſte alijſq; calamitatibus & captiuitate. Ita verò violarunt fœdus initum cum Domino. Ieroboam abſtraxit decem tribus à templo, extructis templis nefarijs, & cultu Dei proculcato. Achab induxit in Iſraelem & phana & idola Baalis. Breuiter & Iſrael & Iuda ita ſeſe geſſerunt, vt Dominus illos tranſtulerit in Aſſyriam, hos in Babyloniam. Et quoniam in hoc fœdere non perſtiterunt, eam ob rem ſtatuit Deus mutare vel abrogare fœdus, id eſt, manentibus ſubſtantialibus abolere cæremonias, ipſum inquam tabernaculum cum omnibus inſtrumentis ſanctis, cum Leuitico ſacrificio & ſacerdotio, &c. Non aliter exponit hunc locum Apoſtolus, de abrogatione legis, ad Hebr. cap. 8. De abrogatione legis dictum eſt aliâs.

De nouo fœdere vel Teſtamento.

Conſequẽter differit de nouo Teſtamento vel fœdere, exponens quale nam illud ſit, componens item hoc cum veteri, & oſtendens noui præſtantiã. Explicabo ea per partes. Principiò dicit quãdo velit inire aut percutere aut pangere hoc nouum fœdus, Poſt dies iſtos. Non nunc, inquit, pangam, ſed poſt tempus cer-

pus certum: quod ad amussim supputat propheta Daniel in cap.9. Deinde cum quibus inire velit explicat, Cum domo Israelis. Cæterùm Apostolus ad Rom. 2.&9.cap.ostendit, spiritualem quoque non tantùm carnalem esse Israelem, nimirum omnes credentes, qui & ipsi sunt semen Abrahami, Galat.2. & Rom.4. Et fœdus quidem hoc nouum nũcupatur, ex oppositione veteris, & quod nouo omnino modo institutum est, & cum nouo populo ex gentibus collecto percussum. Non enim simile est veteri. Nam dicit, Feriam cum domo Israel fœdus nouum, non iuxta fœdus, quod pepigi cum patribus eorum. Etenim hoc nouum neq; templum habet, neq; vasa aut instrumenta templi sancta, neq; sacerdotium Leuiticum, neq; sacrificia corporalia, neq; scribitur in tabulas lapideas, neq; dedicatur aut confirmatur sanguine bubulo aut hircino. Cessant ista hic omnia: meritò ergo nouum dicitur, quia nouo modo dedicatum & institutum. Videãt ergo quid pro se respondeant, qui totum Leuiticum propè sacerdotium induxerunt in ecclesiam Christi: vt iam non dicam illos in ecclesiam posuisse idola cum aris. Ista verò omnia ignorat ecclesia Christi. Grauissimè ergo peccant, qui tam impudenter contra noui testamenti institutum agunt & fœdus nouum Dei prophanant atq; proculcant.

Nouum fœdus permultum affert à veteri.

In quibus verò versatur noui testamenti ratio? In his vtiq; sequentibus capitibus, quibus & veteri fœderi longè & multum præponderat. Nam principiò, Inseram legem meam, ait Dominus, in interiora eorum. Quid autem intelligat per interiora, subiungit, Et in cor eorum scribam eam. Fœdus Dei antiquum scriptum est in tabulas lapideas: nunc fœdus nouum scribitur in corda. Solus autem Deus per spiritum suum scribit in corda hominum. Dat Deus fidelibus suis spiritum sanctum in corda, qui regeneret, fidem excitet, per quem iustificentur, qui denique charitatem inspiret, & spontaneum legis Dei studium, vt iam ea nobis placere incipiant, quæ displicuerunt prius. Datus est quidem spiritus & antiquis patribus in veteri fœdere: sed omnia sunt in nouo fœdere illustriora, ampliora & magis communia. Nam & per Ioelem dixit Dominus, Effundam spiritum meum super omnem carnem. Nouum ergo fœdus veteri longè est præstantius & vberius. Apostolus Paulus passim in suis literis spiritus virtutes deprædicat atque celebrat: vt hic nihil sit necessarium multis dicere de efficacia spiritus in hominibus. Certè promissio est ingens & maximi ponderis, quæ Dei spiritum promittit hominibus. Huc pertinet doctrina Apostolica in secunda ad Corinth.3. cap.

In quibus vertatur noui testamenti ratio.

Deinde, Ero Deus eorum, inquit, ipsi verò erunt mihi populus. Hoc caput etiam inducitur & repetitur in veteri fœdere. Nam Deus patrum antiquorum & eorum qui sub lege vixerunt Deus fuit, ac ipsi eius fuerunt populus. Sed in noui testamenti populo hæc sunt illustriora multò. Nam in incarnatione vel mysterio Christi nemo nõ potest dilucidissimè intelligere Deũ Patrem, & Deum esse nostrum, & patrem esse nostrum, vt qui se totum in nos effuderit per Christum, qui ascensurus in cœlos prius dixit, Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum. Sunt præterea fideles Christi in fide synceri, vni Deo per Christum adhærentes, solum adorantes, inuocantes & colentes. Abominantur & Deos alienos, & idola execrantur. Ita sunt peculiaris Dei populus. Qui in Papismo hominum animos diuis agglutinant doctrina praua, grauissimè peccãt in testamentum nouum: illi ipsi quoq; turpiter violant fœdus Dei nouum. Fuerunt in veteri quoq; testamento populus Dei, qui erant de domo Israelis & Iuda: cæterùm numerari propemodùm poterant: iam verò termini ecclesiæ extenduntur ad fines vsq; orbis. Omnia ergo in nouo fœdere sunt illustriora.

Ero Deus eorũ

Hinc, Et vltra quis proximum suum, ait, non docebit, &c. Et per expositio-

Nemò amplius docebit proximum suum.

nem subiungit, Non dicet, Cognoscite Dominum, &c. Quo quidem locutionis genere significat omnino vulgarem futuram cognitionem Dei, per vniuersam terram. Fuit quidem sub fœdere illo veteri cognitus Deus Israelis: sed nunc non in Iudæa tantùm, sed per totum terrarum orbem illustrissima & cognitissima erit Dei cognitio, fidei vel religionis mysterium. Innumeri profectò vel hodie inueniuntur theologi, licet non graduati, tamen à Deo dati, qui legis summam tibi in Decalogo non tantùm recitant, sed sano cum intellectu reddunt: qui item per symbolum Apostolicum & per orationem, quam Domini vocant, verum fidei orthodoxæ & catholicæ sensum exponunt, & legitimè coràm Domino orant. Qui autem hoc testimonio vtuntur contra ministerium verbi & contra prædicationem Euangelij in ecclesia externam, non satis expendunt, ipsum noui testamenti initiatorem & perfectionem Dominum nostrum Iesum Christum prędicasse, & discipulos ad prædicandum Euangelium vniuerso mundo destinasse & ablegasse, discipulosq; alios, item ecclesiarum prædicatores ordinasse. Ergo sicuti locus in epistola Ioannis capit. 2. Et vnctio quam accepistis ab eo, manet in vobis, nec opus habetis vt quisquam doceat vos, &c. ministerium verbi Dei non tollit: ita neque hic Ieremiæ locus. Similis locus est & Ioan. 6. vbi Dominus ex prophetis citat, Et erunt omnes docti à Deo. Quibus sanè verbis ne noster quoque ex gratia conatus, noster labor & nostra diligentia tollitur, quam singulariter Solomon commendat Prouerbior. capit. 2. & aliàs.

Peccatorum remißio plenaria.

Postremò subiungit his omnibus, Quoniam propitius ero iniquitatibus eorum, &c. veluti causam & rationem superiorum. Certè quia propitius est peccatoribus Deus, ac gratia & misericordia commouetur erga ipsos, charismata eis largitur. Et gratia Dei & propitiatio præcipuum illud est testamenti vel fœderis noui. Quoniam verò Deus humanum genus gratuito amore dilexit, filium misit propitiationem pro peccatis totius mundi, & propter Christum diligit genus humanum. Equidem non per alium quàm per Messiam consequuti sunt remissionem peccatorum, sub antiquo fœdere: at in nouo omnia iam completa & perfecta sunt, quæ illi perficienda in venturo Messia credebant. Omnia ergo noui fœderis sunt præstantiora. Vnde & Messias ille noster communis, vbi venisset in mundum, fœdus nouum sanguine suo proprio consecrauit, dedicauit & confirmauit, abolito iam sanguine pecuino sacrificiorum veterum. De quo copiosius disserit Apostolus ad Hebr. cap. 9. Et remissio peccatorum noui fœderis, plenaria est remissio, sicuti & Apostolus docuit in 10. capit. ad Hebræos. Hic etiam qualis illa sit exponitur, dum subijcitur per interpretationem, Et peccatorum eorum non recordabor amplius. Non imputat peccatum fidelibus Deus, perinde ac si nunquam peccassent: imputat autem iustitiam filij sui, sicuti Apostolus copiosè docuit ad Rom. 4. & 2. Corinth. 5. Tota itaque iustificandi ratio in hoc nouo fœdere comprehenditur. Et Dominus vltimam illam cœnam suam celebrans cum discipulis suis, hoc nouum testamentum, quod plenariam omnium peccatorum remissionem in sanguine suo promittit credentibus, diligentissimè commendauit suæ ecclesiæ per sacramentum corporis sui traditi, & sanguinis effusi, quem noui fœderis sanguinem nuncupat. Domino Deo sit laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Ostendit æternum fore fœdus, & populum Dei non reijciendum, sed Hierusalem rursum extruendam.

CONCIO

CONCIO CV.

Sic dicit Dominus, Qui dedit Solem in lucem diei, & leges Lunæ & ſtellarum in lucem noctis: qui rupit mare, & ſonuerunt fluctus eius, Dominus exercituum nomen eius. Si amoueri poſſunt leges iſtæ à facie mea, dixit Dominus, etiam ſemen Iſrael amoueri poterit, vt non ſit gens coràm me cunctis diebus. Sic dixit Dominus, Si menſurari poſſunt cœli ſurſum, & inueſtigari fundamenta terræ deorſum, & ego quoq; repudiabo vniuerſum ſemẽ Iſraelis, propter omnia quæ fecerunt, dicit Dominus. Ecce dies veniunt, dixit Dominus, & ædificabitur ciuitas ipſi Domino à turre Hananeel vſq; ad portam angularem. Hinc vltra ducetur regula menſuræ ante ipſam vſque ad collem Sareb, & circuibit Goath. Et tota vallis cadauerũ & cineris, & omnes campi vſq; ad torrentem Cedron, vſq; ad angulum portæ equorum, ad Orientem, ſancta erit Domino: non excindetur neq; diruetur in ſempiternum.

Argumentum loci præſentis.

DIxit de gratia Chriſti Ieremias & de nouo fœdere quod dedicatum & confirmatum eſt per Chriſtum ſanguine Chriſti, nunc ſubijciet quædam quæ ipſa pertinent ad gratiam noui teſtamenti, inprimis verò ad eccleſiam Chriſti & ad ſuperiorum omnium illuſtrationem. Demonſtrat enim fœdus hoc noum, fore ſempiternum, adeò vt populus Dei vel eccleſia Dei æternis temporibus extirpari non poſſit. Deinde oſtendit etiam & miſericordiam Dei futuram erga populum ſuum immenſam & imperueſtigabilem, quæ propter peccata non poſſit omnino reijcere eccleſiam. Sed & ædificandam dilatandamq; eccleſiam per omnes orbis partes, ſanctificandam Domino, nequ extirpandam temporibus ſempiternis. Conſolantur hæc validiſſimè nos omnes in omnibus perſecutionibus tribulationibuſq;, & teſtificantur certiſſimam eſſe ſalutem electorum, cum Deum pœnitere non poſſit promiſſionum ſuarum, neque quicquam in orbe terrarum certius ſit ipſo Dei verbo, ſed & multa egregia & obſeruatu digna tradunt nobis de Chriſti eccleſia.

Perſequutionibus non poteſt extirpari eccleſia.

Et quidem teſtantur alij ſcripturarum loci ac ipſa quoque experientia, eccleſiam Chriſti propter doctrinam illam noui fœderis inuiſam fieri toti mundo, ideoq; & varijs diuexari perſequutionibus. Certè apud Zachariam in 12. cap. hoc nomine comparatur lapidi oneris, qui verſatur & portatur à fortibus, qui ad ipſum vires ſuas experiuntur. Ac principes huius ſæculi hic vires ſuas exerunt, & omnino conantur eccleſiam tollere è medio. Vnde & fideles per infirmitatem ſuam metuunt, ne fortè potentia & tyrannide regum & potentiſſimorum principum ſubuertatur eccleſia, alioqui imbecilla, paupercula & contempta in mundo. Iam ergo ipſe Dominus per prophetam hanc conſolatur, & oſtendit fœdus hoc nouum fore ſempiternum, & idcirco ſempiternis temporibus futuram eccleſiam, quam Dominus non paſſurus ſit excindi penitus. Demonſtrat autem hoc Dei teſtimonio irrefragabili. Cumq; multum referat qualis ſit teſtis, Dei maieſtatem obiter enarrat, illum ſcilicet eſſe qui condiderit Solem, Lunam, & ſtellas, qui ſit author lucis, diei & noctis, qui condiderit mare quod & concitet, & cumulis harenæ coherceat, ne erumpat in terram & ſemel omnia ſubmergat, vel qui diuiſerit mare rubrũ, aperueritq; populo ſuo viam, procellis verò eiuſdem maris adoperuerit Pharaonẽ cum Ægyptijs. Tam ſcilicet potens eſt qui hæc loquitur, & ſuis promittit. Nemo itaque dubitet de veritate huius teſtis, nemo dubitet ipſum præſtare poſſe, quod dicit vel promittit. Denique ex hac diuina maieſtate & potenti operatione, quædam colligit, ex quibus concludit, impoſſibile eſſe vt Deus deſerat & perire prorſus ſinat eccleſiam ſuam. Leges vel ſtatuta

dedi, inquit, Soli, Lunæ & ſtellis, ortus inquam & occaſus ipſorum. Oriuntur enim & occidunt illa certa lege, quam acceperunt à Domino. Iam ſi poſsibile eſt illa lege ſua deſerta, non facere illa ad quæ ſunt condita: certè poſsibile erit vt ceſſet eccleſia, nec ſit amplius populus Dei in terris. Cæterùm impoſsibile eſt vt aſtra illa relicta lege ſua non faciant ad quod ſunt condita: impoſsibile eſt itaque deficere eccleſiam. Quæ adiunguntur his de mari, duplicem habent expoſitionem. Vel enim referuntur ad mare rubrum, quod præceptum accepit à Deo, vt diffinderetur & tranſitum præberet populo ſuo: rurſus illud ipſum fluctibus adoperiret Pharaonem: id quod non facere non potuit. Vel referuntur ad id quod Deus mari terminum præfixit, quem nõ tranſgreditur. Sicut ergo impoſsibile eſt mare nõ ita fluere & refluere quemadmodũ fluit & refluit, aut ita muri inſtar ſtare, quemadmodũ trãſeũte populo ſtetit, &c. ita impoſsibile eſt eccleſiã Dei non ita progredi & firmam ſtare ſicuti progreditur & ſtat. Huc autem refer ſimiles omnino locos Iſaiæ ex ca. 51. & cap. 54. Cumq; in euangelio dixerit Dominus, Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi: & iterum, Noli timere puſille grex, quia complacitum eſt patri veſtro vobis dare regnum, ſimus fortes in omnibus perſequutionibus. Tametſi enim principes huius ſæculi ſint potentiſsimi, & infirma videatur eccleſia atq; adeò ceu ouicula inter lupos graſſatores conſtituta, potentior tamen eſt qui nomen habet Domini exercituum, cui omnia elementa, omnes angeli & homines, omnia animantia, omnia denique vniuerſi mundi viſibilia & inuiſibilia ſubſunt & parent. Quando ergo hic omnino vult omnibus diebus eſſe & florere eccleſiam, erit & florebit in æternum eccleſia, inuitis etiam inferorũ portis: & quamuis vaga ſit, proſpiciet ei tamen ſemper de hoſpitio cõmodo in terris, tandem eã ad ſe tranſferet in ciuitatem illam manentem & cœleſtem, quã omnes piĳ inquirunt. Hebr. 11.13. Fœdus noſtrum quod pepigit nobiſcum Deus, ſempiternum eſt & confirmatum Chriſti ſanguine, ad nos ergo pertinet, & nos qui credimus ad finem vſque ſæculi ſumus in fœdere Dei & ſumus eccleſia Dei, Iſrael & populus Dei: Deus itaq; nobis deeſſe non poterit, credamus modò illi, &c.

Matth. 28. Lucæ 10.

Immẽſa eſt Dei miſericordia, ergo non repudiat populum ſuum.

Rurſus ad illuſtranda hactenus propoſita, Si poterunt, ait Dominus, metiri cœli deſuper, &c. Oſtendit autem his immenſam & imperueſtigabilem eſſe eius erga homines in eccleſia miſericordiam, qui cum peccarunt & repudiari à Deo meruerunt, nihilominus non repudiantur, ſed in gratiam recipiuntur: id quod eſt immenſæ bonitatis eius. Iã ergo ex hoc argumentatur, vt in mox præcedenti ſententia, Si poſsibile eſt hominibus metiri altitudinem cœli & perueſtigare fundamenta terræ: poſsibile eſt vt repudiem eccleſiam propter commiſſa peccata. Sed impoſsibile eſt metiendo conſequi altitudinem cœli, & perueſtigare vel centrum vel fundamenta terræ: proinde impoſsibile eſt negare me miſericordiam populo meo in eccleſia, tametſi peccauerit. Non repudiabo vniuerſum ſemen Iſraelis. Tametſi enim carnalis Iſrael, repudiatus ſit propter incredulitatem, non tamen vniuerſus Iſrael repudiatur. Eſt enim & ſpiritualis Iſrael, qui gratiſsimus eſt Deo, omnes nimirum Chriſtiani. Sed de immenſa Dei erga nos miſericordia diſſeruit fuſiſsimè Dauid in Pſalm. 103. dicens, Miſericors & clemens eſt Dominus, patiens & multæ miſerationis. Et reliqua. Si verò quis contendat hæc omnino referenda eſſe ad corporalem Iſraelem, non tamen ſeruabitur ille ſine fide & extra Chriſtum. De quo Apoſtolus diſſeruit ad Roman. 11. Quid verò ad hoc certum Dei pronunciatum dicent mathematici, qui ſe putant tenere centrum terræ, & omnem quidem exactam cœli dimenſionẽ vel altitudinem? Vera dicit Deus: huius teſtimonio plus credendũ eſt quàm omnibus omniũ mathematicorũ demonſtrationibus. Eſt ergo Matheſis, elegans, vtilis, &

Mathematici.

non aſper-

non aspernanda scientia: sed quæ intra metas consistit. Si quis nimium præsumat, aut fines rerum excedat, vituperari meretur in professione qualibet. Multa imò pleraq; sunt in rerum natura, quæ mirari, non autem exactè introspici, excuti & sciri possunt.

Postremo loco adhuc significantius sub typo terrenæ Hierosolymæ promittit ecclesiam quàm latissimè construendam fore, neque vnquam subruendam. Nominat autem loca aliquot (sicuti & Zacharias in cap. 14. quæ quidem tũ temporis dum hæc loqueretur Ieremias, nota erant omnibus, iam verò ignotissima sunt. Videntur fuisse ante mœnia vrbis Hierosolymorũ. Significat ergo nouam Hierosolymam, id est ecclesiam (Hierosolyma enim typum prætulit ecclesiæ, sicuti Paulus testatur Galat. 4.) multò futuram ampliorem, vtpote cuius fines vel terminos alij scripturæ loci testantur ad fines vsq; terrarum procurrere. De locis his multa disputat in Commentarijs beatus Hieronymus, multa item Ioan. Oecolampadius ex Hebræorum interpretibus. A quibus qui cupiat, petere licebit. Diu his immorari, & cosmographica vel topographica tractare diligentius in cœtu sacro apud promiscuum vulgus, nescio quem fructum habeat. Scio interim esse quosdam ostentatores, qui ex sacra cathedra declamantes ad populum, loquuntur Latinè & Græcè, & propemodùm Calecuticè. Illi ipsi disputant philosophicè & acutè. Hi gloriam suam quærunt, non Dei gloriam. Obseruanda tamen veniũt quædam hoc loco non prætereunda leuiter. Ea sunt, quòd hæc vrbs ædificatur Domino: non ędificatur Domini seruis aut ministris, Abrahamo, Dauidi, Prophetis & Apostolis. Domino ædificatur. Nã ecclesia est Christi, & Christi quidem sponsa, desponsata vni viro. Papistæ suam ecclesiam non ædificant Christo, sed Papæ magis, diuis itẽ & suæ superstitioni & auaritiæ prodigæ. Huc pertinet quòd sancta eadem dicitur Domino, destinata inquam & dedicata Domino, & quidem soli. Non colit alienos Deos ecclesia. Non agnoscit cultum alienum. Sancta est Domino, consecrata vni Christo & duntaxat cultui eius. Huius rei præcessit typus in templo Solomonis. De qua re legito 9. caput 3. lib. Regum. Sicut autem sanctificatur illa eadem per Christum & quidem per solum Christum in virtute sanguinis sui, & in virtute sancti spiritus, ita studet sanctitati, vt sanctam scilicet viuat vitam, impuritatem & libidinem & crapulam profliget. Inspice hic sinum tuum, & explora qualis sis, & qua re tibi opus sit. Illa ipsa ecclesia non excinditur neque diruitur. Licet enim membra ecclesiæ plurima excindantur ex terris, & omnia ipsorum in terris diruantur propter veram fidem per tyrannos, attamen manet nihilominus & fides ac veritas Christiana & sancta ecclesia. Quid quod illa colligetur tãdem in vltimo iudicio, & trãsferetur ad Christum in cœlos, vbi æternùm viuet in Christo coràm Deo? sicuti pluribus exposuit in Apocalypsi beatus Ioan. circa finem libri. Domino Deo nostro sit laus & gloria semper.

Ædificabitur Hierusalem.

1. Thes. 4.

ORATIO IEREMIAE DECIMAQVRTA.

Vaticinatur regi & vrbi, hoc est populo, tradendos in manũ regis Babylonij, & abducendos in Babylonem, inde tamẽ liberandos aliquando, & reducendos in patriam.

CAPVT XXXII.

CONCIO CVI.

VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, anno decimo Zedechiæ regis Iuda, qui est annus decimus octauus Nabuchodonosoris: tunc autem obsidebat Hierusalem exercitus regis Babylonij, prophetaq; Ieremias inclusus erat in atrio custodiæ, quæ fuit in domo regis Iuda, quo incluserat eum Zedechias rex Iuda, dicens: Cur tu vaticinaris? dicens, Ecce ego trado vrbem hanc in manum regis Babylonis, & capiet eam. Et Zedechias rex Iuda non euadet manum Chaldæorum, sed certò tradetur in manum regis Babylonis, & loquetur cum eo de ore ad os, & oculi eius videbunt oculos eius: & ducet Zedechiam in Babylonem, & illic erit donec ego visitauero eum, dicit Dominus. Quod si pugnam inieritis cum Chaldæis, non prosperè vobis cedet. Et dixit Ieremias, Verbum Domini factum fuit ad me, dicens, Ecce Hanameel filius Sallum patrui tui venit ad te, dicens, Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth: nam tu ius habes emendi & redimendi. Venit itaq; ad me Hanameel filius patrui mei, iuxta verbum Domini in atrium custodiæ, dixitq; ad me, Eme quæso agrum meum qui est in Anathoth, & qui est in terra Beniamin. Ius enim possidendi tuum est, & tua est redemptio, eme igitur tibi. Ego itaq; agnoscens quòd verbum Domini esset, emi agrum ab Hanameele filio patrui mei, qui erat in Anathoth: & appendi ei pecuniam septem siclos & decem argẽteos. Scripsi hæc in literis, & obsignaui, & adhibui testes, appendiq; pecuniam ad libram. Et accepi literas emptionis obsignatas, iuxta præceptum & ritum, simulq; descriptũ, atq; dedi literas redemptionis Baruch filio Neriæ filij Mahasiæ, coràm oculis Hanameelis patruelis mei, & coram oculis testium, qui scripti erant in instrumento emptionis, & in oculis omnium Iudæorum, qui assidebant in atrio custodiæ. Præcepi insuper ipsi Baruch coràm eis, & dixi, Sic dicit Dominus exercituum Deus Israelis, Accipe istas literas, instrumentũ inquam istud emptionis signatum, & descriptum istud, & impone in vas testaceum, vt ibi maneant diebus multis. Quoniam sic dicit Dominus exercituũ Deus Israelis, Adhuc ementur domus & agri & vineta in terra ista.

CAPITE hoc 32. describitur oratio Ieremiæ decimaquarta. Cui præmittitur titulus ex more, & attinguntur circumstantiæ aliquot, quæ faciũt ad illustrandum consequentem sermonem: quas in præsentiarum paucis attingemus. Principiò ostenditur horum omnium verissimus author Deus. Dicit enim Ieremias verbum Domini ipsi factum, id est ei esse reuelatum, quod regi proponeret & omni populo. Cæterùm cum verborum minime prodiga sit scriptura, & toties repetat, & repetẽdo ingeminet, Hoc est verbum Domini, Sic dicit Dominus, Ait Dominus exercituum, apparet sanè non præter rationem toties hoc inculcari, nimirum ad confirmandos hominum animos. Dubitamus ex infirmitate nobis innata de veritate verbi Dei: subrepit etiam sathanas, & vult nobis verbum Dei subducere ex oculis nostris, aut saltem persuadere hoc verbum quod scribitur & prædicatur ex libris, non esse verbum Dei. Quod simul atq; persuasit, nihil habent amplius certi, homines. Si quis enim dicat aut loquatur de voluntate Dei, de remissione peccatorum, & vita futuri sæculi, vndehæc demonstrabit nisi ex verbo Dei scripto? at si hoc non est verbum Dei, quis credet probationi aut demonstrationi inde petitæ? Sic itaq; vicit sathanas falsa sua persuasione, & tenet te vinctum, qui iam nihil credere potes, cum verbum Dei sit regula

Verbum Dei proponitur nobis in scripturis.

sit regula credendi, quam tu, instigatore diabolo, repudias. Huic malo vt mederetur spiritus sanctus, & confirmaret fidelium imbecilles animos, toties repetit, & repetendo inculcat scripturam sanctam, id est illud quod nobis loquuti sunt prophetæ & Apostoli, verissimum esse verbum Dei.

Quo tempore hæc sint dicta.

Iam etiam ascribitur tempus, nimirum decimus Zedechiæ annus, qui idem dicitur decimusoctauus annus regni Nabuchodonosoris. Nam 25. cap. dictum est, Ioachimi annum 4. primum fuisse Nabuchodonosoris. Regnauit autem Ioachim annis 11. in Hierusalem, accipe ergo octo annos ex regno Ioachim, & adde 10. annis Zedechiæ, & habebis annos 18. Nullus certè liber, nulla chronologia est in orbe vetustior & certior ac diligentior scriptura sancta. Prodigiosa autem fuit populi Iudaici rebellio contra Deũ & duritia, quæ 18. annis non potuit frangi vel mitigari, tam diligenti doctrina prophetarum, & tot calamitosis casibus. Nam intra hos annos victi & vincti sunt tres reges Iudaici, Ioachas, Ioachim & Iechonias, & iam obsidebatur quartus Zedechias, mox & ipse capiendus. Talis est & nostrorũ temporum duritia, quam non emolliunt diligentes conciones ec clesiasticæ, imò ne calamitates quidem bellicæ, &c.

Vrbs obsessa.

Status ergo & vrbis & prophetæ hoc tempore qualis fuerit etiam indicatur. Vrbs Hierosolymorum erat obsessa circunquaque, & quidem nunc in anno altero. Nono enim Zedechiæ anno, obsedit primum Nabuchodonosor vrbẽ Hierosolymorum. Eodem tempore in vincula fuit coniectus Ieremias. Carceris nomen & qualitas exprimitur. Dicitur enim atrium custodiæ, ad domum vel palatium regis. Hæc est autem sors sanctorum, quòd propter veritatem propositam & propter beneficia præstita, ipsi tractantur pessimè. Hæc interim est huius mundi insania, & inuincibilis peruicacia. Quæcunque prædixerat hactenus futura Ieremias, euenerunt: in primis verò prædixerat vrbem obsidendam à Babylonijs. Iam ergo cum grauiter obsideretur, debuerant cum rege proceres & plebs in semetipsos descendere, & ea quæ ipsis dicta fuerant perpendere, & cum prius ea tanquam vana credere noluerunt, nunc quando re ipsa vera esse omnia experiebantur, redire ad mentem, credere adhuc & supplicare clementissimo Domino: cæterùm hoc non modò non fecerunt, sed insuper peccata peccatis coacceruantes, ipsum Dei prophetam, salutaria suadentem & in vincula conijciunt, & diu detinent in vinculis. Hoc inquam est ingenium insani huius sæculi, quod ipsum etiam hodie passim relucet, & ita clarè relucet, vt nihil opus sit expositione copiosiore.

Ieremias vinctus.

Quare Ieremias in vincula coniectus.

Equidem causa vinculorum vel captiuitatis Ieremiæ diligenter exponitur, cur ipsum rex, qui potius prophetæ gratias agere ipsumq; tueri debuerat, in carcerem coniecerit, nimirum quòd & vrbem & regem capiendum dixisset à Babylonijs, & regem abducendum in captiuitatem, & quidem in ipsam Babylonem: vbi sit moriturus. Hoc enim significatur, cum dicitur, Donec ego visitauero eũ. Visitat enim nos Dominus, quando nos tollit ex hoc sæculo. Visitandi alioqui vocabulum varium est admodùm. Illud quoque dixit, Zedechiam producendum in conspectum regis Babylonij, quem inspecturus sit propriis, quod dici solet, oculis. Id quod factum est, quando in Reblatha productus in confessum iudicum, capitis cum suis condemnatus est. Addit denicq; Si pugnare præsumpserint Iudæi cum Chaldæis, hos fore victores, & Iudæos nulla fortuna vsuros prosperiore. Quia inquam hæc in suis concionibus proposuerat propheta, tãquam hostis regis & regni capitur. Nihil enim huius metuebant excæcati & indurati homines. Potuisset ergo Ieremias, si voluisset, cum alijs pseudoprophetis prospera polliceri & mentiri, ac ita in magna esse regis gratia. Nam stultus mundus vult decipi, & deceptores suos amat, & muneribus beneficijsq; adobruit. Etea

nim omnino vult inoffenſe progredi in ſuis voluptatibus & ſceleribus. Complectitur ergo omnes aſſentatores, odit & perſequitur omnes ſuis reſiſtentes voluptatibus. Verùm impingit tandem in ſcopum, ſicuti malus ille puer, qui lapides conijciebat in patibulum, & ideo à ſene audiebat, Attinges aliquando ſcopum. Simul autem atque malitia regis expoſita eſt, collecta eſt etiam doctrina Ieremiæ hiſce habita temporibus. Collige iam ea quoque quę docuimus iam per triginta annos & amplius, & habebis miſerè nos omnes perdendos fore, niſi egerimus pœnitentiam, &c.

Hoc anno is 75 annos 44.

Scopus & argumentum orationis.

Poſt hanc circunſtantiarum tractationem, ſequitur ſermo Ieremiæ 14. cuius quidem ſcopus & argumentum tale eſt, quale propemodùm ſuperiorum. Capietur vrbs à Babylonijs, incendetur, vaſtabitur, rex cum populo captiuus in Babylonem ducetur: attamen reducetur iterum populus per Dei miſericordiam in hunc locum, qui iterum inhabitabitur, coletur & ædificijs ornabitur. Atq; poſtremum hoc copioſiſſimè exponit atq; adeò variè probat & demonſtrat, ac initio quidem per contractum ciuilem, quo Ieremias agellum emit à patruele ſuo. Deinde ſubijcitur colloquium Dei & prophetæ. Orat hic Dominum, Dominus quid facturus ſit oſtendit, perditurus ſcilicet populum, & cauſas excidij adiungit. Poſtremò iterum lætiora annunciat, & manifeſtè promittit, ſe populum liberaturum & reducturum: vbi rurſus de nouo fœdere & gratia teſtamenti noui diſſerit. Sic enim ſubinde triſtibus læta commiſcet Deus. Inter alia autem oſtendit reductos iterum habitaturos terram patriam. Id quod contractu illo voluerit ipſis ſignificatum, quòd inquam iterum ſint empturi & culturi terram, &c.

Contractus ciuilis oſtendit reducendum populum.

Videtur autem propheta commemorare viſionem propheticam, dum multis deſcribit contractum cum patruele factum ſuper agello. Neq; enim actio illa in carcere locum habere potuit. Vtcunque verò ea res habeat, ſiue actio ſit, ſiue viſio, multis commemorat, quomodo emerit agellum ſitum ad oppidulum Anathoth, quod haud dubiè iam occuparant & vaſtarant Babylonij. Mirum eſt ergo Ieremiam redimere agellum, cuius nullus iam videbatur vſus. Sed interpretationem omnium horum paucis verbis ipſe Dominus ſubijcit, dum dicit, Quoniam ſic dicit Dominus exercituum Deus Iſraelis, Adhuc ementur domus & agri & vineta in terra iſta. Toto ergo contractu illo nihil aliud ſignificabatur, quàm reducendum fore populum in terram hanc, quam iam vaſtarant vaſtabantq; Chaldæi, atq; in hac rurſus per contractus, agros, vineta & poſſeſſiones emendas atq; vendendas, ſecundum legem. Vt autem hæc res plus inueniret fidei, legitimè aguntur omnia, ſtatuuntur & conſignantur in inſtrumentum emptionis teſtes: ſcribuntur tabulæ, obſignantur, appenditur iuſta pecunia: denicq; datur inſtrumentum emptionis Baruch, qui iubetur hoc in fictile vas componere, & ita quidem componere, vt durare poſſit in lõga tempora, ſuperare inquam ſeptuaginta annos, & tunc ſanè reducibus fore teſtimonio, & argumento, hanc terram ipſis deberi, quæ & rurſus ſit ab eis colenda, emenda item & vendenda ſecundum legem omnia. Sicut autem certa & indubitata ſunt quæ literis obſignatis & teſtibus confirmata ſunt: ita voluit Ieremias ſignificare ſpem illam de reducendis ex Babylone in patriam, multò fore certiſſimam. De hac re clarius & plenius mox loquetur ipſe Dominus reſpondens ad quæſtionẽ propetæ.

Explicatio grammatica.

Porrò ad illuſtrandum locum hunc, neceſſe eſt quædam etiam minutiora adferre. Helkias & Sallum fratres fuere: ergo cum conſtet Ieremiam Helkię, & hic dicatur Hanameelem Sallum fuiſſe filium, conſequens eſt Ieremiam & Hanameelem patrueles fuiſſe, id eſt ex duobus fratribus prognatos. Patruus enim frater eſt patris, & patruelis nepos ex fratre. Anathoth oppidum fuit ſacerdotale vnde oriundus erat Ieremias, natus patre ſacerdote. Sacerdotes autem non habebant

Anathoth.

bebant partes in terra, ſicuti aliæ tribus. Dominus erat portio tribus Leuiticæ. Dominus interim dederat eis decimas, primos fructus, primogenita, oblationes, & alia commemorata Leuit. vult. & Numeri 18. Ergo Hanameel nullā poſſeſſionem aut agrum, quem colere potuit, habuit. Habuerunt autem ſacerdotes prædia ſuburbana, hortos & prata (vt nos vocamus gärten vnd wyßplätz) aliquot: de quo neceſſe eſt hunc locum nos intelligere, vt prædium vel partem eius Hanameel emendam obtulerit Ieremiæ. Cautum vero fuit lege Leuit. 25. ne poſſeſſiones de tribu in tribum transferrentur, in primis autem non licebat prædia ſacerdotum alienis diuendere, licebat autem ad annum vſq; redemptionis propinquo ſanguinis cuiq; diuendere. Iam ergo dicit Hanameel, Ius poſſidēdi ad te pertinet, vel tuum eſt, tua eſt redemptio & emptio. Germanicè, du haſt den zug darzů/du magſts an dich lóſen vnd erkouffen. Pecunia quondam ſolebat non annumerari, ſed appendi per bilancem aut libram. Vnde nobis hodie quoque manſit in hoc genere nomen marcharum. Appenduntur hic ſeptem ſicli & decem argentei. Id quod Hieronymus exponit, quaſi fuerint decem & ſeptem argentei ſicli. Diremiſſe videtur numerum, vt ſubindicaret numerum annorum captiuitatis. Nam ſi multiplicaueris decem per ſeptem, habebis annos 70. captiuitatis. Siclus valet 20. gera vel obolos. De qua re alibi dixi. Sicut autem hodie adhuc fieri ſolet, ita fiebat apud veteres. Contractus enim conſignabantur & referebantur in literas, quæ deinde obſignabantur: recitabantur in illis literis teſtium nomina, qui interfuerunt contractui aut emptioni. Omnia fiebant, quod Ieremias hic dixit, iuxta præceptum & ritus. De his enim mentio fit in lege, quę tradit omnem iuſtitiam. Literas emptionis appellamus hodie den kouffbrieff. Fiebant præterea literæ apertæ, quas hodie appellamus copiā & tranſumptum, ein offnen brieff / abgeſchrifft vnd copy. Literæ porrò tales diligenter ſolent aſſeruari, & ſic tranſmitti ad poſteros, vt illi quoq; intelligant quid actum ſit in illo contractu, quid iure quiſque poſſideat vel non poſſideat. Docēt interim iſta nos omnes, non illicitos eſſe contractus, vt quidam imperiti rerum clamitant. Licet enim per Dominum poſſidere, emere, vendere, commutare & redimere. Si non licet, cur legimus ſanctiſſimos viros hos ſacerdotum piorum pijſſimos filios, Ieremiam & Hanameelem, in præſenti contraxiſſe? Neq; eſt quòd dicas illa veteris teſtamenti exempla eſſe. Nam & literis apoſtolicis declaratur cōtractus non eſſe illicitos. Videat modò quiſque ne fraudem in contrahendo admittat. Contrahe ſecundum leges æquas, & quod tibi vis fieri, feceris etiam alteri, & non polluet te contractus vllus cum proximo tuo. Domino Deo noſtro ſit gloria & laus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Contractuum ratio.

Supplicat Ieremias Domino, commemorans eius potentiam & beneficia, confitens etiam populi peccata, & deplorans præſentem ſtatum.

CONCIO CVII.

Poſtquam dediſſem literas emptionis ipſi Baruch filio Neriæ, orabam ad Dominum, & dicebam, Ach Domine Deus, ecce tu condidiſti cælum & terram tua virtute magna & brachio tuo extento, nihil eſt tibi difficile. Tu facis miſericordiam in millia, & rependis patrum iniquitatem in ſinum filiorum poſt eos. Tu es Deus ille magnus & potens, cui nomen eſt Domino exercituum: magnus conſilio & magnificus opere: cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum hominum, ad dandum vnicuiq; iuxta vias ſuas, & iuxta fructum ſtudio-

rum ſuorum. Qui ædidiſti ſigna & portenta in terra Aegypti, vſque in hunc diem, & in Iſraele & in hominibus: & feciſti tibi nomen, vt eſt hodie. Tu eduxiſti populum tuum Iſraelem de terra Aegypti, ſignis, portentis, manu robuſta, brachio extento, & terrore magno. Tu dediſti eis terram hanc, quam iuraueras patribus eorum, daturum eis terram lacte & melle manantem. Cumq; ingreſſi eſſent & poſſiderent eam, non audierunt vocem tuam, & in lege tua non ambulauerunt, & quicquid præcepiſti eis vt facerent, non fecerunt: iccirco tu feciſti vt euenirent eis omnia iſta mala. Ecce aggeres venerunt ad vrbem, vt ipſa capiatur: & ciuitas tradita eſt in manum Chaldæorum oppugnantium eam à facie gladij, famis & peſtis: & quicquid locutus es euenit: id quod tu vides. Et tu nihilominus, ô Domine Deus, dicis mihi, Eme tibi agrum pecunia, & adhibete ſtes, cum vrbs tradita ſit in manum Chaldæorum.

Colloquium Ieremiæ cum Domino.

COlloquitur modò cum Domino Ieremias, celebrans eius virtutem & potentiam, ſimul etiam peccatum confitens populi, propter quod meritò patiebantur quæ ſuſtinebant ab hoſtibus. Cum verò iuſſerit Dominus emere agellum, miratur propheta in quem finem hoc iuſſerit, cum capta vrbe regia, & cæſis hominibus, nullus ſit agelli ſuburbani vſus & fructus. Cúmque Deus ſit potens & miſericors, tecte & admodum ciuiliter petiſſe videtur Ieremias, & dixiſſe, Forrè cum iubes me agellum coemere, parces vrbi & nobis, etiam hac vice. Atque vtinam, ô Deus, parceres & miſerareris noſtri.

Orat & orando ad Deum reſpicit, non ad ſanctos.

Vocatur certè colloquiũ hoc oratio. Orauit ergo Ieremias Dominũ, & quidem modeſtiſſimè ſummaq; cum reuerentia. Suo autem exemplo nos docet orare in ſummis noſtris neceſſitatibus periculisq;, ſumma cum ſubmiſſione & reuerentia. Orando autem vnicè reſpicit ad Deũ, non ad Noe, non ad Abrahamum, aut ad alios ſanctos viros, ne ad ipſum quidem Ezechiam, qui in graui obſidione quondam laborauerat & ideò obſeſſis credere poterat. Errant itaq; qui Diuis ſupplicant in ſuis neceſſitatibus. Orando autem potiſſimam orationis partem inſumit præconio Dei. Deum enim laudat à virtutibus & eius operibus. Equidem oratio fidelis debet eſſe coniuncta cum præconio Dei. Erigitur hoc fides orantis & confirmatur. Cum enim audimus Deum eſſe omnipotentem & clemementiſſimum, quis non bene de eo ſperet, vtcunque grauibus malis diuexetur? Sed & orando prouocat Deum ad reſponſionem, qua Deus dicit ſe non parſurum illis, ſed eos potius euerſurum, poſtea demùm curaturum vt redeant in hanc terram, & agros iterum emant & colant, ad quam rem confirmandam iuſſerit emere agellum, &c. quæ quidem eſt ſumma orationis totius.

S. Hieronymus recolligit in præſenti hunc ordinem verborum prophetæ, Laudat Dominum, & ex creaturis prædicat creatorem, primúmque potentiam eius & miſericordiam, atque iuſtitiam in omne genus hominum eleuat vocibus. Deinde tranſit ad Iſrael, & quanta ei præſtiterit, celebri ſermone deſcribit. Et poſt tanta beneficia dicit eos immemores bonorum illius clementiam in amaritudinem commutaſſe, ita vt obſideatur ciuitas, & antequam hoſtium in eam fiat irruptio, fame & gladio & peſte conſumpta ſit. Hæc autem vniuerſa præmiſit vt conſequenter illud inferret, quod in reprehenſionem diuinę ſententiæ facere videbatur, Et tu mihi dicis Domine Deus, &c. Hæc interim tota loci iſtius continet pericope. Hæc ille.

Laus & deſcriptio Dei.

Porrò Dominum laudando, ſimul deſcribit eundem elegantiſſimè, plurima mutuò accipiens ex ore Domini exponentis Moſi, quis ſit, Exodi 34. Ac vera Dei cognitio plurimùm, imò ſola fidem orantis fulcit, & animum hominis, per omnia aliàs quoq; tranquillum reddit, quinimò lætiſſimum facit. Vnde dignus

eſt hic

est hic locus quem omnes obseruent diligentissimè. Orditur orationem cum significatione maximi doloris mœroris q̃, dicens, Ah Domine Deus. Dolet enim vrbem sanctam & populum Domini obsideri ab hostibus, gladios q̃ barbarorum ipsorum iam impendere ceruicibus. Quasi dicat, O quantis distringor doloribus, nõ tam mei quàm miserrimi populi gratia. Vtinam eriperes nos ex malis præsentibus & grauissimis. Et quidem debet orantis supplicatio ex contrito corde Domino, sicuti & laus & confessio ex læto animo. Nisi verò animo magis oremus, quàm ore, ingrata erit oratio nostra Deo, qui orationem ex affectu animi æstimat. Prædicat autem in Deo, quòd cœlum & terram ipse condidit, & quidem per virtutem suam magnam, & per brachium extentum. Non enim est vllus Deus conditor, nisi solus Deus noster, qui per virtutem suam, per filium inquam omnia creauit. Brachium extentum significat robur recollectum & maximum: qui enim brachium extendunt & librant ad ictum, omne robur veluti recolligunt in brachium. Rursus autem per brachium significatur filius Dei. Nam Dauid canit, Verbo Domini cœli firmati vel creati sunt, &c. Rectè ergo Hieronymus, Ioãnes, inquit, de filio dicit, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Hæc est enim Domini fortitudo, Apostolo comprobante, Christus Dei virtus & Dei sapientia, &c. Ex creatione verò vniuersorum recolligit, Deo nihil esse difficile. Id quod longè est elegantius & euidentius, quàm si dixisset, Deum esse omnipotentem. Alij verò legunt, Nec est absconditum à te quicquam: sed de omniscientia Dei mox sequetur suo loco. Priorem lectionem magis probo. Repetita verò illa est semel & iterum in Euangelio, Deo inquam nihil esse difficile.

Oratio ex cõtrito corde.

Per filium õnia condita.

Deus omnipotens.

Venit deinde ad Dei bonitatem siue misericordiam, quam dicit patere in millia, id est esse immensam. Iustitia eius puniens pertingit in quartam & quintam generationem, sed misericordia in millenam. Quod mirum in modum consolatur nos, & confirmat in fide de gratia Dei. Cæterùm qui misericors est, non ita misericors est, vt interim non puniat impios. Dicit enim Ieremias, quòd rependat iniquitatem patrum in sinum filiorum, eorum inquam qui parentũ sunt posteri, & maiorum exemplum malum vel prauum factum, malè pro defensione sceleris sui adducunt. Petita est hæc loquutio ex Lege Exodi 20. In sinum autem rependunt, qui fideliter rependunt, & ita insinuant quod offerunt vel dant, vt non facilè excidat. Hac ratione morbi in lege vocantur fideles, & fideliter adhærentes. Pergit in celebratione Dei, & ait, Tu es Deus ille magnus & fortis, vel potens. Magnum intelligimus, non quantitate, longitudine & crassitie, sed maiestate, qua omnia superat, maior q̃ est quàm vlla possit consequi lingua, licet disertissima. Magnus est robore & potentia quoque, ob quam & immensus nuncupatur Deus. Nomen ei attribuit, Dominus exercituum: de quo iam sæpe dictum est. Magnus es, inquit, consilio & opere magnificus: alij, Multus opere verterunt. Prædicatur æterna & absolutissima eius sapientia. Cui accedit præterea valida exequutio. Quidam enim satis sunt sapientes: sed destituuntur viribus, ne quod sapienter instituerunt perficiant. Deus & sapientia & potenti exequutione valet, ist groß vom radt/vnd mächtig kreffti g von der that. Præcellit ergo inutroq̃, vt non habeat parem.

Deus bonus & misericors.

Deus iustus.

In sinum rependere.

Deus magnus & potens.

Deus sapiens.

Celebrat post ista & omniscientiam Dei. Nihil enim Deum latet omnium rerum quæ fiunt, non modò ab hominibus, sed ab vniuersis in mundo creaturis. Oculis, inquit, tuis patent omnia, vel oculi tui aperti sunt super omnes vias, vel institura, dicta, cogitata & facta filiorum hominum. Nihil se abscondere potest ab oculis Dei. Id quod fusè prosequitur Dauid in Psalm. 139. Pudeat ergo in conspectu Dei designare scelera atq̃ peccata, quæ non faceremus in conspectu ho-

Deus omniscius.

minum. Aut itaq; non credimus Deum videre omnia, aut contemnimus nume. Cum verò Deus omnia videat, non potest non affici ijs rebus quas videt: cumq; iustus sit & sanctus, non potest non esse vltor scelerum, id est, rependere vnicuique pro eo quod fecit, siue bonum siue malum. Isaias quoq; in cap. 3. dixit, Dicite iusto, quòd bene ei erit, siquidem fructu studiorum suorum fruetur. Væ impio malo: quoniam secũdum opera manuum suarum rependetur ei. Sic inquam prædicatur & cõmendatur nobis iustitia Dei. Ex qua tamen non sequitur, quod multi colligunt, meritum nostrum. Meremur quidem vitã calamitosam & mortem peccatis nostris. Virtutibus autem nostris non meremur vitam æternam, quæ Dei donum est, per Iesum Christum Dominum nostrum; sicut Apostolus ait Rom. 6. Qua de re dictum est aliâs.

Deus ultor mali.

Deus operibus potens.

Hactenus in genere & à virtutibus maximis commendauit & prædicauit Deum Ieremias, consequenter per opera quoq; eundem celebrat, & operibus vel factis virtutem, quam verbis proposuerat, veluti approbat atq; cõmonstrat. Adducit autem celebre opus Dei, liberationem populi Israelitici ex Ægypto. In qua sunt eximia argumenta diuinæ sapientiæ, iustitię, vltionis, assertionis, potentiæ, misericordiæ, iræ quoq; & omnium virtutum diuinarum. De qua cum sæpe dicatur, non est quòd immoremur ei diutius.

Confitetur Deo peccata.

Inter hæc accedit etiam suppliciter ad confitendum peccata populi. Debet enim oratio fidelis confessionem quoque peccatorum habere, sicuti & Oratio dominica habet. Dicimus enim, Et remitte nobis debita nostra, &c. Confessio autem libera est & aliena ab omni fuco & peccatorum extenuatione. Dicit ergo, Nos ingentia Dei beneficia rependimus enormibus nostris maleficijs. 1. Non audierunt vocem tuam. 2. Non ambulauerunt in lege tua. 3. Quicquid præcepisti eis vt facerent, non fecerunt: perinde ac si certamen tecum suscepissent. De his antea sæpe est dictum. Proinde culpa nostra nunc innexi sumus retijs, in quibus tenemur medij. Digni sumus qui malis ijs adoperiamur, quibus iam immersi miserè inhæremus. Probat ergo Dei iustitiam in malis sibi illatis. Id quod filij Dei faciunt perpetuò.

Cur iusserit agellum emere.

Post hæc infert iam commodè quæstionem, ob quam causam iusserit Deus emere agellum, cum tamen eius nullus possit esse vsus, capta iam propè vrbe? Simul autem deplorat miserum præsentis temporis statum. Variè autem redditus est hic locus, cum sensus in idem recidat. Alij enim verterunt, Ecce aggeres venerunt ad vrbem. Alij, Ecce arietes accesserunt ad ciuitatem. Alij, Ecce munitiones, &c. Et quidem Hieronymus, Ecce munitiones sunt extructæ, inquit, aduersus ciuitatem, vt capiatur: & vrbs tradita est in manus Chaldæorum: nec habent quos vincant aut quos capiant. Iam enim gladio, fame, peste consumpti sunt: & quæcunq; dixisti videmus esse completa. Et cætera. Loquutio autem est, Oppugnantium eam à facie gladij, famis, &c. id est, per præsentes illas calamitates, quæ obuersantur iam in conspectu omnium hominum: vt qui iram Dei videre nolit, nihil videre velit. Dominus adaperiat oculos nostros, vt videamus opera Dei, & meliores efficiamur. Amen.

Respondet Dominus Ieremiæ, & exponit cur iusserit agrum emere: prius tamen diserte dicit euertendam vrbem, causas euersionis commemorans.

CONCIO CVIII.

Et factum

Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens, Ecce ego sum Dominus vniuersæ carnis, nunquid mihi difficile est? Propterea sic dicit Dominus, Ecce ego trado ciuitatem istam in manum Chaldæorum, atq; in manum Nabuchodonosoris regis Babyloniorum, qui eam capiet. Ingredientur enim Chaldæi qui oppugnant vrbem istam, & incendent eam igni, & comburent eã, simulq; ædes, in quarum tectis suffitum adoleuerunt ipsi Baal, & libauerunt libamina dijs alienis, vt me irritarent. Nam filij Israel & filij Iuda, à pueritia sua, nihil aliud fecerũt quàm malum, idq; in oculis meis, nihil inquam quàm me ad iram prouocarunt operibus manuum suarum, ait Dominus. Quin & irritamentum iræ & furoris mei fuit mihi vrbs ista, ab eo die, quo eam ædificarunt vsq; in hunc diem, vt abijciam eam à conspectu meo, propter omnem malitiam filiorum Israel & filiorum Iuda, quam patrarunt ad me irritandum, ipsi, reges eorum, principes eorum, sacerdotes eorum, prophetæ eorũ, omnis Iuda & ciues Ieruſalem. Obuerterunt mihi ceruicem & non faciem: cumq; eos manè surgendo & docendo erudirem, non audierunt vt susciperent disciplinam. Et posuerũt abominationes suas in domo, super quam inuocatum est nomen meum, vt eam pollucrent. Ædificarunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Hinnom, vt traducerent filios suos & filias suas ipsi Molech: id quod ego nunquã præcepi eis, neq; vnquam ascendit in cor meum, vt facerent hanc abominationem, & peccare facerent Iudam.

Subuertetur urbs & abducetur populus.

REspondet his Dominus ad precationem Ieremię, & ostendit cur ipsum iusserit emere agrum in suburbanis Anathoth. Priusquam tamẽ hoc explicet, commonstrat se decreuisse omnino subuertere vrbem & tollere gentem. Cæterùm multis reddit causas cur ita statuerit, quoniam pergãt in abominationibus nephandis, obstipo collo, absq; omni pudore & pœnitentia, nullam penitus disciplinam recipientes. Hæc exponuntur à Domino copiosius, ne Deus alicui videatur vel morosus vel crudelis, sed videatur omnino æquus & iustissimus esse in omnibus suis iudicijs: præterea vt omnes gentes Iudæos ceu speculum habeant ob oculos, in quo videant quidnam & ipsos maneat si pergant in ijsdem illis sceleribus progredi pertinaciter, à quibus reflecti non potuerunt Iudæi. Scimus itaq; hic non alienam, sed nostram omnino rem agi. Perdet enim certò nos quoq; Dominus, si irritauerimus ipsum operibus manuum nostrarum & cultibus peregrinis.

Dominus est Deus vniuersæ carnis.

Rursus autem admonemur hoc quod in præsenti adfertur, ipsum esse verbũ Dei. Respondet enim Dominus Ieremiæ, qui dixerat, Ach Domine Deus, ecce tu condidisti, &c. Confirmat autẽ hoc replicando Deus, quod dixerat Ieremias, & ait, Sum sanè is Dominus Deus, quem me esse ais, & quidem conditor omnium, ideoq; Deus vniuersæ carnis, cui nihil est difficile. Hinc verò non infert Dominus id quod optabatur, Ergo possum & volo vos liberare ab obsidione illa graui: sed cõtrarium potius infert & ait, Ergo tradere possum & volo vrbem hanc (quod multis videtur impossibile) Babylonijs. Sed & debebat hoc facere Dominus, propter conscleratissimam ipsorum vitam. Vulgatum est autem, Deum non vno in scripturis loco appellari Deum vniuersæ carnis, nimirũ creatorem & conseruatorem rectoremq; omnium hominum & animantium. S. Hieronymus hunc locum exponens, Tristibus læta subiungit, ait, & post euersionem Hierusalem, captiuo populo reditum pollicetur. Primumq; causas exponit offensi & iusti furoris Domini: vt quanto maior culpa peccantium, tanto amplior in peccatores clementia creatoris. Ego, inquit, Dominus Deus vniuersæ carnis. Nequaquam cunctarum gẽtium, nec populi Israel, aut certè vt de sanctis

crebrò dicere ſolet, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, ſed Deus dixit vniuerſæ carnis: vt & rationalia & bruta animantia ipſe feciſſe credatur. Sunt enim qui prouidentiam creatoris vſque ad rationalia confiteantur, bruta autem fortuitis caſibus aſſerant vel perire vel viuere. Propheticuſq; ſermo declarat nihil eſſe quod fugiat prouidentiam & ſcientiam Dei. Quia alia propter ſe, alia in vſum hominum ſunt creata. Num quid mihi difficile aut impoſsibile? aut certè abſcondetur à me omne verbum? Et ſupra diximus, Quæ apud homines impoſsibilia ſunt, apud Deum poſsibilia ſunt. Verbum autem hic, & in multis alijs locis pro rebus debemus accipere. Quid eſt, ait, quod factum eſt verbum? Et reliqua. Et quò plus terroris horroriſq; hoc quod dicit, illis incutiat, diſertè exponit, & veluti oculis ſubijcit, quid Iudæi in hac obſidione ſint perpeſſuri. Quæ cum intellectu ſint facillima, ſatis fuerit ſummatim duntaxat collegiſſe. Dicit ergo, Ecce tradam ciuitatem iſtam in manum Chaldæorum, ac regis ipſorum Nabuchodonoſoris. 2. Capiet eam, prius vtique oppugnatam & confractam atque ſubactam. 3. Ingredientur enim in eam Chaldæi. Qualis autem ſit ingreſſus hoſtium per oppugnationem in vrbem aliquam irruentium, horrendum eſt vel dicere. 4. Et incendent eam igni atq; comburent: prius vtique direptam, laceratam, euacuatam. 5. Neque parcetur ædibus, in quarum tectis ſacrificatum eſt dijs alienis. Proinde intelligimus ex his, idololatras & illegitimo cultu Deum colentes, homines item ſuperſtitioſos, non liberari ab impendentibus malis, vllo modo. Etenim vrbs hæc, quæ perit, Hieroſolymorum inquam vrbs, omnium Orientis vrbium fuit celeberrima, fuit ſancta & ſponſa Dei dicta, & virgo quoque, aſylum iuſtitiæ. In ea fuit templum, in quo arca fœderis, & varia inſtrumenta ſacra & precioſiſsima. In ea fuit ſacerdotium & ſacrificium, & populus Dei. Habuerunt promiſsiones varias: habuerunt ingentia & innumera Dei miracula & beneficia. Habuerunt ſacerdotes ſuam ſucceſsionem ab ipſo Aarone per ordinationem Domini. In vrbe hac fumabant aræ, holocauſtorum inquam & ſuffumigationis vel incenſi, vt aliarum ararum nullam faciam mentionem. In vrbe hac ardebat lucerna illa perpetua & inextinguibilis. Erat hic ſacrificium iuge: erant hic Sacramenta Dei. Erat hæc vrbs veluti communis patria patrum & ſanctiſsimorum Dei amicorum. Sed hæc omnia non potuerunt eam eripere ex malis impendentibus. Quid ergo liberarent nos electitij cultus, idololatria, & illegitimus atque adeò corruptus ille papiſticus Dei & diuorum cultus? Sunt hæ cauſſæ cur ira omnipotentis Dei in tales deſæuiat. Quid verò ſucceſsio profertur, cum dudum per Simoniam & prauam doctrinam corrupta ſint omnia? Vtinam his nihil fiderent homines, ſed rectà peccatum ſuum confitentes confugerent ad Dei miſericordiam, & cogitarent de vera pœnitentia.

Capietur vrbs, diripietur, comburetur.

Idololatras nihil liberare poteſt à malis impendentibus.

Cauſæ excidij urbis.

Accipit autem hic occaſionem commemorandi cauſſas excidij vrbis & gentis, explicans ordine quæ populus deſignarit, ob quæ indignus ſit venia. Specialia quidem ſunt iſta, dicta peculiariter de populo Iudaico, ſed applicari tamen eadem debent omnibus in orbe gentibus, quas proculdubiò & ipſas perdet Deus, ſi pergant & ipſæ Deum offendere ac irritare peccatis & ſceleribus paribus. 1. Quod commemorat nephandum ſcelus, illud eſt, quod & Sophonias in 1. capite taxat, oblatio in tectis. Non enim acuminata priſci ſicuti nos quondam habuerunt tecta, ſed plana, in quorum ſuperficie ſacrificabant militiæ cœli, aris ad hoc extructis. De qua re dictum eſt aliâs in hoc opere. Tale propemodùm eſt quod Chriſtiani lararia ſeu ſacella habent in domibus ſuis priuatim, in quibus cereos incendunt diuis, & panem & vinum offerunt. Dicit autem ipſos obtuliſſe Baal, quod commune eſt nomen falſorum deorum, fortè & aſtrorum.

Subijcit

Subiecit enim, Et libauerunt libamina diis alienis. Dixi aliàs, deos alienos omnes esse deos præter verum Deum. Qui vero Deo confidit, vnum adorat & colit, alienos non curat. Vnus enim sufficit. Tali cultu non placatur Deus, sed irritatur magis ad iram atque vindictam. O ergo miseros homines, quibus persuasum est coli Deum peregrinis religionibus, cũ hic & alibi audiamus ipsum istis ritari ad iracundiam. *Alienis diis sacrificare.*

2. Addit hoc non esse nouum quod faciant. Nam ab origine deditos fuisse idololatriæ & rebellioni. Filij Israel, ait, & Iuda à pueritia, id est à primordijs, nihil aliud fecerunt quàm malum. Semper inquam fuerunt rebelles & idololatræ. Alij legunt, Facientes tantùm quod malũ est. Idq; in oculis meis, id est absq; omni pudore & metu. Me nihil sunt reueriti, alieni inquam existentes ab omni numinis reuerentia. Nam simul atq; educti essent ex Ægypto erexerunt vitulum, quẽ & adorauerũt. Peccarũt deinde cum Madianiticis puellis. In libris Iudic. & Regum multæ & variæ huius gentis defectiones cõmemorantur. Per expositionem quoq; iterum additur, quòd perpetuò irritauerint Deum per opera manuum suarum, certè per idololatriam. Idola enim sculpunt & parant homines manibus suis, contra mandatum Domini. Idem hoc vitium ægrè potest eximi ne hodie quidem cordibus hominum. Nimis enim propendent ad simulachra & ipsorum cultum. Fingunt ergo & refingunt argumenta mirifica, ad defendendam idololatriam: cum vbiq; Dominus in verbo suo hanc damnet, nolitq; ipsam fucis ornari & stolido obiici populo. Quid verò sunt idola, si spectes materiam, quàm lignum vel lapis: & si spectes formam, quid sunt aliud quàm quod eis cõtulit manus artificis? Alioqui enim truncum cerneres informem. Et quod manus quoq; hominis illi confert, inane est, vel vanum. Rectè enim Maro cecinit, Atq; animam pictura pascit inani, &c. *Iudæi semper dediti idololatriæ.*

3. Accedit his omnibus, quòd ipsa vrbs in vniuersum dicitur fuisse irritamentum iræ atque furoris diuini: & quidem ab initio quo extructa est. Dauid Hierosolymam ex manibus extorsit Iebusæorum, & ipsam cœpit extruere atq; ornare. Mox Solomon bonam ei partem adiecit: sed idem vxoribus suis alienis concessit extruere diis suis phana. Post Solomonem Hieroboam caput decẽ tribuũ apertè defecit à Deo, & peculiaria sibi templa construxit populumq; à templo Dei abstraxit. Sequentes reges Baali templa & sacra instituerunt, sed & vicinarum gentium religiones, imò superstitiones receperunt omnes contra legem Dei & monita prophetarum. Irritarunt ergo Deum præcipuè idololatria, deinde etiam omnipharia malitia, quam perpetrarunt in cædibus, adulteriis, vsuris & aliis innumeris sceleribus. Videmus tamen in præsenti plus queri Deum de idololatria, quàm de aliis sceleribus. Constat enim aliàs, peccata quæ cõmittuntur contra primam tabulam, esse grauiora iis quæ fiunt contra secundam. Ideò, inquit, tollam eam è conspectu meo, ne cogar rebellẽ & irritatricem coram cernere. Inserit verbis paucissimis iudicium hoc suum iustum, vt obseruatis causis, simul colligamus iudicij diuini æquitatem. *Hierosolymæ irritamentum furoris Dei.*

4. Iam etiam ostendit neminem excusari, omnes ordines populi & antistitum esse in culpa, reges, principes, sacerdotes, prophetas atque adeò vniuersam tribum Iuda, & omnes ciues Hierosolymitanos. Cumq; omnes in vniuersum à capite vsq; ad calcem corruptissimi sint, iustissimum est Dei iudicium, omnes vnà cum vrbe conscindentis & subuertentis. Quis verò posthac probauerit veritatem ex eo, quòd multi reges, pontifices, principes, multi denique populi, & quidem multo & diuturno tempore hoc aut illud obseruarint, ac iccirco consequi verè & religiosè hoc vel illud obseruari? Nam in præsenti & multitudo principum & pontificum & annorum reprobatur à Domino, probante illa duntaxat *Omnes erant sceleribus immersi.*

xat, quæ fiunt ſecundum verbum eius. Neq; probat aliquid, quòd vrbs Dei & vrbs ſancta coluerit idola.

Obſtinatio in malo.

3. Porrò accuſatur in primis ipſorum obſtinax proteruia. Obuerterunt, inquit, mihi ceruicem, & non faciem. De qua loquutione antea dictum eſt. Significatur obſtinatio inuincibilis, vt pote quæ coniuncta eſt inſigni cum contemptu, vt cum rem propoſitam ne aſpicere quidem dignaris, ſed faſtidio magno auerteris ab ea, expuens in eandem. Ita verò fiebat, vt fruſtraneum eſſet omne Dei ſtudium, & omnis labor prophetarum inanis. Deus inſtar boni & ſolliciti patrisfamiliâs, manè ſurgens mittebat prophetas, & per hos erudiebat populum diligentiſsimè: ille verò neque audire ſuſtinuit, neque diſciplinam recipere voluit, ſed ſuo more viuere. Hæc leguntur antea quoque in hoc propheta, & in vltimo capite ſecundi Paralipomenon. Eſt autem hæc potiſsima excidij cauſſa, quæ & poſt tempora Chriſti reparatam ſubuertit vrbem, ſicut videre licet in Euangelio ſecundum Matthæum, cap. 23. & 24. & Lucæ 19. & 21. Timeant ergo ſibi omnes gentes, quæ nec audire verbum Dei, nec diſciplinam recipere volunt. Eadem enim ſors ipſos quoq; manet.

Templum Domini polluerũt

6. Grauiſsimum verò ſcelus illud erat, quod Dominus delegerat ſibi Templum, in quo ſoli ſibi voluit ſeruiri, & eo quidem modo, quo ipſe inſtituit, & non alio: ſicut ipſemet expoſuit 3. Reg. 9. capite, quòd inquam hoc templum, quod vocabatur nomine Dei & erat ſolius Dei templum, proſtituerunt aliis dijs, atque ita commacularunt ſeu polluerunt. Hebraicè legimus, Poſuerunt in domum ſuper qua inuocatum eſt (de qua loquutione antea dictum eſt ſæpe) nomen meũ שקוציהם, alij abominationes ſuas verterũt, alij ſtercora, alij idola. Eſt autem Schikkuz, & in plurali Schikkuzim execratio abominabilis, ein ſchützlicher grewel/ & talis quidem quæ penitus ſordibus polluit, vt inducat cõtuentibus horrorem, abominationemq;. Ponitur hoc vocabulum Danielis 9. Fortaſsis mutuarunt maiores noſtri (inter quos Hebræi habitarunt, vt adhuc per varias gentes habitant Iudæi) ſuum illud vocabulum Kutzy/ quo nuncupant ſtercora vel ſordes, quibus alios polluunt petulantiores. Si quis alicui turpiter impoſuit, aut aliquem ſordibus fœdè deturpauit, ait, Ich hab jm ein kutzy gäben. Fortaſsis petita ſunt à Iudæis, & alia quædam inter nos vſurpata vocabula, vt pillgiß/ à pilgeſch, & motzis bild/ à Deo Mayzim. In præſenti certè ſimulachra & peregrinos aut ab hominibus inuentos cultus & relatos in templum, propriſsimè appellauit Schikkuzim: vtpote qui in ſeipſis ſunt fœdi & abominandi, & obſeruatores eorum abominandos, fœdos aut deturpatos reddunt coràm Domino, licet hominibus videantur puri. Deformant ergo huiuſmodi cultus, electione aut arbitrio hominum ſuſcepti & vſurpati, cultores ſuos. Sic autem ornat verbum Dei idola, vel ſimulachra & electitios hominum cultus & religiones ex nobis ipſis exortas: quibus hodie nihil videtur eſſe melius, ſanctius, rectius, efficacius. Sed erratur in hoc toto cœlo: niſi hæc quæ hic dicuntur ſint falſa. Quod vel cogitare abominandum eſſet. Cumq; Dominus Deus noſter velit in eccleſia ſua ſolius filij meritum prædicari, an non abominanda abominatione polluunt eccleſiam, qui aliena merita magis celebrant?

7. His omnibus aliud quoque crimen nepharium & atrox annumeratur, Ædificarunt excelſa Baal, &c. De quibus cum fuſè dictum ſit cap. huius operis 7. & 19. non eſt quod eadem nunc repetam. Iſtæ autem omnes ſatis copioſæ & idoneæ videntur cauſæ, ob quas Deus populo ſuo vſqueadeò corrupto parcere noluit. Vnde nec mirum eſt, ſi ne hodie quidem populo iſsdem ſceleribus & grauioribus polluto parcere velit. Dominus miſereatur noſtri, & præſtet vt ambulemus in vijs eius, & agnoſcamus verè filium eius Ieſum Chriſtum, Amen.

In eodem

In eodem versatur argumento: nunc tamen copiosius & plenius liberādos ex Babylone dicit: & vaticinatur de futura Christi gratia.

CONCIO CIX.

Et nūc propter ista sic dicit Dominus Deus Israelis de vrbe ista de qua vos dicitis, Data est in manus regis Babylonij in gladio, in fame & in peste, Ecce ego colligo eos de vniuersis terris, ad quas eieci eos in furore meo, in æstu meo, & in magna indignatione mea, reducamq; eos ad locum istum, & efficiam vt securi habitent. Ipsi erunt populus meus, & ego ero Deus eorum, daboq; eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me cunctis diebus, vt bene sit eis, & filijs eorū post eos. Feriam cū eis fœdus sempiternum, quòd non retro ab eis abscedam quò minus benefaciam eis, sed timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non deficiant. Quin lætabor super eis vt eis benefaciā, plantaboq; eos in terra ista, in veritate, in toto corde meo, atque in tota anima mea. Quoniā sic dicit Dominus, Quemadmodum adduxi super populum istum omne malum hoc ingens, sic adducam super eos omne bonum, quod loquar ad eos. Et possidebitur ager in terra ista, de qua vos dicitis, Desolata est, & absque homine & absque iumento, traditáque in manum Chaldæorum. Agros inquam argento ement, instrumenta scribent, obsignabunt, testibus adhibitis, in terra Beniamin, & circū vrbem Hierusalem, per vrbes Iuda, per oppida mōtana, per ciuitates campestres, & per vrbes, quæ ad meridiem sunt. Reducam enim captiuitatem eorum, ait Dominus.

HAec est huius orationis pars postrema, qua lætiora annunciat. Vaticinatur enim de restitutione populi captiui, quem Dominus reducere velit in patriam, eiq; iterum benedicere liberaliter. Est ergo hęc pars vera Euangelij de salute prædicatio, vel annunciatio. Quæ aliquo quidem modo sunt completa sub Cyro & Dario Hystaspe, per Zorobabelem, Ezram & Nehemiam, plenius verò per Christum & apostolos: plenissimè autem complebuntur adhuc in die illa iudicij, quæ ab apostolis nuncupatur dies restitutionis omnium, dies item redemptionis nostræ. *De restitutione captiuorū, & gratia Christi.*

Cæterùm sensum Orationis absoluit per ea quæ ponuntur ab initio, in hunc modum, Et nunc quidem propter ea quæ dicta sunt de excidio vrbis & gentis, & quòd ipsimet fatemini actū esse de vrbe illa, quippe quæ tradita sit in manum hostium, dicam modò de eadem illa longè lætiora. Ecce enim ego colligam, &c. Amplissimam enim subtexit promissionem, quam per partes explicabimus, ac quanto possumus compendio.

1. Ipse eiectos in varias terræ partes in furore meo, recolligā, & reducam in locum istum, in Hierusalem inquam & in terram promissam. Id quod factum esse docet historia Ezræ & Nehemiæ. Quia verò Hierusalem ecclesiæ Dei, & terra promissa æternæ patriæ typum gessere, ideò venit Dei filius de cœlo in terras, ac filios Dei per vniuersum terrarum orbem dispersos, ceu pastor ouiculas suas recollegit in vnitatem ecclesiæ, quos & in fine sæculi congregatos in vnum inducet in æternam patriam: sicuti scripturis sanctis fusè traditur, Ioan. 11. & 10. &c. 1. Thessal. 4. *Dominus cōlligit dispersos, et collocat in patriam.*

2. Efficiam vt securi habitent. De hac securitate dicitur aliàs in hoc opere. Certè promittitur tranquillitas animorum. De qua apostolus loquens, Iustificati, inquit ex fide pacem habemus, &c. Sed & pax & tranquillitas vel securitas *Securitas & tranquillitas fidelium.*

absolutissima omnibus partibus concedetur tandem in æterna patria. Quod cum cæci Iudæi non vident, & omnia ad literam corporaliter interpretantur, interim vident se nunquam tutos habitasse, neque se neque maiores ipsorum: cum hi diuexati sint grauiter à Medis, Persis, Macedonibus siue Græcis & Romanis, ac ipsi qui hodie viuũt, miserè diuexentur ab omnibus gentibus: fingunt sanè aliud nescio quod aureum sæculum, sub nouo suo Messia adhuc, nescio quando, venturo, futurum, in quo hæc ad literam sint adimplenda. Sed falluntur cæci & stulti. Nam hæc adimpleta sunt spiritualiter, per pacem & securitatem paratam nobis à Christo, & liberalius in animis & corporibus nostris implebuntur in die illa.

Populus Christianus Dei populus.

3. Ipsi erunt populus meus, & ego ero Deus illorum. Non enim reduces Israelitæ à dijs alienis & idolis omnes abhorruerunt: sed Christiani maximè vni Deo adhærent per Christum: nec sustinent se nuncupari à Petro Petrinos, nec à Paulo Paulinianos: dici volunt Christiani: agnoscentes se omnem in Christo plenitudinem accepisse à Deo, & Deum esse patrem suum benignissimum, &c. Dictum est de hac sententia superius.

Dabo cor vnũ & viam vnã.

1. Cor. 1.

4. Dabo eis cor vnum & viam vnam. Vnitas cordium vnitate fidei in vnum Deum conficitur: ad quam rem confert & dilectio syncera. In Actis apostolicis legimus, fideles vnum habuisse cor. Et apostolus, Obsecro vos fratres, inquit, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus eadem mente & eadem sententia. Idem docetur & ad Philipp. 2. Alibi quoque diximus viam vsurpari pro instituto vitæ, pro regula atque doctrina. Proinde à captiuitate Babylonica aliquandiu vnica Dei lege contenti fuerunt Iudæi: postea ad Deuterotarum traditiones respicere cœperunt, & perplexi facti sunt. Porrò Christiani veri non curant vllas doctrinas. Contenti enim sunt doctrina euangelica prophetica & apostolica, quæ vnica & vera est salutis via. Non conscinduntur Christiani in sectas aut ordines. Proinde ordines monachorum, sectæ sunt alienæ à Christianismo. Sectæ aliæ atque aliæ pugnant cum vnica hac via. Christus vnica via est, vnicum idem ille ostium, doctrinaque Christi verissima pietatis & vitæ salutisque æternæ via, regula & directorium. Pereant Decreta, Decretales, Conciliabula & leges, cum illa vnica Dei via pugnantes.

Timor Dei.

5. Vt timeant me cunctis diebus. Effectus hic est, qui ex istis sequitur. Pij ergo obseruabunt Deum religiose, diligent eum, seruient ei, colent eum. Timor Dei non rarò vsurpatur pro tota religione & vero Dei cultu. Zacharias pater

Lucæ. 1.

Baptistæ cecinit, Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus ei, in sanctitate & iustitia coram ipso, cunctis diebus vitæ nostræ. Hæc sanè magnifica illa dona sunt quæ habemus per gratiam Christi: quæ hic prædicatur magnificè. Sequitur item fructus, qui inde enascitur pijs, vt bene sit tam ipsis quàm filijs ipsorum post eos, si videlicet ingrediantur viam maiorum sanctam. Bene sit dixit, pro eo quod est, vt felices & beati sint, maximè in sæculo futuro. Testatur autem hic locus, Deum nõ tantùm patribus sed & nobis bene velle & beneficia ingentia nobis velle conferre.

Deus est Deus & maiorũ et posterorum.

His luculentis alioqui subijciuntur, quæ quodammodo ea quæ dicta sunt confirment atq; illustrent.

Fœdus icit nobiscum.

6. Feriam cum eis sempiternum fœdus, & quale nam hoc futurum sit explicat & subdit, Quòd non retro ab eis abscedam, quò minus benefaciam eis. Id est, perpetuò adhærebo eis, perpetuò illis benefacere pergam. Nunquam deseram illos in periculis, vt solent qui acie relicta, & ex acie, aut ex postremo agmine fugientes, fœderatos suos veluti produnt hostibus. Cum verò promittit se

nobis

nobis benefacturum, omnia intelligit beneficia cùm præsentis tum futuri sæculi, & quæcunq; nobis sunt necessaria ad commodam & sempiternam vitam. De fœdere, & æterno quidem fœdere, antea dictum est in hoc opere.

7. Iam etiam explicat fusius, quod vno verbo attigerat de timore. Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non deficiant. Author ostenditur diuini timoris, Deus. Dei munere & gratia is nobis obuenit, non nostro merito, non nostri liberi arbitrij viribus. Ego, inquit, dabo in cor eorum. Non hærebit in lingua aut supremis labris, sed in ipso corde, in anima, in interioribus hominis fixus hærebit. Efficiet autem ne à me deficiant, sed mihi fide & dilectione veluti innexi, me confiteantur, mihi innitantur, me inuocent, me obseruent & reuereantur, in meis legibus ambulent, atque adeò propter hunc mundum, propter voluptates & honores, me non deserant, sed per tormenta & per mortes, ignes atque præcipitia ad me festinent. Hic verus Dei timor est, hæc vera est Christianorum constantia. Confer autem cum hoc vnico capite, non dicam modò cum reliquis huius loci capitibus quales simus nos, & qualia studia nostra, qualis timor noster, quid potissimùm timeamus, & deprehendes quàm simus miseri, quàm necessariæ sint nobis preces perpetuæ & ardentes, ne in sordibus nostris præfocemur. *Deus dat timorem in cor.*

8. Et quod de beneficijs attigit, illustrat clarius, Quin lætabor super eis, &c. Cum gaudio & sponte atque volenter, denique cum voluptate, dicit se benefacere velle, non coactè, non malignè & cum tristitia. Deinde plantabo eos, inquit, in terra ista: & addit, in veritate, pro quo nos dicimus, *trüwlich*. Et in toto corde, &c. Quibus omnibus significatur optimum, eximium & benignissimum fidelissimumq; Dei studium in plantandis conseruandisq; fidelibus. De quo studio plurima dedit nobis Isaias. Confirmant autem hæc fidem nostram validissimè, & consolantur nos fidelissimé. Denique vt omnia breuib. complecteretur, ex contrario loquitur, Sicut omnibus modis annixus sum vt omne malum in ipsos prouoluerem, ita annitar vt omni bono adoperiam ipsos. Bono inquam, quod in præsentiarum ipsis promittit. Cum autem excidium vrbis & gentis fuerit modis omnibus afflictissimum, consequens est, restitutionem futuram omnium præstantissimam. Id quod verissimum est, si expendamus bona illa futuri sæculi. Nam de his pronunciauit sermo & propheticus & apostolicus, Quod auris non audiuit, neque oculus hominis vidit, neque in cor hominis ascendit, id præparauit Deus ipsum diligentibus. Gaudeamus ergo in Domino, & agamus illi gratias sempiternas, annitamur ne spoliemur tanto bono per nostram inertiam & desidiam. *Beneficia Dei spontanea.*

Postremò respondet ad quæstionem Ieremiæ, rogantis, cur in excidio gentis & vrbis iusserit Dominus ipsum emere agrum in Anathoth? Nunc enim dicit, Vt hic intelligant Iudæi, tametsi excindatur vrbs & vastetur terra, abducaturq; populus captiuus, futurum aliquando tempus, quando hæc vrbs & hæc terra iterum inhabitetur, atque homines captiui iterum emant agros, &c. Copiosa autem expositione, veluti per partium enumerationem, declarat omnes Iudææ & terræ promissæ partes & restituendas & iterum inhabitandas atq; colendas esse. Tandem enim vno verbo hæc omnia concludens, Reducam eum, vel conuertam, inquit, captiuitatem eorum. Et ne quid dubitarent de veritate promissionis huius, addit, Dicit Dominus, qui mentiri nescit. Credamus ergo Domino Deo nostro, promittenti nobis peccatoribus restitutionem & gloriam. Dominus adducat nos in illam. *Cur iusserit emere agrum.*

ORATIO IEREMIAE DECIMAQVINTA.

In eodem argumento versans, prædicit vrbem vastãdam, & captiuos reducendos fore.

CAPVT XXXIII.

CONCIO CX.

ET factum est verbum Domini ad Ieremiam secundò, cum adhuc teneretur in atrio custodiæ, dicens, sic dicit Dominus qui fecit hoc, Dominus qui format hoc, vt præparet hoc, cui nomen est Dominus. Clama ad me, & respondebo tibi, & annunciabo tibi magna & fortia, quæ nõ cognouisti. Quoniam sic dicit Dominus Deus Israelis, de domibus vrbis huius & de ædibus regum Iuda, quæ dirutæ sunt ad aggeres & vastitatem. Veniunt quidem vt pugnent cum Chaldæis, sed implebunt illas cadaueribus hominum, quos ego percussi in furore meo, & in æstu meo, & quòd abscondi vultum meum ab vrbe ista propter omnem malitiam eorum. Sed ecce ego obducam ei cicatricem & sanationem, sanaboq; eos, & aperiam eis thesaurum pacis & fidei. Et reducam captiuitatem Iuda & captiuitatem Israelis, & instaurabo eos vt olim fuerunt. Mundabo eos ab omni iniquitate eorum, qua peccauerunt contra me, ac propitius ero omnibus iniquitatibus eorum, quibus peccarunt contra me, & perfidè à me defecerunt. Eritq; mihi ad nomen, ad lætitiam, ad laudem & decus apud omnes gentes terræ, quæ audituræ sunt omne bonum, quo ego eos afficiam: nam horrebunt & stupebunt super omni bono & pace, quibus eam afficiam.

Argumentum huius orationis.

ORATIO Ieremiæ XV. eiusdem omnino est argumenti cum ea quę præcessit. Nam habet capita duo, vrbem capiendam esse & diruendam, homines autem vel cædendos vel ducendos in captiuitatem. Captiuis tamen promittit restitutionem & felicissima quæque, in primis verò, quòd Christum colophonem omnium promissionum præstare velit. Hæc verò omnia & singula grauissima obtestatione vel confirmatione, sub finem orationis astruit, ne quis dubitationi superesset locus. Significãter autem dicuntur hæc iã secundò dicta esse ad Ieremiam. Quinimò sæpius sunt hæc iam inculcata populo à Ieremia. Cæterùm secundò in carcerem retruso sunt diuinitus reuelata. Deus enim infirmitatis humanæ magnam rationem habet. Magna erat populi Iudaici duritia, quitametsi obsessus esset ab hostibus, nondum tamen sibi persuadere potuit capiendam fore vrbem, sicuti Ieremias vaticinabatur. Præterea quando in captiuitatem abducti, felicitatem multam Babyloniorum idololatrarũ erant visuri, per quam & offendendi erant, & tantùm non in desperationem & defectionem à Deo abripiendi, maturè præparat eos & munit contra scandalum & defectionem, melioraq; promittendo, deiectos erigit & validè cõsolatur. Est horum vsus multus & maximus in nostris quoq; tentationibus varijs, si hęc ad opportunitatem & commodum nostrum nobis applicemus. Id quod res ipsa nos & locus docebit, per singula præscribi non potest.

Secundò hæc proposita.

Ab initio admonemur protinus, vbi dicta sit hæc oratio ab authore: quando & qualis tunc fuerit status authoris. Dicta est sicuti & superior in carcere, quando vrbs iam esset capiẽda, & propheta propter ministerium suum & veritatem liberè

liberè pronunciatam captiuus teneretur. Admonent illa nos iterũ qualis sit sors ministrorum. Dei, & quid ab illis expectent, quorum ministri sunt, maximè si in munere vel ministerio suo fideles sint. Sicuti autem Ieremias nihil mutauit in genere doctrinæ suæ, sed eadem vinctus loquitur, quæ liber & extra vincula fuerat loquutus: ita eadem nobis veritas perpetuò annuncianda est, nihil detrahendum aut immutandum propter aduersarios & vincula. *Sors ministrorum uerbi.*

Vt autem fidem paret & confirmet apud auditores & prophetam ijs quæ dicturus erat, præmittit, Sic dicit Dominus qui fecit hoc. Variè hoc legitur & exponitur. Alij enim legunt, Qui fecit hanc, & intelligunt vrbem Hierosolymorum. Alij legunt, Hoc, & referunt ad verbum totumq; hoc negotium. Qui sanè sensus mihi videtur esse simplicior. Germanicè ergo vertere poteras, Also spricht Gott der Herr/der sölichs thůt/gestaltet/vnnd volbringt oder vßricht. Significat autem Deus se esse authorem eorum, quæ hic dicenda sunt & facienda, & se satis potentem esse, qui quæ dicit in certissimum validissimumq; effectum producere possit. Denique omnes operis partes à se perfici atque formari dicit. Dominus est, inquit, qui facit hoc, idem ille qui format, idemq; qui stabilit & in esse conseruat, & in perfectionem producit. Addit his nomen omnipotentiæ. Omnes itaq; operis partes sibi vendicat, vt nullam omittat aut nobis perficiendam relinquat, principium, medium & finem operis sibi vendicans. Ne itaque adimamus temerè Deo, quod ipse sibi iure & disertè quidem tribuit. Vtitur quidem medijs cõmodis, sed quid perficeret securis & dolabra, nisi esset qui hæc moueret & ageret? *Deus facit hoc totum.*

Iam etiam priusquam vaticinetur, iubetur propheta clamare siue inuocare Dominum, qui promittit se illi reuelaturum magna vel grandia mysteria, fortia vel abstrusa (vtrunque enim legitur) quæ non norit. Loquitur autem de vrbis & gentis dissipatione, deq; restitutione captiuorum, & de mysterijs Christi & ecclesiæ, quæ sanè omnia maiora sunt quàm possit sermo humanus assequi. Ea verò dicitur ignorare Ieremias, non absolutè quidem. Sæpe enim hæc eadem ipsi sunt reuelata, & frequentius eadem proposuit populo suo. Ignorauit autem illa extra reuelationem ex semetipso. Quantulum enim est quod intelligimus ex nobis ipsis? Nisi Dominus animos nostros illuminauerit, nulla est nostra intelligentia. Cæterùm discimus ex præsentibus prophetæ verbis varia, 1. Cum orat in carcere Ieremias, consequens est, quemuis locum idoneum esse precibus: maximè cum Dominus iubeat inuocare prophetam in carcere. Templa publicis destinata sunt precibus. 2. Quanquam voluerit Ieremiæ Deus sua reuelare mysteria, tamen iussit eum precibus petere reuelationem. Ergo quanquam sciat Deus quæ sumus petituri, & quanquam pro sua gratia velit hæc nobis largiri, orandus est tamen Deus: sicuti clarissimè exponit Dominus noster Matth. 6. cap. 3. Sed & neminem videmus ita absolutum esse, cui non possint addi dona auctiora. Nam & Ieremiæ promittuntur auctiora. 4. In eo verò magna Dei liberalitas relucet, quòd tã largè amplas promittit res. Nemo ergo dubitet de eius liberalitate, qui promissiones suas amplissimas & ad nos pertinere vult. *Orandus est Dominus prò reuelatione.*

Porrò primam orationis partem absoluit paucissimis, & ostendit, vrbem vastandam hominesq; in obsidione trucidandos, ac reliquias abducendas in captiuitatem. Diruerant ciues suas ædes, nec parsum erat publicis ac regijs ædificijs, conuerterant autem ædes destructas in munitiones ex quibus hostem depellerent. At Dominus, Illæ inquit munitiones ad hoc duntaxat extructæ erunt, vt excipiant cadauera vestra, & sint veluti sepulchra vestra. Nam interibitis aut caedetis in obsidione vestra. Ac diuersa est huius loci versio. Alij enim legunt, Quę destructæ sunt per munitiones atq; per gladium. Alij, De ædibus diruendis per *Vrbem uastãdam.*

munitiones & arma. Alij, Quæ destructæ sunt arietibus & securibus. Chaldæus paraphrastes interpretatus est, Quas demoliti sunt vt accumularent aggeres ad firmamentũ murorum aduersus eos, qui gladio trucidabant. Vetus enim versio habet, Quæ destructæ sunt & ad munitiones & ad gladium. Confluxerant sanè ex agro & ex alijs vrbibus in regiam vrbem milites defendendę eius gratia, contra Chaldæos, sed cadent, inquit, non defendent eam. Causam eius rei subiũgit, Ego percussi eos in furore meo: abscondi item vultum meũ ab eis. Quæ sanè vehementissima est loquutio, qualis illa propemodùm apud nos, Jch wils nit mer vor mir sähen. Cur verò nolit eorum misereri, subijcit, Propter omnẽ malitiam eorum. De qua iam dictum est sæpius.

Rursus uaticinatur de restitutione.

Secunda orationis huius parte feliciora subiungit, & ea exponit copiosius quàm priorem partem de calamitate institutam. Ampla & saluberrima sunt autem omnia quæ promittit, ac partim quidem præstita sunt, partim implebuntur adhuc: sicuti iam semel & iterum exposuimus. Prosequemur verò singula veluti per partes.

1. Deus est qui ad inferos ducit & reducit, idem ille vulnerat & sanat. Petita itaq; à re medica dicẽdi figura, fingit Deum esse medicum, populum autem captiuum & nos peccatores morbidos vulneribusq; consciſſos. Sunt autem vulnera vel ipsa peccata vel peccatorum pœnę, calamitates, & omnis generis mala. Nũc ait Dominus, Ecce ego adducam ei curationem & sanitatem, & medebor eis. Eandem verò rem pluribus eloquitur verbis, quòd velit remittere eis peccata, & liberare malis vel pœnis quibus afflixit. Solus autem Deus animarum medicus est. Medici dicuntur & ministri, sed non alia ratione, quàm quòd applicãt veram Dei medicinam per doctrinam. Alioqui enim virtus medendi est Dei solius, & manet solius Dei.

Deus adimplet suos omnibus bonis abundantissimè.

2. Aperiam eis, inquit, thesaurum pacis & fidei. Cuius quidem loci duplex est lectio, prior quam modo commemorauit: posterior, Dabo optionem, id est quantum optare possint pacis & fidei. Pax Hebræis est salus, incolumitas & felicitas, fides autem veritas & fidelitas, *triiw vnd warheit*. Alibi ait Dominus, Aperi os tuum, id est liberè & quantum volueris, pro animi tui desiderio, postulato, & adimplebo os tuum omni benedictione. Sed & Ioannes in Euangelio, De plenitudine eius, inquit, nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum exorta est. Abundantissimam ergo, vberrimam, fidelissimam & certissimam salutem consequuntur fideles à Domino.

Liberatio patet quàm latissimè.

3. Reducam, ait, captiuitatem, ita vt postea ipsis bene sit futurũ sicut antea: imò melius in multis. Hanc restitutionem promittit non modò tribui Iudæ: sed & omnibus Israelitis. Proinde errant qui arbitrantur vnam dũtaxat tribum Iuda esse reductam ex captiuitate. Christus reuera liberatos nos ex seruitute dæmonis, verè in libertatem spiritus restituit. Ioan. 8.

Mundat Deus ab omni iniquitate.

4. Significantius autem iam explicat quod subobscurius aliquantulum dixerat hactenus de liberatione & restitutione spirituali. Mundabo, inquit, eos ab omni iniquitate eorum, qua peccarunt contra me. Iniquitas ergo & peccata commissa contra Deum, sordes illæ sunt, quas extergit ac mundat Deus. Omnia hominum sunt cõtaminatissima, ipsa etiam hominis natura, bene quidem condita à Deo, sed male corrupta ab homine & serpente. Omnes enim peccatores & filij iræ sumus. Mundamur autem & repurgamur, vt sancti & iusti comparemus coràm Deo, per gratiam Dei, in sanguine Iesu Christi. Obseruandum est autem quod dicit, Ab omni iniquitate eorum. Deus enim nõ vnum & alterum duntaxat peccatum nobis condonat, non originale tantùm peccatum, nec veterum

terum duntaxat deleuit peccata, nobis nostra reliquit eluenda: sed omnibus ômnium sæculorum peccata omnia mundat, & omnes pœnitentium iniquitates tollit. Est enim Christus agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Testimonia huius rei euidentissima extant Isaiæ 53. 1. Ioan. 1. & 2. Roman. 5. cap. & 2. Cor. 5. Subdit mox, Ac propitius ero omnibus iniquitatibus eorum. En repetit omnibus, & quidem iniquitatibus, non tantùm peccatis. Videntur enim iniquitates peccatis esse grauiores. Nam sequitur, & perfidè à me defecerunt. Propitius erò dixit, pro eo quod superius enunciauit, Mundabo: propitiando ergo & condonando Deus mundat. Nec est vt cogitemus de corporali aliqua ablutione, nisi quatenus symbolo baptismi abluimur. Abluimur tamen & ibi per receptionem in gratiam, qua nos Deus gratis recepit.

5. Gratuitam verò illam peccatorum condonationem, & restitutionem populi sui dicit cessuram ad laudem & gloriam Dei. Nam gentes audituras prædicationem Euangelij, & iccirco admiraturas insignẽ illam Dei gratiam, omnia peccata hominibus tanta facilitate condonantis. Inde verò in laudes Dei resoluendas. Id quod videmus omnibus propè sæculis esse completum, & compleri etiam hodie. Et quidem ingens Dei gloria est, si confiteamur solum illum nos à peccatis repurgare. Tametsi enim multi offendantur per liberalem gratiæ Dei prædicationem, quam iudicant pertinere ad corruptelam multorum, qui tantò facilius peccent, quantò liberius audiunt gratiæ diuinæ prædicationem, electi tamen Dei sciunt Euangelio non plantari vitia, sed extirpari, plantari verò veram iustitiam & laudes Dei, gloriamq; Christi sempiternam. Ipsi gloria.

Perstat in eodem argumento, & amplius disserit de restitutione populi Dei.

CONCIO CXI.

Sic dicit Dominus, Adhuc audietur in loco isto (de quo vos dicitis quòd ipse sit vastatus, vt neq; homo neq; bestia sit in eo, in ciuitatibus inquam Iuda, & in plateis Hierusalem, quæ desolatæ sunt, vt neq; homo, neq; habitator, neq; iumentum sit in eo) vox lætitiæ, & vox gaudij, vox sponsi & vox sponsæ, vox dicentium, Laudate Dominum exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in sæculum misericordia eius: & hi afferent laudem in domum Domini: quia reducam captiuitatem terræ, sicut ab initio, ait Dominus. Sic ait Dominus exercituum, Adhuc erunt in loco illo vastato (in quo neq; homines sunt neque iumenta, & in omnibus ciuitatibus eius) tuguria pastorum, vbi cubare facient gregem. In ciuitatibus quoq; montanis, in ciuitatibus campestribus, atq; in ciuitatibus australibus, sed & in terra Beniamin & per circuitum Hierusalem, atq; in vrbibus Iuda, transibunt adhuc greges sub manibus minantis, ait Dominus. Ecce dies veniunt dicit Dominus, vt suscitem bonum illud verbum, quod loquutus sum super domum Israelis & super domum Iuda. In diebus illis & in tempore illo faciam germinare Dauidi germen iustitiæ: & faciet iudicium atq; iustitiam in terra. In diebus istis seruabitur Iuda, & Hierusalem habitabit securè: & hoc est quod vocabit eam Dominus iustitia nostra.

PErgit propheta in describenda restitutione. 6. Pluribus autem verbis promittit ipsos restitutum iri in integrum: ita vt vastata loca in vrbe, in oppidis & in agro sint rursus exti uenda & colenda, item nuptias & gaudia consueta iterum reditura, negotiationes quoque in vrbibus & in agro reparandas. Aper-

ta sunt omnia, insolitæ duntaxat loquutiones aspergunt difficultatem aliquam. De voce lætitiæ & voce sponsi dictum est antea. Legitur item, Sub manibus minantis & numerantis. Sub custodia & administratione enim pastorum greges numerati minantur & ducuntur in pascua. Quanquam ergo nunc omnia sint vastata, inquit, & desolata, redundabunt tamen omnia rursus hominibus, iumentis & pecoribus. Ac potest hic locus de ecclesia Christi exponi, vtpote quæ frequentissimè vastata à persequutoribus, quasi desolata est visa: sed restituit eam Dominus, missis iterum principibus ac pastoribus, qui gregem colligerẽt, & ecclesias passim reficerent. Qui verò huius rei exemplum viuum videre cupit, legat 8. & 9. lib. Ecclesiasticę historię Eusebij Cæsarien. Proinde nemo desperet hodie in grauissimis etiã tentationibus & persequution. Potest nos restituere & seruare Dominus.

Restituitur & vastata ecclesia.

Oblationes veræ fidelium.

7. Singulariter dicit fideles allaturos vel oblaturos hostiam laudis. De qua oblatione fusiùs [illegible]è dictum est aliàs, & scribit de eadem Apostolus ad Hebr. 13. Formulam quoq; certam sacrificij laudis componit, breuem quidem, sed plurima continentem, copiosiusq; expositam in Psalterio. Laudate, inquit, Dominũ exercituum. Et quæ sequuntur. Misericordia verò seu bonitas ac beneficentia Dei cõmendatur, vt & in Psalmis ante omnia: & dicitur illa esse iugis, non vnius quidem sæculi & paucis præstanda, sed omnibus sæculis & hominibus. Obseruemus autem quodnam sit Deo gratum sacrificium. Hodie certè non habemus vllum sacrificium Christiani propitiatorium, quàm Christi in primis semel oblati, & deinde gratulatorium laudis & dilectionis, mortificationisq; carnis nostræ. Caussa & excitatio huius sacrificij gratulatorij, non postrema cõmemoratur in præsenti, Quia reducam captiuitatem terræ, &c.

Restitutio patet latissimè.

8. Vt autem in fine cap. 32. longa enumeratione commemorauit, vbinam iterum ædificaturi & terram culturi sint reduces, ita hic quoq; repetit varia loca, in quibus reparãda sit res ciuilis & pastoritia. Per typum atq; per mysterium significatur restitutionem illam extendendam longè lateq;, & faciendam à Deo absq; personarum respectu. Ibidẽ & magna & diligens prædicitur futura pastorum in ecclesia, vel in grege Domini cura.

Vaticinium de Christo & Euangelio.

Post hęc manifestè incipit vaticinari de Christo, & gratia Euangelij eius. Appellat autem Euangelium, id quod reuera est, verbum bonum, seu annunciatiõ & negotiũ insignis gratiæ diuinæ, nimirũ per Christũ nobis exhibitæ, in quo nobis præstita est omnis plenitudo. Ioan. 1. Colos. 1. &c. Sæpius hoc promisit & de hoc loquutus est per prophetas suos, cum domo Israelis & Iuda. At in diebus illis, certè à Deo definitis (Hinc Matth. suum illud, In diebus illis, Matth. 3. petitũ esse videtur) præstitit Deus omnia quæ promisit, dum Christum Dominũ in mundum hunc misit. Sicut autem in cap. 23. Christum descripsit, sic eandem descriptionem hic repetit. Quo quidem nomine commendatior nobis esse debet hæc Christi descriptio, quòd inquã totidem propemodùm verbis hic repetitur. Tanto enim certior est. Expositionem eius petas licebit ex Concione 78. huius operis, &c. Diuersam duntaxat huius loci lectionem paucis hic annotabo & excutiam. Quidam enim legunt hic sicuti in cap. 23. Et hoc est nomen quo vocabunt eum, Dominus iustitia nostra. Alij legunt, Et hoc est quod vocabit eam, Dominus iustitia nostra. Prior lectio respicit ad Christum, posterior ad eius ecclesiam. Est autem inter Christum & eius ecclesiam omnium bonorum communicatio. Vnde cum Christus sit verus Deus, & iustus atq; adeò ipsissima iustitia, consequens est, eos qui sunt in consortio ecclesiæ, filios esse Dei, & iustitiam Christi fidelium esse iustitiam, sicuti clarè docet Apostolus in 2. ad Cor. 5. cap. Domino Deo nostro pro tantis beneficijs sit laus & gratiarumactio semper.

Ecclesia.

Validis-

Validissimè confirmat quæ hucusque protulit.

CONCIO CXII.

Quoniam sic dicit Dominus, Non excindetur Dauidi vir sedens in solio domus Israel: & de sacerdotibus Leuitis non excindetur vir à conspectu meo, qui sacrificet holocaustũ, & incendat sacrificium cibarium, & qui victimas faciat cunctis diebus. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam dicens, Sic dicit Dominus, Si irritum facere potestis fœdus meum cum die, & fœdus meum cum nocte, vt non sit dies & nox suo tempore, etiam irritum fieri poterit fœdus meũ cum seruo meo Dauide, quò minus filium habeat regnantem in solio suo, & cum Leuitis sacerdotibus ministris meis. Sicut enim exercitus cœlorum numerari non potest, neque arena maris metiri, sic multiplicabo semen Dauidis serui mei, & Leuitas qui mihi ministrant. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens, An non intellexisti quid populus iste loquatur? dicens, Duas familias, quas elegerat Dominus, eas abiecit: & populum meum despexerunt, vt non fuerit amplius gens coràm eis. Sic dicit Dominus, Si fœdus meum non (pepigi) cum die & nocte: si leges cœlis & terræ non dedi, iam semen Iacob & Dauidis serui mei repudiabo, quò minus accipiam de posteritate eius principes super semen Abrahæ, Isaac & Iacob. Reducam enim captiuitatem eorum, & miserebor eorum.

Confirmatio promissionum Dei validissimâ.

QVæ dixit superioribus ante hanc concionem verbis Ieremias, siue Dominus per Ieremiam de Christo & gratia noui Testamenti, ea modò validissimis confirmat argumentis, eademq; declarat. Oportet enim fidem nostram confirmari contra omnes tentationes, vt ea sit firma atque solida, necubi nutet. Et cum in excidio vrbis regiæ & templi atque in captiuitate populi suspicari poterant actum esse de omnibus promissionibus: ex aduerso astruit futuros ex prosapia Dauidis primores & populi Dei rectores, denique ex tribu Leuitica sacerdotes, (vnde cõsequens est & vrbem regiam reparandam fore cum templo) donec veniat verum Dauidis semen rex regum Christus, verus ille & vnicus pontifex secundum ordinem Melchizedek, qui futurus sit rex & sacerdos & vtrunque permansurus in sæcula. Congruit autem hic Ieremiæ locus insignis, cum vaticinio Iacobi prophetantis, Gen. 49. sceptrum non auferendum de Iuda, donec veniat Silo vel sospitator, salus, & felicitator beatissimus. Et quidem hoc factum esse, alibi copiosè & euidenti demonstratione ostendimus. At postquam venit promissus beatis patribus Christus Dominus, tum recepit regnum & consedit in solio Dauidis, manetq; in illo rex sempiternus. Ascendit enim in cœlum ac ibi sedet ad dexteram patris, subiectis sibi angelis, potentatibus, virtutibus & rebus in mundo omnibus. Manet ergo ipse rex regum & Dominus dominantium, regnans non modò in cœlis & in terra, sed & in omnium fidelium pectoribus. Præterea ministrarunt Domino Deo Leuitici sacerdotes à captiuitate Babylonica vsque ad aduentum Christi: quod ex primo capite Lucæ colligi potest. Vbi verò venisset Christus summus pontifex, & sese obtulisset Deo patri, ascendit in cœlos in tabernaculum & templum non manufactum, vt ibi compareat semper in conspectu Dei patris, eiusq; intercessio & oblatio semper sit efficax omnibus fidelibus, ipseq; sacerdos in æternum permaneat, secundum ordinem Melchizedek. De qua re fusissimè disputat sanctus Christi Apostolus in epistola ad Hebræos cap. 7. 8. 9. 10. Cæterùm cum audiamus Iesum esse regem & sacerdotem ecclesiæ suæ, non imaginabimur nobis

temporalia quædam cum Iudæis carnalibus, & rem nihil ad nos pertinentem. Noster est rex & sacerdos. Et cum sit noster rex & sacerdos Christus, certè noster est liberator, assertor, legislator & gubernator, nostra ille salus & redemptio est: & sicut vnicus rex est, ita sanè salus & redemptio & vita extra ipsum nulla est. Idem cum sit noster sacerdos, certè intercedit pro nobis ad dexteram patris, certè efficax est nobis ad propitiationem nostram eius vnica corporis & sanguinis sui hostia. Idem Christus Dominus noster facit omnes fideles, reges & sacerdotes, sicuti & beatus Petrus, 1. Pet. 2. & Ioannes Apocal. 1. docuit, vt sancti offerant Deo spirituales hostias. De quibus aliàs est dictum satis. Ita verò nunquam defuturi sunt reges & sacerdotes, manétque perpetuum & Christi & Christianorum sacrificium & sacerdotium. Abrogatum est autem corporale illud Iudæorum sacrificium & sacerdotium: sicuti futurum prædixit Daniel in cap. 9. Hic ergo & similes loci miseros Iudæos conuertere deberent, nisi saxis essent duriores.

Christus facit suos fideles reges & sacerdotes.

Confirmat autem ab impossibili & à legibus naturæ quę dixit de Christo, de gratia eius, & de Christianismo. Si possibile est vt suo tempore non luceat dies, & diei lucidæ subeat nox obscura, possibile erit, vt non veniat Christus & regnum suum recipiat, & Christianismum instituat. Possibile autem non est, vt leges naturæ soluantur: ergo possibile non est vt non veniat regnetq; Christus, vt non sacerdotio fungatur æterno, vt Christianos non faciat reges & sacerdotes, ac non cõseruet & amplificet eosdem. Insaniat ergo mundus cum omnibus suis principibus, viuet tamẽ & regnabit Christus, seruabitur eritq; ecclesia in finem vsq; sęculi, rumpantur vt ilia mundo & principi eius. Id quod singulos nostrum consolari debet in omnibus tentationibus atq; afflictionibus. Tractatus est hic locus etiam sub finem cap. 31.

Innumerabile est semen Domini.

Iam etiam adijcit sententiam illustrantem superiora, manifestissimeq; pronunciatam de Christianis, qui sunt spirituale semen Dauidis & Leuitæ spirituales, sicut & spirituale semen Abrahami. Carnale enim semen Abrahę, & Dauidis & Leui numerari potuit: at Christiani per vniuersum dispersi terrarum orbem instar stellarũ & arenæ in littore maris numerari non possunt. Consolantur hæc pusillamines afflictos propter paucitatem electorum.

Contra diffidẽtiam opponenda est hæc asseueratio.

Post hæc ipse vates commemorat vsum & finem huius suæ validæ confirmationis seu asseuerationis. Recenset enim obiectionem diffidentium Iudæorum, qui cernentes familias Israelis & Iuda, duas abductas in captiuitatem, vrbem captam & destructam, simul & templum deiectum, omnia instrumenta sacra deportata in Babylonem, in Babylone quoque irrideri & irritari captiuos à Babylonijs, (dicentibus, Vbi religio vestra? vbi Deus vester? Quondam quidem eratis liber populus, & vocabamini populus Dei, nunc verò desijt ac perijt omnis gloria vestra, populus Dei non estis, liberi non estis, sed serui nostri) &c. obmurmurabant Deo atq; dicebant, actum esse non tam de populo Dei, quàm de omnibus promissionibus Dei. Non enim amplius dominaturũ & promissis fruiturum amplissimis semen Dauidis, &c. Contra hanc inquam diffidentiã opponit vehementem illam suam asseuerationem Dominus, quam & sub finem orationis paucis repetit verbis. Coniungit autẽ semini Daudis semen Iacobi, vt manifestè intelligamus ipsum loqui de ecclesia Christianorum. Ita subijciens ait, Quò minus accipiam de posteritate eius, Iacobi inquam, & Dauidis, qui dominentur super semen Abrahæ, Isaac & Iacob. Nam perpetuus est rex Christianorum & totius orbis Christus, qui subinde ex sua familia emittit, qui administrent ecclesiam & gubernent nomine Christi fideles: sicuti & Zacharias 12. capite futurum prædixit, & aliâs quoque in suo vaticinio. Consolemur ergo nos mutuùm

mutuùm hac confirmatione, quoties videmur in hoc mundo periclitari de veritate promissionum Dei & de progressu Euangelico & bonis pastoribus. Semper enim aderit suæ ecclesiæ Dominus, & consolabitur eam, seruabi tq; ei promissa sua omnia fideliter, & dabit ei pastores secundum cor eius, &c. Concludit tandem orationem hanc, sicuti & superiorem clausula memorabili, Reducam enim captiuitatem eorum, &c. Cuius quidem insignis promissionis Dei semper meminisse debemus in omnibus nostris tentationibus, sperareq; in eius misericordiam & beneficentiam, cui laus sempiterna & omnis debetur gloria.

ORATIO IEREMIAE DECIMASEXTA.

CAPVT XXXIIII.

VErbum quod factum est ad Ieremiam (quum rex Babylonis Nabuchodonosor & omnis exercitus eius, & omnia regna terræ, quæ erant sub potestate manus eius, omnesq; populi oppugnarent Hierusalem & vrbes eius) dicens, Sic dicit Dominus Deus Israelis, Ito & dicito ad Zedechiam regem Iuda: dicito inquam ad eum, Sic dicit Dominus, Ecce ego trado ciuitatem istam in manum regis Babylonij, qui eam comburet igni: nec tu eripies te ex manu eius. sed certò comprehenderis, & traderis in manum eius. Oculi tui videbunt oculos regis Babylonici, & os eius tuum os alloquetur, & venies in Babylonẽ. Attamẽ audi verbum Domini, ô Zedechia rex Iuda, Sic dicit de te Dominus, non occumbes gladio, sed morieris in pace, & sicut combusserunt patres tuos reges antecessores tuos, ita comburent te: & væ domine plangent super te. Nam ego verbũ (hoc) loquutus sum, ait Dominus. Et loquutus est Ieremias propheta ad Zedechiam regem Iuda omnes sermones istos Hierosolymis cũ exercitus Babylonici regis oppugnaret Hierusalem & omnes ciuitates, quæ reliquæ erant, Lachis & Azeka, quæ adhuc reliquæ erant ex ciuitatibus Iuda munitis.

CAPITE 34 consignantur orationes duæ vatis Ieremiæ. Prior quæ ordine est XVI. planè denunciatoria est, & peculiariter fit ad regem Zedechiam, cui denunciat, vrbem Hierosolymorum & capiendam fore & inflammandam: ipsum verò regem capiendum ac abducendum in Babylonem, vbi sit moriturus & sepeliendus, non tamen citra omnem honorem. Videtur oratio hæc, satis libera, fuisse causa vinculorũ prophetæ. Cum enim has recitasset, voluit exire in Anathoth, sed in porta captus est, sicut audiemus cap. 39. Obseruanda verò in his veniunt, principiò insignis Dei bonitas. Nam habet Deus rationem huius Zedechiæ impij & populi admodùm rebellis, quibus adhuc iubet annunciare verbum suum. Fit hoc ipsum etiam hodie perfrequenter. Iccirco discamus & nos benigni esse, sicuti & pater noster benignus est & mitis, qui sinit Solem suum oriri super bonos & malos. Deinde discant omnes ministri verbi Dei, patientiam & constantiam, exemplo Ieremiæ, qui tametsi nullam gratiam iniret apud regem proteruum & populum ingratissimum, nihilominus tamen annunciat eis verbum Dei, sicuti iussus fuerat à Domino, & suum in omnibus officium fideliter facit.

Argumentum orationis 16.

Insignis Dei bonitas.

Temporis notatio quando hæc dicta sit oratio fusè cõsignatur, in qua & obsidionis difficultas comprehenditur. Eo tempore dicta est oratio hæc, cum consequente, quando Nabuchodonosor obsidione vrbem Hierosolymorum cinxisset, nono nimirum Zedechiæ anno. Fuit obsidio illa admodùm instructa, valida,

Obsidio vrbis valida.

& Iudæis obsessis per omnia formidabilis. Collectus erat exercitus ex omnibus regnis terræ, Nabuchodonosoris imperio subiectis. Erant nimirum ex singulis regnis collecti audacissimi quiq;, & rei militaris peritissimi, sanguinis sitibundi, & hoc magis formidabiles. Solet autem Deus huiusmodi virgas & baculos ad puniendum, illis, quos punire instituit, parare. Sic enim & varias Romanorum legiones immisit in terram Iudæorum, vltimo isto vrbis post Christi mortẽ excidio. Et potentes prius fecerat Romanos, tũc rerum dominos, vt hostes Dei validè premere & opprimere possent. Sic nunc fortem quoq; & omniũ regnorum potentem fecit Deus Nabuchodonosorem, vt posset Iudaicam gẽtem, Dei contemptricem, punire & subiugare. Cœperat mox ab initio omnes arces ciuitatesq; regni Iudaici, restabat ipsa duntaxat vrbs regia, cum bene munitis oppidis duobus, Lachi & Azeka', quæ & ipsa tandem cœpit. Non est enim consilium, nulla fortitudo contra Dominum.

Prophetarum periculosum officium.

Porrò singulariter mittitur propheta ad regem Zedechiam, quem Ieremias non ignorabat esse impium. Sed non decet ministros esse mutos propter periculũ ipsis impendens. Quinimò cũ publica pericula iminent, maximè vocales esse decet concionatores, cũ priuato periculo: id est tametsi sentiant hoc vergere in suum ipsorum exitium. Repetit autem, quod omnibus reperendum est concionatoribus suum illud, Dicit Dominus. Non enim prædicandæ sunt nostræ opiniones, sed annunciandum est verbum Dei, & magistratui & populo.

Traditur ciuitas à Deo in manus hostium.

Subiungitur modo oratio denunciatoria prophetę. Habet ea has partes. Ab initio dicit Dominus, Ego trado ciuitatem istam. Si nos retineat in sua cura & custodia Dominus, nihil nocuerint nobis omnes huius mundi potestates: sed si ille nos abiecerit & tueri cessauerit, certissimè actũ est de nobis. Oportebat itaq; reuereri & agnoscere hunc Deum nostrũ custodem, defensorem & conseruatorem atq; patronum. Oportebat viuere secundum leges eius, vt nos in manu sua conseruaret. Vrbs Hierosolymorum asciuerat sibi alios patronos, neq; patrocinio solius Dei erat contenta, violauerat leges eius, meritò ergo traditur ex manibus benigni Dei, in manus barbari principis. Addit regem inflammaturum vrbem & ignibus ipsam absumpturum. Sic enim expurgari & reformari oportebat eos, quos non excitare ad bonum, & perpellere ad reformationem iustam poterat verbi Dei prædicatio. Caueamus ô fratres, ne aliquando similia experiamur. Deus enim iustus est, & vindex est.

Dominus reformationem renuentes reformat per ignẽ. Isaiæ 1.

Rex Zedechias capiendus.

Mox & regi Zedechiæ sua fata denunciat. Conaturum quidem ipsum, ait, multa, sed frustra. Ex fuga enim comprehẽdendum & retrahendũ à Babylonijs, sistendumq; in conspectum principis Babylonij. Cuius aspectũ non potuit Zedechias non metuere. Nam ingentia erant beneficia Nabuchod. in Zedechiam & regnum Iudæorum collata: vicissim erant enormia maleficia, ingratitudo & perfidia sceleratis. Zedechiæ & populi contra Nabuch. Quomodo ergo potuit absque pudore & ignominia summa prodire in conspectum illius principis? Audiemus autem suo loco, quomodo Zedechias captus & productus sit in cõspectum regis Babylonij, & quomodo hic iudicia (vt solet loqui scriptura) cum ipso sit loquutus. Id totum in præsenti prædicit Ieremias: sed contemnebatur prædictio cum magna regis leuitate, quam mox verissimã esse sentiebat magna cum difficultate. Quod quidem multis etiam hodie vsu venire videmus. Discamus ergo reuereri verbum Dei.

Zedechias moriebatur non omnino inglorius.

Post hæc tamen dura & acerba satis fata, paulò lætiora, feliciora q; eidem regi denunciat, ipsum videlicet non occubiturum gladio, sed moriturum in pace, & sepeliendum cum regia magnificentia. Tribuendum hoc est, non vllis meritis Zedechiæ, sed merę bonitati Domini, qui ita quoq; regiã illam dignitatem

cum

cum honore voluit sepeliri. Vltimus enim regũ Iudaicorũ, ex prosapia Dauidis fuit hic Zedechias. Confidamus itaq; semper immensæ Dei bonitati. Honorem ergo deberi magistratui, licet parum respondenti suę dignitati, hinc colligimus. Honor ille donum Dei est, & magni fit ab hominibus non immeritó. Quoniam autem illa videbantur propè impossibilia, vt in Babylone sepeliretur rex captiuus cum honore, confirmat quod dixit Dominus, & ait, Nam ego verbum hoc loquutus sum: quasi diceret, idem sum potens hoc quod dixi in effectum producere. Credamus itaque omnibus Dei promissionibus. Nam potest Deus præstare ea quæ promittit. Cæterùm vetustissimus tumulandi vel sepeliendi mos fuit, terra cadauera adoperire. At nõ fuit vna sepeliendi ratio. De varijs sepeliendi ritibus dixi aliàs in hoc opere. Aza Rex Iuda legitur concrematus cum aromatibus 2. Paralip. 16. De planctu, Væ Domine, dixi cap. 22. Quocirca hic sum per omnia breuior. Illud duntaxat hic monebo, In pace mori, non esse id quod vulgo putatur, mori in quiete, vt nihil vspiam sit quod turbet. Nam Zedechias mortuus est in captiuitate, dum calamitas extrema vexaret populum Dei. In pace ergo moriuntur, vel qui aliena manu non iugulantur, aut morte violenta nõ intereunt, sed naturali lentáque morte extinguuntur: vel qui maturè moriuntur, & moriendo vel morte illa iua subducuntur calamitatibus maximis, ne eas videre & experiri cogantur. Cur autem Dominus sinat mori in pace Zedechiam, Ieremiam non item, aut cur in pace sustulerit Iosiam, Ieremiã supra 40. annos à morte Iosiæ, cum ingratissima gente & regibus sceleratissimis luctari & certare voluerit, tandem & lapidari bene meritum permiserit, ad occulta pertinet Dei iudicia, nec̃ nostrum est in illa inquirere curiosius. Quisq; spectet suam vocationem & patienter ferat crucem sibi impositam, nec inuideat alijs, si videat commodius ipsos viuere. S. Petrus audiuit à Domino, se sub senium martyrio consummandum: at cum ille Ioãnem dilectum vidisset discipulum, interrogat, quid sit cum ipso futurum? Sed audit, Si ipsum ita velim manere, donec veniam, quid hoc tua refert? Tu me sequere. Noli curare aliena: tuam vocationem considerato, & mihi adhæreto, me sequere, prout ego te duxero. De alijs alia erit cura. Hæc singuli nobis quoq; dicta esse putabimus.

In pace mori quid sit.

Cur Deus Zedechiã nequã voluerit mori in pace.

Ad finem huius orationis adijcitur breui historiola Ieremiæ obedientia, nimirum quòd omnia ita expediuerit, sicut mandauerat Dominus: vt & nos eius exemplo docti faciamus mandata Dei. Non timuit sibi à rege. Nemo ergo homines plus timeat quàm Dominum. Fideliter & absq; dilatione fecit, quod mãdauit Dominus. Faciamus ergo & nos fideliter, diligenter & maturè, quæcunque iniunxerit Dominus. Ei sit honor & gloria.

Obedientia Ieremiæ.

ORATIO IEREMIAE DECIMASEPTIMA.

Grauiter accusat Iudæos, quòd seruos manumissos semel, iterum sub seruitutis iugum retraxissent.

CONCIO CXIII.

VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, postquam rex Zedechias pepigisset fœdus cum omni populo Hierosolymitano, vt proclamaretur libertas, & quisq; manumitteret seruum suum, & quisq; ancillam suam, Hebræum & Hebræam liberos, ne quis vteretur eis tanquam seruis, Iudæo scilicet fratre suo. Consenserant autem omnes principes & omnis populus, qui hoc

fœdus inierant, vt quisq; manumitteret seruum suum, & quisq; ancillam suam, ne amplius eis vteretur tanquam seruis: & vt consenserant, (ita) manumittebant. Post hoc conuersi, repetiuerunt seruos & ancillas, quos manumiserant liberos, & adegerunt eos iterum, vt essent serui & ancillæ. Tunc factus est sermo Domini ad Ieremiam à Domino dicens, Sic dixit Dominus Deus Israelis, Ego fœdus pepigeram cum patribus vestris (eo die quo educerem eos de terra Aegypti, ex domo seruorum) dicens, A fine septem annorum manumittetis quisque fratrem suum Hebræum, qui tibi venditus fuerit: cum tibi sex annis seruierit, tum manumittes eum à te vt liber sit: at patres vestri non paruerunt mihi, neque inclinarunt aurem suam. Vos autem nunc reuersi eratis, & rectè feceratis in oculis meis, pronunciando libertatem, quisq; proximo suo: & pepigeratis fœdus in oculis meis, in domo, quæ vocatur nomine meo. Sed conuersi prophanastis nomen meum, & repetiuistis quisq; seruum suum, & quisq; ancillam suam, quos manumiseratis, vt liberi essent pro suo desiderio, & subiugastis eos denuò vt sint vobis serui & ancillæ.

Occasio Orationis 17.

AD finem vsq; capitis huius 34. consignatur Oratio Ieremiæ XVII. Præmittitur ei, per breuem historiolam, occasio, ex qua dicta est. Videtur omnino dicta esse à propheta circa principium obsidionis Hierosolymorum, nimirū nono Zedechiæ anno. Videntes enim Iudæi se cinctos esse obsidione graui Babyloniorum, audientesq; Ieremiam adhortantem eos ad emendationem vitæ, statuerunt semel liberos dimittere vel manumittere seruos & ancillas, quos hactenus contra æquissimam Dei legem in seruitute retinuerant tyrannicè: quò & ipsi liberarentur per Dei gratiam à tyranno Babylonio. Et quidem vti constituerant, manumiserunt seruos & libertati restituerunt omnes. Ac discedebat tunc ab obsidione Babylonius, proficiscens in occursum Ægyptio regi, sicut audiemus in capite trigesimo septimo. Mox verò vt discessisse viderunt Iudæi principem Babylonium, redeuntes ad ingenium in seruitutem iterum retraxere, quos prius libertate donauerant. Eam ob perfidiam increpat ipsos grauiter Ieremias, interminans eis & captiuitatem & interitum.

Orationis argumentum

Lex de manumittendis, libertateq; donandis seruis.

Porrò lex diuina, vnde totus hic locus est petitus, continetur Exodi 21. & Deut. 14. cap. Ea voluit Deus & mores in populo honestos confirmare, ne frequentes essent homines otiosi, mendici validi, fures & latrones, & consulere pauperibus, auaritiam item diuitum cohercere. Proinde pauperibus concessit oppignerare res suas, mutuoq; accipere à locupletioribus, quos etiam hortatur Dominus, ne sint in mutuo dando difficiles. Concessit item vendere & semetipsum & liberos opulentioribus pro certa pecuniæ summa. At hic ne logius progrederetur auaritia atrox diuitum, vetuit seruos & ancillas in septimum retinere annum, sed præcepit sexto quoque anno finito, liberos dimittere illos. De seruitute aliàs dixi copiosiora. Magistratus discat hinc æquis vtilibúsque legibus subuenire pauperibus, atq; cohercere diuitum auaritiam, qui suis artibus & diuitijs iniquis prorsus deijciunt, non iuuant, pauperes, tandem & respub. opprimunt & perdunt.

Humani ingenij malitia redeuntis in prauo ad ingenium.

Certè crudelis populus Iudaicus in præsenti obsidione cœperat sapere rectius, & ideò secundum legem Dei, libertatē restituebat oppressis: sed mox pœnituit eum beneficij collati, & retraxit iterum in captiuitatem vel seruitutem miseros. Declarat nobis hoc suo facto, quanta sit humani ingenij corruptela & malitia. Ferè enim omnes solemus in discriminibus maxima polliceri Deo, velutisi morbo oppressus sis, & cogites te, hoc quicquid mali est, ferre meritò, spondes Deo emendationem vitæ, at restitutus redis ad ingenium, omnicq; malitia temet

ipsum

ipsum veluti vincis. Alius incidit in latrones, aut periclitatur in mari aut bello, aureos montes tunc promittit Deo, liberatus vix obolum soluit, quinimò ingratus Deo, liberationem suam ascribit nescio quibus. Magna certè cæcitas est ingenij humani, quod non expendit apud se, Deum ipsa cordis intima spectare, nihil ipsum latere, ac potentem esse qui iterũ possit alio te implicare periculo & nouis adoperire calamitatibus. Timeamus ergo Deum, fratres, & si quando cœperimus benefacere, ne desinamus, sed pergamus & oremus Dominum, gratiam suam nobis adaugeat, vt possimus quod debemus. Habemus item in hoc regis populiq; Iudaici facto insigne & euidens documentum, regna & respublicas minimè diuturnas esse vel stabiles, in quibus bonæ leges, pro libidine aut commodo cuiuslibet vel figuntur, vel refiguntur: in quibus item iuramenta temere ac leuiter suscipiuntur, & rursus deponuntur aut violantur: denicq; in quibus libertas imbecillium opprimitur à potentioribus. Contempletur autem in hoc speculo semetipsam quælibet respublica, & expendat diligenter qualia sint eius facta, reuocata ad hæc tria iam recitata capita, &c.

Regna quando minimè sint stabilia vel diuturna.

Iam inspiciemus & paucis explicabimus Ieremiæ orationẽ contra perfidum populum & regem habitam. Actio videri poterat iniuriarum. Nam retrahendo libertate donatos in seruitutem, videbantur iniuria afficere & Deum ipsum qui ne hoc facerẽt inhibuerat, & quem, iuramentũ præstantes, testẽ aduocauerant: & ipsos seruos miseros, quos contra ius & phas opprimebant. Vt autẽ intelligerent perfidi grauiter se peccare contra Dominum, ab initio mox inducit ipsum Deum adducentem hac de re legem suam scriptam, Exodi 22. Vnde nos velut ex exemplo irrefragabili, discimus in concionibus sacris, quibus populi peccata accusamus, adducere leges Dei, vt pote ex quibus solis discitur quid bonum sit vel malum. In lege autem citata obseruanda est loquutio, A fine septem annorũ. Aiunt enim terminum esse à quo, id est initium, & ad quem, hoc est finem. In præsenti intelligendum esse aiunt finem à quo. Sequitur enim disertis verbis, Cum tibi sex annis seruierit. Proinde septimo vel in principio septimi seruus manumittebatur. Singulariter autem obseruandum est & illud, nõ sine causa citari à Deo beneficium liberationis ex Ægypto, ex domo seruorum vel seruitutis. Hoc enim animos ipsorum vehemẽter pungere debuisset. Indignissimum enim est, vt seruitute opprimat alium suæ gentis hominem, qui ipse fuit seruus, & Domini benignitate liber dimissus est. Multò indignius est, si liberi populi opprimantur ab illis, qui aliquando fuerunt serui, nunc autem sortis suæ obliti sunt. Grauiter punitur in Euangelio apud Matth. in cap. 18. qui conseruum suum propter debitum minutum torquebat, cum ipsi liberalitate heri sui ingens condonatũ fuisset debitum. Nihil itaq; dubitamus, illos grauissimis à Deo, tempore suo, supplicijs aut pœnis subdendos, qui cum ipsi liberati sint tyrannide Centaurorum, nihilominus confratres suos suis priuent priuilegijs, libertate spolient, & tyrãnide sua iniquissimè opprimant.

Oratio Ieremiæ actio iniuriarum.

Tyrannide homines opprimere.

Deinde citat exemplum patrum qui nunquam paruerint huic legi æquissimę Dei. Ergo exempla patrum non semper ad imitandum obijcienda sunt posteris, nisi in ijs quibus cum lege Dei congruunt. Opponit veterũ patrum exemplo, factum Iudæorũ nouum sub Zedechia cœptũ. Vos inquit, reuersi eratis, nimirũ à praua via & malo exemplo patrũ. & rectum feciſtis in meis oculis, &c. Beneficium hoc cõmendat atq; prædicat. Virtutes enim laudandę sunt. Rursus tamen increpat eos & vituperat, quòd nõ perstiterũt in beneficẽtia: sed perfidè mutato consilio, retraxerũt in seruitutem liberatos. Sic enim eos manumiserant liberos, vt ad animam suam, id est iuxta suum desiderium & arbitrium, pro sua inquãvolũtate viuerẽt. At vbi eos huius beneficij pœnituit, rursus retractos subiugarũt

Facta contra legem & secũdum legem.

seruituti: vt iam cogerẽtur ad aliorum viuere arbitrium. Id quod augetur quòd in domo Domini pepigerant fœdus, id est iureiurando confirmauerant hoc suum institutum de liberandis seruis & ancillis. Itaq; contra fidem Deo in templo datam, nunc perfidè repetunt quos dimiserant liberos. Violatio iuramenti præstiti quouis in loco nedum in templo vehementer auget istorum culpam. Vnde etiam sequitur, Et prophanastis nomen meum. Caueamus itaq; fratres, ne quando nos benefactorum pœniteat, nè quando violata fide publicè Deo & hominibus data recidamus in ea flagitia quæ deseruerамus, neue perfidia pol-

Recidiuum. luamus nomen Domini. Recidiuum grande est scelus, quemadmodum hinc colligimus. At nimium frequens est hodie inter homines hoc flagitium. Accusatur item à S. Petro grauiter in 2. epistola cap. 2. vbi eos qui recidũt in scelera abiecta, confert cum porcis & canibus, &c.

Magistratus officium. Illud quoque minimè negligendum videtur, quòd rex Zedechias vnà cum omnibus ciuibus Hierosolymis fœdus icit coràm Domino, ac sese pariter omnes obstrinxerunt legi diuinæ. Hinc enim colligimus, magistratus esse iureiurando legibus diuinis subdere. Factum enim regis & populi probat hoc loco Dominus. Sed & rex Niniuitarum cum audisset Ionæ prædicationem, omnibus mandauit humiliationem & pœnitentiam. Errant itaque dicentes, frustra edictis, legibus & iuramento, religionis negotia vrgeri à magistratu. Disputauit Augustinus quoque contra Donatistas, quatenus conueniat & quid vtilitatis afferat refragantes cogere. Dominus conferat nobis spiritum spontaneum, per quem regenerati, Dei voluntatem faciamus ad gloriam nominis eius.

Pergit in cæpto argumento Ieremias, ac pœnam denunciat perfidis.

CONCIO CXIIII.

Ideirco sic dicit Dominus. Vos non audiuistis me, vt pronunciaretis libertatem quisq; fratri suo, & quisque proximo suo: ecce ergo ego promulgo vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, & ad famem, & tradam vos in commotionem cunctis regnis terræ: viros inquam istos, qui fœdus meum transgressi sunt, neque rata habuerunt verba fœderis quod pepigerunt in conspectu meo, cæsa in duas partes bucula, transitu inter partes eius facto, principes inquam Iuda, primores Hierusalem, eunuchi, sacerdotes, & vniuersus terræ populus, qui transierunt inter partes buculæ, quos tradam in potestatem hostium suorum: & in manum eorum qui quærunt animam eorum, eritq; cadauer eorum esca volucri cæli & bestiæ terræ. Zedechiam verò regem Iuda & principes eius tradam in potestatem hostium eorum, & qui vitam eorum quarunt, atque in manum exercitus regis Babylonici, qui nunc recessit à vobis. Ecce autem ego præcipio, ait Dominus, & reducam eos in ciuitatem hanc, quam oppugnabunt & capient & igni incendent, & ciuitates Iuda desertas reddam, nè quisquam inhabitet.

Pœna debita perfidis & temeratoribus iuramentor. NVnc pœnam perfidis debitam sic commemorat, vt more suo subindè commisceat & culpam. Cogitet verò quilibet apud se paria sibi quoq; deberi, si culpa sit eadem. Proinde narratur hic res non aliena à nobis, sed maximè pertinens ad nos. Nam si timuerimus Deum & ambulauerimus in mandatis eius, huiusmodi supplicijs nos non subijciet. Oppositionem verò elegantem, sed horrendam, habet diuina contra præuaricatores sententia. Vos inquit, non audi-

stis me,

distis me, id est non obediuistis meæ legi, vt pronunciaretis liberos quos ego liberos dimittere iussi (Nam etsi manumisissent liberos, in seruitutem tamē eosdem retraxerant) proinde ego vos liberos pronunciabo, absolutos inquam ab omni felicitate, subiectos autem & velut in extremam seruitutem detrusos, vt seruiatis & subiecti sitis bellis, seditionibus, latrocinijs, pesti, morbis, fami, inopiæ rerum & calamitatibus omnibus, adde vt quocunq; deueniatis, ibidem nullibi habeatis sedem tutam & stabilem, sed per omnia regna terrarum ceu procellosa tempestate iactemini, & ab omnibus diuexemini. Hoc enim præmium debetur oppressoribus alienæ libertatis. Iudæi certè qui hodie viuunt, ista experiūtur. Quàm atrociter ergo punientur à Domino, qui libertatem Christianam ferro & flamma persequuntur, & quantum possunt opprimunt?

Inter hæc manifestè coarguit & taxat perfidiam populi Dei ac periurium. Nam superius audiuimus, authore rege Zedechia, fœdere, non sine iureiurando, coaluisse vniuersum cum potētioribus populum, ac se astrinxisse ad legem, quæ septimo quoq; anno iubet libertati restituere seruos. At contra iuramentum præstitum, retraxerant seruos libertate donatos in seruitutem: quam perfidam iniuriam & iuramenti impiam prophanationem grauiter accusat propheta, vel ipsemet Dominus per prophetam, ac vocat fœdus & iuramentum, quo se illi astrinxerant, non Zedechiæ & populi, sed suum ipsius fœdus. Dominus enim fœdera & iuramenta, quæ facimus sub inuocatione nominis eius & in rebus bonis, sua fœdera & iuramenta reputat. Quo illud etiam pertinet quod dicit, Pepigistis in conspectu meo. Deus enim spectator est fœdera pangentium & iuramenta præstantium. Idem ipse quoq; corda iurantium aspicit & perrimatur. Hæc expendant apud se iurantes ac iuraturi. Grauissima enim culpa est iurare leuiter, aut quæ iuraueris bene, non præstare optimè. Præterea adiungit ritum iuramento sese obstringentium. Varij quidem leguntur apud authores fuisse ritus iurantium. Alij enim manibus tenebant lapidem, ac dicebant, Nisi hæc & illa fecero, abijciat me Iupiter, sicuti ego hunc lapidem abijcio. Alij lapide, vel agnum vel porcam feriebant, atq; adijciebant, Ita feriat & sternat me Deus, nisi hoc vel illud fecero. Leguntur hæc apud Liuium & alios historicos, apud Erasmum in Prouerb. Iouem lapidem iurare, & apud Lilium Greg. Gyral. Syntag. 2. Vetustissimus verò mos fuit in duas partes diuidere buculam, agnum aut capram, vel vitulum, (sicut apparet ex facto Abrahæ Genesi 15.) & partes ex opposito collocare, & mox per medium partium ambulare. Significabat hæc cæremonia, Deum esse spectatorem iuramentorū, & perfidos iuramentorúmque temeratores medios dissecturum aut in frusta laceraturum. Certè veteres violatores iuramentorum fœdifragósque discerpebant in frusta, aut dissecabant in partes. Quis enim nesciat decantatū illud Maronis?

Ritus iuramentā præstantiū.

Post ijdem inter se posito certamine reges,
Armati Iouis ante aras, paterasq; tenentes
Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.
Haud procul inde, citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatq; viri mendacis viscera Tullus.

Historia regum commemorat vltimo capite, omnes principes Zedechiæ coram Nabuchodonosore dissectos esse gladio. Alij & plerique ex populo bestijs obiecti sunt, vt mortua raptarent deuorarentq; cadauera. Sic non frustra transierunt per diuisos animantium artus. Quid ergo expectent Christiani, qui manum Deo in cœlis præsidenti, quasi protendunt, manuq; data, fidem spondent, quam nisi quis præstet, auxilio Dei sese exemerit? Si inquam iuramenta manu

eleuata ad dominum in cœlum non præstiterint fideliter? Digni enim sunt qui nullum Dei sentiant auxilium.

Et quidem multis commemorat propheta deum traditurũ periuros in manum hostium. Sed & ordine numerat ordines magnatum, principes, proceres, eunuchos seu cubicularios & aulicos, &c. ne quis sibi impunitatem polliceretur. Omnes enim perfidi siue periuri, quales quales sint, certò punientur à Domino. Ac singulariter mentio fit Zedechiæ regis. Nam huius officij erat curare ne temere violaretur iuramentum. Nunc cum tantam perfidiam dissimulat, dignus est, qui desertus à deo, hostibus suis tradatur. Nemo ergo dubitet reges, principes ac magistratus atrociter puniendos à domino, si non summa diligentia inuigilauerint iuramentorum & fœderum atque pactorum veritati & integritati.

Sed & grauissima sententia concludit hunc locum, omnia mala veluti nimbo quodam effundens in capita perfidorum. Recesserat quidem Nabuchodonosor soluta obsidione. Quoniam verò fidem Deo datam, non seruarunt Iudęi, ideò Dominus, Ecce ego mandabo regi, vt redeat & instauret continuetque obsidionem: nec obsideat tantum, sed & oppugnet, capiat, cædes misceat, vrbem diripiat, ignibus inflammet, comburat, & ad solum omnia deiiciat, reliquiásque gladij in captiuitatem abducat, denique totam Iudæam reddat desertam. Quid his vel fingi poterat crudelius & horribilius? Sed hæc debentur iusto Dei iudicio perfidis & periuris. Dominus Deus noster liberet nos à lingua dolosa, & conferat veritatem & constantiam in omni bono. Amen.

ORATIO IEREMIAE DECIMAOCTAVA.

Iubentur Rechabitæ à Ieremia vinum bibere, quod renuunt, ac de institutis & moribus eorum.

CAPVT XXXV.

CONCIO CXV.

VErbum quod factum est à Domino ad Ieremiam, in [illegible]s Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, dicens, Abi ad [illegible]num Rechabitarum, & loquere cum eis, & introduc eos in domum Domini in cubiculorum aliquod, & da eis vinum bibere. Accepi ergo Iazaniam filium Ieremiæ filij Habazniæ, & fratres eius & omnes filios eius, & omnem familiam Rechabitarum & adduxi eos in domum Domini, in cubiculum filiorum Hanan filij Igdaliæ, viri Dei, quod erat iuxta cubiculum principum, quod erat supernè ad cubiculum Maasiæ filij Sallum custodis liminis. Et posui ante filios familiæ Rechabitarum cyphos plenos vino atque calices, & dixi eis, Bibite vinum. Qui dixerunt, Non bibemus vinum. Quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens, Ne bibatis vinum, neq; vos, neque filij vestri in æternum. Domum ne ædificaueritis. Sementem ne seueritis. Vineam ne plantaueritis, neque sit vobis. Sed in tentorijs habitate cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua peregrini estis. Paruimus ergo voci Ionadab filij Rechab patris nostri in omnibus quæ præcepit nobis, vt neque vinum bibamus cunctis diebus nostris,

noſtris, neq; nos neq; vxores noſtræ, neq; filij noſtri, aut filiæ noſtræ, neq; domus ædificamus pro habitationibus noſtris, neque vinea aut ager aut ſementis eſt nobis, ſed habitamus in tentorijs, & obedimus & facimus iuxta omnia quæ præcepit nobis Ionadab pater noſter. Sed nunc factum eſt cum Nabuchodonoſor Babyloniæ rex aſcenderet in terram, vt diceremus, Agite, demigremus Hieroſolyma, metu exercitus Chaldæorum, ac metu exercitus Syriaci. Habitamus itaq; Hieroſolymis.

IEREMIAS verſatus eſt hactenus & verſatur adhuc in tractatione captiuitatis Babylonicæ, & in excidio gentis Iudaicæ, & vrbis Hieroſolymitanæ ſub Zedechia: nunc verò commemoratur oratio, quæ alioqui ordine decimaoctaua eſt, & habita eſt ſub Ioachim prædeceſſore Zedechiæ, fortaſsis anno regni eius ſeptimo, vt intercedāt anni circiter duodecim vel tredecim. Nam quæ præceſſerunt, dicta ſunt circiter decimum Zedechiæ annū. Ergo diſpoſitio artificialis & arbitraria, non naturalis hic ſeruatur. Et quidem non abs re in præſenti collocatur hæc oratio. Ex ea enim inclareſcit, iuſto & æquiſsimo Dei iudicio & vrbem exciſam, & populum conciſum, reliquiasq; abductas eſſe in captiuitatem: nimirum quòd pergerent incurabiliter & prodigioſe eſſe rebelles Domino Deo clementiſsimo, & beneficentiſsimo patri ipſorum. Eſt enim hæc Oratio grauis increpatio ſtupendæ rebellionis ipſorum, & maximi contemptus Dei. In hunc enim finem adducit exemplum Rechabitarum, qui nullo modo abduci potuerunt à diligentiſsima paternarum traditionum obſeruatione, vt reluceret enorme ſcelus Iudæorum, aſpernantium legem non modò patrum, ſed optimi, ſummi, clementiſsimiq; patris cœleſtis: vtpote qui nulla ratione adduci potuerunt ad vllam legis diuinæ obſeruationem. Vnde meritò certiſsimum eis denunciat interitum.

Ordo & ratio ordinis ſermonum Ieremiæ.

Quoniam verò propoſiturus erat Ieremias Iudæis exemplum Rechabitarum, breui narratiuncula, qua exponit quid iuſſus à Deo, egerit cum Rechabitis, inſtituta ipſorum moresq; perſtringit. Deinde verò hoc exemplum, vel hanc actionem applicat ſuo inſtituto & eruditioni populi aut ſermoni denunciationiq; ſuæ grauiſsimæ. De Rechabitis verò his hæc paucula ex ſcripturis oſtendere poſſumus. Fit eorum mentio in 2. cap. prioris libri Paralipomenon ſub finem capitis. Videntur originem ſuam ducere ex Abraham & Cethura. Iethro enim ſocer Moſis, Madianita & Madian appellatur, qui & ipſe recenſetur in hac noſtra proſapia. Cinæi aliâs dicuntur Rechabitæ hi, ac varijs in locis Nomadum more habitarunt. Leguntur Iudicum 2. cum tribu Iuda migraſſe ex vrbe Palmarum (quam interpretes volunt eſſe Iericho, vrbem palmeto nobilem) in deſertum Iuda. Mentio fit eorum & Iudicum 4. vbi Iahel vxor Cinæi cuiuſdam Heberis, clauo per tempora transfixo, Siſaram militiæ principem ethnicæ confecit. Et Saul exciſurus Amalechitas, Cinæos prius monet, vt migratione conſulant ſuæ ſaluti. Ionadabi verò filij Rechab, cuius hic fit mentio, meminit ſcriptura ſacra in rebus Iehu regis Iſraelitici 4. Regum 10. cap. Ex qua hiſtoria apparet, tametſi circunciſi eſſent, nihilominus tamen inter Gentes recenſerentur, ſicuti & Iſmaelitæ & Idumæi deſcendentes & ipſi ab Abraham, ſed non per Iſaac & Iacobum, licet inquam in cenſu populi Dei non eſſent, idololatram tamen non fuiſſe Ionadabum, ſed eximium Dei cultorem veri: vtpote qui à rege Iehu aſſumptus ſit ſpectator ſupplicij de idololatris & impijs hominibus Achabicis & Baaliticis ſumendi. Eam verò religionem haud dubiè ſuis tradidit poſteris, quam ſequerentur. Inſtituta enim & mores qui hic commemorantur, non pertinent ad rationem vitæ æternæ conſequendæ; quaſi fuerit hæc ipſorum

De Rechabitis quid tradat ſcriptura.

Ionadab filius Rechab.

Qualia fuerint instituta Ionadabi, & qualis eius religio.

religio, qua Deum coluerint, & non bibendo vinum, nullas extruendo ædes, salutem per habitationem in tabernaculis consequi voluerint. Religionem enim, & rationem salutis consequendæ nullus Rechabita, nullus denique homo, qualis qualis sit, constituere potest Solus Deus qui vitam largitur æternam, solus inquam ille religionem tradit & ostendit vias vitæ, & rationem cultus veri. Quam sequi oportet omnes in vniuerso mundo homines, si modò salui esse velint: qui sanè salute vera excidunt, si ab vnica illa, à Deo tradita religione, excidant aut aberrent. Neque enim possunt variæ esse rationes veræ salutis, & veræ religionis. Vnus est Deus verus, qui solus est adorandus, inuocandus & colendus, atque ita vt ipse prescribit, non vt nobis ipsis ex nobis ipsis confingimus homines, colendus est. Vna est iustitia & salus, & vita æterna, in vnico Dei filio per fidem veram. Cui quidem Dei filio præluxere cùm patriarcharum tum prophetarum temporibus formæ vel typi varij. Ex fide verò subnascuntur verè bona opera, & pietatis exercitia. Ab hac vnica & vera religione non alienos fuisse Rechabitas, & in primis Ionadabum certum est. Nisi enim huius religionis fuit, aut si salutem in hisce institutis in præsenti recitatis quæsiuit, amicus Dei non fuit. Proinde pertinent hæc instituta quæ commemorantur à Ieremia, ad externam vitæ cõuersationem, recensenda vtiq; inter politica, iuxta quæ omnes qui commodè & honestè in hoc sæculo viuere volunt, animum applicant vel ad opificium aliquod manuarium, vel ad agriculturam, vel ad negotiationem aliquam aliam honestam & commodam, ex qua ipse cum vniuersa domo viuat absq; aliorum hominum oppressione aut molestia. Vnde significanter sub finem institutorum, finis harum institutionum adijcitur. Vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua peregrini estis. Tradidit ergo Ionadab posteris suis huiusmodi viuendi genus, quod maximè commodum videbatur, & conducere in primis ad longæuam vitam parandam.

Ne extruxeritis domos.

Ac illa quidem instituta perstringemus iam paucis. Prima lex erat, ne domos extruerent, sed in tabernaculis habitarent, id est, ne inhabitarent oppida aut exercerent mechanicas artes, sed pastoritiam & rem pecuariam exercerent. Certè sancti patriarchæ tales fuisse videntur, qui & ipsi in tabernaculis habitarunt & pastoritiam exercuerunt. Est enim hæc negotiatio omnium innocentissima. S. Paulus existimat illos habitasse sub tentorijs, vt testificarentur se hic non habere ciuitatem manentem, sed esse peregrinos, & patriam aliam quærere, cœlestem. Admonemur certè fragilis & momẽtaneæ nostræ vitę per tabernacula, & vt mundana & luxum strepitumq; mundi huius contemnamus. Sed & in vrbibus conspicitur ferè colluuies omnium scelerum: dum in his ex varijs regionibus coeunt ingenia petulantia, & quisque ex suis partibus corruptelas, luxum & stultitiam secum adfert: quam mox ciues, vt humanum genus rerum peregrinarum est cupidissimum, recipiunt corrumpunturq;, insaniæ nonnunquam exaggerantes insaniam. Proinde non absre Ionadab ex ciuitatibus posteros suos in agros atque campos inuitauit, quò minus corrumperentur, & viuerent magis secundum naturam, quàm secundum prodigiosas corruptorum hominum artes.

Ne feceritis sementem.

Secunda lex erat, Ne facerent sementem, néue agriculturę sese dederent: nimirum quòd per hanc retraherentur in vrbes, & implicarentur mercaturæ. Ex qua existunt & luxus & impostura varia: à quibus ille suos posteros quàm alienissimos esse voluit.

Ne biberitis vinum.

Tertia lex erat, Ne vllam vel ipsi vineam plantarent, vel plantatam ab alijs possiderent, atq; adeò ne in vniuersum vllum vnquam vinum, vel ipsi vel familiæ eorum biberent. Vini vsum aliàs & Deus sacerdotibus ad arã accedentibus,

& Naza-

& Nazareis prohibuit, idq; ratione certa. De qua dictum est aliâs. Vinũ alioqui bona est Dei creatura, & huius vsum prohibere hominibus, est dæmoniacã ferre legem, vti Apostolus testatur 1. Tim. 4. qui in illa ipsa epistola Timotheo eidem præcipit, vt vino vtatur: sed addit modico, propter stomachum. Vinum enim dedit Deus hominibus & ad potum necessarium, & ad medicinam, & ad lætitiam: sicut Dauid manifeste dicit Psal. 103. Si immodicè sumatur, materia & caussa est morborum, & non potat nec lætificat, sed insanos, tristes & miseros reddit. Quoniam itaq; vini abusus solet innumera homini vino abutenti mala conciliare, Ionadab suos voluit ab ipso abstinere prorsus. De incommodis & iactura irreparabili abusus vini dictum est aliâs, & ab alijs. Quocirca hanc tractationem hic prætereo. Quòd si supputes annos in vniuersum quibus posteri Ionadab vixerunt in traditione patris sui, numerabis à 3. anno Iehu, ad 7. Ioachim circiter ducentos octoginta annos. Fuit ergo exemplum hoc memorabile, diligentissimæ obseruationis paternæ traditionis, & quod euidenter potuisset ruborem inducere Iudæis, nisi caruissent fronte, quòd ipse Deus benignissimus pater ante 885. annos per Mosen suam legem tradidisset Iudæis, qui tamen nullo vnquam tempore obseruarunt, imò nunc sub Ioachim eandem planè aspernabantur & conculcabant.

Exemplum Rechabitarum nihil iuuat Monachos.

Abutuntur turpiter hoc loco monachi, volentes ex ipso approbare vitã suã religiosam vel monasticam. Nam non expendunt, quòd factum Rechabitarum non pertinet ad religionem: monachi autem vitam suam nuncupant vitam religiosam: deinde quòd Rechabitæ pastores fuerunt, non monachi: quodq; vinum non biberunt, quo fœdissimè abutuntur monachi: qui item habẽt domos & fundos & regales opes atq; delitias. Poterant huius generis alia multa adduci, quibus ostenderetur, si necessarium esset, exemplum Rechabitarum nihil facere ad stabiliendum monachismum. Nos autem discimus ex instituto moribusq; Rechabitarum, non extruere ædes amplas & sumptuosas, non obliuiscí nostræ mortalitatis & infirmitatis, sed agnoscere potius vitam nostram similem esse frondibus ac tabernaculis. Discimus præterea moderatè vti rebus præsentibus, cauereq; modis omnibus ne implicemur nimium negotijs huius sæculi, crapulæ & ebrietati.

Quid doceat exemplum Rechabitarum.

Traditiones humanæ.

Porrò humanæ traditiones profectæ à patribus, & conditæ in Concilijs vel extra Concilia, non approbantur, vel Ionadabi legislatoris, vel Rechabitarum exemplo: quasi nunc quoq; liceat fideles humanis itretire legibus. Quin potius commendatur nobis in præsenti diligentissima diuinæ legis obseruatio. Ita enim colligit Ieremias: Si Rechabitæ humanis paruerunt legibus, quanto magis vos obedire debetis diuinis? Status enim diuini vatis est, turpissimum esse præterito aut contempto patre cœlesti, eius leges aspernari, ijsq; non obedire. Sunt autem loci scripturarum alij plures, qui docent libertatem Christianorum minimè opprimendam esse legibus vel traditionibus humanis. Paulus, Pretio magno empti estis, ait: nolite hominum fieri serui. Nota sunt testimonia huic paria in epistola ad Galat. & Colosſ.

His expositis vtcunq;, redimus modò ad argumentum Ieremiæ. Iubet Deus hunc abire ad ædes Rechabitarum, & ipsos ex suis ædibus in templũ Domini sanctum producere in cellam vel conclaue aut cubiculum aliquod. Nam erant extructa in lateribus templi tabulata aut cubicula (Lutherus nuncupat sacella) in quibus sacra vasa asseruabantur, in quibus item agebant sacerdotes seruientes in suo ministerio. Erat eorum vsus varius ac sacer: sicuti nostra ætate sunt ad templa extructa ædificia, quæ vulgò nuncupantur Riist (alij corruptè Triſt) kamer. Certè cubiculum in quod Rechabitas induxit, diligenter

Qualia fuerint institutа Ionadabi, & qualis eius religio.

religio, qua Deum coluerint, & non bibendo vinum, nullas extruendo ædes, salutem per habitationem in tabernaculis consequi voluerint. Religionem enim & rationem salutis consequendæ nullus Rechabita, nullus denique homo, qualis qualis sit, constituere potest Solus Deus qui vitam largitur æternam, solus inquam ille religionem tradit & ostendit vias vitæ, & rationem cultus veri. Quam sequi oportet omnes in vniuerso mundo homines, si modò salui esse velint: qui sanè salute vera excidunt, si ab vnica illa, à Deo tradita religione, excidant aut aberrent. Neque enim possunt variæ esse rationes veræ salutis, & veræ religionis. Vnus est Deus verus, qui solus est adorandus, inuocandus & colendus, atque ita vt ipse prescribit, non vt nobis ipsis ex nobis ipsis confingimus homines, colendus est. Vna est iustitia & salus, & vita æterna, in vnico Dei filio per fidem veram. Cui quidem Dei filio præluxere cùm patriarcharum tum prophetarum temporibus formæ vel typi varij. Ex fide verò subnascuntur verè bona opera, & pietatis exercitia. Ab hac vnica & vera religione non alienos fuisse Rechabitas, & in primis Ionadabum certum est. Nisi enim huius religionis fuit, aut si salutem in hisce institutis in præsenti recitatis quæsiuit, amicus Dei non fuit. Proinde pertinent hæc instituta quæ commemorantur à Ieremia, ad externam vitæ cõuersationem, recensenda vtiq; inter politica, iuxta quæ omnes qui commodè & honestè in hoc sæculo viuere volunt, animum applicant vel ad opificium aliquod manuarium, vel ad agriculturam, vel ad negotiationem aliquam aliam honestam & commodam, ex qua ipse cum vniuersa domo viuat absq; aliorum hominum oppressione aut molestia. Vnde significanter sub finem institutorum, finis harum institutionum adijcitur. Vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua peregrini estis. Tradidit ergo Ionadab posteris suis huiusmodi viuendi genus, quod maximè commodum videbatur, & conducere in primis ad longæuam vitam parandam.

Ne extruxeritis domos.

Ac illa quidem instituta perstringemus iam paucis. Prima lex erat, ne domos extruerent, sed in tabernaculis habitarent, id est, ne inhabitarent oppida aut exercerent mechanicas artes, sed pastoritiam & rem pecuariam exercerent. Certè sancti patriarchæ tales fuisse videntur, qui & ipsi in tabernaculis habitarunt & pastoritiam exercuerunt. Est enim hæc negotiatio omnium innocentissima. S. Paulus existimat illos habitasse sub tentorijs, vt testificarentur se hic non habere ciuitatem manentem, sed esse peregrinos, & patriam aliam quærere, cœlestem. Admonemur certè fragilis & momẽtaneæ nostræ vitę per tabernacula, & vt mundana & luxum strepitumq; mundi huius contemnamus. Sed & in vrbibus conspicitur ferè colluuies omnium scelerum: dum in his ex varijs regionibus coeunt ingenia petulantia, & quisque ex suis partibus corruptelas, luxum & stultitiam secum adfert: quam mox ciues, vt humanum genus rerum peregrinarum est cupidissimum, recipiunt corrumpunturq;, insaniæ nonnunquam exaggerantes insaniam. Proinde non abs re Ionadab ex ciuitatibus posteros suos in agros atque campos inuitauit, quò minus corrumperentur, & viuerent magis secundum naturam, quàm secundum prodigiosas corruptorum hominum artes.

Ne feceritis sementem.

Secunda lex erat, Ne facerent sementem, néue agriculturę sese dederent: nimirum quòd per hanc retraherentur in vrbes, & implicarentur mercaturæ. Ex qua existunt & luxus & impostura varia: à quibus ille suos posteros quàm alienissimos esse voluit.

Ne biberitis vinum.

Tertia lex erat, Ne vllam vel ipsi vineam plantarent, vel plantatam ab alijs possiderent, atq; adeò ne in vniuersum vllum vnquam vinum, vel ipsi vel familiæ eorum biberent. Vini vsum aliàs & Deus sacerdotibus ad arã accedentibus,

& Naza-

& Nazareis prohibuit, idq; ratione certa. De qua dictum est aliâs. Vinū alioqui bona est Dei creatura, & huius vsum prohibere hominibus, est dæmoniacā ferre legem, vti Apostolus testatur 1. Tim. 4. qui in illa ipsa epistola Timotheo eidem præcipit, vt vino vtatur: sed addit modico, propter stomachum. Vinum enim dedit Deus hominibus & ad potum necessarium, & ad medicinam, & ad lætitiam: sicut Dauid manifeste dicit Psal. 103. Si immodicè sumatur, materia & caussa est morborum, & non potat nec lætificat, sed insanos, tristes & miseros reddit. Quoniam itaq; vini abusus solet inhumera homini vino abutenti mala conciliare, Ionadab suos voluit ab ipso abstinere prorsus. De incommodis & iactura irreparabili abusus vini dictum est aliâs, & ab alijs. Quocirca hanc tractationem hic prætereo. Quòd si supputes annos in vniuersum quibus posteri Ionadab vixerunt in traditione patris sui, numerabis à 3. anno Iehu, ad 7. Ioachim circiter ducentos octoginta annos. Fuit ergo exemplum hoc memorabile, diligentissimæ obseruationis paternæ traditionis, & quod euidenter potuisset ruborem inducere Iudæis, nisi caruissent fronte, quòd ipse Deus benignissimus pater ante 885. annos per Mosen suam legem tradidisset Iudæis, qui tamen nullo vnquam tempore obseruarunt, imò nunc sub Ioachim eandem planè aspernabantur & conculcabant.

Abutuntur turpiter hoc loco monachi, volentes ex ipso approbare vitā suā religiosam vel monasticam. Nam non expendunt, quòd factum Rechabitarum non pertinet ad religionem: monachi autem vitam suam nuncupant vitam religiosam: deinde quòd Rechabitæ pastores fuerunt, non monachi: quodq; vinum non biberunt, quo fœdissimè abutuntur monachi: qui item habēt domos & fundos & regales opes atq; delitias. Poterant huius generis alia multa adduci, quibus ostenderetur, si necessarium esset, exemplum Rechabitarum nihil facere ad stabiliendum monachismum. Nos autem discimus ex instituto moribusq; Rechabitarum, non extruere ædes amplas & sumptuosas, non obliuisci nostræ mortalitatis & infirmitatis, sed agnoscere potius vitam nostram similem esse frondibus ac tabernaculis. Discimus præterea moderatè vti rebus præsentibus, cauereq; modis omnibus ne implicemur nimium negotijs huius sæculi, crapulæ & ebrietati.

Exemplum Rechabitarum nihil iuuat Monachos.

Quid doceat exemplum Rechabitarum.

Porrò humanæ traditiones profectæ à patribus, & conditæ in Concilijs vel extra Concilia, non approbantur, vel Ionadabi legislatoris, vel Rechabitarum exemplo: quasi nunc quoq; liceat fideles humanis irretire legibus. Quin potius commendatur nobis in præsenti diligentissima diuinæ legis obseruatio. Ita enim colligit Ieremias: Si Rechabitæ humanis paruerunt legibus, quanto magis vos obedire debetis diuinis? Status enim diuini vatis est, turpissimum esse præterito aut contempto patre cœlesti, eius leges aspernari, ijsq; non obedire. Sunt autem loci scripturarum alij plures, qui docent libertatem Christianorum minimè opprimendam esse legibus vel traditionibus humanis. Paulus, Pretio magno empti estis, ait: nolite hominum fieri serui. Nota sunt testimonia huic paria in epistola ad Galat. & Coloss.

Traditiones humanæ.

His expositis vtcunq;, redimus modò ad argumentum Ieremiæ. Iubet Deus hunc abire ad ædes Rechabitarum, & ipsos ex suis ædibus in templū Domini sanctum producere in cellam vel conclaue aut cubiculum aliquod. Nam erant extructa in lateribus templi tabulata aut cubicula (Lutherus nuncupat sacella) in quibus sacra vasa asseruabantur, in quibus item agebant sacerdotes seruientes in suo ministerio. Erat eorum vsus varius ac sacer: sicuti nostra ætate sunt ad templa extructa ædificia, quæ vulgò nuncupantur Riist (alij corrupte Trist) Kamer. Certè cubiculum in quod Rechabitas induxit, diligenter

describit Ieremias, in hoc mirificè apparat pocula, quæ & proponit, ac ita commendat Rechabitis, vt mirum sit ipsos templi & exedræ religione, iussu prophetæ, & vasorum vel poculorum viniq; præstantia elegantiaq;, non fuisse permotos ad bibendũ. Sed non possunt vlla re dimoueri à paterna traditione. Respondent enim cordatè, se nunquam bibisse vinum, neq; bibituros vnquam vinum; Quæ quidem constantia laudem meretur. Vtinam à nostris hominibus impetrari posset, non quidem humana, sed diuina lege, non vt in vniuersum abstinerent à vino, sed moderatè & sobriè illo vterẽtur. Quod cum non fit, quid mirum sit, si omnia redundent calamitatibus?

Nihil autem laboro, visio hæc sit, an res gesta per prophetam. Vtrunque enim non est vero dissimile. Et cum Ieremias eis obiicere potuisset, Cur nunc agitis in vrbe, cum pater vester Ionadab hoc vobis non minus quàm vinum prohibuerit? Præoccupant hoc, & aiunt, Summa nos adegit necessitas, conferendi nos & res nostras in vrbem. Belli enim maximi metus nos compulit ex campo migrare in vrbem. Videntur autem loqui de eo bello, quo Nabuchodonosor quarto anno Ioachim, bellum intulit Nechaoni Ægyptiorum regi, cui ille ademit Syriam & Iudæam, occiso Iosia & superato Nabuchodonosore prisco, huius Nabuchodonosoris magni patre. Licuit ergo eis dispensare in ineuitabili necessitate: vnde & verisimile est quòd in eadem, si incidissent vitæ discrimen, etiam bibissent vinum. Sed de dispensationibus aliâs est dictum. Domino Deo nostro sit gloria.

Oratione decimaoctaua obiurgat rebellionem Iudæorum, denunciatq; eis pœnam, & Rechabitis paratum præmium.

CONCIO CXVI.

Tunc factus est sermo Domini ad Ieremiam dicendo, Sic dixit Dominus exercituũ, Deus Israelis, Vade & dic viris Iuda & habitatoribus Hierusalẽ, Num disciplinam non recipietis, vt pareatis verbis meis, ait Dominus? Firmiter obseruata sunt verba Ionadab filij Rechab, quæ præcepit filijs suis ne vinum bibant: neque verò vinum biberunt in hunc vsque diem, sed paruerunt interdicto patris eorum. Ego autem loquutus sum ad vos manè surgendo & loquendo: sed non paruistis mihi. Sed & omnes seruos meos prophetas misi ad vos, manè surgendo, mittendo atque dicendo, Reuertimini obsecro quisque à via sua mala, & bona facite studia vestra: & ne abeatis post deos alios ad seruiendum eis: & habitabitis in terra quam dedi vobis & patribus vestris, sed non inclinastis aurem vestram, neque audistis me: cum (interim) filij Ionadab, filij rechab firmiter obseruarint præceptum patris sui, quod præceperat eis: populus autem iste non audiuit me. Propterea sic dicit Dominus Deus exercituum Deus Israelis, ecce ego adduco super Iudam & super cunctos habitatores Hierusalem omnia mala, quæ loquutus sum super eos: eò quòd loquutus sum ad eos, ipsi verò non audierunt: vocaui eos, sed nihil responderunt. Domui verò Rechabitarum dixit Ieremias, Sic dixit Dominus exercituum Deus Israelis, Quoniam obtemperastis præcepto patris vestri Ionadab, & seruastis omnia præcepta eius, fecistisq; iuxta omnia quæ præcepit vobis, ideò sic dixit Dominus exercituum Deus Israelis, Non excidetur vir de Ionadab filio Rechab, quin stet coràm me cunctis diebus.

Orationem

ORationem expositioni facti vel visionis subiungit Ieremias, accommodatq; factum vel exemplum Rechabitarum per collationem suo instituto atque Iudæis. Instituit autem acriter obiurgare Iudæos, propter ipsorum insuperabilem & rebellem inobedientiam, atque adeò propter Dei contemptum contumaciſsimum. Vtcunque enim Deus exquisita diligentia & labore indefesso ipsos reuocaret ad pœnitentiam, ipsi tamen nihilominus non audiebant, id est, non parebant. Denunciat ergo eis supplicium commeritum, nec tacet prę mium paratum Rechabitis. Proinde applicatur hoc exemplum Rechabitarum perinde vt à Domino, Niniuitarum, & reginæ Sabæ, Iudæis apud Matthæum in cap. 12. *Argumentum huius orationis*

Ab initio protinus monet, ea quæ dicturus est, dicturum omnino ex sententia, iussu & inspiratione diuina. Teneamus ergo firma fide verba prophetarum verba esse Dei, quem contemnunt, qui fastidiunt prophetas. Exprimit deinde quibus missus sit propheta, & ad quos hæc pertineant. Vade, inquit, & dic viro Iuda, id est, Iudæis pariter omnibus. Ergo quod genus doctrinæ attinet, pertinet & hoc ad nos & omnes fideles. Nos enim nunc sumus spiritualis Iuda. Vocatio item & missio legitima hic commendatur, cum audimus Ieremiam non cucurrisse, sed vocatum & missum esse à Domino.

Orditur orationem per interrogationem, non citra grauem affectum & increpationem. Nam cum Rechabitæ humanam traditionem obseruent tam diligenter & constanter, mirum sanè est vos non alieno exemplo fieri prudentiores, vt vos multò magis Deo & legibus diuinis obsequamini. Quando tandem disciplinam recipietis? præsertim cum omnia vobiscum tentauerit Dominus, vt mox audiemus.

Collatio autem præsens in his est. Ionadab est pater instituti Rechabitarum: Deus autem author est legis suæ. Si autem isti audierunt patrem terrenum, cur hi non audiunt patrem cœlestem? Si valet traditio humana: cur non magis valeat præceptio diuina? Ionadab legem tulit ante annos circiter 280. at Deus legẽ suam promulgauit ante annos 885. Nec tot prophetas & tot miracula habuerunt Rechabitæ quot Israelitæ, & tamen sicuti & Niniuitæ paruerunt institutioni & legibus eorum qui ipsos ducebant. Proinde prodigiosam esse oportet rebellionem Iudæorum.

Huc iam pertinet, quod per circumstantiarum quarundam excussionem exponit, qua fide & diligentia Deus curauerit verbum suum annunciari populo suo, & ex opposito quanta proteruia, rebellione, & peruicacia omnem prædicationem aspernati sint. Ego, inquit, loquutus sum manè, maturè nimirum. De eo loquutionis genere dictum est antea. Addit, Misi non vnum & alterum, sed omnes seruos meos prophetas: & repetit, Manè surgendo. Neq; enim Deus neglexit quicquam. Colligit præterea in summam breuissimam totum genus doctrinæ propheticæ, Reuertimini obsecro, &c. Habet enim prophetica doctrina hæc capita. 1. Reuertimini à via mala. Nam docet agnitionẽ peccati, vt à peccando desistamus. 2. Et bona facite studia vestra. Fidem enim in Deum commendat, quam sequuntur aut ex qua enascuntur opera verè bona. 3. Singulariter hęc exprimuntur quæ in genere prędicta sunt, Et ne abieritis post deos alienos, ad colendum eos. Summa enim diligentia inculcant prophetæ veram pietatem, quæ vno solo Deo absolutissimo bono cõtenta, alios deos nihil curat, sed in vno vero Deo acquiescit: quem & ita colit, vt ipse præscripsit atq; mandauit. Ergo abhorret à peregrinis dijs & cultibus. 4. Promissio his additur à prophetis, Et possidebitis terram vobis & patribus datam. Fuit autem terra Chanaan adumbratio patriæ beatæ, sicuti Apostolus dixit ac docuit in epistola ad

Hebr. 4. Cæterùm de his omnibus & singulis dictum est etiam in cap. huius 6. peris 7. His verò infert accusationem grauem, quòd Iudæi sancta, simplici & salutari hac doctrina nihil commoti, perrexerint in sua impietate. Addit iterum contrarium exemplum Rechabitarum, vt istorum stupendam rebellionem exagitaret: iterumq; repetit, Populus autem iste non obediuit mihi.

Post ista loco opportuno planè subiungit denunciationem supplicij grauissimi, non tamen alijs verbis, quàm antea non semel fecit. Authorem ostendit Deum, & Deum quidem exercituum ac Deum Israelis. Cum malum dicit, omnis generis calamitates intelligit. His immiscet malorum causam, quòd videlicet Deus loquutus est eis per prophetas, ipsi verò non paruerunt: denicq; quòd vocauit eos, ipsi verò non responderunt vocanti. Ideò enim perdit eos meritò, nec audit & ipse clamantes vel inuocantes.

Ex opposito bene pollicetur ex imperio Dei obsequentibus Rechabitis. Audiuerunt leges paternas & vixerunt iuxta eas, honorantes patres suos. Deus ergo quod in lege sua promisit, id eis præstat, vitam videlicet diuturnam vel longæuam atque felicem. Dixit enim, Honora patrem tuum & matrem tuam, si velis esse longæuus super terram. Alij verba prophetæ præsentia interpretati sunt, quasi sacerdotes duxerint Rechabitas vxores, ex quibus geniti sint filij, qui steterint coràm Domino. Sed non admodùm firma ac commoda & certa est hæc interpretatio. Colligimus hinc Deum cultoribus suis & virtutum studiosis abundè rependere amplissima præmia. Cui sit honor laus & gloria in æternum.

SEQVVNTVR IAM PER CAPITA ALIQVOT NARRATIONES HISTORICAE, admodum elegantes.

Iubetur Ieremias omnes sermones suos conscribere in volumen. Id quod facit per Baruch, quem & scripta iubet recitare in templo: quod facit Baruch.

CAPVT XXXVI.

CONCIO CXVII.

ET factum est in quarto anno Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, vt fieret sermo ad Ieremiam, à Domino, dicens, Accipe tibi volumen libri, & scribe in eum omnes sermones, quos loquutus sum ad te, contra Israelem, contra Iudam & contra omnes gentes, ab eo die, quo cœpi loqui tecum, à diebus nempe Iosiæ, vsq; in præsentem diem, si fortè domus Iuda audiendo omnia mala, quæ ego delibero eis facere, reuertatur quisq; à via sua mala, & propitius sim iniquitati eorum ac peccato eorum. Accersiuit ergo Ieremias Baruch filium Neriæ, scripsitq; Baruch ex ore Ieremiæ omnes sermones Domini, quos loquutus erat ad eum, in volumen libri. Mandauit ergo Ieremias ipsi Baruch, dicens, Ego prohibitus, domum Domini ingredi non potero: ingredere ergo tu, & lege in volumine isto, quod scripsisti ex ore meo, sermones Domini, in auribus populi, in domo Domini, in die ieiunij, denique in auribus omnium Iudæorum, qui veniunt è ciuitatibus suis, leges (inquam) eos, si fortè cadat precatio eorum in conspectu Domini, & reuertatur quisq; à via sua mala. Quoniam magna est ira & furor

& furor Domini, quem loquutus est Dominus contra populum istum. Fecit itaque Baruch filius Neriæ iuxta omnia quæ mandauerat ei Ieremias propheta, legendo in codice sermones Domini, in domo Domini. Et factum est in anno quinto Ioachim filij Iosiæ regis Iuda mense nono vt indiceretur ieiunium coràm Domino: nempe vniuerso populo in Hierusalem, & omni populo qui veniebat ex vrbibus Iuda Hierosolymam. Tunc legit Baruch è volumine sermones Ieremiæ in domo Domini, in cella Samariæ filij Saphan Scribæ, in atrio superiore, ad ostium portæ domus Domini nouæ, audiente vniuerso populo.

INCENDIVM sermonum Ieremiæ in vnum opus conscriptorum con gestorúmque à Baruch miscet Ieremias, vel quisquis is fuerit, qui hanc huius libri dispositionem nobis dedit, rebus Zedechiæ, ac proximè vrbis incendio præmittit, nimirum ne quis mortalium miraretur vrbem sanctam & templum Domini à gentibus, Deo iubente, fuisse concremata. Postquam enim eò impudentiæ & sacrilegæ audaciæ peruenerant, vt nihil puderet eos sacrum Dei volumen comburere, digni profectò habebantur, qui & ipsi flammis absumerentur, & incendio periret vrbs ipsorum. Audiant hæc obsecro quicunque hodie, & Biblia sacra, & libros nihil alienum à Bibliis sacris continentes, sacrilegè comburunt. Comburentur enim & ipsi, vel in hoc, vel in futuro sæculo, aut in vtroque simul: quemadmodum verisimile est plurimos Iudæorum periisse. Et hæc quidem hactenus de ordine libri & orationum. *Dispositionis ratio.*

Ipsa verò historia præsens (quæ Asiana quadam redundantia, contra morem scripturæ, vt vel insolita hæc res nos excitare debeat ad attentionem, conscripta est) quatuor his potissimùm capitibus absoluitur. Principiò iubetur Ieremias omnes suos sermones colligere & conscribere in vnum volumen. Proinde vocat hic amanuensem Baruch, ministrum suum, & dictat ei orationes suas omnes, ipse verò excipit. Eundem quoque iubet Ieremias sermones conscriptos publicè recitare in templo coràm omni populo. Id quod Baruch bona fide facit. Deinde defertur hæc res à principe quodam, qui Ieremiæ sermones recitantem Baruch audierit in templo, ad senatum principem: qui mox Baruch accersunt, & recitantem volumen Ieremiæ audiunt: ab ipso verò librum accipiunt, & ipsum vnà cum Ieremia alicubi latitare iubent. Hinc defertur vniuersa hæc causa ad ipsum regem Ioachim, ad quem & liber Ieremiæ adfertur, legitur quoque. Sed cum ali quousque lector fuisset progressus, arripit librum rex, discindit ac in focum conijcit, atque comburit. Cui audaciæ cum se nonnihil nonnulli opposuissent principes, adeò proficiunt nihil, vt rex iam etiam iubeat, & authorem, & scriptorem libri inquiri, & conijci in vincula. Postremò vel quarto loco videt illa omnia Deus, ac iubet nouum parare codicem, & eosdem sermones iterum colligere & conscribere, regi autem fata sua tristia prædicere. Id quod tam plenè præstitit Ieremias, vt iam plures dederit posteritati sermones, quàm ante incendium fuerint conscripti. Adeò nihil efficiunt suis incendijs furiosis aduersarij, imò quod nolunt faciunt: abolendo scilicet, augent & stabiliunt, quod abolitum & deiectum modis omnibus volunt. Nam verbum Domini manet in æternum. *Distributiò huius historiæ in quatuor partes.*

Primam verò historiæ partem, quantum gratiæ dederit Dominus, nunc explicabimus, & ad eruditionẽ nostram adaptabimus. Ante omnia in ea consignatur tempus, quando videlicet iussus sit Ieremias suos cõscribere sermones, quarto videlicet anno Ioachim. Fuit hic annus primus Nabuchodonosoris magni, qui illo ipso anno Pharaonem Nechao in Syria vicit, vt ostenditur Ieremiæ 46. ac Syriam cum vniuersa Iudæa in suam potestatem redegit. Proinde quartus & *Quo tempore iusserit Dominus sermones suos scribere:*

quintus annus Ioachim admodùm difficiles & periculosi fuerunt populo Iudaï co, qui à morte Iosiæ, Ægyptijs subiectus, nunc nouum dominum, victorem vi delicet Nabuchodonosorem recipere coactus est. Nechao enim Pharao constituerat regem super Iudæos Ioachim, hunc non remouet Nabuchod. benignus alioqui rex erga Iudæos, sed obedientiam fidemq; ab eo requirit, & regem manere porrò iubet. Hisce autem periculosis temporibus colliguntur & scribuntur sermones Ieremiæ, ac etiam recitantur in templo, si fortè periculum incussisset, docuissetq; diligentiam, acuissetq; adhuc studium pœnitentiæ. Hodie quoque admirando Dei consilio, libri multi proferuntur in lucem per typographiã, in postremis illis temporibus, si fortè possit commodè frangi hominum incorrigibilis propemodùm conscelerati o. Et certè videmus Deum non nunc duntaxat, sed omnibus temporibus obseruare opportunitatem, qui nobis etiam mandat ne occasionem negligamus aut prætereamus. Declarat item suam erga nos misericordiam & beneuolentiam, qui se accõmodat nostro captui & ingenio. Vtinam accommodaremus & nos, per gratiam eius, verbo atque ingenio eius.

De scripturis sanctis et quòd reuera sint verbum Dei.

Sequuntur iam membra aliquot primæ huius partis historiæ præsentis. Principiò enim iubetur Ieremias à Deo omnes suos sermones in vnum volumen colligere atque conscribere, nimirum in vsum populi. & ne quid doctrinæ eius propheticæ deperiret. Vbi rursus cernimus immensam Dei in homines beneuolentiam. Vox enim hominis pronunciata, diffluit, nec semper inhæret memoriæ: scripta verò manent & iuuant memoriam, quinimò res optimas intercidere & in obliuionem venire sinũt minimè. Infirmitatem ergo humanam iuuat scripturis Deus, ac retinet suum verbum per scripturas inter homines, veluti facem in tenebris. Cauent scripturæ sanctæ ne quis impostor seducat aut hominibus imponat. Cum enim constet scripturam esse verbum Dei, cum scripturis cõferunt, qui sapiunt, omnia quæ adferuntur & proponuntur dogmata, recipiuntq; illa quatenus congruunt cum verbo Dei, auersantur autem quando dissentiunt. Ita verò scripta prophetica & apostolica, lux quædam sunt, directio & regula vitæ tranquillæ & securæ. Qui scripturas nolunt audire & auersantur, sua sponte in tenebris ambulant, & perire omnino volunt. Permultum verò discrepat scriptura sacra à prophana, non tam propter stili simplicitatem, authorum præstantiam, & sanctissimam quam tractat materiam, quàm propter vetustatem, originem atq; finem. Iussi sunt nostri scriptores sacri scribere, quæ scripserunt, à Deo. Vnde nihil dubitamus spiritum sanctum & animos scriptorum nostrorum inspirasse, & manum scribentium gubernasse: vt iam non minus nos Deum nobiscum per scripturas loqui credamus, quàm cum è monte Sinai loquutus est cum populo Israelitico. Et quidem Moses ipse audit à Domino, Apparebo tibi, & loquar tecum, vt hoc cernens populus, tibi credat in perpetuum, nimirum ceu ei, per quem ipsis posthac loqui velim, ac vobiscum colloquar. Proinde credimus prophetis & apostolis, veluti instrumentis oratoribusq;, per quos loquitur nobis Dominus: iuxta quod Dominus ad apostolos in Euangelio quoque dixit, Non estis vos illi loquentes, sed spiritus patris mei loquetur in vobis. Primus verò ipse Deus digito suo fundamenta & compendium veræ pietatis conscripsit in lapideas tabulas, quò minus periret, Decalogum puto: ac illas ipsas tabulas in arcam illam sacrosanctam recondi iussit, ceu primum & maximum populi Dei, quod vulgò vocant, clenodium. Præterea mandauit & Mosi vt scriberet, & libros scriptos ad arcam reponeret, ceu regulam vitæ & omnium controuersiarum determinationem. Petrus quoque & Paulus sanctissimi apostoli Christi testantur scripturam sanctam nobis à spiritu sancto per prophetas esse traditam. Neq; dubium est, quin ex eodem spiritu apostoli quoq; scripserint ea quæ scripse-

Per multũ differunt sacræ literæ à prophanis.

1. Pet. 1.
2. Pet. 1.
2. Tim. 3.

scripserunt. Certè Dominus Iesus iussit manifestè eos prædicare vel annunciare Euangelium. Est autem scripto posteris Euangelium commendare, nihil aliud quàm prædicare Euangelium. Ioanni euangelistæ & apostolo in Apocalypsi dicitur certè, Scribe. Ex quibus omnibus colligimus irrefragabilem esse scripturarum sacrarum authoritatem, vtpote quæ ad ipsum referatur Deum, loquentem nobis per scripta prophetarum & apostolorum. Vnde hodie quoq; prophetas & apostolos, si vera cum fide accedamus ad prædicationem & enarrationem scripturarum propheticarum & apostolicarum, audire licet, atq; per hos ipsum Dominum Deum nostrum, vt nihil sit nobis necessarium optare & conspectum & alloquium propheticum & apostolicum, neque deceat hoc expetere, cum Deo ita placeat nunc loqui cum hominibus. Quod multis ante me monuit S. Augustinus Tractat. in Ioan. 30. Vę autem illis cōcionatoribus, qui populum sitientem doctrinam propheticam & apostolicam potant aqua, quam vel ipsi vel alij ante ipsos suis conturbarunt pedibus. Venenum propinātibus, propinatur meritò laqueus & gladius: maioribus ergo supplicijs digni sunt, quotquot populū Dei veneno humanarum doctrinarum inficiunt, quem debuerant pascere pane vitæ, & potare aqua sapientiæ cœlestis: quæ nullibi nisi in scriptura sacra inuenitur. Cæterùm mira diligentia commendatur hoc negotium Ieremię. Princi pò enim, Scribe, inquit, omnes sermones quos loquutus sum ad te. En scribe, inquit, in volumen, & scribe omnes sermones, & sermones quidem eos, quos tu non ex temetipso finxisti, sed quos ego loquutus sum ad te. Constat ergo hosce Ieremiæ sermones ipsius Dei esse sermones. Deinde quia dixerat omnes sermones, adhuc plenius se explicans, quos velit & intelligat, nempe omnes puto sermones, Dei instinctu habitos, contra Israelem & Iudam, & contra omnes gentes. Facit ergo duplicis generis sermones. Alios quidem habitos contra Dei populum: alios verò contra gentiles. Hos posteriores in vnum volumen conscripsit, & continentur à 46. cap. vsq; ad 52. cap. huius libri. Vnde totum Ieremiæ librum partiri poterimus in tres partes, vt vna quidem pars contineat sermones vel orationes recitatas ad, vel contra populum Dei: alia verò pars comprehendat sermones pronunciatos contra gentes: tertia habeat sparsim varias pro ratione præsentis temporis & sermonum historias. Quid quod adhuc significantius circumscribit per temporis annotationem, vel consignationem, sermonum vniuersitatem? Omnes, inquit, scribes sermones, quos habuisti ab eo die, quo cœpi loqui tecum (en iterum innuit se authorem esse horum sermonum) vsq; in præsentem diem, id est, à 13. Iosiæ anno. ad 4. annum Ioachim, nimirum quę docuisti iam per annos viginti tres. Hanc enim supputationem & hunc annorum numerum ipse propheta Ieremias collegit & indicauit nobis cap. 25. Certum est itaq; in his orationibus nos habere doctrinam viginti trium annorum. Cui verò subeat in animum, viginti tribus annis prophetam non potuisse plenam vel absolutam doctrinam non modò viua voce tradere populo, sed & nunc vniuersæ posteritati scribere vel scripto commendare eandem? Vbi sunt itaque qui subinde cornicantur, scripturam non plenè omnem pietatem comprehendere ac tradere, & iccirco patrum traditionum q; supplementis esse opus? Vanissimi & impijssimi sunt qui sic sentiunt. Iam etiam finis non modò horum sermonum, sed omnium quæ ex verbo Dei fiunt Concionum, ostenditur à Deo, Si fortè domus Iuda audiendo, &c. Vita ergo & salus, est finis doctrinæ propheticæ & apostolicæ. Sic definijt etiā Christus Ioan. 5. ca. Scripserunt enim, vt ea quæ scripta sunt legentes vel audientes, discamus, quæ sit Dei voluntas, & vt ad illam nos & omnia nostra componamus, adoremus ipsum, inuocemus ipsum, colamus ipsum credamus in ipsum, obediamus ipsi, felicesque, salui, & beati efficiamur per le-

Ieremiæ theologia plena est scripturis comprehensa.

Partitio vniuersi libri beati Ieremiæ.

Finis omnium concionum sacrarum.

Christum Dominum nostrum, per quem iniquitatibus nostris placatus est pater, condonatq; propter ipsum ipsiusq; sanguinem omnia peccata nostra. Hæc inquam memori mente teneamus fideliter, & in hunc finem accedamus semper vel ad lectionem, vel ad auscultationem verbi Dei, dati nobis ad vitam cùm sanctam in præsenti sæculo, tum ad sempiternam in futuro sæculo.

Obedientia Ieremiæ.

Secundo membrò huius partis historiæ præsentis describitur nobis prophetæ Ieremiæ accurata diligentia. Hactenus enim quid præceperit ei Deus audiuimus: audiemus modò quomodo mandatis Dei paruerit Ieremias. Non ipse quidem scribit manu sua sermones, sed ore suo dictat quæ scribantur. Accersiuit enim Baruch suum haud dubiè librarium vel amanuensem, diaconum vel ministrum: cui scribendi munus imponit, vel quòd hic pingeret melius aut elegantius, & vt sic dicam legibilius: vel quòd Dominus sic ordinauisset. Non itaq; peccat Ieremias, quòd ipse hos sermones non scribit manu propria. Nam perinde est, si quid tua manu facias, aut cures fieri manu aliena, quæ tamen nihil aliud faciat, quàm tu sis facturus, si ipse facias. Certissimum est apostolum Paulum amanuensibus fuisse vsum, qui exceperunt ex ore eius dictata, ac conscripserunt, nonneq; apostoli ediderunt. Equidem veteribus receptissimum fuit, dictare scriptoribus. Neq; verò est quod vereare, ne sint amplius sermones hi, libri quoq; aliorum apostolorum & prophetarum, sermones & libri aut epistolæ prophetarum & apostolorum, quòd dicamus libros ipsorum non ipsorum manu scriptos esse, sed librariorum. Scribunt in aulis & curijs senatorijs scribæ regum & magistratuum decreta, sed nunquid eam ob rem desinunt illa esse regum & magistratus decreta? Dictat librum author aliquis omnium rerum peritissimus, excipit hunc amanuẽsis aliquis, bonus quidem scribendi artifex, sed interim literarum & disciplinarum imperitissimus. Quis ùerò dixerit scribæ & non magis dictatoris vel scriptoris esse librum? Neq; desinũt hi sermones esse sermones Dei, quòd non ab ipso Ieremia, sed à Baruch scripti sunt. Nam fuit etiam Baruch propheta Dei: idem denique ille Baruch nihil scripsit, nisi quod excepit ex ore Ieremiæ: Ieremias nihil dictauit Barucho, nisi quod habuit ex ore & spiritu Dei. Vnde significanter dicitur, Scripsitque Baruch ex ore Ieremiæ (en ex ore Ieremiæ) omnes sermones Domini, quos loquutus erat ad eum. Audis scripsisse Baruch omnes sermones Domini, Domini inquam, loquentis ipsi Ieremiæ. Quid requiras adhuc clarius? Ergò qui gratiam à Deo scribendi habent, scribant in gratiam populorum, ad erudiendum ipsos, ad monendum, cauendúmque ne seducantur & pereant.

Ieremias dictat et per amanuensem scribit.

Oportet libros scriptos legi.

Tertio membro huius partis primæ traditur nobis doctrina insignis, nihil efficere ad salutem, si duntaxat vel scribamus libros, vel scriptos habeamus, nisi etiam fiant, vt sic dicam, vocales, & ea quæ scripta sunt in libris, transferantur in animos ac in vitam nostram. Ideò Ieremias non putat satis esse scriptum esse librum: nec dicit, Reconde librum in arcam ne pereat: sed Accipe, inquit, librum quem scripsisti ex ore meo, nempe sermones Domini (en vt hanc partem repetat diligenter, & fideliter inculcet, hos sermones, Dei esse sermones) & ingrederein templum, & recita illos coràm toto populo. Dicis, Cur verò Ieremias ipse non est ingressus templum, & ipse legit librum? Respondet Ieremias, Ego prohibitus ingredi non possum domum Domini. Id exponunt alij, quasi vinctus & captiuus fuerit propheta. Alij verò, Prohibitus, inquiunt, fuit per insidias hostium vt tutò prodire non potuerit. Vel, impeditus fuit, aut per morbum, aut per causas alioqui graues alias: vel per spiritum sanctum: sicuti legimus & apostolum Paulum prohibitum, ne prædicaret Euangelium per Bithyniam, Actorum 16. Duo autem hinc discimus, Primum, vnicè annitendum, ne tacitum in libris con-

Prohibitus Ieremias.

tineamus

tineamus verbum Dei, sed annunciemus & propagemus quibuscunque modis possumus, hoc est omnibus. Secundum, ne quid hic negligamus, aut negligentiæ nostræ prætexamus. Si enim impediris quò minus ipse possis viua voce prædicare aut exequi Dei mandatum, scribe, aut per alios annuncia aut exequere, quos nosti non minus syncéros esse quàm industrios ac diligentes. Præterea clarét hinc, quæ sit hæc ratio & quis vsus scripturarum sanctarum. Principiò annunciatur à Deo per suos ministros huic mundo verbum Dei voce viua. Deinde illa ipsa quæ copiosius voce viua annunciata sunt, scriptis quidem breuius, sed tamen quantum satis est, comprehenduntur & consignantur. Porrò scripta hæc non muta teneri debent, sed recitari, legi, interpretari, inculcari & quidem populo. Sed in quem finem? in eum quem supra diximus, & quem iam repeti videmus, Si fortè cadat precatio, &c. Eandem omnino rationem sequutos esse videmus Apostolos & Euangelistas, qui prius quidem viua voce Euangeliũ prædicarunt, postea verò idipsum compendiosè scriptis mandarunt.

Quæ viua voce prædicata sunt diu, postea referuntur in scriptis.

Circunstantiæ verò hæ, quæ hic memorabiles sunt, videntur mihi paulò diligentius esse explicandę. Principiò locum designat in quo sermones Dei recitet ipsum templum, & in templo cameram vel cellam Gamariæ: quam hic alioqui describit singulariter. Nos, propter vetustatem & dissipatum templum, de his templi partibus nihil dicere possumus, nisi quod loca fuerunt doctrinæ deputata. Si perrexerimus curiosius de his differere, ignoro an vllo cum fructu & sine molestia possint à vobis audiri. Templum certè doctrinæ, precibus, & administrationi sacramentorum diuinitus est destinatum, vt cum per tempus licet, diuinum cultum in templis exerceamus. Non quòd extra templa non liceat etiam legere & audire sancta Dei instituta & orare Dominum: sed quòd conueniat publicos cœtus integros conseruare: & cum non arcemur vlla necessitate vel persecutione, ne in angulis sacra celebremus. Alioqui priuatim licet tibi domi tuæ & legere sacra, & adorare Dominum. De qua re aliàs dixi copiosius. Deinde monet quibus recitet sermones hos Domini, vniuerso videlicet populo Iudaico, qui Hierosolymam veniebat religionis ergò ex suis ciuitatibus. Meminerimus ergo annunciationem verbi Dei pertinere ad omnes, excludere neminem. Addit insuper quo tempore recitet doctrinam Dei in templo, nimirum in die ieiunij. Fuerunt populo Dei conceptiua ieiunia: fuit & statum in die propitiationis, & in festo tabernaculorum. Si quando tamen ingrueret magna necessitas, sua sponte indicebant ieiunium, abstinentes ab omni cibo, ab hora matutina ad vespertinam. Interea clamabant ad Deum & audiebant verbum eius. His absolutis, ad vesperam vel sub noctem sumebant cibum, quibuslibet vtentes cibis citra delectum aut discrimen. Conceptiuũ ergo videtur præsens fuisse ieiunium, susceptum à populo, propter bellum Syriacum & conflictum illum inter Nabuch. et Nechaonem, & quòd nouus victor ac Dominus, Babylonius princeps, immineret eis. Ieiunium certè alterum dicitur celebratum mense Nouembri: statum autem celebrari solebat mense Septembri. Ita sua sponte ieiunium indixisse legimus & Assyriorum regem in magna illa vrbe Niniue, ob prædicationem Ionæ duram, vt extat apud Ionam prophetam. Licet ergo cuilibet homini pio sibi ipsi suscipere ieiunium, prout res eius fuerit. Id quod & Paulus monuisse videtur in 1. ad Corint. 7. cap. Licet denique ecclesiæ Dei indicere pro necessitate, pro loco & tempore, ieiunium liberũ: quale illud fuisse videtur cuius mentio fit in Actis cap. 13. Ieiunia Papistica, vtpote superstitiosa, cum illis nihil commune habent: vnde auersantur ipsa meritò pij omnes. Ieremias in præsenti captauit occasionem. Quoniam enim in diebus ieiunij frequentissimi erant populi cœtus, ideò vt audiretur à pluribus verbum Dei, sermones suos in die ieiunij voluit re-

Templũ seruit doctrinæ.

Quorum sit doctrina Dei.

De Ieiunio.

citare. Captemus & nos occasionem, quò plures audiant & erudiantur in verbo Dei. Iam etiam finis recitationis seu prædicationis verbi Dei, sicut antea quoq; dixi, diligentissimè consignatur ac repetitur, si fortè cadat precatio, &c. Annotant autem opportunè interpretes, Cadat oratio, Hebraismum esse pro eo quod nos diceremus, sine quæso vt exorem: & in præsenti, Si fortè impetretis veniam. Vel cadere orationem, inquiunt, est supplicitèr offerre preces Domino, Gott mit vnſerē gebätt zů füſſen fallen. Si inquam humiliati prosternamus nos coràm Deo. Necessitas enim orationis significatur per illud quod sequitur. Quoniam magna est ira & ingens furor, quem verbo suo Dominus annũciat se concepisse contra populum hunc atque in ipsum effundere velle. Orandus est ergo suppliciter, vt placatus Deus culpam cõdonet, & pœnam non inferat. Proinde si quando intellexerimus Deum nobis iratum esse propter peccata, vtilissimum fuerit ad eius confugere misericordiam, humiliari, nos prosternere in eius conspectu, orare, peccata agnoscere, & emendare. Fortè Iudæi ieiunio, vt poterē leuicula, voluerunt expungere & propitiare iram Domini: sicuti hodie adhuc quidam solent in expiationibus suis vti pulsu, cantu, aquæ aspersione, circumambulationibus celebribus, pedũ nuditate & cilicij vsu & superstitioso ieiunio. Non illa requirit Deus, sed magis spiritum contritum, fidem synceram & emendationem vitæ turpis. Ad quæ quidem legitima disciplina præparat, & inutilis non est. Teneamus autem hunc esse finem prędicationis verbi Dei, humiliari coràm Deo, orare constanter, & emendare vitam prauam.

Repetitur finis prædicationis.

Orãdus Deus.

Obedientia Baruch.

Vltimo huius partis primæ membro indicatur Baruchi obsequens & diligens obedientia: exemplumq; hoc eius nos quoque vocat ad sanctam decq; placentem obedientiam in rebus quibuslibet à nobis per Deum requisitis. Omnia itaq; Baruch ita, vt ei iniunxerat Ieremias, fecit, atq; adeò bis in templo sermones hos Dei & Ieremiæ in celeberrimis cœtibus recitauit, ac fortassis etiam aliàs sæpius. Ideò ne pigeat nos laborum, ne pudeat recitationis ex libro sacro, si ea destituamur ví memoriæ, qua sine libro memoriter verbum Domini liberè annunciemus. Nemo reiecisse aut auersatus esse Baruchum legitur propter recitatos ex libro manuscripto Domini sermones: cur ergo tu fidelem ministrum reijceres & audire dedignareris, qui fideliter ea prælegat, quæ reuelata sunt à Domino? Non dico hæc, quòd non nisi recitari velim ex scripto sermones ad populum, sed si magna necessitas & idoneorum ministrorum raritas ita flagitet, ne fastidiant verbum Dei auditores. Dominus mittat ecclesiæ suæ ministros idoneos, qui gratia sibi concessa à Deo, multos lucrentur Domino. Cui gloria semper.

Defertur apud principes Baruch, vocatur ab eis, & legit hi librum Ieremiæ: illi verò, vt alicubi cum Ieremia lateat, iubẽt.

CONCIO CXVIII.

Cumq; audisset Micheas filius Samariæ filij Saphan omnes sermones Domini ex libro, descendit ad domum regis, ad cellam scribæ & ecce ibi conſederant omnes principes, Elisama scriba, Delias filius Semeiæ, Elnatham filius Achbor, Gamarias filius Saphan, & Zedechias filius Hananiæ, & omnes principes. Et exposuit eis Micheas omnes sermones quos audierat, cum legeret Baruch in libro audiente vniuerso populo. Et miserunt omnes principes Iehudi filium Nathaniæ, filij Selamiæ filij Chusi, ad Baruch, dicendo, Tolle manu tua codicem, ex quo legisti audiente populo, & veni. Baruch ergo filius Neriæ, accepto

accepto codice in manũ ſuam, venit ad eos. Et dixerunt ad ipſum, Sede quæſo, & lege eum coram auribus noſtris. Et legit Baruch in auribus eorum. Et factum eſt cum audiſſent omnia verba, expauerunt quiſq; ad alium, & dixerunt ad Baruch, Certò annunciabimus omnes ſermones iſtos regi. Et interrogauerunt Baruch, dicentes: Indica quæſo nobis, quomodo ſcripſeris omnia verba iſta ex ore eius? Et dixit eis Baruch: Ore ſuo dictabat mihi omnes ſermones iſtos, quos ego atramento ſcribebam in librum iſtum. Principes verò dixerunt ad Baruch, Ito & abſconde te cum Ieremia, ita vt nemo ſciat vbi ſitis.

SEcunda huius hiſtoriæ parte conſequenter exponitur, quomodo Ieremiæ & Baruchi negotium ad principes ſit delatũ, qui protinus vocauerint ipſum Baruch vnà cum libro, quem & legere coràm eis iuſſerint, ad lectionem autem expauerint, interim verò ſuaſerint Barucho, vt vnà cum Ieremia alicubi lateat, donec regis animus deferueſcat, in quibus quidem omnibus hæc potiſsimùm & obſeruanda & ordine explicanda videntur, in primis autem aptanda vel applicanda noſtræ eruditioni. *Argumentum huius partis.*

In primis proponit nobis hæc hiſtoria duo hominum genera, nempe vulgus promiſcuum, & ordinem nobilium vel principum. Vulgus miſerum & oppreſſum verſatur in templo, gemit ibi ieiuno ſtomacho, audit verbum Dei, & Deo ſupplicat. Nec inanis & fruſtranea fuit ipſorum religio. Nam clementiſsimum ſe eis principem exhibuit Nabuchodonoſor, ſi modò eam clementiam agnoſcere potuiſſent. Etenim neque religionem eis mutat, neque regem deponit & alienigenam eis imponit, neq; ludæos regno ejicit & Babylonios ſubſtituit. Nec dubium eſt quin ampliora eis dediſſet Dominus, ſi verè pœnituiſſent. Cæterùm ex ordine nobilium aut principum vnus duntaxat ſacris interfuit Micheas: reliqui in aula ſunt, quaſi nihil ad eos pertineret religio & cura religionis. At que inhæret hic error nimis tenaciter etiam in potentiorum animis. Nam ne hodie quidem frequentes ſunt in cœtibus ſacris, neq; libenter audiunt verbum Dei. Cauſlæ huius rei plures ſunt. Deum non amant neque metuunt vt debuerant. Alioqui enim non poſſent non amare verbum Dei. Qui enim eſt ex Deo, verbum Dei audit. Præterea præſtantiam verbi Dei minimè agnoſcunt, ideò facilius contemnunt. Sed & muneris ſui difficultatem & pericula non expendunt, neque ſentiunt quæ & quanta ipſis deſint, quinimò ſe ſapientes eſſe credunt, atq; ideò ſegnius accedunt ad conciones ſacras & ad preces, imò ferè nun quam in cœtu conſpiciuntur. Prætexunt autem negotia varia, eaq; publica. Sed his dudum reſpondit Dominus, Marthæ dicens: Turbaris quidem circa plurima, cum vnum ſit neceſſarium, auſcultatio videlicet verbi. Etenim ſi ante omnia quæramus regnum Dei, indubiè omnia alia quæ in gubernatione vel regni vel reipublicæ perficienda ſunt, ſuccedent felicius expeditiusq;, quæ alioqui in medio hærebunt, neq; vlla cum felicitate abſoluentur. Solomon huius rei exemplum eſſe poterit. Sed & apud omnes pro indubitato creditur, abſq; timore Dei omnia hominum negotia eſſe impedita. *Mores principum & vulgi.* *Potentes rari in ſacris cœtibus.*

2. Vnus autem ex principum ordine, qui ſacris interfuerat, & Baruch Ieremiæ ſermones recitantem audiuerat, omnia quæ audiuerat defert ad alios in aula regis principes: nimirum diuina prouidentia ſic volente veritatem iudiciaq; Dei miro modo innoteſcere principibus, alioqui neque in templum venientibus, neque magnoperè curantibus verbum Dei & ſacra diuinitus inſtituta. Non exprimitur bono ne an malo animo hæc omnia detulerit Micheas ad principes. Si bono animo detulit, laudandum eſt eius factum atq; imitandum. Nam voluit fortè alios quoque audire Dei iudicia, ſi fortè expaueſcerent, cogi- *Annunciatur verbum Dei principibus.*

tarentq; seriò de emendatione. Si verò hoc fecit animo prauo ac delatorio, neq; laudandum est factum eius, neque imitandum. Apparet autem hinc semper futuros in ecclesia corycæos & delatores, qui tamen minimè sint metuendi concionatoribus: quemadmodum ne Baruch quidem timuit vllos delatores, sed simpliciter & liberè annunciauit verbum Dei. Hoc imitari iubentur omnes fideles Dei præcones.

Corycæi non sunt metuendi.

Tolerabiles inueniuntur inter pessimos principes.

3. Considerandi porrò sunt nobis ipsi quoq; principes, quomodo se gesserint in hac caussa. Postquã intellexissent à Michea quid fecisset in templo apud vniuersum populum Baruch, non existimant eam rem prorsus esse negligendam: proinde vocant Baruch ad se per nuncium honoratum Iehudi: iubent etiam librum Ieremiæ secum apportet. Et quidem, quorum opera hoc inter principes obtentũ est, vt audiatur veritas, hi non omnino mali principes fuisse videntur, sed tolerabiliores melioresq; multò ijs, qui mittebãt ministros suos apud Ioã. in 7. cap. qui captum adducerent Dominum. Quanquam in illis interim desiderentur non pauca. Laudandum in illis & illud videtur, quòd venientem Baruch benignè excipiunt, & honorificè sedere iubent, legentemq; benignè ad finem vsq; audire dignantur. Inuenias enim qui prophetas Dei perinde vt canes excipiant, omnibusq; probris adoperiant: vt cum Achab diceret ad Heliam, Tu ne ille qui conturbas Israelem? Alij non modò non iubebunt sedere prophetas, sed mallent illos constringere vinculis, ipsosq; audire nollent, nisi ob tormenta gementes. Pharisæi cæcum eijciunt è synagoga, & aiunt, In peccatis natus es totus, & tu nos doceres? Ioan. 9.

Baruch cõstantiæ exemplũ.

4. In his exhibet nobis Baruch constantiæ exemplum eximium. Nihil enim dissimulat in confessu principum: non miserè sibi metuit, sed confitetur veritatem liberè & disertè, eadem illa nunc recitans quæ antea prælegerat in templo. Nihil enim omittit, nihil moderatur in gratiam principum, sed rem ita vt erat reuelata à Domino, principibus proponit. Qua in re imitandus proponitur Baruch, non modò concionatoribus ecclesiasticis, sed omnibus verè fidelibus. Nam ab omnibus Christi fidelibus requiritur veritatis confessio diserta & libera, & ne plus metuant homines, quales quales sint, quàm ipsum Dominum Deum.

Effectus verbi Dei.

5. Iam verò expauescunt principes ad iudicia Dei scripta in libro Ieremiæ prophetæ: & quod fieri solet inter attonitos aut stupefactos, ob rem aliquam inexpectatam & nouam prorsus, inspiciunt se mutuò, cogitabundi quid facto opus sit. Cernitur ergo cùm in bonis tum in malis magna vis & effectus mirabilis verbi diuini, consternantis mentes auditorum etiam infidelium, eorumq; omnium, apud quos verbum Dei vel semen verbi Dei ad iustum fructum non peruenit, & tamen aliquid nihilominus agit, & aliquousq; prouenit. Nam nemo ignorat quousq; semen in petricosam terram, & in sentes sparsum, excreuerit, nec tamen ad iustum fructum peruenerit. Sed & de Herode legimus apud Marcum, Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, ac obseruabat eum, auditoq; eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Ideoq; commouentur hi quoq; principes aliquantulum quidem, sed non ita, vt decuisset & salutare eis fuisset. Habent autem caussas cõmouentes quò minus seriò fuerint commoti & ad pœnitentiam excitati per annunciationem verbi Dei. Nimis enim obseruant & metuunt regem, cuius ingenium cùm ipsis esset perspectissimum, nihilominus dicunt se hanc caussam ad ipsum referre velle. Cum autem plus respicimus in terrenos hos mortalesq; mũdi reges, quàm in regem illũ regum æternum, verè optimum, maximũ, titubamus & collabimur in vera pietate. Accedit his aliud quoq;, peruersa quędam curiositas horum principũ. Dum enim

Marci 6.

Caussæ impedientes salutarem verbi Dei effectum.

enim de emendatione vitæ cogitare debuíſſent, præpoſterè Baruch interrogãt, & dicũt: Expone quæſo nobis quomodo ſcripſeris omnes ſermones iſtos ex ore eius? Quid enim faciebat ad rem hanc grandẽ ſcribendi modus? Ita ferè ſemper facimus, cũ pœnitentia nobis prædicatur. Nam nulla nobis cura eſt de eo, quod in ipſa re potiſsimum eſt, de pœnitentia videlicet, ſed nectimus neſcio quas curioſas & ſuperuacaneas quæſtiones atq; adeò alienas à propoſito. Vnde & Baruch eludens ſtultam ipſorum quæſtionem, Quid, inquit, verbis opus? Ille dictabat mihi ſermones, ego verò excipiebam & ſcribebam atramento in hoc volumen. Perinde enim verba Baruch ſonant, ac ſi Germanicè dicerem, **wie ſolt ichs geſchriben haben? mit der dinten hab ichs geſchriben**. Videbantur indigni principes quibus aliter reſponderet ad quæſtionem nihil neceſſariam, & nihil ad rem pertinentem.

6. Poſtremò illud etiam commendandum venit in illis principibus, quales quales fuerint, quòd nullam vim prophetæ inferunt, & librum & ipſum captiuum ad regem ducunt, ſed potius ſibi & authori cauere iubent. Deus enim qui ſuos in medio luporum conſeruare poteſt, animos emollit, & quo vult impellit ac per eos etiam liberat, per quos minimè putaſſes: vt nobis hinc in periculis petenda ſit cõſolatio. Aderit enim etiam nobis Dominus, & liberabit ex manibus hoſtium noſtrorum, cum ipſi fuerit viſum. Obſerua autem ſingulariter, quod aiunt, Abſcondere tu cum Ieremia, ita vt nemo ſciat vbi ſitis. Hæc enim innuere videntur, corruptiſsima tunc fuiſſe omnia, adeò vt pauci aut nulli propemodùm fuerint, quibus tutò potuiſſent boni fidere, quò minus regi diligẽtius ipſos perquirenti proderentur. Ac reuera deplorata ſunt ibi omnia, vbi agnoſcitur quidem veritas & innocentia, quam tamẽ nemo iuuare aut tueri audet. Etenim cum hi principes intelligant iniquum eſſe, vt Ieremias & Baruch propter hanc cauſſam quicquam mali patiantur (ideo enim ſibi probè cauere iubent) cur non potius bonorum virorum patrocinium apud regem ſuſcipiunt? Periclitari nolebant, ac videbantur ſibi ſatis feciſſe, ſi ſua admonitione præſenti malo ipſos eximerent. Sed diuina iuſtitia iubet magiſtratum non modò cauere, ne boni mala à malis ſuſcipiãt, ſed bonorum etiam ſuſcipere patrocinium, cauereq; ne quis nihil mali meritum conturbet. Hodie multi principes noxios in innoxios ſæuire permittunt, ſeq; ſuo functos officio putant, ſi aliquos vel moneant ne in poteſtatem iſtorum veniant, vel artibus clancularijs ipſos alioqui ſubducant: cum etiam noxijs illis ſeſe opponere, & vim tyrannidemq; iſtorum opprimere deberent. Atqui hic profertur à multis vulgatum iſtud, Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur vltra. Interim verò orandus eſt omnibus Dominus, vt concedat omnibus magiſtratibus, eò vſq; progredi, quo iuſsit Deus. Cui gloria ſemper.

Defendit Deus ſuos mirabiliter, etiam per eos quos minimè putaſſes.

Status rerum deploratarum.

Rex aliquo uſq; audit Iehudi legentem in Ieremiæ libro, hunc tamen mox arripit, conſcindit, proijcit in ignem & comburit, & authores libri in vincula iubet conijci.

CONCIO CXIX.

Et ingreſſi ad regem in Curiam, volumen commendarunt in cella Eliſamæ ſcribæ, & expoſuerunt in auribus regis omnes ſermones iſtos. Miſit ergo rex Iehudi vt afferret volumen: & tulit ipſum è cella Eliſamæ ſcribæ, legitq; in eo Iehudi, audientibus eum rege ipſo, cum omnibus principibus, qui ſtabant apud regem. Porrò rex tum habitabat in domo hyemali, menſe nono, & foculus antè ipſum ardebat. Factumq; eſt cum legiſſet Iehudi tres aut quatuor paginas, cõ-

scidit librum scalpello scriptorio, & iecit in ignem, qui erat in foculo, donec consumeretur totus liber iste igne qui in foculo ardebat: nec interim expauerũt, nec vestimenta sua sciderunt, vel rex ipse vel serui eius, tametsi audissent omnes sermones istos. Elnatham autem, & Dalias, & Samarias deprecati sunt apud regem ne combureret librum: at non audiuit eos, sed præcepit rex Ierahmeeli filio Hamalech, & Seriæ filio Asriel, atq; Selemiæ filio Abdeelis, vt caperẽt Baruch scribam & Ieremiam prophetam: verùm Dominus absconderat eos.

Argumentum huius partis.

TErtia huius historiæ parte ingrediuntur Principes ad regem Ioachim in aulam, ipsiq; totum Ieremiæ & Baruch negotium exponunt. Rex mandat librum Ieremiæ adferri ac legi. Vbi verò prælectæ essent aliquot libri paginæ per Iehudi, rex æstuans ira, arripit librum, conscindit ipsum, proijcitq; in ignem, qui tum ante ipsum ardebat, & totum comburit, secure prorsus Dei iram & minas contemnens. Ac cum hic nonnulli principes apud regem intercedendo deprecarentur, ne combureret librum Sermonum Dei, adeò nihil profecerunt, & adeò nihil commotus est rex, vt præterea certis hominibus robustis & iudicio publico deputatis mandaret, vt Baruch cum Ieremia inquirerent, & captos conijcerent in carcerem, nimirum, vt ipsos quoque authores libri, non librum tantùm, ignibus torreret atque concremaret. Et hac quidem in parte hæc potissimùm veniunt obseruanda nobis, applicanda item, atque explicanda paulò diligentius.

Regi oportuit verbum Dei prædicari.

1. Quod principes totum hoc negotium ad regem referunt, in primis diuinæ ascribemus prouidentiæ, quæ principes impulit, eorumq; opera vsa est, in hoc vt rex vel inuitus etiam audiret Dei iudicia. Ita hodie quoq; videmus fieri, vt Euangelium illud salutiferũ multis etiam furiosis Euangelij hostibus per miserabiles rationes annuncietur & innotescat, etiam plurimùm renitentibus, protestantibusq; se nolle omnino audire Euangelium illud, quod appellant nouum & seditiosum. At coguntur interim nihilominus summam eius per occasiones aliquot, quas obijcit & dispensat Dei prouidentia, audire: sed sibijpsis in iudiciũ.

Quales principes isti fuerint.

Cæterùm quo animo, bono an malo, principes hi ista ad regem retulerint, non exprimitur. Certum est tamen ex historiæ contextu, inter principes alios quidem fuisse non malos, alios verò fuisse pessimos. Meliores commoti sunt (vt superius audiuimus) ad prælectionem minarum Dei: & sperarunt fortasis regem quoque commouendum fore, eamq; ob causam omnia hæc retulisse ad regem. Qua in re imitandi sunt nobis, conandumq; vt plures audiant verbũ Dei, si fortè hoc commoueantur. Corrupti verò principes & hostes verbi Dei optarunt huiusmodi libros & conciones & concionatores perdi, aut prohiberi saltem, ne tanta pergant concionari & scribere audacia. Hi retulerunt hanc causam ad principem, non in alium finem, quàm vt Ieremias & Baruch vel capiantur & perimantur, vel prohibeatur eis prædicatio verbi Dei. Habent autem hi principes hodie multò plures sequaces, quàm ipsis & ecclesiæ conducat.

Legitur verbũ Dei coram rege.

2. Mittitur Iehudi in ædes scribæ vel cancellarij allatum librum Ieremiæ. Eum vbi attulisset, legit in ipso, rege sic volente, & legit quidem in præsentia regis & omnium principum. Vide & obserua iterum miram Dei prouidentiam curantis verbum suum, licet exosum, tanta cum maiestate in præsentia regis & omnium principum prælegi. Et quidem in pessimo illo rege non improbandum est, quòd non dedignatur saltem aliquid audire. Inuenias enim non reges, sed proiectæ sortis homines, qui libros sacros non dignentur vel aspicere, nolint præterea vel verbulum vnum audire, nolint denique de noua illa, vt aiunt, religione vel tantillum musitari. Et tamen audent illi ipsi religionem incognitam,

magna

magna condemnare fiducia, ceu hæreticam, nouam & seditiosam: accersentes sibijpsis certum interitum, maximè cum in illa sua incorrigibili impietate præcludant viam spiritui sancto (quantum in ipsis est) dum nolunt audire aut discuti verbum salutis, per quod illuminat tenebras hominum spiritus sanctus.

3. Opportunè verò in præsenti à Ieremia consignatur, vbi tum, cum hæc fierent, fuerit rex, & qualis fuerit eius habitus, mollis vtique & luxuriosus. Nam superius in cap. 22. vituperauit propheta luxum ædificiorum huius regis. Parauerat sibi maximis inæstimabilibusq; sumptibus palatia diuersa, cum vnũ ipsi potuisset sufficere, hybernum inquam & æstiuum. Ac nunc quod Nouember hybernus mensis aduenisset, in hyberno palatio agit. Ibi considet molliter ad foculum, & curat diligenter cuticulam. Peccatum quidem non est mutare se contra frigus commodè, & commodè habitare: sed sine timore Domini frui his temporarijs commodis, & in his se prorsus volutare, & Domini Dei obliuisci, religionemq; parum aut nihil curare, ingens est flagitium. Miser populus ieiuno stomacho in templo eiulabat, orando & audiendo verbum Dei. Sed rex interea voluptatibus deditus, non modò nihil orat, aut quòd alij orarent, & verbum Dei audirent, approbat: verùm hæc omnia contemnens, condemnat & exurit verbum Dei. *Rex Ioachim mollis & voluptatibus deditus.*

4. Nunc enim inspiciendum est nobis, quomodo & quandiu ad focum audierit rex verbum prophetarũ. Vix lectis aliquot paginis, dum frequẽter quod offenderet occurreret, regem videlicet vnà cum regno per Babylonios perdendum, æstuat, exilit, librum arripit, cultroq; scriptorio conscindit, in ignem mox vicinum conijcit, totumq; impiè nephariéq; comburit. Multò ergo intemperantior & impatientior principibus fuit rex. Illi enim totum librum ad finem vsque audierant: hic verò impatientissimè principium duntaxat libri vix audit: sed & libro vim infert, maiorem authoribus libri illaturus, si adfuissent. Hæc est impiorum hominum nepharia audacia, qua stultissimè arbitrantur se iudicia Dei & oppressuros & effugituros scilicet. Typum prætulit hic tyrannus omnibus nedum ex principibus, sed & ex vulgo hominibus, qui non sustinent audire iudicia Dei, quæ ipsis ipsorumq; instituto sunt contraria, quæ insuper conuitijs incessunt, & bonos libros, ceu blasphemos, hæreticos, seditiosos & bonorum morum corruptores, piarumq; aurium offensores lacerant atque comburunt: præterea ne quis legat, aut habeat, aut alteri vendat vel tradat, mandant, bellum scilicet impiè gerentes cum ipso Deo. Ante hunc non legitur quisquam libros combussisse sacros: post ipsum verò Epiphanes, illustris inquam ille in omni impietate & nequitia Antiochus, Antichristi typus, sacros quoque libros concremasse dicitur in primo Machab. libro capite primo. Et Lactantius lib. 7. Instit. author est Antichristum hoc ipsum facturum. Fideles, ait, obuoluet libris prophetarum atq; comburet. Id quod Papam illum Romanum vbiq; terrarum factitare videmus. Diocletianus quoque in graui illa sua persequutione, qua ecclesiam Dei annis aliquot truculenter afflixit, libros sacros combussisse legitur publicè in plateis: quod apud Euseb. lib. Ecclesiast. hist. 8. traditur. Obtendit autem Papa Romanus suo librorum sacrorum incendio versionum varietatem. Quasi verò varietas illa non fuerit grata veteribus. Vnde enim tot versiones Aquilæ videlicet, Symmachi, Theodotionis, LXX? Et cur alias plurimas collegerunt antiqui, nisi ex varietate & propter varietatem: cum alioqui vna satis facere potuisset? Quòd enim corrupta esse criminatur Biblia ab hæreticis, de suo nimis licentioſe confingit: cum omnes interpretes subijciant se legi in ipsis Papæ Decretalibus editæ, vt in controuersia versionis recurratur ad originalia. Per hæc enim libenter sua corrigi velle profitentur, quotquot hodie sacras literas *Rex Ioachim typus est incendiariorũ sacrorum librorum.* *Qui sacros libros combusserint.* *Biblia variè versa.*

vel verterunt in alienas linguas, vel suis Commentarijs exposuerunt. Quomodo ergo Biblia corrupisse dicuntur? Originalia vocamus, veritatem Hebraicam & Græcam. Cæterùm si interpretes agnoscerent pro sede apostolica Romanam sedem, & supplices se legibus Papæ omnibus subijcerent, atq; adeò & bestiam illam adorarent, diuersitas illa versionis nihil vitio eis verteretur. Comburuntur itaq; & Biblia sacra, & libri Euangelicorum scriptorum non aliam ob causam, nisi quòd & dogmata falsa & mores corruptissimos Papæ & Romanæ sedis protrahunt, exagitant atque scripturis reuincunt, vt sacris libris & religioni antiquæ & simplicissimæ Christi contraria. Rursus tamen legimus in sacra historia, Ephesios magos comportasse libros suos magicos, & hos palàm combussisse. Quod exemplum sequuti reges & Imperatores Christiani, mandarunt magicos libros ignibus concremare, pariter & libros hæreticorum, eorum inquam qui palàm contra fidem Christianam blasphemam exeruerunt linguam, & libros ædiderunt scripturis canonicis contrarios. Quos etiam nos flammis aboleri, (ne bonos mores colloquia praua corrumpant) velle, alibi diximus. Qui autem libri tales non sunt, flammis consumi nõ debent, nisi incendiarij coniungi velint cum professis Dei hostibus Ioachimo, Antiocho & Diocletiano, nepharijs sacrorum librorum incendiarijs.

Libri magici & hæretici comburendi.

Securitas impiorum.

5. Subiungit nephario facinori regis propheta, quàm impia cum securitate rex rem vsq; adeò horrendam & nephariam patrauerit, quodq; principes prophani, impij regis exemplum sequuti, nihil sibi prorsus timuerint. Fuit enim in omnibus insignis Dei contemptus. Non timuerunt, inquit, aut expauerunt (loquitur autem de manifestè impijs) ad minas Dei per sermones Ieremiæ denunciatas, neq; scinderunt vestes suas. Id quod erat indignantium ob rem fœdam & impiam, lugentiumq; & pœnitentium, sicuti colligere licet ex 2. Ioelis cap. Tacitè verò videtur filius degener generoso parenti Iosiæ opponi. Nam cum hic audisset legẽ, & diras contra legis præuaricatores, scidit vestes, & serio de emendatione cogitauit, cumq; suis consiliarijs consultauit de instituenda reformatione. Filius verò, qui reformationem parentis, reducta idololatria, deformarat, præterea sermones Dei nunc exusserat, securus omnino nihil sibi metuit: perinde vt hodie quoq; solent Papistæ incendiarij librorum sacrorum gaudere in sinu, imò & palam exultare, quasi re bene gesta. Sed mox subiungetur sententia Dei iusta contra Ioachim & contra omnes incendiarios.

Rex admonetur ne exurat librum sacrum

6. Et tamen inter principes inueniuntur tres, qui interpellent regem ne faciat quod faciebat: sed videntur hoc quod fecerunt satis frigidè fecisse. Laudandum quidem istud quòd intercesserunt: non laudandum quòd frigidius intercesserunt, pluris vtique denuò facientes regis hominis mortalis fauorem, quàm Dei viui & sempiterni gratiam. Multi quidem hodie quoque indignitate rerum ab aduersarijs factarum commoti, interpellant impios impia facientes: sed cum metuunt ne liberior interpellatio odium ipsis conciliet, & rebus ipsorum noceat, contenti sunt obiter interpellasse aduersarios, quos non libenter offendunt, aut omnino sibi infensos habere nolunt. Sæpe ergo mouentur quæstiones & interpellantur aduersarij, verùm cum frigidè aut obiter duntaxat ista tententur, nihil mirum est parum promoueri ipsam pietatem, impietatem verò progredi, nec citra insignem iacturam veræ pietatis, quæ si non amplius, impeditur saltem implicaturq; quo minus expeditè procedat. Verùm horum omnium vltor est iustus Dominus.

Tyrannimagis subinde & magis insolescũt.

7. Et tyrannus Ioachim in præsentiarum leuicula illa intercessione adeò non flectitur à proposito impio, vt iam etiam sceleri scelus adijciat, atq; iubeat ministros suos, militum videlicet tribunos aut capitalibus causis præfectos inquirere

inquirere Ieremiam & Baruch, ac conijcere in vincula, nimirum vt & ipsi flammis tradantur comburendi. Ita verò crescit & semetipsam superat insana impiorum rabies: quam tandem confringit valida Dei manus. Hæc verò animant sanctos, ne vehementius commoueantur, quando similia & contra se & contra fratres Dominumq; inuocantes, fieri aut patrari vident atq; dolent.

8. Habet autem Deus suorum curam accuratissimam in omnibus impiorum insidijs & persequutionibus, ac efficit potenti sua manu, ne ante tempus aliquid aut plus quàm vtile sit sanctis, in sanctos possint aduersarij. Proinde hic etiam audimus Dominum abscondisse Ieremiam & Baruch, quos diligens regis cura ad necem postulabat, ne inuenirentur. Abscondebat autem per fideles homines & per suam potentiam, sicuti Heliseum ab ira loram, & alios prophetas, deniq; filium suum contra Iudæorum & Nazarethanorum furores defendit, ac ex præsenti morte liberauit. Fidamus ergo Domino Deo nostro, qui potens est liberare nos ab omnium aduersariorum nostrorum furoribus. Ipsi soli gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Deus suos tuetur.*

Iubetur Ieremias iterum scribere sermones suos in volumen, & Ioachimo regi sua annunciare fata. Id quod facit.

CONCIO CXX.

Et factus est sermo Domini ad Ieremiam, posteaquam rex combussisset volumen & sermones, quos scripserat Baruch ex ore Ieremiæ, dicens, Iterum sume tibi alium codicem, & scribe in eo omnes sermones priores, qui fuerunt in codice priore, quem exussit Ioachim rex Iuda. Et ad Ioachim regem Iuda dicito, Sic dicit Dominus, Tu combussisti codicem istum, & dixisti, Cur scripsisti in eo, dicens: Certò veniet rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet in ea cum homines tum animantia? Ideò sic dixit Dominus de Ioachim rege Iuda, Non erit ei qui sedeat in solio Dauidis, & cadauer eius proiectum erit ad æstum interdiu, & noctu ad gelu. Et visitabo cùm ipsius tum seminis ac seruorum eius iniquitatem, & inducam super eos & super habitatores Hierusalem, & super vniuersum Iuda, omne malum, quod loquutus sum contra ipsos: & non audierunt. Accepit ergo Ieremias volumẽ aliud, & tradidit illud Baruch scribæ filio Neriæ, qui scripsit in eo ex ore Ieremiæ omnes sermones voluminis eius, quod combusserat Ioachim rex Iuda. Additi sunt insuper ad eos plures sermones, quàm fuerint priores.

QVarta & vltima parte huius historiæ iubetur à Deo Ieremias de nouò combustum à rege rescribere librum, deinde regi annunciare commeritum supplicium, de ipso seueriter, sed iustè sumendum. Consignatur deinde Ieremiæ diligentia scribentis per Baruch volumen sermonum nouum, plures insuper adijcientis sermones, quàm in priore libro, quem combusserat rex, fuerant comprehensi. Quæ omnia ordine explicabimus, nostræq; adaptabimus eruditioni. *Argumentum huius partis.*

1. Exhibetur nobis in præsenti elegans imago certaminis piorum & impiorum super verbo Dei. Hoc enim impij conantur modis omnibus luxare, lacerare, opprimere & abolere. Proinde vulgant magna cum maiestate, regia, imperatoria, & diuinum, imò diabolicum nescio quid spirantia edicta, quibus prohibent ne quis annunciet verbum illud quod ipsi non Dei, sed seditiosorum & hæreticorum concionatorum figmentum & hæresim & nouitatem appellant; *Imago certaminis piorum & impiorũ super verbo Dei.*

prohibent ne quis hoc ſcribat, legat, imprimat aut typis excudat, diuendat aut emat, ſed iubent vbicunque reperiatur opprimatur protinus, diſcerpatur & cõburatur. Sicuti hic feciſſe legitur Ioachim rex cum principibus ſuis impijs. Opponuntur verò nunc regi potentiſſimo & tot principibus Iudæorum magnificis duo miniſtri, & vt noſtri aiunt, Pfaffi, contemptiſſimi coràm mundo, pauperes, exoſi, proſcripti & miſeri. Hos inquam iubet Deus reparare & nunc de nouo ſcribere librum damnatum & exuſtum. Obſeruemus autem quòd ipſe Deus iubet ſcribere: & quòd iubet illud ipſum repetere, quod rex concremauerat. Semper enim conſtat ſibi Deus, & ſui ſimile eſt verbum Dei, quod minimè mutatur cum hominibus. Proinde Deus conſeruat ſanctam ſcripturam, in qua nihil vult mutari, ſed idem ſubinde ſcribi & annunciari, non aliena, non noua, non contraria illis, quæ reuelata & conſcripta fuerunt olim. Eſt autem hoc ſaluberrimum optimúmque conſilium, quod ſufficitur nobis atque adeò defertur ad nos cœlitus, quod ſequamur in certamine quod hodie nobis eſt cum Papa & incendiarijs librorum. Non enim ceſſandum oſtenditur nobis, non ſilendum, non cedendum, ſed quoad iſti non ceſſauerint prohibere lectionem librorum, & exurere libros prohibitos ab eis, eouſque non pigeat nos prædicare contra mandata iſtorum verbum Dei, librósque combuſtos de nouo conſcribere, typis excudere, & ſpargere per orbem, euentum permittentes Domino Deo noſtro, qui ſuorum laboribus benedicet, quemadmodum & Ieremiæ & Baruch conatibus benedixit.

Conſilium propijs quid agant in librorum bonorũ incendio.

Omnibus temporibus incolumis à Deo ſeruata ſcriptura canonica.

Cernimus hic interim quomodo omnibus temporibus ſcriptura canonica, quæ verbum Dei eſt, incolumis ſit ſeruata à nepharijs hoſtium Dei furoribus, conantium ferro & igni, & modis quibuslibet delere & ſcripturam ipſam, & ſcripturarum ſcriptores atque expoſitores. Exurit quidem librum Ieremiæ rex Ioachim: ſed mandãte Deo, liber combuſtus, mox per illos ipſos reparatur & poſteritati commendatur incolumis: qui exuſtum conſcripſerant. Scripturas ſanctas comburit rex impius Antiochus, ſed eas in vniuerſum abolere non potuit. Nam ante centum annos LXX. interpretes poſtulante rege Ægyptiorum Ptolemæo Philadelpho, conuerterant ſacros libros in linguam Græcam, quos rex repoſuerat in bibliothecam: vnde haud dubiè exemplaria ad plurimos inter gentes peruenerant. Nam eunuchus reginæ Aethiopum in Iſaiæ libro legiſſe narratur in hiſtoria Actuum Apoſtolorum. Et de libris Hebraicis dubium nõ eſt, quin incolumes & integri peruenerint ad poſteros. Nam cum magi ex Perſide vel Oriente veniſſent Hieroſolymam, interrogaſſentq́, vbinam eſſet nuper natus ille rex Iudæorum: rege Herode mandante, conſulitur à Scribis ſcriptura ſancta, & reſpondetur ex ſcriptura ſancta: ſicut Matthæus teſtatur hiſtoriæ Euangelicę cap. 2. Quid quod Domino noſtro in ſchola Nazarethana adfertur liber Iſaiæ prophetæ? Quid quod ipſe Dominus vbique in Euangelio remittit auditores ſuos ad legem & prophetas? Et quod legitur in Actis apoſtolicis, paſſim per omnes ſcholas vel ſynagogas Iudæorum fuiſſe qui Apoſtolorum ætate profeſſi ſint Moſen? Tametſi ergo Antiochus rex libros ſacros exuſſiſſet, non tamen omnes exurere potuit, & ſcripturam ſanctam abolere. Remanſerant tum innumera legis & prophetarum exemplaria. Audiuimus enim temporibus Chriſti & Apoſtolorum ſcripturam integram & inuiolatam fuiſſe in vſu populi Dei, & hanc ipſam inuiolatam ad gentes eſſe delatam. Tum quoque in varias linguas & multiplices verſiones ſacrum volumen vtriuſque Teſtamenti translatum eſſe teſtantur hiſtoriæ: vt quanuis potentiſſimi principes & Imperator Diocletianus etiam ſacros combuſſerit libros, omnes tamen concremare non potuerit. Nam vt nunc non commemorem exemplaria illa innumera & multiplicia, quæ Hie-

Actor. 8.

Lucæ. 4.

Lucæ 10. 16 24. Ioan. 6. & 10.

ronymus

ronymus à se visa testatur, an non Theodoretus in sua historia commemorat, maximum illum imperatorem Constantinum, patribus in Nicæna synodo congregatis proposuisse sermones prophetarum & Apostolorum, ex quibus omnes controuersias determinarent? Extabat ergò & manebat incolumis scriptura, tametsi plurima exemplaria perijssent in Diocletianico illo incendio. Et quidem combusserat hic libros sacros anno Domini 306. Constantinus verò post annos circiter 25. anno videlicet Domini 328. (Euseb. in Chronicis numerat annum Domini 324.) patribus Nicenæ synodi eosdem saluos & incolumes propo nit. Neque verò est quod putemus, impossibile fuisse libros sacros in tanta rabie hostium & potentissimorum regum conatibus, saluos permanere, & integros ad nos vsque, qui in fine seculi viuimus, peruenire potuisse. Nam vasa templi sacra in captiuitate Babylonica peruenerunt omnia in manus hostium: nempe in potestatem Nabuchodonosoris. Sed hic illa diligentissimè custodiuit: quæ cum nepos eius Baltazar rex violare & ijs abuti incœpisset, in ipso nephario facinore mox est oppressus, & vasa integra, ita iubente regum maximo Cyro, Hierosolymam sunt relata. Qui hæc potuit Deus omnipotẽs, an non scripturas, verbum inquam eius, saluum & incolume potuit seruare? Nemo itaque ab his perturbetur, qui detrahentes scripturæ sanctæ, & longè maiora humanis commentis tribuentes, aiunt nos non posse inniti tutò scripturis & ex his omnia religionis nostræ dogmata confirmare, ac petere, quòd corruptas illas esse constet à Iudeis & hæreticis. His enim olim responderunt beati patres Hieronymus & Augustinus. Nam ille Comment. lib. ad Isaiam 3. Si aliquis dixerit, inquit, Hebræos libros à Iudæis esse falsatos, audiat Origenem, qui in 8. lib. explanationum Isaiæ, huic respondeat quæstiunculæ: quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in scribis & pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint post aduentum Domini Saluatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebreos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, vt Saluator & Euangelistæ & Apostoli ita testimonia protulerint, vt illa Iudæi postea falsaturi erant. Augustinus verò contra Adimantum cap. 3. Si admittatur, inquit, scripturas esse adulteratas, nunquam erit contentionum finis. Quod enim hæretici criminantur fecisse catholicos, nos eiusdem sceleris ipsos accusabimus. Rectissimè ergo Eras. Rot. in Apologia noui testamenti, Hæc est summa scripturarum laus, ait, quòd in tot linguas toties transfusæ, toties ab hæreticis vel mutilatæ vel deprauatæ, tot modis incuria scribarum contaminatæ, tamen æternæ veritatis vigorem retinent. Non enim omnia corrumpere potuerunt, adeò vt quæ extant hodie, pulcherrimè consentiant cum religione & fide Christiana. Ergo immensa Dei bonitas & potentia codicem hunc sacrum in tot periculis discriminibusq; tanto denique tempore ab omni corruptela conseruauit nobis in hunc vsque diem, ne ecclesia Dei iusta careret regula, aut destitueretur claro æterni solis lumine. Varietas verò lectionis, quam multi nobis hic quoque obijciunt, si fortè scripturas è manibus nobis extorquere possint, non est corruptio aut falsatio. Et inuenias curiosa & ambitiosa quorundam ingenia, quæ hac in parte sint superstitiosiora quàm conueniat aut deceat. Pij simpliciter scripturis credunt, & authoritatem ipsarum habent sacrosanctam. Quòd si alicubi diuersitas aut obscuritas in scriptura occurrit, non ideò subdubitare incipiunt de vniuersa, potissimùm cùm ea, quæ pertinent ad dogmata fidei salutaria, & ad formandam vitam sanctam, clarissimè reperiantur expressa in scripturis, si non in hoc loco, de quo nunc est controuersia, saltem in alio loco, aut certè pluribus. Sed redeamus modò ad Ieremiam nostrum.

An scripturæ corruptæ à Iudæis & hæreticis.

Varietas lectionis.

Iudicium Dei contra incendiarios sacrorũ librorũ.

2. Iam etiam pronunciat de facto Ioachimi regis Deus, & de omnium illo

rum factis qui incendijs librorum sacrorum patriarcham suum Ioachim impurissimum nequissimúmque nebulonem sectantur. Oratiunculam enim historiæ huic Ieremias intertexit, qua denunciat (est enim oratio denunciatoria & partim criminatoria) regi iudicium Dei, & pœnam grauem, quam ille de incendiario aliisq; sceleribus adoperto sumere velit. Nam fuit Ioachim multis alioqui flagitijs nepharijs deturpatus, quibus tamen omnibus infandum scelus incendij non veritus est super imponere. Sicuti multi quoq; nostra ætate non satis habẽt quòd omnibus sunt sceleribus conspurcati, nisi insuper his omnibus adijciant blasphemias & conuitia contra prædicationem verbi Dei grauissima, adeoq; & ignem, quo sæuiunt & in corpora & libros, & facultates sanctorum. Oratiuncula verò Ieremiæ his absoluitur partibus. 1. Authorem huius orationis more suo ostendit, quòd non suum somnium, sed Dei proferat sermonem. Ante omnia enim ait, Sic dicit Dominus. Proinde iussit Deus prodire Ieremiam in conspectum regis, quem tamen prius refugit, & sese alicubi in recessum abdidit. Ita prodit Helias in cõspectum Achab, quem diu fugerat. Idem iterum metu fugit, sed reuocatur ex deserto in terram Israelis ad prædicandum. Et sunt vices temporum atq; rerum. Deus quoq; satis potens est conseruare seruum suum à furore regis, ne hunc sua sponte iam venientem & iudicia Dei ingratiss. annunciantem, trucidet rex, quem tamen diligenter inquiri & in carcerem conijci mandauerat: tunc autem Deus pro sua voluntate & ratione illius temporis latitare voluerat. Ita verò placet Domino agere cum ministris suis, nunc hac, nunc verò diuersa ratione. 2. Manifestis verbis opprobrat ei crimen incendij, Tu, inquit, combussisti codicem istum, quem videlicet Deus ipse scribi iusserat. Addit cur exuri eum voluerit, quòd prædixerit certissimum à rege Nabuchodon. impendentem interitum. Atqui ob eam prædicationem non oportuerat regem se obijcere Deo hostem, sed magis prosternere supplicem. Id cum non fecit, nec annunciationi diuinæ atq; adeò paternæ admonitioni credidit, sed impiè rebellauit, & contumeliossimè fidelem admonitionem combussit, dignissimè porrò pœnam commeritam ei exponit propheta. 3. Propterea sic ait Dominus, inquit, &c. repetens iterum & necessariò, non vitio tautologiæ, authorẽ rerum harum omnium Deum, qui & verax sit & potens.

Ieremias se regi palàm obijcit, sicuti et Helias Achabo quem diu fugerat.

Pœna incendiarijs decreta.

Et quidem pœna hæc tribus propè membris absoluitur. Principiò enim, Carebis, inquit in regno successore. De quo dictum est & 22. cap. Indigni enim sunt qui regnent, quotquot verbum Dei & Deum ipsum regnare nolunt super homines, & ea de causa verbum Dei comburunt. Deinde, Carebis, inquit, sepultura. Nam & 22. cap. dixit, Sepelieris asini sepultura. Carebis honore vltimo, qui extrema ignominia affeciſti verbum Dei. Torrebit ergò cadauer tuum interdiu caloribus Solis, vt solent qui suspensi sunt in patibulum, aut quorum membra rotæ sunt innexa: noctu verò constringetur gelu. Id est, iacebit & computrescet alicubi inglorie in campo instar cadaueris bestiæ alicuius. Est enim loquutionis genus. De his anteà dictum est. Postremò minatur se omnia mala, cùm in ipsum regem, tum in liberos eius, adde & in principes scelerum socios, & in totum populum non alienum à moribus corruptissimis sui principis, effusurum quæcunque minatus sit per sermones Ieremiæ prophetæ. Minatus est autem famem, pestem, gladium, direptionem bonorum, incendia, captiuitatem, denicq; mala omnia effusurum se in capita impiorum. Sic autem merentur tractari, qui fidelia Christi membra fame verbi Dei exercent, qui gladios exerunt in ceruices piorum, qui in carceres conijciunt fideles, quos vnâ cum libris sacris exurũt, & prædicationem verbi Dei omnibus contumelijs adopertam tyrannicè prohibent. Nemo ergo existimet has minas pertinere ad Ioachimum & ad principes, populúmque

lumq; ipsius duntaxat. Pertinent omninò ad omnia tempora, & ad omnes homines, quotquot sequuntur impiam Ioachimi regis audaciam. Vidimus enim ante annos circiter 40. ardere passim sacra Biblia, & libros de religione vera cõscriptos contra superstitionem. Papa enim cum suis huiusmodi libros minimè sibi ferendos existimauit, ideoq; principes instigauit, ne parcerent vel Lutheranis, vel Zuinglianis libris, atque adeò ne Bibliis quidem in vulgarem linguam versis. Vidimus autem vicissim grauibus bellis amœnissimas fertilissimasq; regiones vastari cùm à Germanis tum à Gallis, Italis, atq; Hispanis. Bello seruili vel rustico arserunt & libri superstitiosi, & monachorum lustra. Capta & direpta est Roma. Cepit Rhodum, & Hungariam depopulatus est fusis & fugatis Hungaris, & trucidato rege Ludouico, Solymannus Turcarum princeps max. Multa alia tristia & calamitosa prudens prætereo. Ex istis autem colligit quiuis sana ratione non destitutus, etiamnum Deum sui similem vindicare suam ignominiam in incendiarijs. Videbimus propediem longè maiora. Dominus enim iustus est & verax.

3. Post hæc cõmendatur nobis obedientia Ieremiæ, facientis omnia, ita vt facere mandauerat ipsi Dominus. Qua in re imitandus est nobis in omnibus, quæ nobis quoq; Dominus præcipit, qui etiam orandus est, vt gratiam suam nobis largiatur, quò possimus: cùm nihil sine ipso possimus. *Obedientiæ Ieremiæ.*

4. Sub finem historiæ appenditur, Additi sunt insuper, &c. Qua sententia significatur conatus aduersariorum adeò non succedere pro voto ipsorum, vt illud propemodùm promoueant suis consilijs, quod impeditum volunt. Omnia enim consilia quæ contra Deum instituuntur, abeunt tandem in fumum. Stulti putantur, qui ventos volunt includere saccis: & sapientes huius seculi volunt spiritum sanctum concludere & circumscribere suis edictis & carceribus. Ideóque comburunt eius organa. Cæterùm quò plus sæuiunt in veritatem, & quò plures libros bonos proscribunt & comburunt, eò plures emergunt ipsis etiam inuitis in lucem: adeò vt vbi ante annos viginti, fuerunt viginti millia Bibliorum & bonorum librorum, ibi hodie decies plura inueniantur exemplaria. Vincit enim Christus: cui sit gloria in sæcula sæculorum, Amen. *Conatus impiorum frustanei.*

Obsessa vrbe, & abeuntibus Babylonijs contra Aegyptios, rogatur Ieremias à rege, quid futurum sit. Respondet vrbem & ex pugnandam iri, & comburendam igni.

CAPVT XXXVII.

CONCIO CXXI.

ZEdechias filius Iosiæ constitutus est rex à Nabuchodonosore rege Babylonis pro Iechonia filio Ioachim in terra Iuda, & non audierunt, neq; ipse neq; serui eius, neq; populus terræ sermones Domini, quos loquebatur per Ieremiam prophetam. Et misit rex Zedechias Iehuchal filium Selemiæ & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem ad Ieremiam prophetam, vt dicerent, Ora quæso pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Ieremias autem tum ingrediebatur & egrediebatur in populo: nondum enim posuerant eum in carcerem. Exercitus autem Pharaonis profectus erat ex Aegypto: quem rumorem cum audiuissent Chaldæi, qui Hierusalem obsederunt, ascenderũt à Hierusalem. Factus est ergo sermo Domini ad Ieremiam prophetam, dicens, Sic dicit Domi

nus Deus Israel, Sic dicetis ad regem Iuda, qui misit vos ad me interrogatum, Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vt nobis auxilium ferat, reuertetur in terram suam in Aegyptum, Chaldæi autem redibunt, & præliabuntur cõtra vrbem istam, & capient eam, & igni eam exurent. Sic enim ait Dominus, Ne efferatis animas vestras, dicentes, Chaldæi certò nunc recedent à nobis: quia nõ abibunt. Quin si trucidassetis omnem Chaldæorum exercitum, qui oppugnat vos, relictiq; ex eis fuerint confossi, exurget quisq; ex tentorio suo, & incendent vrbem istam igni.

Excidium Hierosolymorum, ac eius vsus salubris.

CONSEQVENTIBVS iamaliquot capitibus copiosa narratione & eui denti exponet nobis Ieremias gentis Iudaicę, vrbisq; Hierosolymitanę excidium, hoc est, quomodo verbum Dei ipsis iã per annos propè 40. prædicatum verbis, operibus sit completum. Inseritur his quid Ieremias in hac communi calamitate singulariter sit perpessus, quid peculiariter dixerit & fecerit: quid denique boni & mali sint perpessi. Memorabilis est historia, & digna, quam summa cum diligentia & explicemus, & in animos nostros recondamus. Hic tandem apparebit Deum quidem bonum, principiò verbis agere ac minis: sed si nulla sequatur emendatio, verbis protinus subiungere verbera & res. Timeamus ergo Dominum.

Ordo & summa historiæ huius.

Ab initio mox narrat regem Zedechiam constitutum esse à Nabuchodonosore principem regni Iuda. Sed quoniam paulò intricatior est historiæ cõtextus, sic teneat hanc rem quilibet. Occupata per Nabuchodonosorem magnum tota Syria, & depulso rege Ægyptio, deuictoq; Nechaone Pharaone, constituit Nabuchodonosor regem Iudęorum Ioachimum, postulauitq; vt fidelis ipsi esset, neque vnquã faueret Ægyptij partibus. Sed Ioachim in fide non perstitit, sed cum Ægyptio conspirauit. Adest ergo Nabuch. & captum Ioachimum abducit vinctum catenis, & constituit Iechoniam filium eius regem pro patre. In itinere verò, incertum quid intellexerit Babylonius, certè mittit mox exercitum, dedentémque se Iechoniam cum pluribus captiuum in Babylonem abducit. Ac mira hic Babylonij clementia relucet. Adhuc enim fidit perfidę genti, & constituit regem Zedechiam perfidissimi Ioachimi fratrem, & iuramento ipsum sibi astringit, ne quid colludat cum Ægyptio. At Zedechias perfidè fœdus init cum Ægyptio. Quartam ergo expeditionem instituens Babylonius, venit valido cum exercitu in Syriam, obsidioneq; cingit Hierosolymam. Id vbi audisset Capreas Pharao rex Ægypti, instructo & ipse exercitu magno, ascendit in Syriam, soluturus Hierosolymorum obsidionem. Quod cum Nabuchodonosor intellexisset, intermissa obsidione, progreditur obuiam Ægyptio, cum quo mox manus conserit, quem & vincit, & fugat rursus in Ægyptum. In his verò difficultatibus mittit Zedechias legatos ad Ieremiam, percontatum de euentu belli. Erant enim Pseudoprophetæ, qui dicerent nunquam amplius rediturum Nabuchodonosorem, & c. Ieremias verò cõfirmabat contrarium, & prædicebat vrbis gentisq; interitum. Hic est ordo huius historiæ, qui non aliter digeritur à Iosepho celebri historico, Antiquitatum lib. 10. cap. 10. Quod autem dixi paucis antea, nũc repeto pluribus, admirandam Babylonij regis in his apparere clementiam erga Iudæos & Zedechiam, cui tradidit regnum, nec ejecit post tot expeditiones susceptas ob huius gentis rebellionem. Primò enim ascendit ipse rex Babylonius contra Nechaonem in Syriam 4. anno Ioachim, ac tunc Ioachimum confirmat in regno. Secundò ascendit iam cõtra ipsum Ioachim regem Iuda, & compescit ipsum Iechonia rege constituto. Tertiò mittit iterum exercitum contra Iechoniam, qui vinctum duceret in Babylonem. Nihilominus post tam graues expe-

Clementia Babylonij regis admiranda dicitur sed Dei magis.

ditiones

ditiones constituit regem Zedechiam, contra quem cum quartam cogeretur expeditionem facere, vniuersum regnum vastauit: nec immeritò. In his tamen omnibus non sola Nabuchod. commendanda est virtus, sed Dei potius prouidentia & clementia, qui Nabuchodonosoris animum ita gubernat, vt aliter non potuerit, quò concederetur spacium pœnitentiæ populo suo, experianturq; Dei misericordiam inexplicabilem. Vidimus nostra ætate nō semel, hostes non tantum sæuisse, quantum videbantur potuisse, & quidem repressi à Domino: cui in huiusmodi casibus prima debetur laus.

Causa verò prima vel maxima omnis miseriæ, calamitatis, & excidij gentis & vrbis commemoratur disertis verbis à propheta, nimirum vt caueamus nobis omnes ab illa, nisi & nos perire, & prius omni malorum genere excarnificari malimus. Non obtemperauit rex, neque obtemperauerunt serui eius, principes inquam, aulici & nobiles, denique ne ipse quidem populus obtemperauit verbo, quod Deus loquebatur per Ieremiam. En, non crediderunt verbum Ieremiæ hoc esse quod erat, verbum inquam Dei. Quemadmodum nostri homines hodie arbitrantur sese excusatos esse egregiè, cum dicunt, Non bellum gerò cum Deo, nec; contradico verbo eius: sed me obijcio illis virulentis pfaffis, qui suas in nos euomunt affectiones. At ministri Dei, quos isti odioso impuroq; vocabulo pfaffos vocant, non aliud annunciant, quàm quod prius annunciauerunt prophetæ & Apostoli, & horum Dominus Christus Iesus. Inspice enim sacra Biblia, & inuenies ministros Dei sacras literas exponendo non corrumpere aut peruertere, sed duntaxat suis accommodare locis, temporibus & hominibus ad gloriam Dei, & salutem hominum. Cum itaque his rebellas, non his solùm, sed ipsi Deo, qui per verbum suum tecum loquitur, rebellas. Sed & in illo quoq; rebellas maximè, quòd ad normam verbi Dei tibi annunciati, vitā tuam, moresq; corruptos non reformas, emendandoq; componis. Hæc inquam, verissima causa est cur semper corruerint regna, & intereant etiam nunc. In concilijs & comitijs consultantur multa & grauia de salute regni & Reipublicæ. Si quis hic dicat, hanc in sola verbi Dei obedientia fideli consistere, Deus bone, quàm hic nullos habet auditores, interim derisores innumeros. Verùm res ipsa clamat, testatur experientia, testatur item ipsa scriptura, perijsse semper & perire nunc quoq; regna & Respub. ob inobedientiam & rebellionem impiam contra verbum Dei. Legatur obsecro vltimum cap. 2. lib. Paralip. Legatur item 19. cap. Euangelij secundum Lucam, vbi Dominus interitum vltimum Hierosolymæ vrbi prædicens, Illa euenient tibi, inquit, quia non agnouisti tempus visitationis tuæ. Caueamus ergo, ô fratres, ab illa rebellione impia, & ab illusione verbi Dei abominanda. Obediamus potius Deo, oremus illum, vt vires emendandi nos ad præscriptum verbi ipsius, concedat.

Causa verissima interitus omnium regnorum.

Porrò exponit quomodo se gesserit obsessus in vrbe rex. Mittit legationem honorificam ad Ieremiam ob causas duas. Principiò vt oraret Dominum pro populo. Deinde vt à Domino de euentu rerum responderet. Et quidem bene recteq; petitur intercessio ad Dominum à fidelibus in periculis. Sæpe enim profuit plurimùm pluribus. Cæterùm si omnem molem velimus obtrudere in collum & humeros vnius aut alterius Deum timentis, nos interea perrexerimus in omni impietate, & nihil cogitauerimus emendare vitæ nostræ corruptæ, frustrà sanè petitur intercessio. Et certè videas hodie innumeros, qui clamant ad mortuos sanctos iuxta corpus, S. Petre ora pro nobis, S. Andrea ora pro nobis: viuentibus quoque in hoc sæculo sanctis dicant, Commendate nos obsecro Domino vestris precibus: sed à corruptis moribus suis ne latum quidem vnguem discedant; quam quidem ob durtiam suam nō iuuantur vllis precibus piorum.

Mittitur legatio ad Ieremiã, & postulatur intercessio.

1. Ioan. 5. Iacobi 4.

Sed hac ipsa de re diximus in hoc opere iam sæpius, sicut in 7. cap. in 11. & aliâs.

Sunt vices rerũ & ministrorũ.

Adijcitur paucis qualis tunc Ieremiæ status fuerit: nondum fuerat coniectus in carcerem. Proinde sunt vices rerum vt in rebus omnibus, sic etiam in ministerio & ministris. Non semper gemunt sub cruce, etsi nunquam sint ociosi: dat tamen eis Dominus respirationem aliquam & tempora meliora aliquando: sicuti palàm fit ex historia Regum & ex Actibus Apostolorum. Ergo qui aliquid habent pacis & commoditatis, non obliuiscantur crucis, sed præparent se ad hanc: & qui sub cruce gemunt, sperent meliora tempora, ac per omnia permittant se diuinæ prouidentiæ, omnia rectè ordinantis & gubernantis. Huc pertinet quod modò audiuimus regem misisse ad prophetam legatos. Nam venit aliquando tempus, in quo fiant precioſi, qui alioqui canibus viliores reputantur. Sæpe hoc experiuntur fideles Christi & ecclesiarum ministri, spectantes in his casibus omnibus non ad homines, sed ad vnicum Dominum omnium ministrorum fidelem & potentem conseruatorẽ. Et si quando supplices eis fiunt hostes & potentes, nihil hic suis indulgent affectibus, non hinc secundum carnem gloriantur aut exultant, non rapiunt illam occasionem ad res suas conficiendas, nec quicquam largiuntur & concedunt quod non decet, sed in timore Dei secundũ verbum Dei respondent, agunt & perficiunt omnia, gratias semper Domino agentes pro ipsius dispensatione sapientissima curaq; paterna.

Cur legati ad prophetam missi?

Occasio quoque interseritur legationis à principe ad prophetam missæ, hæc. Cum obsedisset Hierosolymorum vrbem rex Babylonius Nabuchodonosor, mouet ex Ægypto Capreas Pharao, vt socios obsidione eximeret. Intelligit hoc Babylonius, ac obsidione soluta, ducit exercitum omnem contra Ægyptium, quo hunc vniuersa excludat Syria. Discedentibus autem Chaldæis, magna erat exultatio in vrbe, in primis verò garriebant pseudoprophetæ, nihil amplius esse periculi à Babyloniis. Rex itaque legatos mittit ad Ieremiam percontatum, quem putaret fore huius negotij euentum. Respondet autem Ieremias, nihil esse spei reliquum, cum & seruos retraxerint in captiuitatem, sicuti audiuimus paulò antè, & vitam malam imò abominabilem non emendarent.

Leuitas vulgi.

Sed de responsione hac paulò post aliquid dicemus. Videmus autem in hac historia quodnam sit ingenium, quæ leuitas vulgi imperiti & non audientis verbum Domini. Cum premunt pericula, curritur ad Dominum, ad templum, ad preces, ad viros, quos putamus Deo non ingratos esse, petitur sedulò à malis impendentibus liberatio: quamprimùm verò aliqua affulget spes liberationis, mox abijcitur inuocatio & animi solicitudo, negliguntur viri boni, non venitur ad templum amplius, sed reditur potius ad intermissa studia corrupta, &c.

Fœdera & societates cum hominibus nõ seruant.

Discant interim & hoc, quotquot sibi persuaserunt sine regum societatibus Respublicas suas saluas esse non posse, discant inquam Hierosolymitanos sine fœdere Ægyptio commodius & securius multò viuere potuisse. Neque verò peregrino milite aliud tibi concilias quàm ingentia pericula & maximos sumptus. Vbi autem res peruenerit in summum discrimen, tunc socij aliquando tui, quibus tu confidebas, vel te deserunt, vel cæduntur & fugantur, tuq; de repentè collaberis & in tua confœderatione peris. Filij Israel peccarunt grauiter adorando vitulum illum conflatilem: tu longè grauius peccas, qui tantoperè confidis peccatrici carni, & hominibus alioqui turpissimis & semper ebrijs. Vnde & maledictionem, iuxta verbum Ieremiæ cap. 17. accipis à Domino. Quid enim conductitij milites, fex & scoria orbis Christiani, hactenus contra Turcas bellando effecerunt?

Responsio prophetæ data regi.

Iam verò subtexitur Ieremiæ oratiuncula, qua respondet legatis Zedechiæ regis, annunciátque redituros Chaldæos, & obsidionem restauraturos; tandemq;

demq; vrbem capturos & direpturos, atque etiam combusturos. Mentiri ergo seducereq; populum, promittentes ei securitatem & pacem. 1. Ostendit authorem huius suæ responsionis ipsum Dominum Deum Israelis. Quasi dicat, Non est quòd fastidias nostram responsionem, veluti ex me confictam & prolatam: Dei veri, viui, & æterni est ista responsio. 2. Ostendit Ægyptios omnino infeliciter pugnaturos, & per fugam redituros eò, vnde venerant. Frustra ergo innixos baculo arundineo Iudæos. Rursus itaq; claret, impia vita contaminatos homines nullis posse fœderibus eripi ab impendentibus malis. 3. Ostendit præterea verbis significantissimis Chaldæos restauraturos obsidionem, imò & inflamaturos vrbem captam & direptam. Proinde nulla valla, nullæ munitiones tueri possunt impœnitentes contra manum Domini. Nam vita pœnitere nescia, incredulitas & impietas ad summum peruenerant in hoc populo. 4. Quoniam verò erant promittentes, Chaldæos nunquam redituros amplius ad vrbem, Ieremias constantissimè contra hos loquens, Ne eleuaueritis animas vestras, ait, pro quo alij verterunt, Ne efferatis animas vestras. Animum attollere est locutionis genus, significans nos aliquid magno cum animi desiderio cupere ac iam nobis veluti præsens polliceri, & confectum veluti dare: vt cum Germanicè dicimus, *In sinn nemmen.* Contrarium, *Nimm dirs nun nit in sinn.* Quasi dicat, Video te quidem toto animo hoc veluti deuorare, sed nolo in animum inducas, ea re vnquam te potiturum. 5. Quibus adijcit sententiam aliquid hyperbolici habentem, quò omnem eis spem præcideret, & ostenderet vindictam de ipsis omnino sumendam fore à Domino. Adeò non manebit ciuitas vestra incolumis & salua, vt tametsi trucidassetis exercitum Babylonicum, pauculiq; remansissent saucij vel vulnerati Babylonij in tabernaculis suis, illi ipsi confossi tamen erumpent ex suis illis tentorijs, & incendent igni vrbem vestram. Tale est autem loquendi genus, quale cum dicitur lapides clamaturos, & ex lapidibus excitandos Abrahæ filios. Nam oportet omnino perfici Dei voluntatem: oportet omnino puniri impœnitentes, verbi Dei persequutores, idololatras & impios homines. Quacunque enim ratione vindicta malis non deerit, neq; Deo quicquam difficile est. Huc pertinent prouerbia illa vulgata, Virum improbum vel mus mordeat. Item, Mordebit vel capra nocentem. Et, Ibyci grues. Inest & formicæ & serpho bilis. Deus vlciscetur. Timeamus ergo Deũ & ne polliceamur nobis impunitatem in vita praua, &c.

Oportet omnino puniri impœnitẽtes quocunq; tandem modo.

Dum discedere ex urbe Ieremias cogitat, capitur, in carcerem conijcitur, inde eductus adhibetur à rege Zedechia in consilium.

CONCIO CXXII.

Et factum est cum soluisset exercitus Chaldæorum à Hierusalem, causa exercitus Pharaonis, vt exiret Ieremias de Hierusalem, et iret in terram Beniamin, vt segregaret se inde à populo. Cumq; esset in porta Beniamin, erat ibi præfectus quidam custodiæ, cuius nomen Ierias, filius Selemiæ, filij Hananiæ, qui prehendit Ieremiam prophetam, dicens, Tu volebas ad Chaldæos deficere. Dicebat ergo Ieremias, Mendacium est: ego nequaquam ad Chaldæos defecere volui. At ille nolebat eum audire, sed prehensum Ieremiam adduxit Ierias ad principes. Et irati sunt principes Ieremiæ, & percusserunt eum, posueruntq; eum in carcerem, in domo Ionathan scribæ: hunc enim præfecerant carceri. Ingressus est itaq; Ieremias in lutum, in locũ vbi detinebantur vincti, & delituit ibi multis diebus. Misit autem rex Zedechias, & accersiuit eum, in-

terrogauitq; eum domi suæ clanculum, & dixit, Estne verbum à Domino? Et dixit Ieremias, Est. Et ait, In manũ regis Babylonij traderis. Et dixit Ieremias ad regem Zedechiam. Quid peccaui vel in te, vel in seruos tuos, vel etiã in populum istum, quòd retrusistis me in carcerem? Vbi sunt prophetæ vestri, qui vobis prophetabant, & dicebant: Non veniet rex Babylonis cõtra vos, & contra terram istã? Nunc ergo ausculta quæso, domine mi rex, cadat quæso precatio mea in conspectu tuo, ne me reduci iubeas in domũ Ionathan scribæ, ne ibi moriar. Præcepit ergo rex Zedechias, vt ponerent Ieremiam in atrium custodiæ, & darent ei quotidie libum panis, præter obsonia, donec consumeretur omnis panis in vrbe. Manebat itaq; Ieremias in atrio custodiæ.

Argumentum præsentis loci.

DVæ prælectis verbis historiæ recitantur. Prior de eo, quomodo Ieremias propheta voluerit egredi vrbem in patriam suam Anathoth, ac in porta sit à præfecto custodum portarum interceptus, contumelia affectus, & perductus ad principes, qui ipsum coniecerunt in vincula. Posterior exponit nobis, quomodo Ieremias euocatus ex carcere per regem Zedechiam, venerit cum ipso in colloquium, qui & precibus illius permotus, curauerit illum in tolerabiliorem poni carcerem. Docent hæc nos, verissimas esse D. Pauli sententias, & quidem priorem, Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persequutionem patientur. Posteriorem verò, Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, imò faciet vnà cum tentatione euentum, quò possitis sufferre. Nam Ieremias optimè meritus de rege & vniuerso populo, post labores grauissimos & saluberrimos quadraginta annorum, nunc non à populo, rarò sapiente, sed ab ipsis principibus, qui sapere debuissent, conijcitur in vincula grauissima. Sed ex his eripit eum Dominus, & prospicit ipsi ne cum alijs per vrbem oberrantibus fame emoriatur. Paremus itaq; nos semper ad crucem, & cum hæc nobis imponitur à Domino, ne obmurmuremus imponenti Deo, sed huius implorantes gratiam feramus vel sustineamus patienter, & speremus firmiter Dominum rebus nostris defuturum minimè. Inspiciamus autem singulas historias, & quæ præcipua sint in qualibet obseruemus.

Scopus horum omnium.
2. Tim. 3.
1. Cor. 10.

Ieremias egressurus vrbem incidit in periculum.

1. Cum Chaldæi soluta obsidione obuiam exercitui Ægyptiorum progressi fuissent, Ieremias parat se ac cogitat egredi vrbem & abire in patriam suam Anathoth, non procul ab vrbe distantem, ac hoc consilio peruenit in portam vsque vrbis. Causa egressionis aut discessus apponitur. Vt segregaret se inde à populo. Vel, Vt secederet illinc à populo. Alij verterunt. Vt auelleret se illinc. Alij, Vt subduceret se illinc. Alij, Ad partiendum illic cum populo. Lutherus vertit, **acker zů bestellen vnder dem volck**. Videtur autem voluisse à populo secedere, rebusq; suis consulere, quocunque tandem duceretur à Domino. Neque hoc suo consilio peccauit. Nam manifestè deprehendit se nihil proficere apud populum, in quo nullus erat amplius locus verbo & pœnitentiæ. Namliberos dimiserant seruos (sicuti expositum est cap. 34.) sed quamprimùm vident se liberatos à Chaldæis, contra Ægyptios mouentibus, ilicò manumissos in seruitutem retrahunt. Ac ex hoc vnico facto facilè abs quolibet colligi potuit, quæ spes concipienda esset de fide & pœnitentia huius populi: quem nunc sibi Ieremias deserendum (abundè tamẽ prius monitum, vt claret in iam citato cap. 34.) putat. Etenim Dominus Iesus postea suis mandauit discipulis, vt recedant ab impœnitentibus, excussis in ipsos vestibus, Matth. 10. Præterea noluit se participem facere, manendo cum impijs, furoris Domini & suppliciorum sumendorũ de impijs. Certè Dominus postea mandauit pijs sub secũdam Hierosolymorum **destructionem futuris, Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes,** & reliqua quæ le-

Discedendo nõ peccauit Ieremias.

quæ leguntur Matth. 24. Quanquam verò hoc Ieremiæ consilium culpa vacaret, quantum attinet Ieremiæ propositum, Deo tamen aliud est visum: vt prophe ta maneret in vrbe & in medio impij populi, partim vt ad excidium vsq; intonaret verbum Dei ipsis in iudicium, partim verò vt appareret singularis Dei virtus, eripientis seruum suum ex manibus hostium, & honorantis ipsum per ipsos hostes, qui pluris Ieremiam faciunt, quàm vnquam ipse Dei populus fecisset. *Cur oportuerit Ieremiam manere in vrbe.*

2. Dum verò Ieremias peruenisset in ipsam vsque portam, iturus in terram Beniamin, in ipsam suam patriam Anathoth, intercipitur à præfecto custodum (vom wachtmeister der hůt vnder dem thor) qui Ierias appellabatur. Sed dubium est num auum habuerit Ananiam pseudoprophetam, illum inquam ipsum cum quo habuit certamen Ieremias, cap. 28. Impingit hic Ieremiæ crimen perfidiæ & defectionis, quasi sit transfuga & proditor. Typum gerit hic Ierias omnium calumniatorum & persequutorum veritatis & ministrorum ecclesiæ. Receptissimum est hodie illos, qui dies atque noctes laborarunt in ministerio verbi, & fideliter docuerunt populum, appellare seditiosos, hæreticos, patriæ proditores, legum & morum euersores. Verùm cernunt hi hoc se commune habere cum Ieremia & sanctis omnibus. Ferant ergo contumeliam illatam animo æquiore. *Impingitur Ieremiæ crimen perfidæ defectionis.*

3. Non tacet aut dissimulat propheta, criminis accusatus defectionis vel perfidiæ. Nam constanter & manifestè se defendens, depellit à se ignominiam & crimen perfidiæ. Putauit Hieronymus omnia patienter ferenda esse pijs, vsq; ad crimen perfidiæ & hæreseos: id quod fideles patientibus auribus præterire non debeant nec dissimulare. Proinde Ieremias apertis & grauibus verbis respondens, Mendacium est, vel falsum est, inquit, quod mihi impingis. Ego enim nunquam induxi in animum deficere ad Chaldæos, & prodere patriam. Quôd si fuisset Ieremias egressus ad Chaldæos, nihil peccasset, sicut mox apparebit in cap. 38. Sed cum non egrederetur prodendi illos gratia, sed alijs de causis, meritò depellit à se crimen falsi. Exemplo itaque hoc Ieremiæ insuper & Christi Lucæ 22. & Ioan. 18. & apostoli Pauli Actorum 16. & 23. licebit omnibus fidelibus ministris suam integritatem, ministerij in primis religionisq; sanctitatem defendere, contra calumniatores & conuitia hostium. Videmus item in hac Ieremiæ defensione omnino defectionem fœdum esse vitium, imò scelus perfidiæ & proditionis. Id multi parum apud se expendunt, qui virulentis linguis bonas patriæ leges proscindunt, cum hostibus colludunt, & odio legum ac religionis, cum possunt, manifestè faciunt cum hostibus. Hi reuera perfidi proditores sunt. Proditores & transfugæ sunt & illi, qui desertis Christi castris, transeunt ad Antichristum & in castra diaboli. *Depellit à se crimen Ieremiæ.*

4. Trahitur iam per Ieriam Ieremias ad principes, & quidem iniustos hos & Ieremiæ infensissimos. Atque hic apparet quales tunc, cum ruitura nutaret vrbs, fuerint principes, contumelioſi, truculenti, & ipsa tyrannide truculentiores. Nam Ieremias non auditur. Principes non agunt quicquam sui officij, positis affectibus. Sed pessimis consultoribus, ira, odio, inuidia, & indignatione admissis, quod alijs prohibuissent, faciunt. In Ieremiam enim furioſe inuolant, miserum ceu ouiculam lupi rabidi arripiunt, atq; verberibus abunde contundunt. Hinc apparet Hierosolymis tunc ius & leges siluisse, imò omnem iustitiam & æquitatem fuisse sepultam & conculcatam, regnasse autem libidinem, insolentiam, petulantiam & pessimorum quorumq; nebulonum temeratiam audaciam. Quid ergò mirum, si vrbs iniustissima iustè discerpta à Domino, funditusq; sit eruta? Discant autem ex hoc speculo probè contemplato, quid regna, Respub. & vrbes expectent, quæ pari libidine omnem proculcant iustitiam, & *Iura & iudicia in vrbe corrupta.* *Speculum exhibetur hic contemplandũ pertinacibus sequutoribus veritatis.*

violentiam contra miseros, quos tueri debebant, in primis autem contra fideles Dei seruos & prædicatores, vel Christum filium Dei & hominis mediatorem vnicum confitentes, exercent. Ista tamen rabie contra Ieremiam exercitata non satiati sunt principes illi: præterea enim nihil mali meritum, sed de ecclesia & regno vniuerso optimè meritum, coniiciunt in carcerem, nec in quemlibet carcerem, sed omnium deterrimum. Appellatur hic Lacus, vel Domus laci à vetusto interprete. Addunt alij, In locum vbi detinebantur vincti. Alij legunt, in ergastulum, vel in profundissimas videlicet mansiunculas. Nos diceremus, *in schelmen thurn biß an boden hinab/ꝛc.* Atq; in hoc detentus est nõ paucis, sed multis diebus, idq; sub custodia Ionathan scribæ, hominis sæuissimi: id quod appareret ex verbis Ieremiæ, deprecantis ne reduceretur in domum Ionathæ scribæ. Lectio autem hic variat. Alij enim legunt, Hunc enim præfecerant carceri, vt referatur ad personam Ionathæ. Alij legunt, Hanc, nimirum domum, fecerant carcerem, &c.

Peruersitas mũdi in puniendo.

Vide autem in hoc facto mundi insanam iniquitatem. Adulteri vix concluduntur in carceres, & si quando concludantur in carceres, concluduntur in minimè obscuros, fœtentes, aut difficiles, sed tolerabiles prorsus carceres. Homicidis, ebrijs, vini ingurgitatoribus, vsurarijs, blasphemis, & alijs id genus impijs & sceleratis nebulonibus parcitur, aut si puniantur, puniuntur tolerabiliter ac clementer: soli pij vel fideles, propter veram religionem, indigni videntur quibus parcatur, aut qui clementer puniantur, imò dignissimi iudicantur, qui coniiciantur in deterrimos carceres, & perimantur mortibus prodigiosis & truculentissimis. Quantoperè verò his prouocetur ira, imò furor Domini, cuilibet æstimandum relinquo. Crudelitatis autem nephariæ indicium est, quòd in hoc carcere deterrimo manet multos dies. Et quod Ieremiam attinet, est hic exemplum patientiæ, fortitudinis & constantiæ insignis, donatæ ipsi à Domino.

Dominus liberat prophetam ex carcere.

His absolutis descendimus ad historiam alteram, in qua rex clanculum euocat Ieremiam ad colloquium. Qua quidem re consulitur rebus Ieremiæ à Domino. Sic enim educitur ex carcere fœdo & deterrimo, & quidem per meram Dei gratiam, sine medio humano. Posteà per Æthiopẽ liberatur. At placuit hic Deo, sua ipsius ope adesse suo seruo, & commouere regis animum, qui est in manu Dei, perinde vt deriuationes aquarum, quas pro sua voluntate, quò libet, dirigit. Vt hinc colligamus Deum nobis quoq;, quando & quomodo voluerit, adesse & liberare posse ex quibuslibet periculis: & proinde omnem fiduciam nostram semper defigere oportere in ipsius potentiam ac misericordiam.

Metuit sibi rex turpiter in re bona.

2. Turpe autem est regem sibi in re bona metuere. In re mala minus aut nihil prorsus sibi timebat: quæ est corrupti animi hominis peruersitas. Bonum erat colloqui cum propheta & seruo & amico Dei: bonum erat huius postulare consilium. Sed rex palàm hoc non audet, metu nimirum principum, qui prophetam oderant extremè. In propinquo autem est regnorum interitus, quando magnates timent sibi in rebus sanctis, breuiter quando sunt tales, qualis hic rex est cum suis principibus.

Interrogat rex an si verbum à Domino.

3. Turpissimum verò se exhibet rex, quando interrogat, nunquid sit verbũ à Domino? Videtur enim addubitasse de fide omnium eorum, quæ iam multis annis prædicauerat Ieremias. Similes sunt Zedechiæ homines, qui hodie in difficultatibus quærunt, an hoc quod docetur sit profectum à Deo? An possit eis salutare dari consilium? Non autem interrogarent, si non ineuitabili necessitate premerentur. Neque tantilli faciunt prophetiam, si sint extra periculum. Audiunt quidem ex more verbi Dei prædicationem: sed non credunt ex animo, hoc quod

hoc quod eis annunciatur, esse verbum Dei, Ideóque nihil efficit apud ipsos prædicatio.

4. Ieremias semper sui similis nihil dissimulat, nihil regi adulatur, genus doctrinæ in gratiam principis non mutat: sed eadem illi annunciat, quæ annunciarat hactenus. Neque verò affirmat duntaxat negotium quod tractauit hactenus, & sermones eius omnes esse à Deo, & esse ipsum verbum Dei, verùm nunc quoque profert responsionem ex ore Dei singularem, regem tradendum fore in manus regis Babylonij. Præconium hoc durum fuit, & regi inauspicatum & ingratissimum. Nihilominus nihil dissimulat in gratiam principis. Sic agant etiam ministri Dei & ecclesiarum, quibus à Domino credita est prædicatio verbi Dei. *Ieremias constans est in doctrina.*

5. Intertexitur his breuis oratiuncula Ieremię ad regem, qua primò expostulat cum rege, quòd præter omne meritum teneretur captiuus. Deinde postulat à rege tractari haberiq; mitius & humanius. Quid, inquit, peccaui, vel cõtra te ô rex, vel contra principes tuos, vel contra ipsum populum, quòd vinculis adeò atrocibus coarctor? Significat his se nemini vllam irrogasse iniuriam, neq; quicquam peccasse contra quenquam, immeritò itaq; se tam arcta teneri custodia. Proinde principes terrori esse debent male, non bene facientibus. Addit, Vbi sunt prophetæ vestri? &c. Tacitè adumbrat, reipsa comprobatum ipsum esse verum prophetam, aduersarios autem falsos: at hos propter mendacium & imposturam nihil aduersi pati: ergo indignum esse ipsum propter veritatem affligi. Sic verò Achab & Iezabel sacerdotes Baal splendidè tractabãt, veros prophetas sinebant fame emori. Hæc est insania mundi, ornantis amantisq; impostores, odientisq; viros verè fortes, fideles & pios. Id quod vulgus fatetur suo illo diuerbio, Mundus vult decipi. Expostulatione hac sua defendit suam innocentiam Ieremias. Id quod licet omnibus ministris. Non enim his (quod & iam antea monui) tacendum est perpetuò, sicuti Iulianus per risum atq; contemptum obijciebat Christianis. Commodè autem subiungit defensioni suæ propheta deprecationem, Et nũc audi me Domine mi rex: sine obsecro, vt impetrem quod postulo, ne videlicet reducant me in carcerem illum Ionathæ lutosum. Nam si conijciar iterum in illum carcerem, actum erit de vita mea. Proinde cernimus sanctos nõ esse Stoicos vel stipites. Nec hoc ipsis vitio datur in scripturis. Licet enim nobis mala & calamitates deprecari & fugere, quia homines sumus, nõ lapides & statuæ, & manemus homines, tametsi credamus interim in Christum. Sancti sentiunt dulce & amarum, & illud huic præferunt, & potius eligunt. Ergo quoties incolumi religione frui possunt pace & commoditatibus, non præcipites se deturbant in calamitates: imò si ex his emergere possunt, instant sedulò & laborãt. Ideoq; audiendi non sunt hypocritę quidam, affirmantes fideles non dolere neque mala fugere, sed hęc optare potius, ad mortificationem videlicet carnis. Verùm ea de re disputaui aliàs copiosius. *Expostulat propheta cum rege.* *Mundus odit veros amicos, amat adulatores.* *Licet mala deprecari & fugere.*

6. Exauditur Ieremias satis clementer à rege, qui tamen innocentem iurè in vniuersum absoluere, & omnibus vinculis liberare debuerat: nũc verò quod iustum esse videt, metu principum suorum non facit, attamen collocat ipsum in carcerem tolerabiliorem, & prospicit ipsius necessitati vtcunque, iubẽs ipsi quotidie libum vel tortam aut portionẽ panis dari. Hic diuersa est lectio. Alij enim legunt, Ex platea pistorum, Vß der pfistery/vel Vß der becken gassen. Alij legunt, prętер obsonia, vel præter cibos coctos, Vne die kocher spys. Ergo videtur nonnihil obsonij additum esse pani. Durauit autem hæc eius captiuitas vsque dum deficeret in vrbe panis. Tunc enim in deteriorem carcerem coniectus est à principibus, vt in ipso fame periret. Certè ex Threnis Ieremiæ colligimus, Sa- *Liberatur Ieremias, & prosperitur ipsi.*

guntina, quod dici solet, fame vrbem Hierosolymorum in ea obsidione laborasse. Obseruanda verò est nobis admiranda Dei prouidentia, procurantis cibum seruo suo ex publico, & quidem per occasionem carceris vel custodiæ. Si mansisset liber & priuatus in vrbe, periisset haud dubiè vnà cũ multis alijs fame, quando obnoxius multorum odijs, non potuisset habere ab hostibus suis victum. Sic conuertit sanctis suis Deus amara in dulcia, neque vspiam negligit seruos suos. Seruiendum itaque ipsi tam fido Domino & bono patrifamiliâs. Huc pertinet historia Heliæ, quem Deus mirabiliter aluit in fame sub Achab rege, 3. Reg. 17. & historia Ioseph, qui per venditionem & vincula peruenit in Ægypti præfecturam, in qua non modò ipse à fame seruatus est cum suis, quinimò innumera hominum millia instruxit annona contra famem. Quanquam itaque fame & rerum inopia hominum peccata puniat Dominus iustus, nusquam tamen suos negligit. Legatur Psal. 37. & 107. Domino Deo nostro sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Dei prouidẽtia

Accusatur Ieremias coràm rege à principibus crimine perfidiæ ac defectionis, postulatúrque ad necem. Vnde rege consentiente, iterum conijcitur in carcerem deterrimum, in quo pereat.

CAPVT XXXVIII.

CONCIO CXXIII.

AVdiuerat Sephatias filius Mathan, Godolias filius Pashur, Iuchal filius Selemiæ, & Pashur filius Malchiæ sermones, quos locutus fuerat Ieremias ad vniuersum populum, dicendo, Sic dicit Dominus, Qui manserit in vrbe ista, morietur, aut gladio, aut fame, aut peste: qui autem egressus fuerit ad Chaldæos, viuet, & erit ei anima sua in spolium, & viuet. Sic dixit Dominus, Tradetur certò hæc vrbs in manum regis Babylonici, & capiet eam. Dixerunt ergo principes ad regem, Occidatur quæso vir iste, quoniam hac ratione remissas reddit manus virorum bello aptorum, qui adhuc reliqui sunt in vrbe ista, sed & manus vniuersi populi huius, loquendo eis, sicut loquitur: nec enim vir ille quærit pacem populo isti, sed exitium. Dixit ergo rex Zedechias, Ecce in manibus vestris est: rex enim non potest vobis quicquam (negare.) Apprehenderunt ergo Ieremiam, & coniecerunt eum in lacum Malkiæ filij Hammalech, qui erat in atrio custodiæ, demiseruntque Ieremiam funibus. In lacu autem non erat aqua, sed lutum duntaxat. Immersus est itaque Ieremias in lutum.

Meritò perit vrbs Hierosolymorum.

NOVA subtexitur historia, quæ exponit quomodo Ieremias principum maleuolentia & consentiente rege ex custodia illa tolerabiliore eductus, in carcerem deterrimum sit detrusus, in quo miserè fame & sordibus periret. Inde verò voluit spiritus sanctus colligere spectatores & lectores, quàm in illa vrbe, quæ sancta vocari volebat, fuerint tunc prophanata & corrupta omnia, quò minus miraremur ipsam mox à gentibus esse excisam & concul catam. Qualis enim erat rex cum suis principibus, cõsiliarijs, talis erat populus, impius, stupidus, ingratus. Historia verò ipsa tribus comprehenditur partibus. Principiò enim exponitur à quibus principibus, & cuius rei gratia Ieremias apud regem sit accusatus, regeq; approbante in carcerem sit coniectus deterri-

Diuisio huius historiæ.

mum,

mum, in quo periret innoxius fame & sordibus. Deinde subtexitur quomodo rege iterum approbante, per Abdemælechum Aethiopem propheta rursus sit extractus ex carcere, & repositus in atrium custodiæ. Hinc describitur dialogus vel colloquium inter regem & prophetam habitum, in quo mira fortitudo & constantia fidésque prophetæ ex altera quidem parte relucet, ex altera verò parte ad miraculum vsque mollis & effœminatus stolidi regis animus se prodit. Deo tamen ita volente manet in atrio custodiæ propheta, ad interitum vrbis vsque. Dicemus de singulis partibus ordine quod dederit loqui Dominus.

1. Prius quidem nullo præsidio aut medio humano liberatus fuit ex diro carcere Ieremias per Dei benignam dispensationem, & iam respirauit nonnihil in atrio custodiæ. Doluit ea felicitas hostibus prophetæ inuidis. Ac nominatim recensentur à spiritu sancto, qui nam sese opposuerint Ieremiæ. Ponuntur in Euangelio nomina Apostolorum & aliorum sanctorum, ne bonorum & optimè meritorum hominum memoria obliteraretur. Proindè æquum est in recenti memoria teneri pessimorum quoq; hostium Dei, sanctorumq; eius catalogum, quò horum quoq; ignominia non deleatur in perpetuum. Timeant omnes homines Deum, caueantq; ne propter ipsorum dedecora, perpetuentur in ecclesia nomina ipsorum, ad dedecus & ignominiam nunquam abolendã. Suscipiunt hi principes certamen memorabile cum Ieremia, principes inquam cum Pfaffo, vt dici solet per contumeliam & contemptum, ministri Dei æterni. Committuntur inquam potentes (nam mox intelligemus hos ipso rege potentiores fuisse) cum infirmo, opulenti cum inope, qui erant in gratia & authoritate apud populũ, cum eo qui exosus & contemptus erat in populo. Sed nihil efficit hic mundi potentia, opulentia, gratia, authoritas. Vincitur enim imbecillitate, paupertate, contemptuq; prophetæ, Deo ipso subuertente potentiam potentum, & confirmante imbecillem virtute diuina. Commissi sunt sæpe cum seruis Dei coram mundo despectissimis principes potentissimi, vt Pharao cum Mose & Aarone, Helias cum Achabo, & alij prophetæ cum regibus, Apostoli quoque & martyres cum potentissimis regibus, Imperatoribus & monarchis mundi. Sed quid effecerũt? Responsum est Apostolo Paulo à Domino, Virtus mea in infirmitate perficitur. Simus ergo alacri mente, dum audimus minas & conatus monarcharum orbis maximos. Vincet tandem in veritate syncera, in cruce & humilitate potentissimus Dominus & Deus noster, qui & per Ieremiam vicit, Ieremiam ex manibus sanguinolentis principum liberauit, & principes æterna cooperuit ignominia. Cur verò tantoperè se tanti principes vnico eiq; misero opponunt concionatori? Principes huius seculi semetipsos non norunt, neq; vocationem & officium suum intelligunt: se ergo Dominos rerum esse putant: proinde omnia omnes ad nutum suum facere, & suæ libidini quosuis obsequi postulant. Inobsequentes & vel modicè remurmurantes, tanquam rebelles & seditiosos condemnant atq; persequuntur. Prophetæ verò cùm à Deo missi sint, & verbo Dei instructi, monent reges, Dominum Deum obtinere summum imperium, principes esse veluti vasallos & seruos summi huius Imperatoris, ad cuius verbum instituere & gubernare debeant omnia. Ideoq; verbum Dei annunciant regibus, regum vitia corripiunt per verbum. Hoc verò dolet illis, nolunt obiurgari à concionatore, nolunt regi à pfaffo. Proinde ingraescit odium, & erumpit hoc protinus in manifestam & atrocem persecutionem. Hoc modo & hac ratione principes hi nostri commissi sunt cum Ieremia propheta.

Principes maximi opponũt se præconio verbi Dei: & quare.

1. Cor. 1. & 3.

2. Subtexitur enim nunc doctrina Ieremiæ, propter quam principes ipsi infensi sunt facti. Doctrinæ eius caput fuit, Domini Dei mandatum esse, vt Iudæi non pergant Babylonio obsidenti resistere, sed ad ipsum potius transeant &

Qualis doctrina & quale cõsilium Ieremiæ in obsidione.

ei reconcilientur. Rationem huius doctrinæ suæ apponit bimembrem, petitam à dānoso & ab vtili. Qui enim in vrbe manserit, inquit, interibit aut gladio, &c. Rursus qui ad Chaldæos egressus fuerit, non peribit. Nam animam, id est vitam suam, perinde vt spolium ex bello aut incendio, lucrifaciet ac reportabit. Addit his & aliam rationem. Babylonius enim certò capiet vrbem vestram. Oportebit itaq; benigna deditione grauissimum præuenire periculum. Itaq; Ieremias suasit deditionem ciuibus, & quidem authore Deo. Semel enim ac iterum inculcat, Sic dixit Dominus. Hac doctrina voluit seruare iam iam periturum populum. In quo insignis Dei misericordia relucet. Quæritur, sat scio, à multis, An rectè ita docuerit populum Ieremias, an non crimini proditionis sese obnoxium reddiderit, ac populum à legitima magistratus obedientia auulserit? Ego verò vicissim interrogo, Si in vrbe quapiam populi pars deficiat à legitimo magistratu, & contra hunc arma ferat, an concionator peccet, hortando rebelles, vt cum magistratu legitimo redeant in gratiam, & ad ipsum à seditiosis deficiant? Laudabitur hic concionator meritò: quia debiti officij admonet subditos. Iam verò cum constet legitimum magistratum & potestatem in terris supremam Iudæorũ fuisse Nabuchod. Babylonium, Zedechiam verò à suo Domino perfidè defeciſſe ad Ægyptium, & seduxisse nequiter populum, non video quid peccarit contra Deum, & contra legitimum magistratum Ieremias, qui ciues Hierosolymitanos hortabatur vt redirent ad suum Dominum. Si verò dubitas num Nabuch. nunc fuerit summus à Deo Iudæis impositus princeps, require ea quæ disputata sunt in cap. huius operis 27. & aliàs in hoc libro. Quoniam verò rex Zedechias persuaserat sibi, non iniquum esse fœdus ictum cum Ægyptio, atq; adeò se habere ius belli æquum, & defensionem iustam contra Babylonium, principesq; eius confirmarentur in hac opinione contra Nabuchod. per pseudoprophetas, valdè graue fuit Ieremiæ loqui contra regem, principes atq; prophetas, habebatq; sermo eius speciem turpem, quasi transfuga perfidus, aliis quoq; suaderet defectionem discinderétque & populum inter se & diuideret ipsum à suis legitimis magistratibus. Vnde claret, functionem propheticam periculorum esse plenissimam. Non rarò enim præcipit rex vel magistratus, quod prohibet Deus, vt cum iubet colere idola, auxilium ferre impijs contra pios, & quæ huius generis sunt alia. In huiusmodi casibus cogitur pastor vel concionator occlamare edictis magistratus, & hortari subditos ne pareant impijs mandatis. Quam ob rem mox audit passim, seditiosè ipsum quærere defectionem, & schisma rebellionem que in populo. Verùm audendum est hic aliquid, Ieremiæ & aliorum prophetarum exemplo. Obseruanda annotauit in hunc locum Zuinglius, qui & mortem vel interitum suum mirificè ibidem prædixit. Extãt Cõplanat. eius in Ieremiam, vt cuilibet legere in promptu sit. Edidit eas mense Martio anni 1531, cum mensis Octob. 11. in acie caderet, vti futurum ibi adumbrauerat.

An rectè suaserit deditionem populo Ieremias.

Difficilis functio prophetica.

3. Cernũtur autem hæc plenius & planius in accusatione principum, qui doctrinam hanc Ieremiæ deferunt ad regem, calumnijs ipsam peruertunt, crimen impingentes Ieremiæ defectionis, perfidiæ, ac proditionis, vtpote qui dedita opera subuertere vrbem, regem, & populum velit. Principiò enim, dissoluit hic, inquiũt, suis illis cõcionibus militum robustorum, qui nobis adhuc in vrbe supersunt, manus, vt iam remittant vires, velutiq; eneruati virulentis pestilentibusq; huius viri orationibus animum despondeant & arma abijciant, & de deditione cogitent. Ita dum non desinit huiusmodi spargere, repetere, & inculcare cõsilia, eneruat etiam totius populi vires, vt nihil supersit animi virilis. Quis verò hinc non colligat pestilentem hunc hominem, non seruatam, sed subuersam funditus vrbem cupere, & nos omnes obiectos libidini hostium? Proinde dignum esse

Accusatur Ieremias defectionis & proditionis.

num esse arbitrãtur qui tollatur è medio, & occidatur morte omnium acerbissi ma, fame inquam, in medio sordium. Ad eundem omnino modum peruertũtur etiam hodie nobis pastoribus concionatoribusq; conciones nostræ. Dum enim cũ Apostolo clamamus, Ne duxeritis iugum cum incredulis, & c. protinus audias oggannientes, Si ergo non licet coalescere in vnum corpus cum peregrinæ religionis cultoribus, collabuntur certè societates, & ruunt Respublicæ. Cum docemus fœdera inita cum maximis regibus esse periculis referta: & mercenariam illam militiam contra legitimum magistratum susceptam esse, legibus diuinis & humanis damnatam, clamatur ilico, Quid obsecro est euertere Respuplicas, si hoc non est? Nudati enim auxilio regum, obijcimur inopes libidini hostium. Militibus item carebimus posthac, nec erunt in hostium incursionibus, qui nos ab ijs tueantur, aut aciem instruant, aut bellum gerant. Sic cum per verbum Dei accusatur audacia, temeritas, luxus, superbia filiorum huius seculi, an non ab his audimus crebrò, Ergo rebus optimè consultum existimant nostri pfaffi, si omnes Gretæ fiamus, & colum fusumq; tractemus, aut monachi efficiamur? Id scilicet curat tantoperè Deus. Inuidia & malitia ringuntur & excrucian tur nebulones concionatores, neque aliud ipsis magis cordi est, quam vt nostra perturbẽt gaudia, & vexent nos petulanter. Indigni sunt ergo quos audiamus, digniores in quos animaduerteret magistratus ferro & carcere delectos ex gradibus. Hoc videlicet præmij reportant fideles pastores, pro sua solicitudine & paterna pro filijs immorigeris cura & correctione. Consolentur autẽ illi se hoc Ieremiæ exemplo, qui & ipse propter fidem suam & studium exquisitum iudica tur & condemnatur ceu pestis patrię, postulatúrque ad necem. At sumus in manu Domini, qui omnes pilos capitis nostri numerauit, nedum omnes vitæ nostræ dies. Huic committentes nos, & causam nostram, in vera fide progredi nun quam desinamus.

Calumniæ quibus peruertuntur conciones ministris.

4. Rex Ieremiam, cuius innocentiam vtcunq; intelligebat, non defendit. Nam metuit principes effœminatus & titulotenus rex, homo nihili. Quinimò accusatum ne audire quidem dignatur. Cum tamen altera pars semper audienda esse recte dicatur. Iniquissimus ergò iudex est. Proinde permittit ipsum eorum arbitrio. Namdicit, Ecce in manibus vestris est. Rex enim non præualet vobis, non est potentior vobis. Vel quando vos ita instituistis, hominem hunc occidi oportere in luto vel sordibus, iam meũ non est refragari vobis. Vel, Rex enim non potest vobis negare quicquam. Ita permissum legitur caput Ioannis Baptistę Herodiadis filię ab Herode, qui non ignorabat sanctissimi viri innocentiam. Noluit autem vel filiolam, vel ipsos assidentes principes, vlla afficere molestia. Sic Iudæorum furori Christum Dominum permisit Pilatus, qui tamen non ignorabat quòd ipsum tradidissent per inuidiam. Hodie quoque mirum in modum colludunt magnates in causa sanguinis piorum. **Niemant wil den anderen erzürnen vmb Christi willen** Mutuùm sibi deferunt & cedunt, interea funditur sanguis iustorum. Cæterùm viuit iustus iudex, in cuius iudicio, ne gutula quidem sanguinis aut vna lachrymula sanctorum in obliuionem venit. O quàm pernicioſum est, Reges nolle vti sua authoritate & potestate, sed pendere semper à principum quorundam sanguinarijs & impijs consilijs & conatibus. Nam vt hic Zedechias perit cũ suis principibus & misero populo: ita isti quoque vnà cum prauis consultoribus subiacebunt seueríssimo Dei iudicio.

Regis effœminatus animus.

Principes se inuicem propter Christũ nolunt offendere.

5. Porrò exhibetur nobis spectandum spectaculum lugubre & miserabile admodùm. Educitur enim iterum ex atrio custodię innocens Ieremias, & quidem captiuus, inducitur autem in carcerem cui præerat Malkias. Carcer describitur, quò rectius crudelis atrocitas horum principum perspiciatur. Lacus erat,

Ieremias demittitur in lacum.

locus inquam fossus in profundum terræ, carens tamen aqua, sed luto vel cœno sordibusq; densus & fœtidus. Ac apparet in domo Ionathæ diuersa fuisse loca, pro ratione sceleratorum aptata, & alium quidem carcerem alio fuisse horribiliorem: & Ieremiam modò detrusum aut demissum esse in deterrimum omnium. Modus etiam explicatur, quomodo inquam sit demissus in foueam vel lacum illum (in locb.) Habuerunt enim funes, quibus noxios demittebant. Imponebant ergò baculo Ieremiam, aut funibus alioqui irretitum. demittebant in profundum. Ibi non erat vel lectulus vel stramen, quod tamen conceditur latronibus, sed lutum & sordes, atq; vt fame miserabiliter intereat, his infigitur. Nam non sine emphasi dicitur, Infixus vel immersus est itaq; Ieremias in lutum. Vnd also stäckt Jeremias im mür / oder in dem kaadt. Videtur enim hypotyposi quadam rem indignissimam omnium piorum oculis velut coràm contemplandam proponere. Ac apparet in hoc miserabili spectaculo admiranda Dei longanimitas & patientia, quę non approbat crudelitatem, sed inuitat crudeles ad pœnitentiam. Vos hęc cernentes, non sine stomacho huiusmodi voces profunditis, Quæ hæc Dei longanimitas? Cur parcit huiusmodi nebulonibus? Cur fulmine non comminuit vniuersa istorum capita? Dissimulando reddit Deus hostes suos audaces, ac veluti confirmare videtur ipsorum furiosam idololatriam: contra verò, suspectam apud infirmos reddere sanam doctrinam quasi sit hæretica, vtpotè inquam cuilibet licet propemodùm quantum libet, &c. Atqui non licebat vobis hoc modo os vestrum impurum ponere in cœlum. Pudeat vos vestræ impietatis: quin potius supplicantes Deo, ipsi gloriam date. Desinite eius consilijs & factis sapientissimis & iustissimis obloqui. Videt Deus, videt inquam, & exactissimè videt hostium suorum audaciam, temeritatem, crudelitatem, & consilia impia factaq; atrocia: ac vindicabit suos cum ipsi visum fuerit. Si potuit æterna Dei maiestas patienter spectare vnigeniti filij eius & crucem, & quæ patiebatur ludibria in cruce à militibus, sacerdotibus, & id genus alijs exquisitis nebulonibus: quid mirum est, si videns in lutum immergi Ieremiam, si videns capite truncari in carcere suum Baptistam, Apostolos item cædi virgis, Stephanum quoque adobrui lapidibus, & innumera martyrum millia laniari atque discerpi ab Imperatoribus, videatur interim nescire & negligere omnia? Omnia suum tempus habent. Expectemus itaque patienter in omnibus tribulationibus Dominum, qui certò quos voluerit eripiet, & quos puniri & exempla statuere decreuerit, statuet atq; puniet. Ipsi sit gloria in secula seculorum. Amen.

Longanimitas Dei admirãda.

Intercedit Aethiops apud regem pro Ieremia, rex iubet hunc extrahi ex sordibus carceris. Reducitur itaque in atriũ custodiæ.

CONCIO CXXIIII.

Et audiuit Abdemælech Aethiops, vir eunuchus, qui erat in domo regis, quòd posuissent Ieremiam in lacum. Et rex sedebat in porta Beniamin: egressus est ergo Abdemælech de domo regis, & locutus est ad regem, dicens: Domine mi rex, iniquè agunt viri isti in omnibus quæ fecerunt Ieremiæ prophetæ, quem demerserunt in lacum, in quo loco fame morietur, cùm nullus supersit panis in vrbe. Et præcepit rex Abdemælech Aethiopi, & dixit: Accipe hinc in manum tuam triginta viros, & extrahe Ieremiam prophetam ex lacu, priusquam moriatur. Accepit igitur Abdemælech viros ad manum suã, & venit in domum regis ad locum qui est sub cellario, & accepit inde inueteratos & laceros pannos ac vestes detritas, misitq; ad Ieremiam in lacum cum funibus. Et dixit Abdemælech

demælech Æthiops ad Ieremiam, Suppone quæso pannos istos & detrita vestimenta sub axillis manuum tuarum subter funes. Et fecit Ieremias sic. Extraxerunt itaque Ieremiam funibus, & eduxerunt è lacu: & mansit Ieremias in atrio custodiæ.

SEcunda parte huius historiæ exponitur eleganter quomodo cœno iam infixus Ieremias, opera & fide Abdemælechi Æthiopis, rege consentiente Zedechia, extractus sit ex lacu cœnoso, liberatusq; ex præsentissimo mortis periculo, reductusq; sit in atrium custodiæ. Nihil autem audimus quid fecerit aut dixerit in carcere Ieremias. Silentium verò hoc videtur nobis singularem cõmendare eius patientiam. Dubium autem non est ipsum inuocasse suppliciter & assiduè Dominum. Is verò vinctos audit & liberat: sicuti Dauid prædicat in Psal. 107. Confirmatur his fides nostra in omnibus periculis. Æthiops quidem liberat Ieremiam, quo nomine æternam in ecclesia Dei laudem meretur: cæterùm Æthiopem excitauit Dominus, ipsoq; vsus est ceu instrumento. Vnde beneficium referendum est ad ipsum Dominum, laudandaq; est ipsius bonitas & cura quam gerit pro suis fidelibus.

Argumentum huius loci.

Patientia & inuocatio Ieremiæ.

Ab initio describitur diligenter per circunstantias liberator ille Ieremiæ. Ponitur nomen eius Abdemælech, vel potius Ebedmælech. Sonat hoc nomen seruus regis. Fuit quidem hic seruus Zedechiæ regis, sed interim seruus quoque regis æterni Dei summi. Zedechiæ enim officium suum ita præstitit, & sic inseruiuit, vt officij quod Deo debebat minimè obliuisceretur, sed eius haberet rationem potiorem. Quod nostrum quilibet facere iubetur, fideliter quidem inseruire hominibus dominis nostris, sed ante omnia & præ omnibus Domino Deo nostro. Natione vel patria erat Æthiops, gentilis vtique, sed proselytus. Quid verò Æthiopi, inquis, cum vrbe Hierosolymorum & cum aula regis Zedechiæ? Sicut Ithai Gætheus cum seruis suis ingrediebatur terram Israeliticam, & inseruiebat Dauidi in aula sua, sicuti refertur in 2. Sam. libro capite 15: et sicut Æthiops ille eunuchus reginæ Æthiopum legitur in Actis Apostolicis religionis ergò ascendisse Hierosolymam: ita videtur amore veræ religionis ex Æthiopia Æthiops hic noster concessisse Hierosolymam, venisseq; in aulam regis, vir alioqui magni nominis & maximæ in populo Dei authoritatis. Proinde Deo sunt electi sui in omnibus sub Sole nationibus, sicuti in scripturis sanctis manifestè multis in locis exprimitur. Non spectanda est natio, non professio & iactatio titulorum externa: inspicienda est fides, & virtus fidei. Qui in his excellunt, Deo grati sunt, siue Syri, siue Græci, siue Ægyptij, Persæ aut Æthiopes nuncupentur. Erant sanè multi Hierosolymis, qui se titulo populi Dei ornabant ac venditabant, sed nullus istorum causam suscipit innoxij Ieremiæ contra potentes & iniquos illius hostes: vnus reperitur in vrbe alienigena, Æthiops, cui cordi est innocentia viri & prophetiæ dignitas. Condemnat hic alienigena Æthiops omnes Israelitas genitos ex Israele iuxta carnem: sicuti & regina Saba, & Niniuitæ, & vidua Sareptana, & Naaman Syrus ab ipso Domino Iesu, velut ex aduerso opponuntur Iudæis, in sancto Euangelio. In quo legimus item dixisse Dominum de leprosis, Nónne decem mundati sunt? Nouem autem illi, vbi? Non sunt reperti qui redierint, & dederint gloriam Deo, nisi hic alienigena. Cæterùm conditione fuit hic Æthiops aulicus vel ex familia regis Zedechiæ, atque adeò eunuchus vel cubicularius regis, vir potens & princeps illustris. Etenim vt in medio mundi & omnis iniquitatis ac peruersitatis Deus suos cultores habet: sic etiam non desunt Deo eximij serui in aulis principum impiorum. Talis erat Abdias præfectus prætorio & primas regni sub

Descriptio Abdemælechi.

Æthiops.

Luc. 17.

In aulis impiorum principũ sunt pij aulici.

impio Achab: quod legitur 3. Regum cap. 18. Talis fuit hic quoque Æthiops: & postea quoque Dauiel in aula regum Nabuchodonosoris & Darij. Seruabant verò illi se impollutos ab omni impuritate idolorum & sanguinis, vt frustrà se horum exemplo tueantur, qui versantur quidem & ipsi in aulis impiorum regum, quorum impietatem interim sequuntur, colendo idola & consentiendo in effusionem sanguinis innoxij. Quod sancti illi nunquam fecerunt, tametsi interim vixerint cum illis. Porrò scaturigo omnis virtutis in hoc Æthiope fuit, vera in Deum ac verbum eius fides. Fidem enim eximiam ipsum habuisse declarat opus insigne, & scriptura ipsa sub finem cap. 39. vbi manifestè tribuit ipsi fidem vel spem in Deum. Vbi autem fides est, ibi mox exerit se per virtutes varias, per opera videlicet iustitiæ & charitatis, sobrietatis, atque fortitudinis. Fusè declarantur hæc per Apostolum in 11. capite ad Hebræos, & per S. Iacobum in cap. 2. Quoniam itaque vera fide flagrauit Æthiops, opus molitur alioqui periculosissimum & difficillimum, nec fallitur interim eius spes. Potuisset multa, sicuti hodie solent plerique, prætexere, ac dicere, Quid ego solus in re tanta effecero? Sum homo alienigena. Si Israelitarum nullus causam prophetæ sumit defendendam, aut tentat ipsum liberare ex vinculis & periculo mortis, quid faceres Æthiops? Fortè Ieremiam tuo patrocinio nõ modò non liberares, sed temetipsum quoque in eundem carcerem conijceres. Cùm enim sis alienigena, fortassis habeberis pro proditore, qui faueat & foueat partes Babylonicas. Præterea cùm principes contra prophetam flagrent odio inextinguibili, & rex miserè metuat principes, à rege nihil impetrabis, & ages rem laboriosissimam quidem, sed nullius vtilitatis. Ac damnatus est modò Ieremias, & luit nunc mortis supplicium: orabis itaque pro ipso Dominum, qui nisi eripuerit ipsum à morte, homines nunquam liberabunt. Si verò Deus liberare non vult, quid facerem ego hominum miserrimus? Hæc & alia his similia cogitasset & dixisset alius. Æthiops verò cum vera luce fidei illuminatus esset, vera lucis opera edit. Quid enim?

Fides est scaturigo omnium virtutum.

Aethiops corã rege agit causam Ieremiæ fideliter.

2. Rex veluti securus in summo discrimine vrbis, considet in porta Beniamin. Ad hunc se proripit, egressus regia, Æthiops. Ipsus suscipit negotium, non alijs imponit, non alium submittit. Vtitur apud regem oratione quidem breui, sed vehementi & liberrima. Nihil enim dissimulat nihil aulica suauiloquentia cõdit, fucat & obumbrat. Apertus est, simplex, & ingenuus. Ita enim solet fides, ac ita loqui oportet in huiusmodi casibus. Præfatiunculam honoris gratia præmittit, & ait, Domine mi rex. Honorandus est Magistratus, & honorificè salutandus. Ea in re abundè debitum præstitit officium, benignè inquam, & suppliciter nuncupando ipsum & Dominum & regem, & quidem suum. Nescit vetustas amplissimas illas maiestates, serenitates, clementias, celsitudines excellentissimas, & id genus illustrissimos titulos, quibus hodie integra obliniuntur folia. Paucis verò rem ipsam proponit, perstringens factum principum contra Ieremiam, apertè dicens, ipsos iniquè egisse (Sas sy vbel gehandlet habind am Jeremia) quòd Ieremiam concluserint in carcerem, in quo innoxium fame perire oporteat. Vnum ergo se Æthiops opponit, summo cum capitis sui discrimine, tot potentibus principibus, quorum factum diserte & accusat & damnat, Ieremiam autem defendit, & causam eius vt iustam probat. Sic oportet clarè loqui & palàm tueri iustos & innoxios, iniustos & iniquos accusare, veritatémque approbare. Postulat verò à rege, dum hæc dicit, ex carcere liberari Ieremiam. Eadem fidei audacia legimus Ioseph Arimathæum postulasse corpus Domini crucifixi, tum quoque cùm omnium principum Iudaicorum animi palàm sese effunderent contra Christum, & tantùm nõ furerẽt.

Discant

Discant hoc Æthiopis exemplo omnes viri principes serio causas afflictorum propter veritatem suscipere, & constanter intrepideq; agere. Præmium mox rependetur Æthiopi. Præmium omnibus iuuantibus & prophetas & causas prophetarum paratum esse à Domino, testatur ipse in Euangelio Dominus, apud Matth. in cap. 10. Ita verò in Æthiope se fides vera cùm in verbis tum in factis exeruit: sed facta ampliora consequentur.

3. Et spes quidem pios non fallit. Quis verò expectasset à rege, qui modò condemnarat Ieremiam, tanto cum tantorum principum consensu, responsionem talem, qualem hic veritas redditam refert? Voti enim compotem facit Æthiopem. Nam iubet extrahere Ieremiam ex cœno, & collocare in custodiam liberiorem, atq; adeò reuocat mortis latam sententiam, ne periret fame, alit item, vitaq; donat. Effecit hoc ingens miraculũ non tam Zedechiæ clementia, quàm Dei summi potentia & bonitas. Alioqui enim apparet regem fuisse hominem inconstantem ac leuem, & talem propemodùm, quales erant quibus cum versaba tur. Cùm verò impetrauerit Æthiops id quod putabatur impetratu fore impossibile, noli posthac dicere, Solus sum in causa tanta, quid efficerem solus contra tot & tam potentes aduersarios? Deus enim tecum est. Deus moderatur res omnes, & omnium mentes in sua potestate habet. Quò vult inclinat illas. Fac tu modò viri pij & fidelis viri officium, euẽtum permitte Deo. Quinimò Æthiops impetrat plus quàm postularat. Iungit enim ipse rex viros triginta, Accipe hinc, inquit, in manum tuam, (id est in potestatem tuam, vt tibi in hoc negotio pareant, & adsint iuuentq; in omnibus) viros triginta. Si fortè violenta manu principes tibi resistere velint, vt habeas quos eis obijcias, & institutum tuũ perficias. Ita mira Dei dispositione dantur etiam cùm pedites tum equites Paulo Apostolo, qui ipsum (quod nemo expectasset) tueantur contra vim iniustam coniuratorum. Cæterùm si prius boni principis officium præstitisset, & ipse sese principibus Ieremiam accusantibus opposuisset rex, operaq; militum suorum prius fuisset vsus, his omnibus nihil fuisset nunc opus. Sed & maiore cum laude restitisset tunc principum violentiæ, quàm nunc, quando videtur suam ipsius sententiam damnare, & suos inter se veluti committere. Verùm hoc est præmium, quod nõ modò incogitantibus, sed leuibus persoluitur principibus. Nam inconstantia sua, & se & suos varijs implicant difficultatibus.

Spes sua non fallit pios.

4. His expositis pergamus inspicere opera fidei per charitatem & accuratam diligentiã Ieremiæ impensa ab Æthiope, vt eius exemplo discamus & nos, ex fide proximis nostris inseruire per charitatem. Nihil cunctatur Æthiops, sed festinat, simul etiam comparat omnia quæ erant instituto eius necessaria. Nec piget ipsum sub regis penu, vel cella, in quã reponebantur vel frugesvel thesauri, conquirere pannos vsu & vetustate detritos, abiectos & laceros. A quibus alius, non tantæ dignitatis vir, abhorruisset: sed quia necessarij erant tales panni, tales omnino parat. Si sericum & panni precioſi instituto eius idonei fuissent, haud dubiè non pepercisset sumptibus. Hos verò pannos detritos, funibus demittit in lacum ad Ieremiam, cui simul eorum vsum ostendit, principiò quidem, vt his funes inuoluat aut circundet, ea parte qua ipsum Ieremiæ corpus attingere debebant, ne offenderẽt aut vrerent: deinde sub axillas brachiorum (ipse manum dicit, speciem aliam pro alia repo. ẽs) supponat funes sic apparatos, iubet. Non pudet scripturam has veluti minutias tam familiariter referre, & diligenter quidẽ referre. Nam non puduit ipsum Saluatorem nostrum in Euangelio secundum Lucam cap. 10. sub imagine Samaritani, saucium in suam curam recipientis, omnes partes officiorum & sedulæ charitatis explicare. Ac solent in huiusmodi in speciem minutijs non rarò magna latere mysteria.

Inseruit Ieremiæ Aethiops diligentißimè.

Ieremias accõmodat se medijs.

5. Iam verò quomodo se gesserit Ieremias adijcitur, quamuis vno duntaxat & altero verbo: Et fecit Ieremias sic. Accommodauit inquam se his non prohibitis medijs: sicuti & Paulus in Actis Apostolicis finit se imponi iumento & in agmine militum deduci Cæsaream. Alius quispiam spiritu turgidus dixisset, Quid mihi opus his attritis vestibus? Was sol ich thůn mit den fätzen vnnd lumpen? An non poterit me sine his seruare Deus, siquidem vult? Nahaman Syrus cum audisset ab Heliseo ingrediundum sibi Iordanis alueum, contempsit, propter vilitatem: sed audit à seruis suis, Si propheta rem tibi iniunxisset maiorem, an non faceres? Quanto itaque magis rem alioqui leuiculam non contemnes? sed quoniam dixit, Lauato in Iordane, & mundus eris, lauabis vtique. Dominus enim in rebus coràm mundo contemptibilibus, non minus potens est, quàm in maximis.

Reficitur iterum Ieremias post labores & dolores.

6. Reponitur autem Ieremias in atrium custodiæ, in carcerem tolerabiliorem, vbi & panis è publico ipsi subministratur, ad eum vsq; diem quo capta est vrbs. Non plenè liberatur vinculis. Tenetur enim in custodia. Ac melius hoc erat, quàm si liber fuisset dimissus. Quis enim suffecisset ipsi panem, qui in vrbe inter ciues defecerat? Quidam beneficia Dei non omnino perfecta, ferè contemnunt: vt cum sanitati non plenè restituuntur ægroti, non magni æstimant, quòd infandis liberati sint doloribus. Verùm discimus hoc Ieremiæ exemplo sorte nostra contenti & Deo esse grati pro beneficijs eius, quantúmuis iudicio nostro exiguis. Nouit is quid nobis prosit, quid & quantum det singulis. Ipsi sit laus & gloria.

Euocatur Ieremias ad colloquium regis, colloquunturq; mutuùm liberè de communi salute.

CONCIO CXXV.

Misit ergo rex Zedechias & accersiuit ad se Ieremiam prophetam ad transitum tertium, qui est in domo Domini, dixitq; rex ad Ieremiam, Ego interrogabo te verbum, ne ergo celes à me quicquam. Respondit ergo Ieremias Zedechiæ, Si annunciaro tibi, an non certò me occides? & si tibi dedero consilium, nõ obtemperabis mihi. Iurauit ergo rex Zedechias Ieremiæ clàm, & dixit, Viuit Dominus, qui fecit nobis animam istam, non occidam te neq; tradam te in manum virorum istorum, qui quærũt animam tuam. Et dixit Ieremias ad Zedechiam, Sic dicit Dominus Deus exercituũ Deus Israelis, Si statim egredieris ad principes regis Babylonici, viuet anima tua, & vrbs ista non comburetur igni, & vives tu & domus tua. Si verò nõ egressus fueris ad principes regis Babylonici, tradetur ciuitas ista in manum Chaldæorum, qui incendent eã igni, neq; tu manum eorum effugies. Dixit autem rex Zedechias ad Ieremiam: Ego anxius sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos ne fortè tradãt me in manus eorum & illudant mihi. Et dixit Ieremias, Non tradent: audi quæso vocẽ Domini in his, quæ ego ad te loquor, & bene erit tibi, & viuet anima tua. Quòd si exire nolueris, hoc est verbum quod reuelauit mihi Dominus, Ecce omnes fœminæ quæ reliquæ sunt in domo regis Iuda, educentur ad principes regis Babyloniæ, & hæ dicent: Incitauerunt te, & prævaluerunt tibi viri pacis tuæ, pedes tui in cœnum demersi sunt, actiq; retrorsum. Omnes quoque vxores tuas & fi... cent ad Chaldæos, neq; tu liberaberis è manu eorum: manu enim Babylonij regis capieris, & vrbem hanc igni incendes.

Tertiũ

TErtia huius historiæ parte exponitur dialogus vel colloquium regis & prophetæ, institutum de incolumitate vel salute regis, vrbis & populi. Reluret in hoc fœda & probrosa regis Zedechiæ leuitas & inconstantia, adeoq; omnium incredulorum stupenda miseria, nihil habẽtium certi, sed fluctuantium instar procellarum maris æstuantis. Verùm est hæc sors incredulitatis. Contempletur se quilibet in hoc speculo, & si se talem esse deprehenderit, deprecetur sedulò Dominum, & oret pro spiritu firmo & solido. Contra verò apparet in Ieremia miranda fidei constantia, & prophetiæ maiestas atq; veritas; quæ meritò consolatur nos omnes. *Miseria & leuitas incredulorum.* *Constantia veritatis.*

1. Rex euocat prophetam in colloquium: quoniam verò misere timuit suos principes, iuratos Ieremiæ hostes, rursus clanculò vocat ad se. Locus indicatur, transitus tertius in domo Domini. Id quod plerique exponunt de ingressu, introitu, ostio vel porta templi: sed verisimile non est regem meticulosum palàm in porta templi cum propheta fuisse colloquutum. Diuerticula haud dubiè quæsiuit. Verisimilior ergò est illorum expositio, qui putant templo adiecta esse ædificia quædam, velut circuitus, in quorum tertium, vtpote absconditum aut non ita omnibus patentem locum, euocarit rex prophetam, vt in templo vel abstrusa hac templi parte colloqueretur cum Ieremia. Typum gerit hic rex incredulorum hominum, qui in periculis recurrunt ad verbi Dei ministros, quærentes ex his consilium & consolationem, conscientia in ipsis æstuante, sed cum audiunt à ministris verbum Dei, non curant. Nam si non premerentur necessitate summa, neque adire ministros, neque vocare aut audire, imò ne salutare quidem dignarentur. Et satis quidem pro maiestate vel authoritate regis prophetam interrogans rex, Verbum ex te quæram, inquit, vide ne quid me cæles. Loquutio est, Verbum ex te quæram: pro quo nobis in vsu est, vt dicamus, Ich můß dich ein wort fragen. At si quando huiusmodi hypocritæ congrediantur cum verbi Dei ministris, videntur libertatem dicendi amplo ore concedere, ac quodammodo extimulare, vt liberè dicatur ipsis quod res est. Interim de emendatione nulla est cura. *Vocatur Ieremias à rege ad transitum tertium.*

2. Ieremias non tam ex nuper actis, quàm ex toto vitæ cursu à pueritia Regis animum ingeniumq; habuit perspectum plenè. Redarguit ergo ipsum. Neque enim ex timore profecta sunt verba, quæ sequuntur; sed ijs corripit regem, quòd incurabilem se in omnibus præbeat, & sua sponte ruat in præcipitium. Si, inquit, annunciaro tibi decretum Dei contra te, quod priùs fecisti, nunc iterum facies, conijcies inquam me in carcerem, vel principibus tuis me in carcerem demergendum trades, in quo peream inedia. Quòd si sanum dedero consilium, non obsequundabis, sed perges more tuo parere principum tuorum consilijs. Incurabilis ergo es: nec scio ipse quid tibi dicam. Frustra enim dicuntur tibi omnia. Hinc colligimus quantæ sit molis & difficultatis nec non periculi, verbum Dei synceriter annunciare populo. Si enim veritatem annuncies, veritas parit odium, præsertim si culpes vitia potentum atque vulgi, & miniteris iudicia Dei. Si verò bonum sufficias consilium, sunt qui bonum nuncupent malum, & sese tibi obijciant. Si verò aliqui recipiunt consilium datum, pro modulo suo & quantum ipsis bonum videtur, non plenè recipiunt, vnde & consilium non sortitur suum effectum, sed ferè euenit diuersum: indignantur ergo consultori, qui alioqui boni videri volunt, & calumniantur mendacem & seductorem esse præconem verbi, quòd consilium ipsius eos fefellerit: cum verius ipsi semetipsos, non faciendo quod iussi fuerant facere, seduxerint. In Euangelio queritur Dominus, quòd frustra populo isti prædicaretur euangelium. Tentabat quidem Deus varijs ipsos lucrifacere modis rationibusq; sed non mouebat *Redarguitur rex.* *Plena periculi syncera annunciatio verbi.*

tur vel ſuauitate ſaluatoris, vel auſteritate Ioannis. Ita ſanè fit hodie quoq;. Quacunq; enim via ingrediaris, habet vulgus quod accuſet, calumnietur, exibilet, atq; explodat. Sed prædicandum eſt pijs nihilominus. Sicuti videmus & Ieremiam & ipſum Dominum Ieſum nihilominus in prædicatione verbi ſui eſſe progreſſum.

Iuramentum leue.

3. Iurat rex prophetæ, ſe minimè procuraturum ipſius necem: iurat autem clam, metu principum, qui ſi inſtitiſſent grauius regi, in dubio ſanè relinquitur, an præſtitiſſet quod clanculò prophetæ iurauerat. Facilis ac procliuis apparet rex ad iurandum, neque hoc nomine commendandus. Quin potius diſcamus cum religione, & in cauſis grauibus, neque ſemper, neque omnibus, neque quaslibet ob cauſas iurandum. Ac fit ferè vt qui ad iurandum promittendumq; nimis ſunt procliues, in præſtando ſint leuiores. Certè Zedechias hic noſter iurauerat regi Babylonio, idem mox iurat & Ægyptio, & quidem iuramenta ſibi mutuò repugnantia. Miſerat prius honorificam ad Ieremiam legationem, nunc clanculùm vocat in colloquium. Prius fecerat poteſtatem innoxium detrudendi in carcerem, ibidemq; in ſordibus perimendi fame aut inedia. Idem eundem mox concedit Æthiopi, & ex carcere extrahere contra priorem ſententiam iubet: nunc iurat Ieremiæ eidem etiam aduerſus principes, quibus tamen prius dixerat, ſe nihil denegare poſſe. Stupenda ergo apparet inconſtantia ac leuitas in hoc principe, non imitanda nobis, ſed modis omnibus fugienda. Ac apparet hic omnino miſerrimos eſſe, quotquot inſtabiles & rerum ſuarum incerti cuilibet vento ſe præbent exagitandos. Eſt autem in principibus leuitas in primis vituperanda. Illud verò laudandum in rege videtur, quòd veram religioſamq; ſeruat iurandi formulam, Per viuentem Deum. Etenim præcepit Deus iurare per nomen ſuum, vetuit iurare per nomina aliorum deorum. Turpiſſimum eſt itaq;, ſi hoc præceptum Dei primarium præuaricentur Chriſtiani. Obſerua hic quoque quod dicitur, Deum facere vel condere animas. Vnde claret ſimplicem & veram eſſe ſententiam quæ ſentit animas non delabi è cœlo, aut eſſe ex traduce, ſed creari à Deo & inſpirari corporibus. De qua re dixi paucula in noſtris Decadibus.

Deus facit animas.

Oratio Ieremiæ ad Zedechiam.

4. Subiungitur nunc Oratio Ieremiæ breuis & vltima, paulò ante excidium vrbis habita ad regem. Ea eſt partim ſalubris conſilij ſuggeſtio, partim denunciatio fati acerbiſsimi. Suadet enim deditionem, omniaq; felicia obedienti promittit. At niſi ſe dedat, prædicit vrbem ipſam & capiendam eſſe & exurendam, denique & ipſum & omnem domum eius, populumq; Hieroſolymitanum abducendum in captiuitatem. Quod ne, ceu vanum ſomnium, contemneret, præmittit exordioli vice, Deum verum, & quidem Sabaoth, Deum Iſraelis, hæc ipſi annunciare per Ieremiæ miniſterium. Vbi iterum cernimus prophetiæ veritatem & conſtantiam. Non noua profert in gratiam regis, ſed repetit vetera.

Vetus doctrina

Vetera ſunt & perpetua, patere pœnitentibus acceſſum ad Deum, qui minas denunciatas non proſequatur, ſi mutemus mores impios. Iam non eſt quod diſputemus de æternis Dei decretis. Agnoſcimus prouidentiam Dei & æterna & certa eſſe Dei decreta: interim cum per verbum ſuum atteſtatur, pœnitentibus concedi certò veniam, ſicut & 18. cap. dictum eſt, piè in præſens Dei verbum reſpicimus, & ei credimus.

Quid impediat homines quò minus recipiant conſilia Dei.

5. Porrò inſpice iam hiſtoriam diligentius, & inquire quid regem impediuerit quò minus ſalubri obſequutus ſit prophetæ conſilio, ſed maluerit minis Dei ſubiacere grauibus? Metus illi obſtitit. Qualis verò metus? An timor Dei? Minimè gentium. Quidlibet enim potius quàm Deũ timuit. Nam fecit quod facere nõ debuit. Timuit enim homines cùm amicos tũ hoſtes; quinimò nihil tutũ

ei. Timuit

ei. Timuit enim omnia: solum Deum nõ timuit, quem ante omnia, & præ omnibus timere debuisset. Idem hic inanis & irreligiosus timor hodie quoque obsistit, quò minus sana Dei consilia amplectamur: sed tergiuersando nos & alios de fatigemus, ac demùm etiam perdamus. Oritur & confirmatur hic metus ex superbia. Nam metuit Zedechias, ne illudant ipsi transfugæ, ipsumq; tradant hostibus. At superbus animus ludibrium ferre nõ potuit: quemadmodum & Saul ad armigerum suum dicebat, Transfigito me, ne præputiati illi me trucident, ac mihi cum probro illudant. Satius fuerat se humiliasse coràm Domino, & patienter quicquid immisisset Dominus recepisse ac sustinuisse. Superbus ergò timor, desperationis neruus, fortissimè constringit eos, qui admittunt illum in pectus, & certissimè tandem perdit. Vigilemus hic & oremus. Innumeri sunt hodie in summis constituti dignitatibus mundi, Episcopi, Abbates, Prælati ecclesiastici nuncupati, quibus si obijcias, cur non apertè confiteantur Euangelium, quod in animo intelligunt & non improbant, audias, Metuo pauperiem, crucem, odia potentum. Nolo ita humiliari & contemni: nolo opes & dignitates abijcere, &c. Hi omnes patriarcham habent Zedechiam regem, hypocritam & impium: qui & ipse satis intelligebat cõsilium, quod ipsi suggerebatur, esse commodum, at propter timorem & superbiam recipere nolebat. 1. Sam 31.

6. Cæterùm Ieremias regi cupiens mederi, id ei eximere conatur quod verebat, dicens, Metuis miserè, ne fortè tradaris cum ludibrio à tuis hominibus hosti. At ne metuas iubeo. Nam non traderis, Domino Deo hoc prohibente. Hortor autẽ vt huic credas & obedias voci Dei tui. Ita enim bene erit tibi, & vitam tuam tibi tuisq; seruabis. Splendida erat hæc promissio, & consolatio valida. Ita habent hodie quoque in sancto Euangelio, in libris quoque prophetarum & apostolorũ validas consolationes & graues exhortationes timidi ac superbi cunctatores, ne pluris faciant gratiam hominum, quàm veritatem & fauorem Dei: Odisse hunc superbiam & luxum huius mundi: eundem non negligere aut deserere sperantes in ipsum, sed victum suppeditare ac amictum: vt nihil desit timentibus ipsum. *Consolatur regem.*

7. Videbat autem ex moribus regis Ieremias, se frustrà bene consulere, consilium pium respuenti impiè, conuersus ergo ad denunciationem insuauem, acerbam, & duram, prædicit ex reuelatione æterni Dei, quæ mala sit miser & infelix perpessurus, hoc videlicet quod metuebat. Solomon enim dicit, Euenit impio, quod metuit. Ergo traderis, inquit, in manus Chaldæorum, nec tu solus, sed omnis tua familia. Quibus accedit, quòd non viri iam tibi illudent, sed mulierculæ è tuo gynæceo. Ac fingit hic formulam, qua vsuræ sint mulierculę accusantes & exagitantes regis socordiam & stultitiam. Principes quibus tu fidebas (hi enim sunt homines pacis) quos amicos tuos optimos & fidelissimos esse putabas, incitarunt te ad ea, quæ contra Babylonios feciſti: incitarunt te ne obsequereris sanis consilijs, & quidem pręualuerunt. Cùm enim illis nõ restitisti, ipsi vsi sunt potestate regia, & quod voluerunt, pro sua libidine fecerunt licẽtiosissimè. Tu interim iners & socors, titulum imò vmbram regis præ te tulisti. At quò tu hac tua socordia & mollitia effœminata peruenieris, aut quò te tui illi adduxerint, modò apparet toti mundo. Nam veluti lutulentæ & lubricæ insistens viæ, progredi non potes, sed lapsando, retrorsum impelleris, & contidis: id est omnia tua consilia inuertuntur (**gadt dir nüt diner dingen für sich**) & peris in tua ipsius stultitia, ac vnà etiam omnes nos tecum perdis infœlix. Vide autẽ vt Deus par pari rependat. Cõiecerat rex Ieremiam in lutum, vt in eo periret: at ipse iam in cœno hæret & perit. Obseruent hanc mulierculam veluti cantilenam, omnes quotquot per semetipsos nolunt sapere, & potestate sibi data legitimè & for *Impiò quod metuit euenit.*

titer vti, sed in omnibus alijs se ducendos gubernandosq; permittunt, & ferè pessimis. Ad eundem enim scopum tandem suas conijcient sagittas, ipsique in luto vel cœno miseriæ & infelicitatis hærebunt. Obseruent autem hæc in primis illi, de quibus modò diximus, quòd veritatem quidem agnoscunt, at metu eam confiteri nolunt. Timent enim ne dignitatibus & opibus exuantur, & adoperiantur propter Christum ignominia, ac inopia rerum omniũ laborẽt. Quod enim metuunt, id eueniet eis. Nam veniet tempus, quando optabis dignitatem illam tuam, opes & voluptates illas, quibus carere noluisti propter Christum, inquam oblatas, nunquam receptas vel vsurpatas. Nam cùm senseris tibi eundum esse per mortem inopinatam ad tribunal Dei æterni, quem multò viliorem habuisti in hoc seculo, quàm sceleratissimos quosque nebulones, quem denique posthabuisti tuis illis ignominiosis dignitatibus, & fœdis voluptatibus, abominandisque opibus: quid tum respondebis Domino Deo tuo? An non tunc cruciaberis fame & inedia ineffabili, ignominiaq; ignominiosissima? An non tunc laborabis & subiacebis odio Dei, angelorum denique & sanctorum eius omnium? An non tunc recurret illud ex reuelatione Iesu Christi, Cadite super nos montes, & abscondite nos petrę à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniã venit dies magnus iræ illius? Et quis poterit stare? Obseruandũ verò & illud videtur, quòd Zedechias dicitur igni incendisse vrbem. Non is manu sua ignem subiecit vrbi: Babylonij id fecerunt: sed cum Zedechias obsequendo sanioribus Dei consilijs potuisset seruare vrbem, quod noluit: ipsus certè fecisse dicitur, qui occasionem incendij ac veluti facem in manus dedisse videtur Chaldæis. Sic verò reputat tibi quoque ipsum opus Deus noster, licet manu tua opus non feceris, si occasionem operi dedisti, aut cùm prohibere potuisses, non prohibuisti. Proinde nulla est regum excusatio, qui dicunt, Ego nullam incẽdi vrbem, neminem trucidaui. Quoniam enim authoritate & iussu regio bellum est susceptum & illatum quo ista facta sunt, recidit in ipsum regem omnis sanguis effusus. Inanis est itaque & militum quorundam iactatio: Neminem manu mea trucidaui: matronam aut virginem nullam constupraui, neque quenquam ex suis ædibus proturbaui, ciuitates non inflammaui, &c. Esto enim, tua manu nihil horum patraueris, an verò non dedisti nomen tuum imperatori militiæ? An non tota illa militia est veluti corpus ex multis membris compactum? An non tu quoque es huius sanguinolenti corporis membrum? Quomodo ergo à culpa & reatu, imò à cædibus & abominandis facinoribus huius corporis temetipsum segregabis? Quòd si hostis veniat, & incendio ferroq; grassantes tuos illos commilitones depellere velit, cui oro feres auxilium, hosti an commilitonibus illis tuis truculentis? His certè feres auxilium. Agnosce itaque omnem cruorem, quem isti effundunt, recidere etiam in caput tuum, & iccircò vanam esse tuam illam gloriationem. Iam itaque abstine ab iniusta illa, illegitima, & mercenaria militia, agito pœnitentiam, & orato Deum vt gratiam suam, per quam hæc possis, liberaliter largiatur ad gloriam nominis sui. Ipsi gloria.

Ipse feciſſe diceris, quod alius te procurante aut non prohibente fecit.

Dimittit Ieremiam rex incolumem, accedunt eundẽ & principes, qui & ipsi eum relinquunt incolumem.

CONCIO CXXVI.

Et dixit Zedechias ad Ieremiam, Nemo resciat verba ista, & non morieris. Quòd si principes intellexerint me tecum esse locutum, & venerint ad te, & dixerint, Indica quæso nobis quid locutus sis cum rege, nihil cæles nos, & non occi-

non occidemus te: quid locutus est rex tecum? Dices ad eos, Ego supplex procubui orans in conspectu regis, ne me reducat in domum Ionathan, ne ibi moriar. Venerunt ergo cuncti principes, & interrogauerunt eum. Narrauit ergo eis ad omnem omnino modum, quem ipsi rex præceperat: & tacuerunt (vel desierunt) ab eo: nihil enim sentiebant. Mansit ergo Ieremias in atrio custodiæ, vsq; ad eum diem, quo capta est Hierusalem. Et factum est secundum hoc, capta est Hierusalem.

ATtexitur quomodo rex minas prophetæ graues acceperit. Licet enim ea quæ dicta fuerant à propheta, prauitatis arguere non posset, sed cogeretur agnoscere sanum esse prophetę consilium, nullam tamen huius consilij rationem habet, sed manet in suo illo timore, & instituto prauo, stulto, & noxio: ideóque Dei verbo non credit, neq; se verbo Dei accommodat. Ad eundem omnino modum, cùm homines nostro seculo verbum Domini audiunt, & in ipso nehilum quidem reprehendere possunt, quia tamẽ prauas affectiones, timorem, ambitionem, & voluptatum studium retinent mordicus, sana verbi Dei consilia non recipiunt, id est verbo Dei minimè credunt. Dixit autem & Dominus in Euangelio ita futurum, Quomodo vos potestis credere, qui gloriam à vobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo proficiscitur non quæritis? Et quidem proponitur nobis in his spectanda miserabilis hominis imago, nihil sani, nihilq; tranquillitatis in semetipso habentis. Tales autem sunt increduli & impij omnes.

Qui indulget affectibus suis prauis, verbo Dei nõ credit.

Ioan. 5.

2. Muliebriter iam deprecatur miser, ne quis resciat quicquam de hoc colloquio, id est vt curet propheta, ne ab ipso effutiatur quicquam. Quasi verò futilis sit. Promittit autem ei vitam vol incolumitatem. Manifestè verò ostendit his rex se seruum esse, vel mancipium vile nebulonum vel perditorum istorũ principum, non sine dolore & tristitia cordis regij. Typus est eorum, qui sibi sua stultitia incredulitateq; & nequitia, grande aliquod onus, & hoc quidem pudendum etiam, imponunt baiulandum, quo miserè excruciantur, attamen eo facilè possent carere: vt cùm maritus per adulterium scortum sibi adiungit, quo exercetur & excruciatur variè, &c. Refert denicq; hic princeps, senatores instabiles & meticulosos, qui tametsi aliquando colloquantur de rebus sanctis cum viris sanctis: quia tamen hos impijs sciunt inuisos esse, cupiunt omnino latere ipsorum cum pijs congressum: imò ab hoc frequentius refugiunt, atque adeò & viros bonos fugiunt, quòd metuant colloquia illa ipsis fore opprobranda ab hostibus. Seruilia sunt hæc & animi nimis meticulosi corruptiq; indicia.

Homo incredulus se mancipiũ facit, &c.

3. Interim relucet in his malum grande, quo facilè deturbantur regna firmissima, mutua videlicet diffidẽtia, & animi principũ insyncери. Rex enim principibus hisce suis, intimis inquam suis amicis non fidit ex animo, neque principes amant syncerè regem, nec fidunt ipsi plenè. Sind beider teilẽ hinder einander den durchgangen. Verùm ita solet fieri, cum vero viuo & æterno Deo patri & redemptori nostro ex animo non fidimus. Sic enim digni efficimur, quibus nemo credat aut verè confidat, animi denique nostri sic implicentur & abalienentur, vt nemini fidere neque possimus neq; audeamus, sed sint nobis suspecta & horribilia omnia.

Diffidentia facile regna perdit.

4. Cæterùm tantus in rege metus erat, vt vel ipse præiret ac veluti dictaret formulam respondendi principibus, siquidem veniant percontatum de habito colloquio. Nec de tractat propheta eam conditionem. Cauendum verò ne hoc loco abutamur. Non docet hic locus mentiri hominem, simulare aut dissimulare res magnas cum detrimẽto proximi & ignominia Dei. Et propheta qui

Contra mendacium pro veritate.

dem non rogabatur legit[illegible]è, ceu testis in foro à principibus, neque dicebat testimonium. Præterea nihil mẽtiebatur aut fingebat in eo quod adferebat. Nam suppliciter postulauerat à rege ne reduceretur in domum Ionathæ. Et dum respondet principibus, non modò quod verum erat dicit, sed insuper responsione sua neque Deum offendit neque proximum. Quid ergo? Petit rex fidem, & ne secretum creditum spargat propheta. Voluit enim omnino colloquium esse arcanum, & ipsis duobus solis cognitum. Est autem virtus, continere secretũ, & non futiliter spargere in omnes. Nocet non rarò ea futilitas, maximè si ea senatores laborent. Est alioqui fides seruanda diligenter in secretis non propalandis, nisi talia sint, vt fides iubeat reuelare. Dicis, At secretum dici non debet consilium Ieremiæ, quod erat verbum Dei, & pertinebat ad salutem vniuersorum. Si principibus quoque communicasset, profuisset fortassis, habuissetq; fructum suum. Audio. Sed dudum hoc consilium suum principum auribus inculcarat, vsque ad molestiam, & donec ipse huius solius gratia conijceretur in lacum cœnosum. Rectè ergo & prudenter tacuit nunc Ieremias. Quem alij in hac causa nonnihil deliquisse volunt. Certè (vtcunque ea res habeat) huius exemplo nihil est falsi committendum.

Secreta continere.

Principes interrogant Ieremiam.

5. Iam verò turmatim in custodiam aduolãt ad prophetam & principes, expiscari volentes quid collocutus sit cum rege. Licentia hæc principum in regem inquirentium nimia est, vituperanda & modis omnibus. Sed dignus erat rex, qui ita malè tractaretur à suis principibus, qui verbo Dei obedire noluit, nimium homines timuit, & his semetipsum calcandum substrauit. Non sine emphasi verò dicitur principes nihil sensisse. Significatur enim principes vtcunque sagaces sint, non semper tantum posse, quantum volunt. Reguntur enim manu Domini. In eo quoque diuina relucet virtus, quòd mox acquiescunt verbis prophetę, & tacent ab eo, id est, desierũt, vel vt nos dicimus, Lieſſend von jm̃. Nam est locutio Hebræis visitata. Proinde vides Dominum in Euangelio dicentem, Mitto vos veluti oues in medium luporum, posse & velle suos contra & præter spem tueri & defendere contra omnes hostes. Consolemur nos in periculis per hęc exempla. Non enim deserit aut negligit Dominus vllos sperantes in nomen ipsius: qui hæc diligẽter consignari voluit, vt ex ijs consolationem acciperemus per ipsius spiritum sanctum.

Prosunt aduersa sanctis.

6. Nunc ergo manet Ieremias propheta in custodia vel in carcere, sed tolerabili. Non dimittitur. Ac profuit illi hæc crux, obstititque quo minus grauiori fuerit subditus. Alitur enim nunc in vinculis expublico, qui fortè liber & in medio populi furentis vnà cum alijs multis perijsset inedia. Ita sæpe nobis aduersa prosunt, quæ obesse & damna inferrè falsò existimamus. Liberè quidem abit rex, liberè abeunt principes, sed omnes ad lanienam, breui à barbaris conscindendi. Ita ignorat mens hominis futura mala, & dum existimat res suas esse collocatas in tuto, versantur in discrimine summo. Contra tutissimè omnium habitamus non rarò, cùm querimur nihil vspiam nobis esse tuti & tranquilli quicquam.

Veritas minarum Dei.

7. Manet autem propheta in custodia, ad diem vsq; quo capta est vrbs. Cui subijcitur, Et factum est secundum hoc, capta est Hierusalem. Hieronymiana versio habet, Et factum est vt caperetur Hierusalem. Xantes legit, Eratq; (ibi) cum capta fuit Hierusalem. Nonnulli connectunt cum consequenti capite: ego malo cum his quæ dicta sunt, cohærere. Significat autem Deum veritatem verbi sui comprobasse, & secundum hoc quod Ieremias prædixerat, vrbem Hierosolymorum captam esse. Vel certè indicatur Ieremiam in vinculis incolumem seruatum esse, quò minus in prima militum irruptione in vrbem sit mactatus & obtruncatus

obtruncatus cum misera ciuium turba. Proinde per curã Dei accuratissimam, quod alijs fuisset carcer, Ieremiæ fuit asylum. Et certè potest nos Dominus in ipsa viuificare morte. Cui soli gloria & laus.

Capitur vrbs, rex verò fugiens cum suis comprehenditur, iudicioq; sistitur, vrbs incensa perit, populus verò partim captiuus abducitur, partim in Iudæa relinquitur.

CAPVT XXXIX.

CONCIO CXXVII.

ANno nono Zedechiæ regis Iuda, mense decimo, venit Nabuchodonosor rex Babylonis & omnis exercitus eius Hierosolymam, & obsidione cinxit eam: anno verò vndecimo Zedechiæ, mense quarto, nona mensis, rupta est vrbs, ingressiq; sunt omnes principes regis Babyloniæ, & sederunt in porta media, Nergal Sarætzer, Samgar Nebo, Sarsechim, Rapsaris, Nergal, Sarætzer, Rabmag, & omnes reliqui principes regis Babylonici. Et factum est cum vidisset eos Zedechias rex Iuda, atq; omnes viri bellicosi, fugerunt, & exierunt noctu ex vrbe, via per hortos regios, & per portam quæ est inter duos muros, contenderúntque versus desertum. Persequutus est autem eos exercitus Chaldæorum, comprehenderuntq; Zedechiam in campestribus Iericho: & abduxerunt eum ad Nabuchodonosorem Babyloniæ regem, Reblam, quæ est in terra Hamath: & loquutus est cum eo iudicia. Trucidauit autem rex Babylonis in Rebla filios Zedechiæ in oculis eius, & omnes nobiles Iuda trucidauit rex Babylonis. Porrò oculos Zedechiæ erùit, & vinxit eum compedibus, vt duceret ipsum in Babylonem. Domum autem regiam, atq; domus populares igni incenderunt Chaldæi, & muros Hierusalem diruerunt. Reliquum populum exhi. qui reliqui erant in vrbe, & eos qui ad se defecerant, & reliquias vulgi, quæ adhuc supererant, transtulit Nabuzardan præfectus rerum capitalium in Babylonem. De plebe autem tenues, & qui nihil habebant, reliquit Nabuzardan præfectus rerum capitalium in terra Iuda, & eodem illo tempore dedit eis vineas & arua.

PERVENITVR tandem ad miserabile spectaculum, ad excidium inquam vrbis & gentis antiquiss. & celeberrimæ per orbem vniuersum. Eueniunt autem hæc omnia non fortuitò, sed ad eum omnino modum, quem prædixerat ex verbo Dei Ieremias. Vbi sanè iterum relucet constantissima veritas Dei, qui tametsi diu dissimulet conscelerationem hominum, plurimisq; in vtranque aurem dormire videatur, non tamen dormitat nec semper, nec omnibus. Adest enim maturè, & tarditatem illam suam supplicij grauitate compensat. Docent ergo huiusmodi historiæ funestæ & tristes, nos timere Dominum Deum nostrum, ambulare in vijs eius, nec insolentia & rebellione exasperare irã eius. Nimis enim grauia sunt contra incurabiles iudicia eius. Simile est excidium Hierosolymorum sequens tempora Christi Domini, prædictum & ipsum ab annis 40. sicuti & præsens Ieremias præcinuit ab annis iam 40. Cæterùm elegantissimè & doctissimè adumbratur in præsenti celeberrimæ vrbis interitus. Nam ea quæ non admodùm ad rem facere videntur, à prophanis autem scriptoribus operosè tractantur, commentuntur, attinguntur verò magis quàm co-

Miserũ captæ vrbis spectaculum.

Argumentum capitis.

pioſe deſcribuntur maximè neceſſaria, & ex quibus eſt fructus aliquis, ſicuti patebit in explicatione, quam & ipſam abſoluemus breuibus. Vniuerſa hiſtoria huius capitis abſoluitur partibus duabus. Principiò enim proponitur velut ſpectandum vrbis excidium: in quo interim cernimus ſeuerum ſed iuſtum Dei veri iudicium contra impœnitentes. Deinde exponitur quid in miſerabili hac turba euenerit Ieremiæ & Æthiopi, quorum vterque incolumis refertur ſeruatus Dei potentia in hoſtium medio furore. Vnde inclareſcit Deum omnibus temporibus ſuum illum Loth educere imò extrahere ex incendio Sodomæ. Stupendum quidem eſt ſupplicium, quod Deus de Sodoma ſumpſit: ſed cum ea eſſet vrbs prophana & gentilis, Hieroſolymorum verò vrbs à Deo electa ad cultum verum Dei & regnũ Meſsiæ, magis mirantur iam in eius interitu fideles Dei iudicia, quàm in Sodoma aut Gommorra. Cæterũm digni erant ciues Hieroſolymitani qui perirent, vtpote quibus fruſtra prædicata fuerat tot annis ſalus.

Tẽpus obſeſſæ & captæ vrbis

1. Tempus conſignatur quo eſt obſeſſa, murisq; irruptis capta à Babylonijs vrbs. Colliguntur autem in vniuerſum obſidionis menſes octodecim. Satis proinde ſpacij dedit pœnitentiæ longanimitas Dei. Satis & plus quàm ſatis tanto tempore contempſerunt ingrati bonitatem Dei. Si autem menſe decimo obſeſſa eſt vrbs, bellum hoc geri cœpit in hyeme. Perſtiterunt ergo milites Babylonici magna conſtantia, fortitudine, & laborum tolerantia. Operatur tamen hęc Deus per milites, vt puniat quos punire decreuit. Fuit & in obſeſſis patientia inſignis, dum durant per famem & inopiam rerum omnium. Vide autem hic mihi conſideráque ingenij humani malitiam ſimul & in malitia pertinaciam. Vix tot dierum laborem Dei & religionis gratia ſuſtinuiſſent. Si quid enim nobis ſit ferendum honeſtarum diuinarumq; rerum gratia, mox tædio affecti, querimur nos minimè eſſe ferendo: at ſi grauiſſima quæque ſubeunda ſint gratia voluptatum, nulla auditur querimonia, ſed cernitur per omnia alacritas ſtrenua. Prohibita & mercenaria militia compluribus iucunda videtur, in qua & tolerãt, quæ ob patriæ pericula depellenda, minimè toleranda, imò ne attingenda quidẽ ſibi putarent. Hęc verſipellis malita peruerſitasq; humani ingenij in innumeris alijs rebus, ſi quis obſeruet mores hominum, facilè deprehenditur.

Peruerſitas humana.

Rupta vrbs.

2. Rupta verò dicitur tandem vrbs. De ea ruptura variant interpretes. Quidam enim referunt ad ciuium Hieroſolymitanorum factionem ac ſeditionem, quibuſdam volentibus vrbem defendere contra hoſtem, alijs verò deditionem faciendam hoſti ſuadentibus. Hos ergo ſciſſos ab illis, defeciſſe ad hoſtem, alios verò poſthac vrbem contra hoſtes non amplius tueri potuiſſe. Alij referũt ad irruptionem hoſtium, quòd hi muros arietibus inſtrumentisq; bellicis perruperint, & depulſis è ſtatione Iudæis, irruperint in vrbem, eamq; vi cœperint. Et huc videtur ſpectare quod ſequitur, ingreſſos fuiſſe principes Babylonicos in vrbem. Vtrunque fieri potuit, & vt eruperint ciues aliquot, quorum & paulò poſt fit mentio, ad hoſtes Chaldæos, atque hi ſimul irruperint in vrbem vrbeq; potiti ſint. Nihil profuit impijs ciuibus, quòd vrbs ipſorum eſſet antiqua, celebris, ſancta apellata, munita denique, adeò vt multis videretur inuicta. Iã enim, deo ita volente, ſuccumbunt & euaneſcunt, neq; tantillum proſunt omnia, quæ alioqui mirari ſolet mundus. Ne itaque fidamus vllis rebus caducis. Nam deo iubente fortiſsima quæq; diſſoluuntur, & quidem repentè ac velut momento quodam.

Capitur vrbs.

Principũ Babylonicorum nomina.

3. Nomina principum ſcriptis conſecrantur. Videntur barbara, dura, & ipſo ſono horrenda auditoribus. Sed cum ſuaue dei verbum audire nolumus, & lætari in amabili nomine patris noſtri cœleſtis, digni ſumus hodie quoque, qui cum tremore audiamus barbaram Turcarum linguam, & innoteſcant etiam nobis Tur-

bis Turcica illa vocabula ipso saltem sono horrenda, Abraimbassa, Bassa Natoliæ, Beglerbeg, Spachi, Oglani, Vlusagi, Iannizeri & Iannizeraga, &c. Ac sunt qui existiment noua illa nomina propria esse Babylonicorum principum nomina. Alij quædam ex ijs officiorum arbitrantur esse nomina, quæ & exponũt, vt Saræzer sit præfectus thesauro, Rabsaris præfectus aulicorum, Rabsarsechim papilionum vel tentoriorum magister, Rabmag veluti ædilis, aut qui præfectus sit demoliendis ædificijs. Sequatur hic quilibet quod ipsi videtur optimum. In his nullum est periculum, neq; etiam admodùm operæpretium. Illud magis obseruandum videtur, quòd principes illi barbari ad primum statim vrbis ingressum, considentin porta: nimirum vt ita nunc capessant principi suo ius vrbis, quòd ipse porrò rege Zedechia oppresso, sit rerum dominus & iudex supremus. Portæ enim in illa gente loca erant iudicijs consecrata. Præterea noluerunt principes Zedechiæ & aliorum regum, iam annis pluribus considere in porta, id est ius dicere miseris, iudicium item iustitiamq; exercere. Meritò itaque exuti iam omni dignitate, & veluti de gradibus præcipites dati, in pulueribus volutantur, alieni autem principes tribunalia conscendunt, hisq; iniustis iudicibus in pulueremconculcatis, ipsi ius reddunt omnibus. Ac mirandum est sanè, militares principes tanti facere iustitiam, vt in feruore occupationis vrbis hostilis, mox in ipsa conscenderint tribunalia. Proinde verisimile est non tanto cũ furore sæuitũ esse, vt sæuitur hodie in occupatis vrbibus, in quibus de repente & in ipso feruore irruptionis, diuina simul & humana conculcantur, virgines & matronæ constuprantur, ædificiaq; inflammantur & comburuntur. Constat enim vrbem hanc post mensem demum esse inflammatam. Ergò quamuis in Threnis legamus miserabilem omnino & funestam prorsus fuisse vrbis occupationem hanc, moderatior tamen fuisse videtur, quàm audiantur esse hodie plerorumq; principum, qui tamen Christi nomine gloriantur, irruptiones. Vtcunque autem id habeat, discant ex hoc ethnicorum principum exemplo Christiani principes, nemini neq; in pace neq; in bello negare ius, sed religiosè facere iudicium & iustitiam, ne ipsi quoq; ex tribunalibus præcipites agantur, & subuehantur alij iustitiæ iurisq; obseruantiores.

Ethnici principes sedent in porta.

Sæuitur in occupatis vrbibus.

4. Dum verò princeps Iudaicus cum sua nobilitate & militia insigni audit & videt hostem iam intra ipsa esse mœnia, atque adeò sedere principes in porta, ius reddituros ijs, qui adducantur à militibus, aut alioqui accesserint, non amplius sibi in vrbe subsistendum, sed fuga celeri nocturnaq;, quò tutior sit, sibi consulendum putat. Habuit autem regia exitum paucis cognitum, tendentem ducentemq; in campos versus desertum per hortos regios, sic aptatum vt intra duos muros, per portam quandam eundum esset euadere volentibus. Nec exprimitur subterraneus ne fuerit, an supra terram artificiosè constructus. Certè solent principes huiusmodi vias & exitus (heimlich abgäng) sibi parare ad necessitatem quamlibet. Iam ergò erumpit rex per illam viam occultam, cum suis principibus & nobilitate, nihil curans de salute populi, quem in medio discrimine deserit. Id quod non rarò ab alijs quoque principibus factum videmus. Apparet in hoc misera populi sors, & magnatum perfidia. Insimularunt hi superius Ieremiam perfidiæ, dicendo ipsum adornare fugam, &c. At illi ipsi iam turpiter, populo deserto, fugiunt, suisque rebus prospicere volunt. Verùm oculus Domini, qui cernit omnia, fugam quoque hanc perfidam videt, curatq; vt incidant vnà omnes fugientes in manus hostium. Hi enim cum essent sagaces, vigilantes, strenui, obseruarunt vias omnes, deprehenderúntque fugam regis ac magnatum. Hos itaque insectantes assecuti sunt, & comprehenderunt in campestribus Hierichuntinis. Tam longè feliciter profugerant, & sibi tantùm

Fugit rex cum sua nobilitate.

Rex negligit & deserit populum.

Capitur rex cum suis.

non omne ſuperaſſe periculum videbantur. Cæterùm cùm impius ſe euaſiſſe au tumat, hæret medius in laqueo. Quod & Zedechiæ euenit. Proinde nemo exiſtimet vllis ſe artibus euaſurum iuſtam & potentem manum Dei.

Siſtitur Zedechias regi Babylonio.

5. Captus rex cum ſuis trahitur ad tribunal regis Babylonij, cuius oculos prædixerat Ieremias viſurum regem Zedechiam ſuis oculis, nimirum non abſque horrore, cùm probè ſibi conſcius eſſet perfidiæ omnium ſceleratiſsimæ. Rex Babylonius tum temporis fuiſſe dicitur in Ribla, ciuitate ſita in terra Hemath. De qua cùm varient interpretes, difficileque ſit de antiquis illis exoletisque rebus locisque pronunciare, coniectantibus accedo, exiſtimantibusque Riblam eam fuiſſe, quæ ſita eſt non procul à lacu vel palude Samachonitide, in tribu Nephthalim. Huc enim rex commigraſſe videtur ex obſidione, quòd diutius extenderetur. Ac erat hic locus regi varijs, & grauibus, multisque rebus occupatiſsimo magis idoneus quàm caſtra. Iſtuc verò ad regem Babyloniæ deducebatur rex Zedechias. Et locutus eſt, inquit hiſtoricus noſter, cum eo, Zedechia videlicet, iudicia. Quæ ſanè locutio eſt Hebraica, cui noſtra reſpondet, Er ließ jm das rächt ergan/oder/Er ſprach ein vrteil über jn. Iure enim egit cum Zedechia & ſuis principibus. Nam accuſauit ipſum perfidiæ & rebellionis haud dubiè: audiuit denique qua re ſuam cauſam defenderet: tandem verò conuictum condemnauit. Potuiſſet iure belli captum abſque interueniente iudicio tradere aut permittere militibus ad ſuſpendium: ſed mauult exercere iudicium. Præterea non legitur ipſum reum vllis conuitijs adoperuiſſe. Pudeat ergo principes Chriſtianos ferocire, & captos vel in bello vel in pace, non auditos neque conuictos, prius conuitijs adopertos tradere carnificibus, ac mox ſubiungere, cum ipſum ſim ius viuum, non eſt quòd exerceam iudicium. Adducatur modò & occidatur nebulo nepharius. Sic enim mihi viſum eſt, qui gladium gero.

Iudicatur Zedechias à rege Babylonis.

Pœna grauis ſumpta de principibus & rege.

6. Supplicia verò ſignificanter recitantur. Obtruncantur filij regis. Obtruncantur principes: quorum nomina & numerus habetur 4. lib. Regum cap. 25. Regi verò eruuntur oculi. Et quidem commeruerant hoc ſupplicium principes, mali regis conſultores. At modò malum conſilium, quod dici ſolet Prouerbio, conſultori ſit peſsimum. Sed & digni erant hoc ſupplicio, qui multos trucidarant viros bonos propter ſynceriorem religionem, denique qui miſerum populum ſuæ fidei creditum, in funeſtiſsimam hanc lanienam pertraxerant, maximè cùm nec ſe nec vrbem dedat Babylonio, authores ſunt Zedechiæ. Huius pœna verò ſicuti æquum erat, videtur omnium eſſe grauiſsima. Principiò cogitur ſuis oculis contemplari miſerabilem cædem liberorum ſuorum, quos ſua perdiderat inertia. Deinde cogitur inſpicere principum ſuorum mactationem. Spectaculum hoc illi ipſa morte proculdubiò fuit durius acerbiuſque. At cùm vidiſſet hæc miſeranda, ipſi deinceps eruuntur oculi, (alij eluſcatum tantummodo geblänt putant) nec interim occiditur, ſed maioribus malis reſeruatur. Oculis vti noluit, oculos itaque rex Babylonis ipſi abſtulit. Ita ſæpiſsimè auferuntur nobis per diuinum iudicium ea, quibus bene vti noluimus. Ac periculoſiſsimũ eſt alienis potius quàm propriis, in rebus grauibus, vti oculis. Videant itaque reges & principes quid faciant, dum nunquam aut rarò res iudiciaque regni ſui inſpiciunt, perpotare interim, venari, aut in gynæceo tripudiare, aut alea tempus fallere malunt, omnia autem officialibus committunt & permittunt, qui quod volunt faciunt, hoc eſt non fideliter officium ſuũ faciunt. Aderit enim tempus aliquando cum iuſta Dei vindicta docebit vos iudicium, iuſtitiam, & æquã rerum gubernationẽ: ſicuti docentur hic Zedechias & principes eius. Zedechias præterea grauius adhuc ſuis illis principibus punitur, vtpote qui peccauerat

grauius

grauius, in ſumma dignitate conſtitutus, & omnium rerum in regno potens. Oportet enim potentes, iuxta Sapientis ſententiam, potenter atrociterq; tormenta perpeti. Proinde non extinguitur vnà cum alijs morte ſocia ſemelq; mala omnia huius mundi terminante, ſed vincitur compedibus, vt qui libertate vti noluit, probè conſtringatur, & abductus in ſeruitutem cõijciatur. Ductus eſt enim captiuus in Babylonem, vbi tandem poſt multa infortunia interijt. Sic punit Deus contemptum verbi ſui & vitam pœnitere neſciam. Inſpiciamus diligenter hoc ſpectaculum triſte, & colligamus hinc quæ nos quoq; fata maneant, niſi mores ad præſcriptum verbi Dei emendauerimus. Timuit miſer Zedechias, ne ſi ſe dederet, riſum, probrum & contumelias ſuſtinere cogeretur, ergo ne hæc pateretur, excuſsit ſalubre prophetæ conſilium. Iam verò obſerua mihi quàm feliciter hoc ei ceſſerit, & quàm non effugerit, quod omnino effugere voluit. Sic fallunt nos noſtra conſilia ex carne & mundo petita. Si ergo ſapimus, verbi Dei conſilia audimus.

Vrbs quoq; tãdit & diruitur

7. Pergit cõmemorare breuiter, quid præterea factum ſit cum vrbe. Huius Templum auguſtum, imò diuinum, palatium regium, & inclita ædificia pereũt omnia. Diruitur & propè complanatur murus vrbis, incendio conflagrant omnia. Hoc futurum ſæpe prædixerat Ieremias: ſed credere noluerunt, experiri maluerunt. Nunc ergo intra horas paucas conflagrant omnes eorum opes: conflagrat templum, in quo ſperarant: ſubuertuntur muri & ædificia, in quibus ſe tutos fore ſperauerant. Sic perit ſpes impiorum. Ne ergo fidamus ruinoſis iſtis rebus, ſed Deo viuẽti in ſecula, cui placere, eſt & in hoc mundo felicíſsimum eſſe. Ruinam hanc vrbis planctu lugubri proſecutus eſt Ieremias, vt noſtro luctu nihil ſit opus. Caueamus modò ne eodem condemnemur iudicio.

Quid factum cum populo.

8. Addit item quid factum ſit cum populo in iſta miſerabili tragœdia, nihil aliud, quàm quod ſemper futurum prædixerat Ieremias: qui ergo non perierant fame & inteſtinis ſeditionibus, aut gladio hoſtili, ſed reliqui manſerant, triplicis erant generis, ciues inquã vrbis paulò habitiores & potentes, deinde turba vulgi miſera, erant item qui ex vrbe defecerãt aut transfugerant ad Babylonios. Priores ergo & poſtremos cõſtrictos in Babylonem captiuos abduxit. Medios, id eſt inopes & oppreſſos hucuſq; auaritia diuitũ, reliquit in terra Iuda, deditq; ipſis arua & vineta, vt laborando colendoq; terram, ſibi victum & principi tributum pararent. His cõmendatur nobis labor manuum, & cõdemnatur ocium. Adminiſtrantur iſta omnia per Nabuzardam, quem alij faciunt magiſtrum ſicariorum, alij præfectum coquorum, nimirum quòd & coqui iugulent pecudes, ſicuti milites in bello homines. Videtur ergo eſſe princeps militum, vel prẽfectus rerum capitalium, & quod dicunt, magiſter campi, id quod alij vertunt, **hoffmeiſter**/alij **fåldherr**/**obriſter ptofoos**. Mirificæ ſanè ſunt rerum vices. Diuites qui hucuſq; ad ſe ſolos vniuerſam terram pertinere, & omnes omnium poſſeſsiones ſuas eſſe putarunt, iam exuuntur his omnibus, & transferuntur in terram alienam, imò in terram quam non nouerunt. Serui autem & pauperes, quorum opera illi ceu iumentorum vſi, imò abuſi fuerant, nunc in poſſeſsionem bonorum omniũ perueniunt. Sic conſolatur & viſitat Dominus opportuno tempore pauperes ſuos. Ac erat his modò conſultum optimè, ſi modò oblatam fortunam recipere & retinere potuiſſent. Verùm declarant paulò poſt iſti quoq; quales fuerint, & quàm non potuerit Deus aliter agere cum gente iſta, quàm egit: cùm nulla vſpiam appareat iuſtitia vel in ſupremis vel in infimis. Inſpice autem hoc exemplum quiſquis habes poſſeſsiones, & ſeruorum opera vteris. Vide ſanctus ſis & iuſtus, ne omnes tibi opes propter impietatem eripiantur, & dentur ei cui nõ putaſſes. Dominus Deus noſter miſereatur noſtri. Amen.

Iustus & verax Dominus seruat in maximis discriminibus, & in capta vrbe, & Ieremiam & Aethiopem.

CONCIO CXXVIII.

Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis ipsi Nabuzardan præfecto rerum capitalium de Ieremia, dicens, Accipe illum & pone oculos super eum, neq; feceris ei quicquam mali, sed quicquid dixerit tibi, facito ei. Proinde Nabuzardan præfectus rerum capitalium, Nebusasban, Rabsaris, & Nergal, Saraezer & Rabmag, atq; omnes magnates regis Babylonis miserunt & accersiuerunt Ieremiam è vestibulo carceris, & commendauerunt eum Godoliæ filio Ahikam filij Saphan, vt educeret eum domum: & habitauit in medio populi. Factus autem fuerat sermo Domini ad Ieremiam, cùm adhuc detentus esset in atrio custodiæ, dicens, Ito & dicito Abdemælecho Æthiopi, ac dic, Sic ait Dominus exercituũ Deus Israelis, Ecce ego inducam verba mea super vrbem istam, ad malum & non ad bonum, & erunt in conspectu tuo ipsa die: sed te eruam in illo die, ait Dominus, vt non tradaris in potestatem virorum, à quorum facie tu formidas. Certò enim te liberabo, ne gladio cadas, & erit tibi anima tua spolij instar: eò quòd speraſti in me.

Argumentum huius loci & scopus.

SEcunda parte huius capitis diligenter exponitur, quomodo Deus iustus & verax suum fidelem ministrum & sperantem in ipsum, in præsenti discrimine non neglexerit, sed mirabiliter seruarit, pereuntibus interim incredulis siue impœnitentibus. Respondetur his illorum obiectioni, qui aiunt, An iustos cum iniustis perdit Deus? Satius ergo fuerat præsentibus huius mundi commodis frui, & deinde exaturatos perire cum impijs, quàm abstinere à voluptatibus ac Dei nomine multis implicari periculis, & nihilominus extenuatos perire cum impijs. Nam ostenditur in præsenti ingens esse discrimen inter pios & impios. Nam audiuimus quid his euenerit: audiemus porrò illos ex præsentissimo liberatos esse periculo: & iccirco deum iustum & veracem in die visitationis rationem habere seruorum suorum. Duo verò ponit exempla, alterum quidem Ieremiæ, alterum autem Æthiopis. Ex his colligimus Deum defendisse ac liberasse, aut certè consolatum esse in hac vrbe capta etiam omnes alios timentes nomen eius. Etenim S. Petrus in 2. Epist. 2. cap. Sodomæ exemplum omnibus impijs, Lothi verò applicat omnibus pijs, subiecta videlicet hac vniuersali sententia, Nouit Dominus pios è tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare. Multi vehementer solliciti sunt quomodo Deus possit seruare, & cùm ipsi modum expositum non vident, de salute sua vel liberatione ceu incerta addubitant. Cæterùm iubet scriptura in omnibus periculis fidere Deo, huius nomen inuocare, & ea quæ ipse mandat facere, reliquum omne committere diuinæ sapientiæ & potentiæ. Scit ille quid facturus sit, habet ille certas rationes liberandi nobis incognitas. Sed & scriptura non paucas quoque ostendit nobis. Aliquando enim continet & regit hominum corda Dominus: vt nocere iam quod antea voluerunt, aut quos oderunt, tamen non consequantur. Ita promittitur Apostolo in Act. 18. cap. neminem ipsi quicquam mali irrogaturum Corinthi. Cõmouet hic corda principum Babyloniæ, vt bene velint Ieremiæ. Nehemiæ concedit magnus rex Persarum, quę vix ipse sperare potuisset. Dominus enim cõmouerat cor eius. Aliquando mittit Deus suis angelos suos, qui cõsolentur & eripiant atq; tueantur pios, vt factũ est cum Iacobo & Esau, cum Helisæo & puero eius, cũ sanctis Christi apostolis, Act. 5. 12. 23. & aliâs. Cõmouet nõnun-

Deus asserit suos.

Deus habet varias asserendi rationes.

quam

quam homines, qui iuuent seruos Dei. Sic commouit Tribunum militum & milites Romanos, ne deessent Paulo contra coniuratos Iudæos, Actor. 23. cap. Cumq; non rarò sinat Deus suos peruenire vsque ad portas inferorum, retrahit tamen, & efficit sua potentia, ne ea quæ alioqui nocere potuissent, noceant. Sic continuit Deus ignis vim & leonum rabiem, ne nocerent tribus pueris, & Danieli. Si verò carceri aut supplicio mortis suos subdi sinat Deus, animum tamen sic potest inflammare, instruere, & mutare, vt quod natura acerbum est, Dei gratia fiat suaue & iucundum. Quod passim videre est in sanctorum martyrum agonibus. Ergo cum tantus sit Dominus Deus noster, fidamus ipsi, & ne simus soliciti, quomodo is velit aut possit inuocantes nomen ipsius asserere. Asserit enim eo, quo ipsi visum fuerit, modo, qui verax est, benignus, & potens, &c.

Ieremiæ liberatio ex manibus hostium.

Ac primo loco ponitur Ieremiæ liberatio ex periculo maximo. Summa historiæ hic duntaxat attingitur, quòd ordo iudiciorum Dei, qui in hoc capite describitur, sic postularet. Postea capite 40. fusius retexitur. Videtur enim vna & eadem historia texi vtrobique. Etenim Ieremias nunc non liberatus est, & postea iterum vinctus à Babylonijs: sed residentibus Ramę principibus Babylonijs, & iubentibus adducere Ieremiam, adductus est vinctus vnà cum alijs captiuis, & tum demum liberatus, Godoliæ commendatus, habitauitq; in medio populi.

Mandatum regis de Ieremia.

Peculiariter verò ac diligenter hic commemoratur principis barbari mandatum. Pluris hic facit Ieremiam, & de ipso cura accuratiore solicitus est, quàm vnquam fuerint omnes Ioachas, Ioachimi, Iechoniæ & Zedechiæ, vnà cũ principibus suis. Cõmendat enim quã diligentissimè ipsum summo principi militię. Et primò in genere dicit, Accipito illum, & ponito oculos super ipsum. Accipito inquam, defendito, inquit, & conseruato, & quidem omnium accuratissimè. Ponere enim oculos super aliquem, est eius eximiam habere curam. Nos dicimus, *Ein flyssig vffähen vff einen haben.* Deinde specialim exprimit aut explicat quomodo commendatum habeat. Principiò ne quid ei mali irroget, aut irrogari ab alijs permittat. Deinde vt quod à principe postularit, faciat. Docet hic ethnicus, bono tamen Dei spiritu illuminatus in his, quomodo quisque nostrũm fratrem suum habeat commendatum, & quid ipsi debeat. Et hodie non rarò fit, vt hostes verbi Dei plus benignitatis præstent fidelibus ministris, quàm qui columnæ religionis veræ videri volunt.

Vnde rex benè voluerit prophetæ.

Rogas, vnde sit quòd rex barbarus tam benigno fuerit in Ieremiam animo? Deus memor serui sui, propter ipsum detenti in atrio custodiæ, & deserti ab omnibus, coniecti autem in solius Dei clementiam, commouet cor regis erga Ieremiam, sicuti paulò ante diximus. Præterea fuit hic princeps amans veritatis & constantiæ: audiuerat autem vel à transfugis, vel ab alijs, quid docuisset in vrbe Ieremias, quòd dissuasisset fœdus cum Ægyptio & externis regibus, adhortatus autem fuisset ad fidẽ seruandam principi Babylonis, ideò veracem & fidelẽ magna prosequitur gratia. Sint ergò principes seueri in rebelles, & homines nequam, benigni autem ac benefici erga obedientes ac fideles. Qui hęc inuertunt, non diu regnant, sed citò pereunt. Ac obseruandus mihi videtur liberalis huius principis animus, Quicquid dixerit tibi, ait, facito ei, id est, quicquid à te postulauerit, des ipsi. Sciebat autem virum prudentem, pium fidelem, & moderatum, nihil iniqui petiturum. Proinde si cui offeratur optio rerum aliquarum, moderationis & ipse meminerit, neq; quicquam iniqui petierit.

Fides & diligentia ministrorum in exequutione.

Iam videndum est etiam quanta fuerit fides & diligentia principum in exequendo regis sui mandato. Non piget ipsos, tametsi magnifici essent heroes, con-

temptum & vinctum Ieremiã ad se vocare. Quin amiciſsimè ipſum excipiũt, vt audiemus plenius in ca. 40. & dimittunt etiam ſumma cũ gratia & muneribus honoratum. Inſuper commendant ipſum Godoliæ, iubentes vt deducat ipſum domum, id eſt peroptimè de omnibus neceſſarijs ei proſpiciat, ne quid deſit. Proinde tametſi Babylonij, barbari vulgo ſint appellati, in dictis tamen factisq; ipſorum ſumma relucet humanitas. Diſcant ipſorum exemplo principes Chriſtiani, principiò clementes & humani eſſe erga miſeros: deinde fideliter exequi quę cunq; ipſis exequenda ſunt impoſita. Atq; hic damnum maximum accipiunt regna & Reſp. Principes enim committunt res regni grauiſsimas conſiliarijs & officialibus ſuis: verùm hi deſides, molles, & alijs rebus inutilibus, vaniſq;, & aliquando turpibus intenti, nihil exequuntur. Vbi verò nulla eſt exequutio, hic leges licet bonæ ſint, ſunt perinde ac ſi nullæ ſint. Sit ergo prima cura in omnibus regnis & Reſpublicis diligens exequutio.

Liberatur & Aethiops ex præſenti periculo.

2. Sequitur deſcriptio aſſertionis Æthiopis Abdemęlechi. Cõmemorantur hæc non per hiſtoriam, ſed per prophetiam vel vaticinium. Ieremiæ aſſertionem exhibuit nobis hiſtoria: quoniam verò diuina vaticinia, non minus certa ſunt, quàm hiſtoriæ, alteram proponit vaticinio, vt ſi careamus facto, habeamus autem verbum Dei, ſecuro ſimus animo, & acquieſcamus Deo promittenti nobis ſalutem. Alioqui potuiſſet nobis Ieremias non minus proponere ipſam hiſtoriã liberati Æthiopis, quàm vaticinium, niſi voluiſſet inſtruere & cõfirmare fidem noſtram, quam habemus & habere iubemur in verbo & promiſsione Dei. Liberauerat hic Abdemælech Ieremiam prophetam ex carcere & cœnoſo & mortifero, beneficiumq; ingens prophetæ contulit. Quoniã ergò Dominus in Euangelio dixit, Qui recipit prophetam nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, &c. Matth. 10. ideò iubetur prophetia metuentem ſibi Æthiopem conſolari. Vir alioqui fortis fuit Æthiops, quod ipſo forti facinore declarat, ſed nihilo minus tamen ſibi metuit. Cadit ergò timor in fortes & pios viros. Quod cum Stoici negant, quales ſint comprobant, ſtolidi & hypocritæ.

Metus cadit in fortem quoq;.

Oratio Ieremiæ ad Aethiopem.

Oratio Ieremiæ quam habet ad Æthiopem, eſt breuicula, his capitibus comprehenſa. 1. Dominus Deus inducet quæcunq; verbo ſuo mala minatus eſt ſuper vrbem, nec parcet. Id quod ſignificatur per loquutionem, Ad malũ & non ad bonũ. Videmus ergò iterum conſtantiſsimum eſſe verbũ Dei certiſsimumq;. 2. Malum hoc inſpiciet oculis ſuis Æthiops in eo die, quo Dominus irrogabit illud. Coguntur ergò pij non rarò eſſe ſpectatores grauiſsimorum Dei iudiciorum. 3. Porrò eximitur hic cõmuni periculo Æthiops. Ego eruam te, ait Dominus, ne tradaris in poteſtatem eorũ, quos miſerè metuis. Proinde dubium nõ eſt quin eruerit ipſum Babylonijs, vel quòd elapſus ſit fuga, vel quòd cõciliarit ipſi animos Babyloniorum. 4. Significantius hæc quæ dixit explicat & confirmat: Non eſt quod dubites de Dei promiſsione. Certò enim liberaberis. Non interficieris vnà cum multis alijs gladio. Nam vitam tuã ex hac turba funeſtare feres ceu ſpolium quoddam. De qua loquutione dictũ eſt ſuperius. 5. Poſtremò cõmendatur eius fides, & quaſi ratio ſuperiorũ adducitur, Liberabo te, quia ſperaſti in me. Statuitur ergò hic Æthiops nobis exemplum fidei, ſicut multa huius generis exempla ponuntur ab Apoſtolo ad Hebr. 11. Credamus ergò & nos Deo, & vitam noſtram viuam viuis operibus declaremus. Propter hanc fidẽ noſtram viuã liberabimur & nos ex malis. Hactenus verò expoſuimus denunciatoriam & conſolatoriam ad Æthiopem Ieremiæ orationem. Deo noſtro ſit laus.

Fides efficax Aethiopis.

Quomodo vinculis exutus & libertate donatus honoratusq; à Nabuzardan Ieremias, conceſſerit ad Godoliam.

CAP.

CAPVT XL.

CONCIO CXXIX.

VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, quãdo dimittebat eum Nabuzardan præfectus rerum capitalium de Rama, quando tulit eum, cum is esset tum vinctus compedibus inter omnes captiuos Hierusalem & Iuda, qui captiui ducebantur in Babylonem. Accersiuit nempe præfectus capitalium rerum Ieremiam & dixit ad eum, Dominus Deus tuus loquutus est (constanter malum hoc super locum istum: adduxit ergo Dominus & fecit sicut loquutus est: quia peccauistis Domino, & non paruistis voci eius: iccirco euenit vobis calamitas ista. Nunc ergo ecce ego soluo te hodie de vinculis, quæ sunt in manibus tuis. Et si tibi videtur mecum proficisci in Babylonem, veni, & ponam super te oculum meum: Si minus placet mecum proficisci Babylonem, sine. Ecce vniuersa terra coràm te est: quocunq; tibi bonum & commodum videbitur ire, eas. Et adhuc ille non (dixerat) quod reuerteretur (& dixit) reuertere ad Godoliam filium Ahikam filij Saphan, quem præfecit rex Babylonis ciuitatibus Iuda, & mane cum eo in medio populi: aut eas quocunq; tibi ire libuerit. Deditq; ei præfectus rerum capitalium commeatum & munus, & dimisit eum. Cõcessit igitur Ieremias ad Godoliam filium Ahikam in Mizpa, & habitauit cum eo in medio populi, qui aliàs relictus reliquus erat in terra.

Argumentum capitis.

TRACTANTVR hoc capite 40. hæc potissimùm. Principiò repetitur liberatio & dimissio Ieremiæ, facta per principem militiæ Nabuzardan. Deinde orditur scriptor historiam cõtexere nouam, de eo quid factum sit in populo paupere relicto in terra Iudeæ. Præficitur enim huic Godolias vir optimus. Confluunt ad hunc qui in bello dilapsi fuerant per fugam in loca vicina vrbi. Quos omnes collectos sui admonet officij, eosdemq; confirmat. Mox admonetur Godolias de concepto Ismaelis latrocinio: sed non credit monitoribus Godolias: quare nimis incautus fuisse videtur, licet alioqui prudens & fortis esset princeps.

Retexitur historia.

Historia ergò perstricta in cap. 39. de liberato & asserto in summis discrimini bus Ieremia, ab initio huius capitis retexitur & narratur copiosius. Titulus verò prefigitur ab initio, Hęc scilicet esse verba Dei facta ad Ieremiam à Domino. Quæ quidẽ alij Germanice ita verterunt, Das ist der handel dẽ der Herr mit Jeremia gehandlet hat als er/ꝛc. Hi intelligunt per verbum actionem Dei. Ac actionem malunt reddere quàm verbum: quòd nulla sequatur Oratio in hoc capite, sed actio & historica narratio. Alij referunt Verbum ad orationem consequentem in proximo 42. capite. Quid si intelligamus Deum verbo suo reuelasse atq; demandasse Ieremię, vt scribat hanc historiam?

Ieremias inter vinctos, et ipse catenatus ducitur.

Iam attingitur etiam locus in quo ista euenerũt, Rama, vbi consederat cum parte exercitus Nabuzardan, & huc ad se vinctos deduci iubebat, mittendos mox aut transferendos in Babylonem. Huc verò vinctus & catenatus deducitur etiam Ieremias in media vinctorum turba. Vbi nunc clamaret fortassis illusor aliquis, Ducitur & pfaffus captiuus (der pfaff hättscht ouch mit) ô factum bellé. Ac in eo nobis obseruanda videntur hæc, quòd innocens propheta ducitur inter nocentes & rebelles. Ductus est enim & Christus pependitq; crucifixus inter latrones, ne videlicet pœniteret nos sortis nostræ, si quando eadem sit & nobis subeunda miseria: & quòd tandem in captiuitatem ducuntur, qui toties à vate admoniti captiuitatis, credere & pœnitere noluerunt. Eueniunt ergò

impijs tandem quæ non expectarunt, seriò tamen ijs prædicta sunt: eueniunt autem eis acerbiore cum tristitia. Credamus ergò vbiq; verbis & admonitionibus Dei, agamusq; maturè pœnitentiam.

Ieremias segregatur à nocentibus.

Cæterùm non manet perpetuò inter nocentes innocens. Etenim abducuntur isti in miseram & grauissimam captiuitatem, Ieremias verò segregatur à nocentibus, honoribúsque afficitur, & maximi fit etiam à gentilibus & barbaris principibus.

Concio militaris quidem, sed bene theologica.
Matth. 8.
Lucæ. 23.
Marci. 14.

Concionatur verò Nabuzardan coràm Ieremia de iustis Dei iudicijs. Theologica sunt illa, minimè expectata à principe barbaro & milite Babylonico. Vincit longè ipsos sacerdotes populi Dei. Tales commemorantur nobis in Euangelio centuriones, ille inquam cuius fidem Christus prætulit fidei vniuersorum Israelitarum, & alterius qui astans ad crucem clamauit, Verè hic homo iustus fuit, & est filius Dei. Tales exhibent nobis principes & Acta Apostolica cap. 7. 10. 13. 28. &c. Nemo ergo aspernetur homines propter functiones & officia. Est enim in præsenti miles bonus theologus. Nemo rursus suam crudelitatem, auaritiam, & iniquitatem, bellaq; mercenaria & iniusta, huiusmodi exemplis fucare & defendere aut ornare pergat. Oratio Nabuzardan est expositoria, non sine spiritu Dei, qui liberè quos vult inspirat, pronunciata. Fert autem testimonium iustitiæ Dei, qui cũ maturè monuerit populum suum, hic verò mores corruptos emendare noluerit, meritò propter peccata iam punitus sit. Ergò non loquitur contra Deum sacrilego ac blasphemo ore, sicut loquuti leguntur Sennacherib rex Assyriorum Ezechiæ regis temporibus, & Rabsakes princeps militiæ eius, sicut Baltazar rex Babyloniæ apud Danielem in capite 5. Dicit autem Deum annunciasse futura mala, eademq; induxisse tandem, prout annunciarit. Commendat ergò Dei bonitatem & iustitiam atq; veritatem. Manifestè quoq; calamitatem vniuersam tribuit peccatis ipsorum, quorum caput constituit inobedientiam, dicens, Non obediuistis voci eius, iccirco euenit vobis ista calamitas. Rectius hic iudicat, quàm isti soleant hodie, qui calamitates nostri seculi adscribunt constellationi, fortunæ, aut casui, aut ministris ecclesiæ & Euangelicæ prædicationi. Hic iustitiæ Dei, punientis peccata, ascribit. Vtinam omnes agnoscant hodie Deum, & veritatem, iustáque eius contra peccata iudicia atque hic agnouit princeps Babylonius. Proinde habet Deus, vniuersæ terræ Dominus & gubernator in omnibus gentibus præcones suæ potentiæ, gratiæ, veritatis, & iustitiæ.

Soluitur & libertate donatur Ieremias.

Post orationem habitam soluit vinculis, libertateq; donat princeps hic Ieremiam. Repete tu in præsenti quod in cap. 39. annotaui, principem hunc fidem egregiã præstare suo regi, qui mandarat hæc. Interim operatur hæc omnia deus per homines, in consolationem & liberationem fidelis serui eius. Speremus ergo in hunc deum potentissimum, cùm hinc liquidò colligamus illum nos quoque eripere posse ex quibuslibet calamitatibus, ac seruare nos etiam per hostes, barbaros alioqui, quos inquam vulgò barbaros nuncupant, plus autem humanitatis & pietatis bonis viris exhibent, quàm qui sanctissimi & spiritualissimi videri volunt.

Honoribus afficitur Ieremias.

Honorificè enim per omnia agit Nabuzardan cũ Ieremia cùm verbis tum factis, vt meritò dicamus Ieremiam ab hoc principe Babylonio breuissimo hoc tempore amplioribus affectum esse honoribus, quã 20. annis & amplius à regibus Iuda fuerit honoratus. Impletur hic verbum domini, Honorificantes me honoribus cumulabo, & ignominia afficientes me ignominia afficiam. Offert princeps Ieremiæ optionem vel sequendi ipsum in Babylonem, pollicendo ei, si sequatur, omnem fidem, curam, & diligentiam. Hoc enim valet locutio, Ponamq;

ſuper te oculum meum, &c. de qua locutione antea dictum eſt: Vel manendi in terra Iuda. Atque hic etiam liberum ei facit habitare in terra vniuerſa, vbicunq; voluerit. Videtur autem ex geſtu corporis diuinaſſe, quòd manere maluerit, quàm proficiſci, eamq; ob cauſam nõ expectata reſponſione prophetæ, dixiſſe, Reuertere ad Godoliam, &c. Cuius quidem loci varia eſt lectio, ſed ſenſus non implicatus. Hieronymiana lectio ſic habet, Et mecum noli venire, ſed habita apud Godoliam. Alij parentheſi includunt hæc (nondum enim erat reuerſus) & ſubdunt mox, Et reuertere ad Godoliam. Lutherus vertit: Sann wyter hinuß wirt kein widerkeeren ſyn. Alia verſio Germanica habet (vnd er was noch nit widerkeert.) Alij legunt, Ipſe enim nõdum erat reuerſus (ad Godoliam) ideo ait, reuertere ad Godoliam, &c. Alij legunt, Et nondum reſponderat (Ieremias) cùm dixit, reuertere ad Godol. &c. Obſeruemus hic rerũ vices. Hactenus nulla Ieremiæ libertas eſt conceſſa. Cùm inſtituiſſet egredi vrbe in patriam Anathoth, capitur & conijcitur in vincula, nec licebat ei prodire vſquam: nunc verò qui ipſum cœperant, vel conſciſſi iacebant in Riblatha, vel vincti ducebantur in captiuitatem. Meminerint viciſſitudinis huius pij in ſuis afflictionibus, & impij in ſuis proſperitatibus. Porrò habitare in medio populi, eſt inſtar aliorum tutò & ſecurè conuerſari in promiſcua turba, & vulgari more populi viuere. *Rerum viciſſitudo.*

Præterea non ſatis eſt principi beneficium liberationis libertatiſq; contuliſſe in Ieremiam, niſi inſuper omnibus ipſum inſtruat rebus neceſſarijs, etiam in futurum. Cõmeatum ergo ipſi dat & munus, & deinde dimittit ipſum liberum. Singula hæc ingentia ſunt beneficia, quæ tamen ſuperat libertas, qua nihil eſt in orbe præſtantius. Interpretes hic quoq; variant. Alij enim reddunt, Viaticum & munus. Alij Donum & munus. Vulgata verſio habet, Cibaria & munus. Eſt qui vertat, Munera & expenſas. Videtur ipſi princeps diploma dediſſe, quo continebatur donata libertas, & quòd liceret ei migrare quoquò vellet, ac ſi ita liberet, apud Godoliam viueret, qui ipſum regijs aleret ſumptibus. Cui inſuper munus præſentis pecuniæ adiecit, ad reliquas eius neceſſitates comparandas. Ita nunquam non inſtruit ſuos bonus Dominus. Fugiendum erat Domino per aſperum & longinquum iter ex Iudæa in Ægyptum: prius itaque veniunt ex Oriente magi, & Domino aurum ceu victum & viaticum offerunt. Poſt naufragium Apoſtoli, cùm res perijſſent nauigantium omnes, metuendaq; eſſet inedia & miſeria, Domini beneficio factum eſt, vt Publius præſes Maltæ & Meliteníes incolæ rebus neceſſarijs omnibus nauigaturos inſtruerent. Vide quæ ea de re ſcribuntur Actorum 28. Ita tametſi ſine pecunia & commeatu Dominus ad prædicandum Euangelium diſcipulos amandaret, teſtantur tamen ipſi nihil vnquam eis defuiſſe. Credamus ergo Domino Deo noſtro, qui volucres cœli & animantia terræ omnia veſtit & alit. At illa omnia propter hominem ſunt condita: quanto igitur maior cura & ratio hominis habetur à Domino? Petro quoq; admonente nos atque dicente, Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos extollat cùm erit opportunum, omni cura veſtra in ipſum coniecta. Nam illi cura eſt de vobis. 1. Pet. 5. *Munus honorarium datur Ieremiæ.* *Satis inſtruit ſuos Dominus.* *Luc. 22.* *Matth. 6.*

Sciendum tamen duplicis generis eſſe munera, corruptoria videlicet & honoraria. Corruptoria prohibentur, Deuteron. 16. & ſunt ea, quibus animi corrumpuntur, vt iudicum, concionatorum, virginum, & integrorum hominum, cùm videlicet munus quod datur, non alium finem habet, quàm corruptionem. Datur iudici donum, ſed vt pronunciet pro eo, qui munus dat: qui nihil daret, niſi ſciret ſe malam habere cauſam. Datur concionatori vel integræ & liberalis formæ virgini munus, ſed vt concionaturus taceat ea quæ tacerí vult largitionem *Duplicis generis munera.*

offerens, & vt virgo corporis sui copiam faciat & pudorem commutet cum mu nere. Infœlicia imò execranda sunt illa munera. Viderunt hęc, quorũ est elegan tissima illa parœmia, οὔτε πάντα, οὔτε πάντα, οὔτε παρὰ πάντων. Nec omnia, nec pas sim, nec ab omnibus. Diligenter enim inspiciendũ & expendendum est, nõ mo dò quis sis, qui accipis, sed quis ille sit, qui offert munus, quo tempore, & ad quid offerat, aut quomodo offerat. Honoraria munera sunt, quæ honoris ergô ab ho noratis, & ex animo integro, nullo dolo malo dantur, amicitiæ et officij ergò. Et tale munus omnino fuit, quod modò recepit Ieremias, & quale recipere possũt pij omnes.

Ieremias deli-git sibi pauper tatem cum po-pulo Dei in pa-tria.

Tandem verò concedit ad Godoliam Ieremias, & magis eligit pauperem Dei in terra promissa & patria populum, quàm magnificentissimam instructissi mamq; Babyloniorum aulam, opes & splendorem. Videtur in hoc imitatus Mo sen seruum Dei laudatissimum, de quo scribit Apostolus, Per fidem Moses iam grãdis renuit vocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul malis affici cum populo Dei, quàm temporarij peccati commodis frui, maiores arbitratus diui tias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Respectum enim habebat remunerationis. Hebr. 11. Ita & filij Chore cantasse legũtur, Quia melior est dies vna in atrijs tuis, quàm alibi mille. Elegi ad ianuã delidere. (Vulgatus interpres habet, abiectus esse) in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis im piorum. Apparet ergo ex hac electione Ieremiæ illustris eius probitas, & quàm nihili fecerit mundum & ea quæ sunt in mũdo. Si hodie nobis optio offerretur, nescio qualis futura esset nostra electio. Dominus Deus noster dirigat corda no stra in gloriam eius. Amen.

Psal. 74.

Congregantur dispersi Iudæi ad Godoliam in Mizpa, illos sui admonet officij, colliguntq; vberem terræ prouentum.

CONCIO CXXX.

Cùm autem omnes duces exercitus, qui in agro erant, ipsi & viri eorum au diuissent, quòd rex Babylonius præfecisset Godoliam filium Ahikam in terra, quodq; commendasset ei viros, mulieres, paruulos & pauperes terræ, qui Baby lonem non fuerant abducti, venerunt ad Godoliam in Mizpa, Ismael filius Nathaniæ, Iohannan atq; Ionathan filij Careæ, Sarias filius Tanhumeth, at que filij Ephai Netophatitæ, Iezonias filius Maachati, ipsi cum viris suis. Iu rauit autem Godolias filius Ahikam filij Saphan, tam ipsis quàm viris ipso rum, dicens, Ne formidetis seruire Chaldæis, habitate in terra, & seruite regi Babylonio, & bene erit vobis. Ecce enim ego habito in Mizpa, vt stem coràm Chaldæis, qui veniunt ad nos: vos autem colligite vinum, æstiuos fructus, & oleum, & recondite in penuaria vestra, atque habitate in oppidis vestris, quæ occupastis. Sed & omnes Iudæi, qui erant in Moab, in Ammon & in Edom, & qui erant in vniuersis terris, comperto quòd Babylonius rex dedisset & præfe cisset reliquijs Iuda Godoliam filium Ahikam filij Saphan, redierunt omnes Iudæi de cunctis locis ad quæ propulsi fuerant, & venerunt in terram Iu da ad Godoliam in Mizpa. Et collegerunt vinum & æstiuos fructus admo dùm multos.

Argumentum loci præsentis.

SEquitur modò admiranda historia de his, quæ gesta sunt in populo à Baby lonijs relicto in terra Iuda. Præficitur huic Godolias vir præstantissimus & optimus, ad hunc confluunt fugitiui omnes, quos grauiter sui admonet officij, adhortans

adhortans vt pareant seruiantq; regi Babylonio Nabuchodonosori. Ac Deus benedicit miseris, vberem terræ prouentum suppeditans colligendum. In his verò relucet ex altera quidem parte immensa Dei bonitas erga suum populum: ex altera verò parte populi inuicta improbitas. Nihil enim emendati spectaculo funesto belli diuturni & tristis, deletæ insuper vrbis maximæ, pergunt sui esse similes. Reperiuntur enim ingrati esse Deo, rebelles clementi alioqui suo principi, ipsi inter se seditiosi. Principem enim optimum illum Godoliam suum crudeliter trucidant, deinde inter se confligunt. Hinc Ieremiæ ac verbo Dei sese mira opponunt impudentia & audacia, Deum item blasphemant & homines, sed & in Ægyptum tandē contra Dei verbum profugiunt, & semetipsos ac ipsos quoque Ægyptios suos secum perdunt. Hæc est autem imago malitiæ humanæ insuperabilis incorrigibilisq;, quæ non sustinet emendari vllis plagis neque regi verbo Domini. Meritò autem, qui tales sunt, pereunt.

Bonitas Dei et malitia populi

Ab initio Dei bonitas insignis relucet in eo, quòd præses Iudæis relictis datur, non alienigena & idololatra, princeps aliquis Babylonius, sed Godolias, homo Iudæus, & religiosus, & per omnia bonus. Laudandus proinde Nabuchodonosor, quippe qui sua victoria vsus est clementissimè. Alius ne vnum quidē gentis peruicacis & seditiosæ fecisset reliquum, ac si aliquos reliquisset in terra, præfecisset tamen eis Babylonium, intulisset imagines, ac oppressa superstitione Iudaica, iussisset colere Deos Babylonicos. At Nabuch. liberam relictis religionem permittit, cáque sua modestia condemnat omnes principes Christianos, quotquot misero popello obtendunt nugas Romanensis sedis, & Nerone Maxentioq; nihilo clementiores desæuiunt sine modo in innoxios Christi filij Dei confessores. Discerent hi potius moderationem & clementiam ab hoc principe quidem eximio humanissimoq; & moderatissimo, sed viso alioqui plerisq; barbaro. Et quidem ornat mirum in modum magistratum diuina virtus clementia. Interim non obliuiscendum in his Dei, qui primas & maximas in his laudes meretur. Eius enim gratia & bonitate factum est, vt talis fuerit Nabuchodonosor. Commouit huius cor Dominus, & retinuit freno suæ prouidentiæ Babylonios, ne progrederentur vlterius, & sæuirent horribilius. Deo in his & alijs similibus casibus omnibus prima debetur gloria: nec deperit interim & hominibus sua laus, quos dignatur Dominus vsurpare ad res laude dignas. Mizpa locus fuit antiquus & insignis, cuius mentio fit in lib. Iudicum, Aiunt monti Ieharim impositum, vicinum fuisse Silo, & domicilium aliquando Samuelis, sicut videre est 1. Sam. 7. Apparet destructa vrbe regia, propter veterem memoriam loci, repetitum & ei impositum esse præfectum terræ Godoliam.

Godolias populo præficitur.

Mizpa.

Populus verò Iudaicus hoc tempore diuersi fuit generis, atque adeò variè dispersus. Principiò enim erant reliquiæ gentis à Babylonijs non abductæ in Babylonem, sed relictæ ad colendam terram Iuda, subditæ præsidi Godoliæ. Deinde erant alij quidem Iudæi, qui capta vrbe eruperant & euaserant in campum. Hi habebant suos duces vel centuriones, quos Ieremias appellat duces exercitus. Habebant enim adhuc sub suo imperio viros vel milites aliquot. Atq; hi hactenus sub dio in agro vel campo palantes habitauerant, vt solent fugitiui milites. Hi verò vbi audiuissent terrę & reliquijs populi prępositum esse Godoliam, redeunt ad ipsum. His annumerantur terti, qui haud dubiè à belli initio fuga sibi consuluerant, & confederant in vicinis Moabitarum, Ammonitarum ac Idumæorum regionibus, qui & ipsi audientes Godoliam præfectum reliquijs populi, in patriam reuertuntur. Ex tribus his rursus coit, breui licet tempore, nouus quasi populus Iudæorum, qui sub Godolia diebus aliquot pace fruitur & benedictione Domini. Rursus verò & regis & Dei apparet per hæc clementia. Alius

Dispersus populus recolligitur.

hostes suos persequutus fuisset vsque ad gentes exteras, & ab his petijsset sibi tradi suos rebelles, ni & ipsi mallēt infesta experiri arma. Sed capta & deleta vrbe, non contendit odijs vlterius rex cum suis, sed redit in Babylonem. Deus enim populi sui misertus, ista ad hunc modum temperabat. Godoliæ quoq; eximia laus in his continetur. Nisi enim insignis fuisset eius virtus, humanitas, iustitia, pietas, non ita fama eius in vicinis percrebuisset nationibus, neq; dispersi tantoperè festinauissent ad ipsum. In hoc tamen etiam cernere licet mores & ingenia vulgi. Solet enim hoc, tempore aspero sese subducere periculis, & latitare alicubi, donec redeant tempora meliora. Tempore verò felici magna frequentia, perinde vt muscæ ad æstatis initium in vere, aduolant totis examinibus. Vnde vulgò dici solet, felici tempore multos numerari amicos, tempore verò nubilo apparere nullos. Pietas & vera amicitia cōstans est, imò in discriminibus maximè conspicua. Nec tamen omnes accurrentes ad Godoliam, sunt synceri. Qui enim primo loco recensetur Ismael, latro erat, & animo aduolabat subdolo & truculento. Postea enim trucidat Godoliam. Tam scilicet periculosæ, insidiosæ, & infyncerę sunt res mortalium. Habuit enim & collegium sanctissimorum Apostolorum diabolum & furem & latronem, ludam.

Godoliæ laus eximia.

Clemens princeps.

Rex Babylonius Nabuch. non tantùm subdiderat reliquias populi Godoliæ, sed commendarat etiam eidem. Meminerint ergo principes & magistratus se non modò præpositos esse populo, sed hunc iplorum fidei, diligentiæ, & curæ esse commendatum. Vigilent ergo, & curent ea quæ sunt pacis salutisque populi.

Godolias fugitiuos recollectos sui admonet officij.

Iam etiam subiungitur quàm diligens fuerit præses Godolias, & quàm fidelis suo principi. Colligit enim fugitiuos, quorum animi haud dubiè adhuc erant erga Babylonios exacerbati. Hos autem (sicuti & alios sibi subditos) admonet sui officij, hortaturq; vt sese submittant principi Babylonio, & rursus animum applicent ad œconomiam ac pacem, bello vel militiæ renuncient. Quod & fecisse illos apparet. Duæ ergo in his eximiæ virtutes commendantur, & imitandæ proponuntur ab hoc principe, fides inquam egregia suo seruata principi: & studium pacis sanctum, & reparatio œconomię. Quibus accedit alia quoque insignis virtus, Humanitas, amor & studium erga suum populum. Cum enim iure ab ipsis prior iuramentum fidelitatis requisiuisset, ipse anteuertit, & iuramentum ipsis veluti præstat. Iurat nimirum se illorum salutem fideliter procuraturum: & hoc facit, quò tranquillioribus animis se subiiciāt regi Nabuchod. Et quidem ostendit Apostolus iuramenti finem eo spectare, vt animi conquiescant & sint securi, Hebr. 6. Vbi verò iurauisset, subdit orationem breuem, sed euidentem. Scopus eius est, Subdite vos principi Babylonio, seruite illi, ac œconomiā iterum instituite in familijs vestris. Rationes quibus hoc eis persuadeat, petijt ab vtili, Bene erit vobis. Felicitatem enim promittit. Ac reuera sequitur pacis studium & obedientiam felicitas à Deo, infelicitas oritur ex seditionibus & rebellione. Iam etiam suam eis operam promittit, si sint obedientes. Ego collocatus sum, inquit, præses à principe in Mizpa, vbi nunc præsideo. Hinc illos colligere voluit, ipsum & gratia pollere apud principem, ac aliquid etiam posse. Cæterùm quod etiam bene illis velit, manifestè promittit, & ait se staturum coràm Chaldæis ad Iudæam venientibus, nimirum ad colligendum tributum & inspiciendam politiam. Stare verò accipitur non tantùm pro seruire aut gubernare & præsidere, sed pro interpellare. Ego me, ait, interponam pro vobis, ego, si necesse sit, placabo principem, & patrocinabor vobis in omnibus. Proinde nemini vestrum graue sit seruire Babylonio, nemo sibi metuat. Ita sane nobis quoque persuadere debemus, res nostras feliciter habituras, si obtemperemus magi-

Oratio Godoliæ ad fugitiuos recollectos.

Stare.

stratui

ſtratui, & animum remoueamus à ſeditionibus. Si verò dederit Dominus magiſtratus aut principes bonos, qui admoneant nos noſtri officij, & ſeſe nobis exhibeant clementes & benignos, nos autem ſpreuerimus eos, dubium non eſt, quin ſupplicium de nobis breui ſit ſumendum à Deo iuſto, qui gentem bella molientem & volentem ſemper diſſipauit.

Porrò inſtruit eos quid amplius faciant. Vbi, inquit, animum expurgauiſtis à rebellione, & cõſecraſtis pací & obedientiæ, applicare hos quoq; pergatis, obſecro, œconomię & rei familiari. Deligite, inquam, vobis, in vacuis illis vrbibus vel oppidis, ſedes, colligite & condite fructus, ac rem familiarem curate: nimirum vt ſuppetant vobis neceſſaria, ac principi pauperibusq; ſuppeditetis, quæ debetis. Hunc enim finem œconomiæ & Apoſtolus indicauit ad Epheſ. 4. & in 1. ad Theſ. 4. Idem grauiter præcepit patribus & matribus familiâs ne ſint hic de ſides, ſed diligentes & fideles. Legatur doctrina apoſtolica cap. 5. in 1. ad Tim. Audiant hæc etiam patresfamiliâs, audiant in primis principes & magiſtratus, ne ſint negligentes, ſed diligentes in inſtituenda, reparanda, confirmanda, conſeruandaq; œconomia. Certum eſt enim, nihil magni imò ne mediocris quidem aliquid, vel in pace vel in bello expectari poſſe ab hominibus perditis & omnẽ œconomiam negligentibus. Iterum verò hinc intelligere poſſumus militiæ Babylonicæ moderationem & clementiam. Si hodie exercitus agat in regione aliqua per menſes ſex, ita breui hoc tempore vaſtantur & obterũtur omnia, vt vaſtationem illam ſentiant incolæ annis pluribus. At Nabuch. cinxerat obſidione graui & exercitu copioſiſsimo mœnia Hieruſalem menſibus 18. ſed ita moderatè ſe geſſerat, vt recedens, capta vrbe, ab obſidione, lętos miſero populo campos vberrimosq; fructus reliquerit. Iudicabunt ergo hi milites barbari, milites illos noſtros vaſtatores ſæuiſsimos, qui tamen optimi Chriſtiani videri volunt. *Oeconomia præcipitur.*

Additur quòd fugitiui (de quibus ſuperius dixi) ex vicinis locis, in quæ profugerant, ad Ammonitas videlicet, Moabitas, & Idumæos, cum quibus & fœdus contra Dominum inierant, redierint ad Godoliam. Nimirum non placuit his terra Ammonitica, tædebat eos cõfœderatorum ſuppudebatq;: nunc enim deſiderant patriam. Diligamus ergo & nos patriam, & ne præferamus alienas terras noſtræ patriæ, ne experiri aliquando cogamur cum his noſtris Iudæis, patria nihil eſſe ſuauius. Id quod & apud ſcriptores ethnicos eſt celebratum. Apertis verbis quoq; benedictio Dei exprimitur, collegiſſe videlicet fructus admodùm multos. Deus enim qui afflixerat eos bello, iam iterum incipit benefacere. Tametſi enim hoſtes abſtulerant quæ fuerant in promptu, iam tamen fame ſuos emori non ſinit, quin etiam de nouo nunc nouas eis facultates largitur. Proinde licet bello fuerimus afflicti, & exuti exhauſtiq; opibus, viuit tamen Dominus Deus noſter, qui iterum opes nouas & dare & augere, imò & conſeruare poteſt. Ipſi gloria. *Diligenda plus patria quã terra aliena.* *Benedictio Domini.*

Aperiuntur cruentæ inſidiæ per Iſmaelem ſtructæ Godoliæ, hic tamen improuidus indici non credit.

CONCIO CXXXI.

Iohannan autem filius Careæ & cuncti duces exercitnum, qui fuerant in agro, venerunt ad Godoliam in Mizpa, dixeruntq; ad eum, An ignoras quòd Baalis rex Ammonitarum miſit Iſmaelem filium Nathaniæ ad interficiendũ te? At Godolias filius Ahikam eis non credidit. Porrò Iohannan filius Careæ loquutus eſt clanculùm cum Godolia in Mizpa, dicens, Vis eã & percutiam

Ismaelem filium Nathaniæ, nemine hominum sciente? Cur enim ille animam tuam feriret, & dissiparentur omnes Iudæi, & qui collecti sunt ad te, & perirēt reliquiæ Iudæ? Et ait Godolias filius Ahikam ad Iohannan filium Careæ, Ne feceris hanc rem: nam tu mendacium loqueris de Ismaele.

AVdiuimus quæ beneficia Deus populo suo contulerit, porrò audiemus quàm ingrati fuerint Deo & hominibus, & quomodo omnem illam suam excusserint felicitatem, & calamitatibus se immerserint maximis. Initium mali procedit ab externo & idololatrico rege Ammonitarum. In huius aula vixerat aliquandiu Ismael. Neque dubium est quin vetus odium excitarit Baalim regem contra populum Dei. Semper enim implacabili odio Israelitas persequuti sunt gentes vicinæ & cognatę, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi. Instigauit autem Ismaelem ad cruentum illud facinus, quod molitur contra Godoliam. Ac solent non rarò ex aulis principum deriuari grandia in Respublicas liberas mala. Et principes qui aliquam gentem oppressam voluerunt, plerunque in ipsa ac inter metipsos dissidia excitarunt, vt partibus mutua dissensione debilitatis, ipsi se ingererent medios, ac vtranque opprimerent partem, & vtrisque dominarentur. Hæc ergo admonitionis gratia referuntur à spiritu sancto. Nos certè vidimus superioribus annis dissensionem Germaniæ hostibus valida subministrasse arma nocendi vastandiq; Germaniam.

Initium mali à rege extero.

Ismael patitur se incitari in Godoliam.

Ismael infelix, immemor sui generis & gentis, præbet se organum electum principi extero & idololatræ contra virum sanctissimum & populum Dei alioqui afflictissimum: neq; expendebat apud se, si cæteris fuisset Godolias, quanta rursus perturbatio miserum esset vexatura populum. Inuidebat fortassis præfecturam Godoliæ, homini alioqui nulla nobilitate claro, sed ex vulgo & fecibus populi exaltato: dolebat se præteriri, qui tamen erat ex prosapia regia, cui iure dominatus & gubernatio fuisset concredita. Hac ipsa de caussa, sæpe ordo equestris Romæ cum ijs qui è plebe præfecti erant muneribus publicis, concurrit odijs & aliquando armis: & hodie optandum foret, ne paria cernere passim cogeremur. Expenderent autem isti qui ita rixantur, quo tandem recideret res, vt neque hi neq; illi gubernent, sed tertio alicui gubernationem & potestatem omnem relinquant, ipsi interea opprimantur & inglorie pereant.

Fidus monitor laudandus.

Commendandum verò illud in hac turba vel tragœdia venit, quòd fidus inuenitur monitor, qui in tempore Godoliæ aperiat insidias, imò quòd plures inueniuntur monitores. Docet hic locus vtilem vel salutarem & omnino necessariam esse admonitionem. Cogitet hic quisq; quid se deceat, & quos monere iubeatur, magistratum vtiq; suum, amicos, vicinos, denicq; proximos suos, & quidem in rebus spiritualibus & corporalibus. Maturè verò facias quod es facturus, neq; segnior fias, si reperias malè gratos, quos rerum vtilium admones & necessariarum. Rara sanè nunc est fidelis admonitio: quia rara est fides.

Non facilè credendum est.

Non credit admonitioni fideli Godolias. Omnes enim ex seipso æstimat, persuadens sibi vtique, neminem tam impium & crudelem, in tantis populi calamitibus, atq; adeò in ipsis patriæ cineribus adhuc calentibus futurum, qui moliatur & ausit tam cruentum facinus. Ac optimi quiq; non facilè suspicantur, nec pessima quæque credunt. Nec vitio dari debet cuiquam, si non facilè credat. Dicit Sapiens, Qui citò credit, leuis est corde, Eccli. 19. Prudentia enim semper est adhibenda, & in primis à sancto magistratu, ad quem multæ deferuntur querelæ. Hic si credulus sit, & nimium quidem credulus, oborientur mira & plurima damna & incōmoda: neq; scio an locum apud tales habere possit iustitia & pax. Discemus hinc quoq; multò minus credere calumnijs & delationibus, vel publicis

publicis vel priuatis. Augustus Octauius Imperator dicebat se non habere aures quæ paterent delatoribus, &c.

Iohannan vir in hac caussa minimè malus & segnis, Godoliæ ampliorem suam offert operam, priuatimq; vel clanculò, multa de hac re cum ipso confert, nimirum multam hic adhibendam esse vigiliam, non tam propter ipsum Godoliam, quàm propter ipsum populum, qui omnino sit in pace conseruandus, ne iterum bellis & seditionibus conturbetur atque dissipetur. Ergò zelo quodam offert Godoliæ suam operam, petens vt bona cum Godoliæ gratia liceat ipsi intercipere & trucidare sica Ismaelem. Arbitratur enim satius esse vnum intercipere nebulonem latronem, quàm in discrimen conijcere tot homines innoxios. Et quidem inueniuntur in huiusmodi grauibus discriminibus non pauci Iohannæ Careæ, qui & ipsi vel vitæ suæ dispendio optarent se posse tyrannos extinguere.

Iohannan vult occidere Ismaelem.

Verùm noluit hoc officium recipere Godolias, qui nõ tantùm renuit quod obtulit, sed insuper prohibet ne illum conficiat. Qua in re nihil peccasse videtur, sed egisse rem laude dignam. Neque enim conuenit aut decet latronem latrocinio intercipere, & clanculùm sine iudicio, adeoq; priuata vi intercipere. Carceres sunt magistratui, cuius est & gladius. Iure ergo non iniuria, palàm nõ clanculò, ordine non vi agit contra noxios vel maleficos. Et hactenus quidem nihil peccauit magnoperè Godolias. Cæterùm in hoc videtur peccasse grauissimè, quòd nihil omnino credit, & quòd indicem seueriter redarguit mendacij. Nam vt vitio datur, si leuiter & qualibet de causa credas; ita non modò vituperandum est, sed & execrandum etiam, si nolis vllo modo & firmissimis etiam rationibus subnixam admonitionem recipere. Seneca dixit, Omnia qui credit, & qui nihil credit, ex æquo peccant. Nimium hic certè durus & improuidus fuit Godolias, nobis hac in re nullo modo imitandus. Difficultas credendi & improuida securitas sæpe perdit exercitus, vrbes, & regna. Si ergo admoneris seriò, expende omnes circunstantias, maturè & prouidè indaga & scrutare res, sis diligens & prudens: ora denique Dominum, vt ipse gressus tuos dirigat. Domino Deo nostro sit laus & gloria semper. Amen.

Non omnia officia promiscuè recipienda.

Nihil omnino credere perniciosum est.

Godolias trucidatur in conuiuio ab Ismaele, hic etiam septuaginta alios viros conficit, mox reliquias è Mizpa ad Ammonitas abducturus festinat.

CAPVT XLI.

CONCIO CXXXII.

ET factum est mense septimo, vt veniret Ismael filius Nathaniæ filij Elisamæ de semine regio cum optimatibus regis & decem viris, quos penes se habebat, ad Godoliam filium Ahikam in Mizpa, vbi & panem simul comederunt, in Mizpa. Ac insurrexit Ismael filius Nathaniæ, & decem viri qui cum ipso erant, & percusserunt gladio Godoliam filium Ahikam, & interfecerunt eum, quem rex Babyloniæ terræ præfecerat: sed & cunctos Iudæos, qui fuerunt cum eo, cum Godolia inquam, in Mizpa, & Chaldæos, qui ibi inueniebantur, & viros bellatores percussit Ismael. Factum est autẽ die altero à cæde Godoliæ, quæ adhuc latebat, vt venirent viri quidam de Sichem, de Silo, & de Samaria, octoginta videlicet viri, attonsi barbis, scissiq; vestibus & lacerati, ferentes cibarium sacrificiũ & thus in manu sua, vt inferrent in domũ Domini.

Egreſſus itaq; eis obuiam Iſmael filius Nathaniæ de Mizpa, incedebat eundo & plorando. Cumq; obuiam illis veniſſet, dixit, Ingredimini ad Godoliam filiũ Ahikam. Cumq; veniſſent in medium oppidi, trucidauit eos Iſmael filius Nathaniæ in medio laci, ipſe & qui cum eo erãt viri. Inter hos autem inuenti ſunt decem viri, qui dicebant ad Iſmaelem, Ne interficias nos, habemus enim theſauros in agro abſcõditos, triticum, hordeum, oleum & mel. Ceſſauit ergo, nec interfecit eos in medio fratrum ipſorum. Lacus autem in quem proiecit Iſmael omnia cadauera virorum, quos trucidauit propter Godoliam, is eſt, quem fecit rex Aſa metu Baaſæ regis Iſrael, eum impleuit Iſmael filius Nathaniæ interfectis. Et omnes reliquias populi qui erãt in Mizpa captiuas abduxit Iſmael, filias regis & omnem reliquum populum in Mizpa, quibus Nabuzardan præfectus rerum capitalium Godoliam filium Ahikam præfecerat, eos captiuos abduxit Iſmael filius Nathaniæ, & abijt, vt ad Ammonitas tranſiret.

Argumentum capitis.

EXPONIT nobis hoc caput principiò quidem quomodo Iſmael virum optimum trucidauerit in conuiuio vnà cum ſuis familiaribus, quomodo item alios viros ſacrificatũ venientes interceperit, ac 70. quidem occiderit, decem verò propter theſaurum quendam pepercerit, deniq; quomodo abductis reliquijs ex Mizpa, filiabus regis inquã, à Nabuzardan relictis, ad Ammonitas tranſire cogitauerit. Deinde adꝫcitur Iohannan filium Careæ collecta manu populi, latronem & prædonem inſectatum & aſſecutũ, exuiſſe omni præda, & ita reliquias liberatas reduxiſſe, interim ſe collocaſſe in locum opportunum, vtpote qui in animo habebat propediem deſcendere in Ægyptum.

Mens hominis mox obliuiſcitur calamitatũ

Ponitur ab initio aduentus Iſmaelis in Mizpa, quando venerit, quis fuerit, & cum quibus venerit. Venit menſe ſeptimo. Menſis ſeptimus September eſt, tertius à combuſto templo. Exuſtum enim commemoratur menſe quinto vel Maio. Tam videlicet homini crudeli Iſmaeli citò exciderat ex animo miſerabilis calamitas vrbis & gentis totius. Nihil ea re mouetur, ſed totus eſt in mactando & augendis calamitatibus. Vnde intelligimus homine ambitioſo & auaro nihil eſſe truculentius: & quòd verberibus non caſtigantur, qui non poſſunt emendari verbis. Erat Iſmael regio prognatus ſemine, nimirum ex proſapia Iudæ & Dauidis. At nihil ipſi prodeſt generis nobilitas, cùm factis declaret ſe eſſe degenerem Chananæum, Ammonitam, & maculam ineluibilem familiæ. Nam erat hic Iſmael nebulo turpiſsimus, nefarijs flagitijs penitus adopertus, impius, ambitioſus, auarus, ſubdolus, audax, crudelis, truculentus, & per omnia immanis beſtia. Improbiorem verò reddiderat & aſſuetudo & inſtigatio Baalis Ammonitici regis impij. Atque vtinam hodie quoque liberis vrbibus ex aulis principum impiorum non adferrentur huiuſmodi fercula. Videtur autem rex Baalis Iſmaeli coniunxiſſe aliquot optimates ſuos (alij ponunt de principibus Zedechiæ, neſcio quàm probè) viros prudentes & fortes. Habebat ipſe Iſmael decem viros, veluti ſtipatores ſui corporis. Nam cum pompa quadam regia incedit. Quemadmodum & hodie admiranda cum ſuperbia incedunt, redeuntes ex domibus opulentorum. Nihil hic moderati, omnia horum ſunt luxurioſa.

Iſmael inſignis nebulo.

Godoliæ hoſpitalitas.

Excipitur hic Iſmael vnà cũ ſuis comitibus à Godolia peramicè, adhibeturq; mox conuiuio. Nec mirum, cùm & Dei filius proditorem ſuum ſuo quoque conuiuio adhibuerit. In Godolia tamen plerique requirunt prudentiam: maximè cùm audiuiſſet antea inſidias ſibi ſtructas eſſe ab Iſmaele. Commendatur interim in ipſo, quòd exteros & ſuæ gentis homines honore afficit beneficijsq;. Debemus enim humani eſſe hoſpitalesq; erga peregrinos & indigenas. Iubemur inquam

inquam esse, si possumus, hospitales. Laudantur ex hac virtute beati patres, in primis Abraham & Loth. Hebr. 13. Caue verò ne dum excipis hospites conuiuio, ipsos honoraturus, tu vino ingurgites, & sic summa afficias ignominia, dum videlicet ebrij facti neque stare neque incedere possunt, omnibúsque ridendi exponuntur.

Ismael insignis nebulo, ingratissimus imò impius est in benefactorem. Nam violat præterea ius hospitij & mensæ: quod apud veteres crimen videbatur ineluibile. Obtruncat enim Godoliam & omnes pariter eius familiares. Quæ sanè inaudita est audacia, & impietas multis nominibus accusanda. Et quod sequitur, Quē præfecerat Babyloniæ rex, alij veluti causam necis suppingunt, legentes, Quòd præfecisset illum terræ rex Babylonis. Dolebat enim regio fato genere, quòd homo ignobilis gubernaret reliquias. Putabat enim iure hæreditario dominium pertinere ad ipsum. Sed fallebatur modis omnibus. Nam Deus abstulerat à Zedechia, & tradiderat regnum Nabuchodonosori, qui ipsum Godoliam præfecerat reliquijs. Et quod sequitur, Et viros bellatores, alij exponunt de præsidiarijs, qui habitarint in Mizpa Cæterùm inuenimus in alijs quoque historijs viros præstantes in conuiuijs esse confossos & sublatos. Certè Absalon curat iugulari fratrem suum Amnonem inter pocula. Ela rex Israelis in conuiuio perit confossus à Simri. Iosephus in Antiquitatibus arbitratur Godoliam in hoc conuiuio bene potum fuisse: sed hoc non dicit nec apertè exprimit scriptura. Quòd si non simus ebrij in conuiuijs, minus tamen plerique alacres sumus, quòd cibus & potus nos aggrauent. Ergo conuiuia non rarò sunt delecta huiusmodi patrandis facinoribus, quòd præterea in conuiuijs minus simus prouidi, & ex insperata irruptione hostili, amplius hic quā alibi turbemur. Vnde & Vlysses delegit procos illos vxoris suæ aggredi in conuiuio. At plus est periculi, si accedat ebrietas.

Ismael trucidat Godoliam.

In conuiuijs cæsi.

Hoc cruore innoxio fuso adeò nō est exatiatus Ismael, vt facinus moliatur iā longè atrocius, & nefario sceleri nefandum adijciat ac coaceruet flagitium. Iam enim 70. viros innoxios, & qui ne verbulo vllo Ismaelem offenderant, religionisq; exercendæ gratia aduenerāt, intercipit latro crudelissimus. Diligēter enim exponit Ieremias, qui nam illi fuerint, viri inquam religiosi ex Sichem, Silo & Samaria. Exponit denique qualis fuerit ipsorum habitus. Attonsi erant barbis, inquit, vestibus scissis & lacerati. Videntur enim vnguibus faciem arauisse aut conscidisse: qui habitus est lugentium. Erant enim in luctu veluti publico, plangentes calamitatem illam publicam, vrbem videlicet captam & exustam, populum Dei abductum & captiuum, & sub iugum principis ethnici submissum. Digni ergo fuerant meliori fortuna, utpote viri boni & patriæ amantes. Accedit his quòd religionis ergò aduenerant, sacrificaturi videlicet in domo Domini. Aiunt enim interpretes Godoliam in Mizpa collocasse aram & tabernaculum, ne populus omni religione careret. Fortassis voluerunt offerre eo in loco, vbi steterat domus Domini. Alij aliud suspicantur. Vtcunque verò ea res habeat, venerant certè viri religionis exercendæ gratia.

Insignis crudelitas.

Porrò ad exquisitissimam crudelitatem Ismaelis notandam illud pertinet, quod refertur ipsis processisse obuiam, ac cum flentibus plorauisse, dissimulasse item Godoliæ cædem, ac simulasse se ducem fore ad Godoliam. In ea verò dissimulatione trucidat nihil tale opinantes. Videris tibi, sat scio, alterum hic cernere Catilinam, hominem temerarium, audacem, simulatorem & dissimulatorem. Locus quoque in quo hæc facta sunt notatur, in media vrbe ad lacum medium. Luth. lacum interpretatur fontem Alij fossam vertunt: quæ versio sequentibus magis congruit. Vide autem quò erumpat tandem, & quid non audeat hominis

Crocodili lachrymæ.

animus affectibus prauis non imbutus modò, sed superatus.

Auaritia superat crudelitatem.

Parcitur tamen à crudeli bestia decem illis, indicãtibus auaro homini nescio quem thesaurum in agro. Frangit ac superat hic auaritia crudelitatem. Incertum verò an hæc viri illi, quò se præsenti eximerent periculo mortis, finxerint, an verè dixerint. Et auaritia quidem hic rectè agit, quæ nuspiam alioqui rectè facit. Nam spe thesauri potiundi donat ipsis vitam.

Fossa Asæ sepulchrum est posterorum.

Obiter ostenditur qualis hæc fossa fuerit, in qua cadauera cæsorum sepelit, ea quam rex Asa tum parauerat, cùm sibi miserè metueret à Baasa rege Israelis, eamque ob causam fœdus iniret cum Benhadad rege Syriæ: cuius rei mentio fit 2. Regum 15. & 2. Paralip. 16. Neque caret mysterio, quòd nunc ea repetitur historia. Displicuit enim Domino, quòd Asa confugisset ad auxilium exteri principis, cui se insuper copulauerat fœdere. Dicit enim propheta, Stultè egisti in hoc, quoniam porrò bella contra te consurgent. Videtur ergo tunc Asa posteris suis & populo suo sepulchrum veluti effodisse, in quo operirentur aut sepelirentur. Sed & Ismael qui eos in fossam hanc coniecit, pendebat & venerat à rege extero. Nunquam ergo filijs Dei bene cedit, si nimis familiares sint impij, shis confidant, & fœderibus coniungantur. Nam fœdera illa efficiuntur ipsorum sepulchra. Dixit autem in manu Godoliæ, pro eo quod est, vel vnà cum Godolia, vel causa Godoliæ, aut propter Godoliam.

Præterea ne quid omitteret crudelitatis Ismael, desæuit nunc etiam in miseras reliquias populi relictas in oppido Mizpa à Babylonijs. Commemorantur regis, vtique Zedechiæ, filiæ. Ergo quibus pepercerat ira Babylonij, ijs iam non parcit indignatio iniqua Ismaelis. Copulatos enim omnes veluti in nouam captiuitatem abstrahit, profecturus ad Ammonitas. Sæpe hoc ipsum videas in militia Christianorum, vt his non parcatur ab his, quibus parsum fuerat vel à Turcis vel à profligatissimis nebulonibus. Quis verò iam non fateatur meritò Deum desæuire in gentem Iudaicam, quam cernimus tantis oppressam esse facinoribus? Dominus Deus noster liberet nos ab omni malo.

Liberantur operæ Iohannan captiui ab Ismaele, & reducuntur omnes incolumes.

CONCIO CXXXIII.

Iohannan autem filius Careæ & omnes duces exercituum qui erant cum eo, cum audissent omne malum quod fecerat Ismael filius Nathaniæ, acceperunt omnes viros & profecti sunt ad confligendum cum Ismaele filio Nathaniæ, et assequuti sunt eum ad aquas multas quæ sunt in Gibeon. Factum est autem, cum vniuersus populus qui erat cum Ismaele viderent Iohannan filiũ Careæ, & omnes duces exercitus qui erant cum eo, gauisi sunt. Conuertit ergò se omnis populus quem captiuum abduxerat Ismael ex Mizpa, reuersiq; venerũt ad Iohannan filium Careæ. Ismael autem filius Nathaniæ euasit cum octo viris è conspectu Iohannan, & profectus est ad Ammonitas. Porrò Iohannan filius Careæ & omnes duces exercitus, qui cum eo erant, acceperunt omnem reliquum populum, quem reduxerãt ab Ismaele filio Nathaniæ de Mizpa, postquam trucidarat Godoliam filiũ Ahikam, viros bellatores, vxores, liberos, & eunuchos, quos reduxerant à Gibeon, & abierunt & consederunt in Geruth Chimham, qui est iuxta Bethlæhem, vt profecti venirent in Ægyptum, metu Chaldæorum, à quibus sibi metuebant, quòd Ismael filius Nathaniæ percussisset Godoliam filium Ahikam, quem terræ præfecerat rex Babylonis.

Sequitur

SEquitur pars altera huius capitis, exponens nobis liberationem captiui ab Ismaele abducti populi. Liberat hunc Iohannan filius Careæ collectis ad se alijs ducibus exercituum aut manipulorum vel cohortium. Vbi primò venit considerandaDei benigna & accurata pro homine cura. Sinit quidem iactari suos varijs periculorum difficultatumq; procellis, sed idem nuspiam suos negligit aut deserit. In libro Iudicum plurima afflictionum populi exempla depinguntur, verùm excitat semper bonus & vigilans pro populo suo Dominus seruatores, qui eruant ex manibus hostium afflictos. Sic fit etiam in præsentia, Docent illa nos in quibuslibet periculis confugere ad Dominum Deum nostrum, huius opem & liberationem implorare. Potest ille solus commoda auxilij, & liberationis nostræ media & organa dare. Nulla sanè commemoratur inuocatio miseri & captiui populi facta ad Dominum: at apparet nihilominus multos ex eis supplicasse Domino. Quòd si omnino hic fuerunt desides, magis commendanda est diuina gratia, quæ nihilominus ex immensa bonitate liberatores miseris excitauit. Certè vniuerso mortalium generi, cum nondum essent collocata mundi fundamenta, destinauit liberatorem filium, vt laudaretur immensa eius misericordia, neque in suo gloriaretur homo, cum suum nihil nisi peccatum dici possit. *Cura Dei erga homines.*

Laudandus est interim Iohannes Careæ cum suis, qui caput suum obiecit periculis, vt liberentur fratres & sorores, ne vel impij latronis manibus pereant cruentis, vel indignè aliàs tractentur, aut ne inducerentur in terram idololatrarum Ammonitarum. Eximia hæc fuit virtus, cui curæ fuit pudor, integritas, incolumitas & religio afflictorum vel periclitantium. Vtinam hodie quoque tanta haberetur cura salutis proximorum nostrorum. Sed pauci sunt qui his rebus seriò afficiantur. Atque vtinam non sint plures Ismaelitæ, quàm Ioannitæ, qui malint affligere miseros quàm ex miseria eruere. Simile exemplum liberationis fratrum afflictorum habemus in patre nostro Abraham Gen. 14. sed & in Gedeone in libro Iudicum, in Iosaphat quoque rege 2. Paralipomenon. 20. Non improbantur itaque huiusmodi bella quæ ex necessitate, pro liberatione fratrum, suscipiuntur: contraria modis omnibus improbanda sunt. At ea hodie nimis vulgaria sunt. *Laudanda virtus liberantiũ.*

Assequũtur liberatores latronẽ ad aquas multas in Gibeon, cuius loci mentio fit in 2. Sam. 2. cap. Fortè fuerunt ibi viuaria vel piscinæ. Et eodem loco Israelitæ olim conflixerunt inter sese, dum Abner & Ioab, paria aliquot fortium inter se committunt, & patrio vel fraterno sanguine eum locum imbuunt. Populus verò captiuus videns appropinquare redemptores, exultat mirum in modum. Graue enim illis & tantum non ingratissimum erat abduci à latrone, & ad Ammonitas populi Dei manifestos hostes adduci. Deducit ergo Dominus ad inferos, & reducit, & qui contristauit nos ad tempus, iterum exhilarat, si non in præsenti seculo, certò tamen in futuro. De qua re differitur à Domino Ioan. 16. Ergo sua sponte conuertuntur captiui ad aduentantes liberatores, fugientes iam ab Ismaele. *Consolatur Dominus.*

Apparet autem pugnatum esse inter partes. Decem enim audiuimus stipatores habuisse Ismaelem. Addiderat ei Baalis optimates suos, qui haud dubiè non erant sine comitatu aliquo & seruis. Iam verò dicitur octauus effugisse & euasisse. Proinde videtur desideratis reliquis suis, cum 7. duntaxat viris elapsus aufugisse in terram Ammoniticam. Nec exprimitur à propheta, septémne illi fuerint ex stipatoribus Ismaelis, an ex optimatibus regis. Hoc certum est, Ismaelem coniectum esse in ignominiam ineluibilem, deniq; damnum accepisse maximum. Nam redit ad regem Ammonitarum, summo cum dedecore, nec ve- *Pugna.* *Ignominia turpissima inuritur Ismaeli.*

risimile est quòd vnquam vllo amplius in honore fuerit. Certè inter infestissimos hostes Iudaici populi habitare coactus fuit. Quid igitur amplius in vniuersa vita eius ipsi iucundum fuisse videri poterit? Præterea exutus est in præsenti omni præda & spoliis omnibus nudus & turpis redit ad complices sui mali. Satius ei fuisset occumbere in acie Dum Iudas furijs conscientię excitatus & flagellatus, ad sceleris socios in templum accurreret, & quereretur se innoxium prodidisse sanguinem, audit, Tu videris. Nihil enim consolationis accipit, sed in sua ipsius propria desperatione perit, ac ad laqueũ accurrit. Rectè ergo Apostolus dixit, ex peccato nihil nobis remanere, nisi pudorem & confusionem. Quem inquit, fructum habebatis tunc in his, in quibus nunc erubescitis? Accedit huic malo & illud, quòd amittimus etiam bona illa, propter quæ consequenda & Deum deseruimus, & sceleribus nos consecrauimus vel dedidimus. Vę inquit, propheta, qui prędaris, nam vicissim alijs prædæ eris. Timeamus ergo Dominum, & ne putemus nos felices futuros ex sceleribus, ex rapina, furto, ex militia mercenaria, ex vsura & impostura. Viuit Deus, & veniet tempus, quando amittes rursus cum summa ignominia & mœrore maximo omnia.

Ioannes graviter peccat.

Subiungitur post hæc institutum Iohannis Careæ modis omnibus improbandum. Nam liberatos non reducit ad Mizpa, sed ad Geruth Chimham, deducturus eos in Ægyptum. Grande hoc peccatum erat. Nam pugnat cum verbo Dei, prohibentis suo populo ne vnquam descendant in Ægyptum. Cum enim vidissent cadauera Ægyptiorum in littore maris, Hodie vltimùm, dicitur populo, vidistis Ægyptios. Prohibetur item regi, ne populum ducat in Ægyptum. Insania planè videtur fuisse, quod moliuntur. Omnia enim quæ hactenus cum Aegyptijs instituerunt, infelicia planè fuerunt, neq; vllum sortita sunt euentum felicem, & tamen nunc ad fatales huiusmodi homines toti commigrare volunt. Peccabatur item in eo non vulgariter, quòd ex altera quidem parte nimiùm metuebant Babylonios, ex altera verò parte nimiùm confidebant Aegyptijs: interea Deum nec verè metuebant, sicut mandat Isaias cap. 8. nec toto corde fidebant Domino Deo, sed magis arundini confractæ Aegypto, contra mandatum Domini, Ierem. 17. Ac apparet nunc in Iohãne, quod in multis alijs videre licet, qui & ipsi virtuosi sunt aliquando, & fortiter se gerunt, sed non in dissimili casu mox & vituperari merentur, & res indignas se admittunt. Iohannan enim eripuerat populum, ne abduceretur in Ammoniticam terram, nunc verò idem eundem populum meditatur in Aegyptum trahere. Ita nihil fidendum est hominibus, vtpote qui eadem in re grauiter delinquere possunt, in qua paulò ante non sine laude sunt versati. Niti ergo carni, extrema est stultitia.

Subinde verò repetitur in hoc capite cædes Godoliæ, vt hinc colligamus, vehementer displicere Deo, si homines constituti in eminentia, trucidentur, ac populus ipsorum fidei commendatus dispergatur. Domino Deo nostro sit laus & gloria.

Consulunt Ieremiam Iudæi quid agant, aut quo proficiscantur, ac obedientiam pollicentur exactissimam.

CAPVT XLII.

CONCIO CXXXIIII.

Accesse-

ACcesserunt autem omnes principes exercituum, Iohannan filius Careæ, Iezanias filius Hosiæ, & vniuersus populus, à mimimo ad maximum, et dixerunt ad Ieremiam prophetam, Sine quæso te exorari, vt ores pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro cunctis istis reliquijs, quæ exiguæ admodũ ex multis supersunt, quemadmodum oculi tui nos vident, vt Dominus Deus tuus viam nobis ostendat, qua proficiscamur, & quid nobis sit faciendum. Et respõdit Ieremias propheta, Exaudiui: ecce ego orabo ad Dominum Deum nostrum, quemadmodum estis loquuti: & quicquid responderit vobis Dominus indicabo vobis, nec verbum vos cælabo. Et dicebant ad Ieremiam, Sit Dominus inter nos veritatis & fidei testis, si non iuxta omnia verba ob quæ Dominus Deus tuus te ad nos miserit, fecerimus. Siue bonum fuerit, siue malum, nos voci Domini Dei nostri, ad quẽ te mittimus, obtemperabimus, vt nobis bene sit, dum paruerimus voci Domini Dei nostri.

CONSEQVENTER exponitur magna cum diligentia quomodo reliquiæ populi liberati in Ægyptum descenderint, idque contra verbum Dei, nimio metu Chaldęorum instigati. Et in præsenti capite duo nobis proponuntur, Supplicatio populi, petentis sententiam Ieremiæ, & suffragium apud Dominum, & consilium, quid faciant: ac responsio prophetæ vel oratio, qua explicat Dei consilium, & corripit hypocrisim ipsorum vanissimam. *Paratur descẽsus in Aegyptum.*

Accedunt autem ad Ieremiam omnes cùm principes, tum populares, nemine excepto: atq; hi iam committuntur cum Ieremia. Vbi videre licet, quàm non valeat argumentum quod ducitur à multitudine. Dicunt enim Papistæ, Nostra religio, vera est religio, habet enim consensum vniuersi populi: vestra religio à pauculis admodùm hominibus obscuris defenditur, ergò falsa est. Certè solus Ieremias in præsenti vnico Dei verbo instructus, opponit se concordi totius populi primorumq; consilio. Ne ergo pigeat te asserere quod scripturis est traditum, etiam cõtra contradictionem mundi totius, nedum contra Concilia Pastistica. Ieremias hic solus, alibi Micheas & Helias soli certant cum vniuerso doctorum collegio: & melior est illorum quàm huius causa. *Multitudo per se nihil probat*

Duo autem abs Ieremia postulant, vt pro eis intercedat apud Dominum, & vt consilium petat quid faciant aut quo pergant. Vtrunque bonum est per se, vicioſum redditur vtrunq; prauis eorum affectibus qui hæc petunt. Quia enim hypocritæ erant & non syncero animo petebant cõsilium à Deo, sed magis Deo præscribebant, quid respondere deberet: lubere inquam ipsos migrare in Aegyptum, eam ob rem malum est vtrunq;, nec prodest eis quicquam. Ioannes dicit in epistola sua, Si quid petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Iacobus quoque Petitis, inquit, & non accipitis, eò quod malè petatis, vt in voluptatibus vestris insumatis. Proinde nihil profuit his rebellibus Ieremiæ intercessio. Qua de re dictum est & septimo & vndecimo cap. huius operis. Clamant in templis suis ad diuos pontificij, Ora pro nobis sancte Petre, ora pro nobis sancte Martine: sed vt in suis voluptatibus & superstitionibus securè volutentur. Frustraneæ sunt tales preces, vt iam non dicam esse superstitiosas. Quorsum verò attinet sanum ac salubre consilium audire, & audito obsequi nolle? At tales erant Iudæi in præsenti. Tales sunt hodie innumeri, qui sibi petunt ex verbo Dei regulam ad quam viuant tradi, traditam verò repellunt atq; conculcant. *Bonum per se malum fit petentium vicio.*

Mirum est autem, cùm propriam agnoscant miseriam, confitentes ex multis admodùm pauculos esse relictos, non festinasse ad Deum diligentius, & se ac res suas Deo credidisse simplicius & fidelius. Cur magis sibi & suis fidunt rationibus? Sed ea est omnium hominum incogitantia, corruptio, & miseria non vul *Misera hominis corruptio.*

garis, Et cùm prius confederant in Geruth Chimham, declararunt quò instituerint proficisci, nimirum in Aegyptum. Cur ergo hic dicunt, Vt dominus deus tuus viam nobis ostendat, qua proficiscamur, nisi quia postularunt nihil aliud sibi reuelari aut responderi, quàm quod prius animo conceperant?

Benigni sint ministri et proceres populi.

Ac facilem se præbet Ieremias ipsorum postulatis. Neque verò consilium ipsorum exactè nouit, suspicari aliquid potuit: & tamen benè eis pollicetur. Sic inquam decet esse benignos ecclesiarum ministros, & populo præfectos. Sæpe aliàs refellerant prophetam: non tamen nunc ait, Abite in rem malam. Suspicor aliquid, non recipiam postulata vestra, indigni estis, quorum gratia accedã Dominum, contra quem tanta recalcitratis pertinacia. Discant ergo benignè agere cum populo præsides, donec ipsa res iubeat esse duriores. Preces ergo pro eis domino offerendas promittit, & consilium à deo postulaturum pollicetur. Obseruandum verò illud in primis esse videtur, quòd nihil ex seipso quod confinxerat, respondet, sed ex dei oraculo se responsurum spondet, & quòd de eo ne verbum quidem se subtracturum asserit. Sic enim iubentur Ieremiæ exemplo omnes ministri verbi, nihil ex proprio instituere arbitrio in ecclesia, sed omnia petere, respondere, facereq; ex verbo dei. Polycarpus martyr solebat in ore habere, nihil se tradere ecclesijs, quæ non accepisset ab Apostolis, quòd ea sola sint vera. Legere hoc licet in Irenæo lib. 3. & in Eccles. Hist. Euseb. lib. 4. cap. 14. Vtinam ita animati sint omnes Episcopi & ecclesiæ Christi præsules.

Fideles sint ministri.

Ad iurandum propensi.

Postremò sua sponte, nihil tale requirente propheta, iurant Iudæi facturos se, quæcunq; ex oraculis responderit eis propheta. Inuocant autem Deum in testem, vt cùm is sit deus verax & fidelis, se quoque veraciter & fidelite robseruaturos, facturosq; quæcunq; mandauerit Dominus. Sic audiuimus superius Zedechiam quoq; regem ipsorum propensum fuisse ad iurandũ, sed in præstando vanissimum. Promiserant & patres ipsorum sub Mose pari modo strictissimam obedientiã, vt videre est Exodi 19. 20. 24. Sed nihil præstabant omnino. Pollicemur nos quoque hodie Deo in periculis plurima. Quid verò præstamus? Nihil prorsus. Confitentur interea ex obseruatione mandatorum Dei veram esse felicitatem. Obtemperabimus, inquiũt, voci Domini Dei nostri, nimirum vt bene sit nobis. Illi enim felices sunt, qui audiunt vocem Domini. Proinde sua culpa infelices fuerunt, quòd hæc agnouerunt, & tamen vocem Domini sui audire noluerunt. Caueamus fratres ne nos etiam agnoscamus benedictionem à Domino dari obedientibus, nos autem malimus reperiri inter rebelles. Nam nostra tum quoq; culpa maledictioni erimus obnoxij. Dominus Deus noster liberet nos à malo. Amen.

Commemoratur responsio Dei per Ieremiam, iubentis manere reliquias in Iudaa, & non migrare in Aegyptum.

CONCIO CXXXV.

Cõegit autem exactis decem diebus, vt fieret sermo Domini ad Ieremiam. Vocauit ergo Iohannam filium Careæ, & omnes duces exercituum, qui erant cum eo,, atque vniuersum populum, à minimo ad maximum vsque, & dixit ad eos, Sic dicit Dominus Deus Israelis, ad quem vos me misistis, vt prosternerem precationem vestram in conspectu eius, Si manebitis & habitabitis in terra ista, ædificabo vos & non diruam, plantabo vos, & non euellam: quia pœnitet me mali istius, quod vobis intuli. Ne formidetis regem Babyloniæ, à quo (alioqui) vos timetis: ne metuatis (inquam) eum, dicit Dominus: quoniam ego vobiscum sum

scum sum ad seruandum & liberandum vos de manu eius. Dabo enim vobis miserationes, vt ille vestri misereatur, & permittat vos habitare in terra ista vestra. Quòd si dixeritis vos, Non permanebimus in terra ista, & non obtemperaueritis voci Domini Dei vestri, sed dixeritis, Non, sed proficiscemur in terram Aegypti, vbi nec bellum videamus, nec tubæ vocem audiamus, nec cibi penuria laboremus, & ibi habitabimus: Iccirco audite verbum Domini reliquiæ Iudæ: Sic dixit Dominus exercituum Deus Israelis, Si omnino induxeritis in animum proficisci in Aegyptum, atque isthuc perueneritis, vt ibi habitetis, futurum est, vt gladius quem vos metuitis, in terra Aegypti vos assequatur, & fames quam metuitis, vobis isthic in Aegypto adhæresçat, atque isthic moriamini. Fiet enim, vt omnes homines, qui contumaciter in Aegyptum proficisci statuerint, vt ibi habitent, gladio, fame, & peste moriantur. Nec erit quisquam ex eis reliquus, nec euadet quisquã è malo, quod ego inducturus sum super eos.

REsponsio Ieremiæ non protinus data est à Domino, sed intercessit spacium decem dierum. Exactis enim diebus decem, respondet Dominus ad quæstionem propositam, quid agat populus, aut quonam se recipiat. Cernimus itaque Deum non omni parte & tanta festinantia nostris postulatis votisçᵭ respondere, quando optaremus alioqui. Ea enim importunitate plerique præditi sumus, vt putemus Deum ad primum quenque impetum nostrorum affectuum, nobis morem gerere, & exoptata largiri debere. Expectandus est ille potius, & assiduis orandus precibus, ne nos repellat, sed cùm ipsi visum fuerit, id nobis concedat, quod ipse nouit conducere nostræ saluti & gloriæ eius. Ad assiduitatem precum vehementer hortatur Dominus fideles suos in Lucæ capite decimo octauo. *Deus non respondet protinus ad nostra postulata.*

Vocat autem duces populi vnà cum vniuerso populo Iuda Ieremias, vt his exponat fideliter quæ acceperat à Domino. Nam propheta fidelis & pius non sua somnia aut commenta, sed purum impermixtumçᵭ Dei verbum populo annunciare iubetur. Oratio verò Ieremię præsens expositoria est. Nam exponit religioſe responsionem acceptam à Domino, interim verò suadet ne ingrediantur Aegyptum, sed maneant in terra Iuda: quo nomine oratio est deliberatiui generis. Nã proponit vtilitatem maximam obedientibus, inobedientibus verò ex opposito plurima exponit incõmoda: & sub finem orationis grauiter ipsorum increpat hypocrisim. Scopus ergo totius orationis vel concionis est, Manete in terra Iuda, & ne descenderitis in Ægyptum. Equidem non admodùm refert quo loco habitemus. Vbique enim Dominus præsens est; vbique benedicit hominibus, nec conducit locus ad felicitatem vel augendam vel imminuendam. Aliud ergo est, quod hic in hac causa spectatur, nimirum consortium prauum, & religionis veræ corruptela. Ægyptij enim fuerũt homines molles, luxurioſi, & corruptissimi. Ægyptus fuit officina quædam & idololatriæ & omnis impietatis. Proinde periculum erat, ne populus alioqui prauus, magis in Aegypto depraueretur, & à vera religione abstraheretur, totus autem superstitioni & idololatriæ consecraretur. Hoc videlicet ne fieret, modis omnibus obstat Dominus, ne ingrediantur Aegyptum. Generalem ergo inde doctrinam accipiunt omnes, cauendum ipsis quoque, ne in vicinorum confœderatorum (fuerant enim Iudæi Ægyptijs confœderati) aut vllorum hominum gratiam, suam veram deponant religionem, superstitionem verò recipiant, atçᵭ per consortium pessimorum hominum deprauentur. *Propheta denunciat verbum Dei.* *Scopus orationis prophetæ.* *Cur iussi sunt in Aegyptum non descendere.*

Iam verò commemorat bona consecutura, si non ingrediantur Ægyptũ, id *Bona obsequentibus proposita.*

est, si vocl Domini Dei sui obtemperent, & religionem suam integram retineãt. Vos, inquit, misistis me ad Dominum, rogatum, & quid conueniat, quid instituatis, aut quónam inclinetis: redeo itaque, & refero vobis acceptum à Domino responsum vel consilium. Quasi dicat, Æquissimum est vt & diligenter auscultetis, & opere compleatis diuina iussa. Est autem hæc responsionis & iussi diuini summa, Manete in hac terra, & ne ingredi pergatis Aegyptum. Commoda vel vtilitatem consecuturam exponit, & ait, Si manseritis ac habitaueritis in terra Iuda, ædificabo vos, &c. Notissima est illa allusio, saltem ex ijs quæ superius sæpe dicta sunt. Libenter enim vtitur scriptura parabolis ab architectura & agricultura desumptis. Sensus est, seruabo, augebo, & felicitabo vos. Ratio huius promissionis est bona Dei voluntas, Quia, inquit, pœnituit me mali, &c. id est, quia instituí iam vobis benefacere, nec affligere iterum. De pœnitentia Dei alibi in hoc opere dictum est. Simul autem præoccupat quod obijcere poterant, frustrà sperabimus ab irato beneficia. Dicit enim, Deus iram posuit, & conuersus est ad vos misericordia. Proinde simus & nos spe bona erga Dominum, qui etsi nos puniuerit, & nobis iratus fuerit, non solet tamen semper succensere & persequi nos, sed redit iterum in gratiam, vt iam benefaciat & in benefaciendo pergat.

Sperandum in Deum licet punierit.

Babylonium eis nihil nociturum.

Cùm verò periculum ingens restaret, ne Babylonius cohortibus aliquot missis mortem præfecti sui Godoliæ & Chaldæorum suorum apud istum occisorum vlciscereturr, & reliquias, quòd non diligentius inuigilarint saluti Godoliæ, perderet, aut in Babylonem raperet, validè ipsos consolatur, & dicit ne formident Babyloniũ. Scio, inquit, quàm miserè vobis timeatis à Babylonio: sed iubet Dominus vos animo esse tranquillo. Rationes graues addit, Ego vobiscum sum, vt vos seruem, &c. Consolatione plenissima est vox Dei, Ego vobiscum, ego tecum sum. De hac antea dictum est. Si enim Deus nobiscum, quem metuamus? sicuti & Dauid in Psalmis sæpe, & Paulus ad Rom. 8. dixit. Proinde Deo protegente nos, non est quod metuamus nobis à Sathana, ne dum à mortali homine. Addit rationem aliam, quòd Deus velit immutare regis animũ, & flectere ad gratiam vel misericordiam populo Iuda præstandam. Sunt enim corda regum, imò omnium hominũ, in manu Dei: quocunq; voluerit inflectit ipsa. Sic flexit animum Artaxerxis erga Nehemiam ad gratiam singularem. Hoc ipsum hodie quoq; facit Dominus, cui si fidamus, & eius auxilium inuocemus, parabit is nobis homines, cum quibus negotia sunt, ne infeliciter cum ipsis transigamus. Vides præterea, vnde sit quòd sæpe imbelles & contemptę Respub. contra omniũ spem incolumes manserint, & non potuerint à potentissimis subuerti regibus. Dominus enim fuit cum eis. Dominus regum corda immutauit.

Dominus mutat & regit corda hominũ.

Ex opposito commemorat iam, imò minatur incommoda & damna secutura, nisi pareant mandato Domini. Interim adumbrat vehementem illorum rebellionẽ per imitationẽ, referens ipsorũ verba, Non, sed proficiscemur, &c. Exponit simul causas ipsorum, quibus impelli poterant, imò impellebantur ad descendendum in Aegyptum, nimirum pacis & tranquillitatis, & vitæ lætioris habitioris q; desiderium. Aegyptus enim infamis semper fuit ob luxum & studium voluptatis. Cæterùm Iudæi metuebant bellum & famem, imò iam pertæsi erant calamitatum. Putabant autem rediturum Babylonium, & perditurũ ipsos. Non enim credebant promissioni Ieremiæ. In Aegypto autem omnia felicia sibi imaginabantur. Tales verò solent esse imaginationes carnis nostræ contra præcepta Dei. Si, inquit mercator, obsequaris verbo Dei, perpetuò mẽdicandum erit: si mundo & artibus mũdanis te credideris, diues, felix & beatus eris. Ac audias sæpe, dum causa religionis & confessionis tractatur, clamitare multos: Abundè satis afflí-

Caro non audit Dei consilia. & miserè sibi metuit.

ſatis afflicti ſumus propter religionem iſtam: ego verò nunc pacem habere volo, qualibuſcunq; tandem conditionibus ea nobis obtigerit. At Ieremias oſtendit iſtos votis ſuis adeò nõ potituros, vt potius in contraria ſint incurſuri. Id, inquit, vniuerſum quod metuitis, & veſtra rebellione effugere vultis, incurretis. Quod quidem & vehementiſsimis & ſignificantiſsimis verbis exponit, & quaſi oculis ipſorum obiicit contemplandum. Gladius, inquit, cõſequetur vos in Ægyptum. Audiemus enim Nabuch. duxiſſe exercitum in Ægyptũ, & exceptos vnà cum excipientibus deleuiſſe, ipſa quoq; Ægypto capta & ſubiugata. Fames item non modò apprehendet vos, ſed ita tenaciter adhæreſcet, vt auellere aut excutere non liceat. Breuiter, Conſument vos plagæ Dei in Ægypto. Quibus addit aliud adhuc grauius, Nec erit vllus veſtrum ſuperſtes. Nam poſtea audiemus, pauculos admodùm fuiſſe reuerſos Nullus denicq; veſtrum ex his malis ſeſe explicabit, hærebitis in miſeria & exitio. Generalis hinc ducenda eſt doctrina ac perpetua. Semper enim euenit impijs quod metuũt. Si ergo ſtudio pacis & voluptatum cœperimus colludere cũ ſuperſtitioſis & prauis hominibus, tandem etiam deficere à verbo Domini ad placita hominum, apprehendent nos quoq; citra omnem dubitationem paria mala, ac excindemur tandem à Domino. A quo malo liberet nos Dominus.

Obteſtatur adhuc Iudæos ne in Aegyptum deſcendant. Exponitur etiam quanta cum contumelia abiecta ſit ab illis doctrina ſalutaris.

CONCIO CXXXVI.

Quia ſic dicit Dominus exercituum Deus Iſraelis, Quemadmodum conflata eſt ira mea & furor meus contra habitatores Hieruſalem: ſic conflabitur furor meus contra vos, ſi in Ægyptum profecti fueritis. Eritis enim execrationi, ſtupori, contumeliæ, & opprobrio, nec locum hunc vltra videbitis. Edicit vobis Dominus, ô reliquiæ Iuda, ne eatis in Ægyptum: ac ſciendo ſciatis, quòd ego conteſtatus ſum vos hodie. Et quidem veſtras ipſorum animas ſeducitis. Etenim miſiſtis me ad Dominum Deum veſtrum, dicendo, Ora pro nobis Dominum Deum noſtrum: & quicquid reſponderit Dominus Deus noſter, refer ad nos, & faciemus. Annunciaui ergo vobis hodie, ſed non paruiſtis voci Domini Dei noſtri, nec omnibus ob quæ miſit me Dominus ad vos. Nunc ergo certiſsimè ſcitote, quòd gladio, fame & peſte moriemini in eo loco, ad quem proficiſci vultis vt ibi habitetis.

CAPVT XLIII.

FActum eſt autem cum Ieremias finem feciſſet loquendi ad omnem populum, cuncta verba Domini Dei ſui, ob quæ miſerat eum Dominus Deus ipſorum ad eos, cuncta inquam verba iſta, vt Azarias filius Hoſiæ & Iohannã filius Careæ & omnes arrogantes dicerent ad Ieremiam, Tu mendacium loqueris: neq; enim miſit te Dominus Deus noſter ad nos, mandando, Ne proficiſcamini in Ægyptũ, vt ibi habitetis, ſed Baruch filius Neriæ incitat te contra nos, vt tradat nos in poteſtatem Chaldæorum, vt nos occidant & captiuos in Babylonem ducant. Et non obtemperauerunt Iohannan filius Careæ, & omnes principes exercituum, & cunctus populus voci Domini, vt habitarẽt in

terra Iuda, ſed abduxit Iohannan filius Careæ, & omnes principes exercituũ, cunctas reliquias Iuda, quæ reuerſæ fuerant ex omnibus gentibus, ad quas propulſæ fuerant, vt habitarent in terra Iuda, viros ſcilicet, mulieres, pueros, & filias regis, & omnẽ animã quã reliquerat Nabuzardan præfectus rerũ capitalium apud Godoliam filium Ahikam filij Saphan, & Ieremiam prophetam atque Baruch filium Neriæ, & profecti ſunt in terram Ægypti, quia non parueruntvoci Domini: & venerunt in Taphnes.

Exemplo confirmat minas.

MINAS graues propoſuit populo Iudæorum in proxima huius Orationis parte: cæterùm ne has ceu inanes ac inefficaces aſpernarentur, efficaciſsimas fore probat per exemplum. Exemplum autem quod adducit, recens eſt, magnum, domeſticum, ac terrificum, patriæ videlicet conflagratio. Ornat autem ſermonem ſuum allegoria admodùm graui, petita à metallarijs vel conflatoribus. Vt enim metallum igni admotum, protinus non liqueſcit, liquefactum autem ſiue conflatum (zerſchmultzen) vehementer commouetur, bullit, ardet, furitq́, & quàm latiſsimè ſpargi poteſt: ita etiam ira Dei ſenſim incandeſcit, non protinus exardeſcit: vbi autem incanduit, vehementiſsimè furit, & omnia circumquaq́ perdit. Apparuit hoc in excidio Hieroſolymorum. Dicit ergo Dominus, Quemadmodum effuſa eſt demum indignatio mea in vrbem Hieroſolymorum, quæ omnia longè lateq́ & ad fundamenta vſque euulſit atq́ vaſtauit: ita futurum eſt, vt ſi ingreſsi fueritis Ægyptum, excindendi ſitis furore meo in vniuerſum. Imò iam etiam veluti per partes recenſet, quid ſint paſſuri, & quantis adobruendi malis. Eritis execrationi, &c. Loquutio eſt prophetis admodùm familiaris: quam in ſuperioribus enarrauimus. Addit, Nec locum hunc vltra videbitis. Paucíſsimi enim & quaſi nulli redierunt in patriam. Et quando terra ſancta typum prætulit æternæ patriæ, certum eſt defectores à religione vera ad Ægyptiacam, excludendos fore ex regno cœlorum. Poſt hæc magno cum ſpiritu, & euidenti vehementia, ſubiungit, Edicit vobis Dominus, id ſeriò prohibet vobis Dominus, ne Ægyptum ingrediamini. Videri poterat eſſe Epiphonema. Ad quod & hoc pertinere videtur, quod adhuc grauius ipſos obteſtatur, & ait, Memineritis huius meæ grauiſsimæ obteſtationis, qua hodie vos obteſtor, ne ingrediamini Ægyptum. Voluit autem grauiſsima hac ſententia ipſos quodammodo adigere ad ſequendam Domini viam, in ipſorum ſalutem. Ac videas huiuſmodi graues obteſtationes fieri ſæpe in ſcripturis, ad illos etiam, qui non parent, ſaltem ne vlla pateat eis fuga aut excuſatio. Talibus annunciatur ſermo Dei in iudicium.

Defectores nũquam videbũt patriam.

Taxatur hypocriſis.

Nunc verò ſub finem orationis huius taxat, grauiterq́ obiurgat populi fœdam hypocriſim. Voſmetipſos, inquit, decepiſtis, non Deum, nõ me, &c. Quando enim hoc induxiſtis ſemel in animum, Ægyptum ingredi, quorſum pertinebat obſecro me oratorem mittere ad Dominũ, & ab illo cõſilium petere, quid agatis? Quorſum obſecro attinebat, tanta obteſtatione iuramentoq́ interpoſito ſtipulari obedientiam, cum fixum animo ſtaret ingredi Ægyptum? An adeò eſtis ſtolidi, vt exiſtimetis Deũ iſta ignorare, & non omnia quæ in cordibus contecta latentiaq́ retinetis, & clancularijs conſilijs inuicem cõmunicatis, perſpicere? An verò putatis Deo poſſe imponi ab hominibus? Erratis fratres, erratis. Quin potius voſmetipſos decepiſtis, & ſeduxiſtis. Rectè enim pronunciat alibi ſcriptura, iniquitatem mentiri ſibijpſi. Obſeruent hæc omnes, quotquot hodie quoq́ exiſtimant ſtultiſsimè, hypocriſi artificioſa tegi poſſe iniquitatem conceptam contra verbum Dei. Quidam egregiè factum arbitrantur, ſi ſimulationibus & diſsimulationibus impoſuerint verbi miniſtris, ac ſub prætextu religionis, res

nis, res consequantur carnales. Verùm hi quoque semetipsos deceperunt. Iustus est enim Deus, qui vnicuiq; rependit secundum opera sua. Vnde in præsenti quoq; subdit, Nunc ergo certissimè scitote, quòd gladio, fame, &c. Sic pronunciat Apostolus quoq; Rom. 2. iram & indignationem Dei grauissimam incumbere aut imminere omnibus peccatoribus. Ergo inobedientia & abnegatione veritatis non abscitur crux, sed inducitur & conduplicatur.

Incredibilis populi rebellio.

Consequenter & per initium cap. 43. exponit propheta Ieremias, quomodo eruperit hypocrisis in apertam rebellionem, contumeliam, & blasphemiam. Audita enim responsione Dei & consilio saluberrimo, omnes contumacissimè & cum conuicijs etiam exquisitissimis reiciunt propheram cum sua prophetia. Diligenter autem inculcatur, verbum quod proposuit Ieremias, Dei esse verbum. Res enim iudicatur vel æstimatur, non ex iudicio æstimatione ue hominum, sed ex ipsa veritate. Homines quidem dicunt se non contemnere verbum Dei, sed duntaxat sermones prophetarum, vel vt nostro seculo aiũt, pfafforum. Quia verò ministri non suum, sed Dei verbum annunciant, ideò contemptum ministrorum & concionum ipsarum, suum & sui verbi contemptum esse iudicat. Sic enim dixit Mosi, Non te repudiarunt, sed me, Exodi 16. & in Euangelio dicit, Qui vos spernit, me spernit.

Superbia rebellionis causa.

Notat autem caussam rebellionis huius propheta vnico verbo, cum duces vocat superbos, arrogantes, vel confidentes. Ex superbia enim arrogantiaq; oritur inobedientia & rebellio. Cum enim ipsi videmur sapere, facilè omnia fastidimus, quæ aliunde nobis offeruntur. Habet enim superbia ac arrogantia contemptum sibi coniunctum. Et quod principes Iudæorum fecisse leguntur, id ipsum faciunt hodie plures. Nam cupiunt & ipsi audire verbum Domini, quod & se facto completuros promittunt. Postulant celebrari Concilium, in quo veritas per diligentem verbi Dei scrutationem inquiratur. Cæterùm cum ex verbo Dei veritas exponitur, nec illud dicitur, quod isti prius conceperunt suis animis, quid audis aliud, quàm, Mendacia, corruptelas, schismata & hæreses proponunt nebulones isti? Vide autem vt superbia inobedientiam pariat ac rebellionem, deinde ex ea enascatur contumelia, conuicium & blasphemia, & alia scelera plurima. Sæpe repetitur, istos non paruisse mandato Domini. Et quidem hoc non habent pro mandato Domini, sed & hoc ipsum non sine blasphemia conuiciantur esse mendacium. Tu, inquiunt ad Ieremiam, loqueris mendacium. Dominus non misit te, neq; cõmisit vt nobis annuncies, ne in Ægyptum descendamus.

Mandatum Domini dicitur instigatio hominis.

Præterea graui cum culpa verbum Domini faciunt verbũ hominis Baruch, dicentes, Instigat te Baruch, & ex ipso habes, non ex Domino, quod vetas ingredi Ægyptum. Videtur autem Baruch Ieremia paulò fuisse durior: aut certè Iudæos duriora & acerbiora de Baruch, quàm de Ieremia expectasse. Hodie audias his per omnia æqualia. Concionatores isti mendacia proponunt populo: & hic quidem instinctu Zuinglij, alius ex Lutheri spiritu & scriptis docet. Hominum ergo placita non Dei verba annunciant. Adijciunt istis non minus atrocia, appellando fidelem Dei seruum Baruch, populi Dei proditorem & latronem. Dicunt enim, Baruch incitat te contra nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum, &c. Ac vulgatissimum est hodie quoq; eos latrones appellari, qui pro vita & incolumitate populi dies excubant noctesq;, neq; quicquam precioſius habent quàm populi salutem. Crescit autem impia & Deo rebellis audacia in ducibus populi. Audent enim vi adhibita per summam contumeliam totum populum Domini abripere secum in Ægyptum: & quibus pepercerat barbarus Nabuzardan, his iam nihil parcunt principes populi Dei. Diligenter enim cõme-

morat Ieremias omnes reliquias esse abductas. Abstrahunt etiam secũ Ieremiam & Baruch prophetas Domini: vt si cogerentur mala experiri prædicta, prophetæ quoq; malo communicarent: si verò felicia euenirent in Ægypto, haberent isti quod exprobrarent prophetis: haberentq; prophetæ, quod vreret. Summa ergo ingratitudo exhibetur bene meritis. Id quod memori mente nobis retinendum est, ne vnquam animis frangamur, tametsi cõtumelijs & calamitatibus adobruamur propter verbum & ministerium grauissimis. Venerunt autẽ ingressi Ægyptum in celebrem vrbem Taphnim, quam putant ab Herodoto nuncupatam Daphnim Pelusiæ. Deo omnipotenti sit laus & gloria.

Denunciat Iudæis & Aegyptijs quod delendi sint per Nabuchodonosorem.

CONCIO CXXXVII.

Factus est autem sermo Domini ad Ieremiam in Taphnes, dicendo, Accipe manu tua lapides grandes, & defodito eos in lutum, in officina lateritia, quæ est ad portam domus Pharaonis in Taphnes, idq; aspicientibus viris Iuda. Et dic ad eos. Sic dicit Dominus exercituum, Deus Israelis, En mittam & accipiam Nabuchodonosorem regem Babylonium seruum meum, & ponam solium eius super lapides quos defodi, & expandet preciosum tentorium suum super eos. Veniens autem percutiet terram Ægypti, quos ad mortem, ad mortẽ: & quos ad captiuitatem, ad captiuitatem: & quos ad gladium, ad gladium: Et accendam ignem in domibus deorum Ægypti, & comburet eas, atq; captiuos abducet eos. Et induet terram Ægypti, quemadmodum pastor induit pallium suũ: & exibit isthinc in pace. Confringet quoq; statuas Bethsæmes, quæ sunt in terra Ægypti, & delubra deorum Ægyptiorum comburet igni.

AVdiuimus rebelles Iudæos contra Dei imperium proteruè & impudenter descendisse in Ægyptum, porrò nunc audiemus quid factum sit in Ægypto: quæ quidem omnia non describuntur, sed quædam duntaxat facientia ad nostram eruditionem eximiam, in primis quæ facta sint inter Ieremiam missum à Deo, & populum voluptuantem iam in Ægypto: & qualis fuerit doctrina Ieremiæ in Ægypto, adhuc sui similis, pia, libera, apertaq;. Non enim mutatur Deus aut verbum Dei cum mobili vulgo, & cum locis quibuslibet atque temporibus. Peccant ergo qui hoc volunt accommodare personis, locis & temporibus corruptis. Æquum enim est, vt homo peccator & miser cedat Deo & verbo eius: iniquissimum autem foret, si homo cuperet Deum se attemperare hominis corruptelis.

Eadem doctrina in Aegypto quæ fuit in terra Iuda.

Orationes in Ægypto duas habuit Ieremias. Prior, & quidem præsens, est denunciatoria miserimæ sortis, & quid rebelles in Ægypto sint passuri, quidue præmij accepturi Ægyptij, quòd hospitio excepere profugos. Habet autẽ oratio hæc, quò euidentior esset, adiunctum paradigma. De eo autem genere dicendi, non est quod repetam plura, cùm superius abundè explicauerim, quò te remitto. Duo autem insignia hic nobis veniunt consideranda. Principio insignis Dei gratia & misericordia, mittentis ductorem populo rebelli ac defectori. Quanquam enim tota hæc doctrina Ieremiæ constet minis, dubium tamen non est, salutarem fuisse fidelibus, qui peccata sua agnoscentes, & veniam delicti postulauerunt, ac patienter sese subdiderunt cruci, quam eis imponendam prædixit Ieremias. Ac hodie etiam salutares sunt conciones, annunciantes à Deo afflictionem

Oratio Ieremiæ habita in Aegypto.

Insignis Dei gratia.

ctionem transgressoribus immittendam. Si enim afflicti agnoscant se merito suo prauo pati quæ patiuntur, & patientes sint, nec desperent de misericordia Domini, salutaris vtique ipsis est, non modò doctrina, sed & ipsa crux vel afflictio. Deinde apparet in præsenti quàm sit molesta, & periculis difficultatibusq; plena functio prophetica. Videntur enim benignè & cum officio excepti Iudæi ab Ægyptijs, quibus sanè gratias agere, nō minas & interitum interminari debuerat (secundum iudicium humanum) Ieremias: nunc autem malè grata & intempestiua videtur vti oratione. Cæterùm quia ex mandato Dei ita loquitur aut concionatur, & tempestiua, & bona, & necessaria erat eius oratio. Carni autem hoc nunquam persuadebis. Proinde si velis esse fidelis Dei propheta, caue ne carnem audias, sed Deum ipsum, huiusq; verba, qualia qualia mundo esse videantur, proponas. Et quidem bonum est recipere exules, sed non nebulones, perfidos, latrones, & profugos. Proinde pereunt hic vnà & excepti Iudæi & exceptores Ægyptij: qui forte magis odio Babyloniorum, quàm hospitalitate benigna, exceperunt Babyloniorum profugos.

Difficillima functio prophetica.

Recipere exules.

Paradigma describit diligenter. Iubet Deus prophetam accipere grandes lapides, & hos defodere aut collocare in lutum, & quidem aspectantibus Iudæis, & ante fores palatij regij, eo ipso loco, vbi erat officina tegularia seu lateritia, (quam Germanicè appellamus, Ziegelhütten) parata ad reparanda ædificia palatij regij. Ægyptus enim ædificabat lapide coctili vel lateribus. Vt ergo in promptu essent coctiles lapides, officina lateritia erat in propinquo ac iuxta palatium. Porrò paradigmati adiungit orationem, quæ illud explicet. Interim diligenter inculcatur hoc, quod ostentatur & dicitur ex ipsius Domini Dei manare imperio, atque adeò ipsum verbum suum & totum negotium, esse Dei verbum & negotium. Iam verò quid paradigma figuret ostendit, Veniet ex Oriente in Ægyptum Babylonius rex Nabuchodonosor, & ante regium palatium in officina lateritia, super lapidibus illis in lutum collocatis expandet suum prætorium, hoc est precioſum & elegans tētorium. Quod perinde est, ac si dixisset, Collocabit castra sua ante Taphnim, belloq; Ægyptum petet atque vexabit, imò & subiugabit, sicut mox clarius subiunget. Et hic nuncupat Nabuchodonosorem Deus seruum suum, non aliam ob causſam, nisi quòd Deus eius opera vtebatur ad domandum rebelles, ad perdendum impios, & ad reducendum in viam, per disciplinam, populum suum. Ita Senacherib quoque apud Ieremiam vocatur seruus Dei. Vtitur enim Deus opera regum perinde vt magistratus opera militum ad plectendos iniquos. Maximus verò & potentissimus est Dominus, qui tantorum imperatorum & regum opera vtitur in puniendis impijs.

Descendet rex Babylonius in Aegyptum.

Nabuch. seruus Dei.

Clarius modò dicit, cur appellauerit Nabuchodonosorem seruum suum, & quid facturus sit Ægyptijs. Veniens, inquit, percutiet terram Ægypti, quos ad mortem, &c. id est, alios quidem trucidabit gladio, ac occidet: alios captos abducet, alios verò multis mulctabit vulneribus. Quanquam primum membrum videri poterat dictum de morte, quæ ex fame & peste existit. Comitantur enim hæ plagæ plerunque bellum. De his Dei plagis, & genere locutionis dictum est in hoc opere, etiam in cap. 15.

Fata Aegypti.

Sequitur illis longè grauius malum, Et incendam, inquit, ignem in domibus deorum, &c. Intolerandum enim videtur idololatris, si audiant dijs & simulachris suis aliquid irrogandum ignominię. At nihilominus Deus per Ieremiam dicit, se combusturum templa Ægyptiaca, & deos ipsos intellige aureos & argenteos, abducturum captiuos in Babylonem, id est curaturum, vt Babylonius abducat. Dij sanè capi nec possunt nec exuri, imagines verò deorum & capi, &

Templa cum dijs cōburenda

abduci, exuriq; possunt. Accipiunt autem signa rerum signatarum nomina. Et quamuis agnoscant idololatræ, nihil posse mali infligi dijs, & hoc non sentire deos, quod idola experiuntur, nihilominus tamen indignissimè ferunt, si quis dicat comburi aut capi deos ipsorum. Qua in re erroris reuincuntur grauissimi. Si enim simulachris nihil aliud tribuunt, quàm ligno & lapidi, cur dolent quando id cum idolis ipsorum fit, quod cum lapide & ligno fit, aut alioqui fieri solet? Sed dolent: plus ergo imaginibus tribuunt, quàm tribuere videri velint. Dominus itaque voluit & præcepit ne ipsum vlla exprimeremus imagine, certè ne dici possit Deum vel exuri, vel captiuum duci. Ergo qui Deum rebus visibilibus figurant, efficiunt vt ab infidelibus, simulachra nostra deprædantibus, dici possit, ipsos deprædari Deum & diuos nostros.

Nullo negotio superat Deus insuperabiles hominũ vires.

Quoniam verò Ægyptij & Iudæi existimabant, imò & iactabãt Ægyptum esse insuperabilem, vtpote munitam fossis, instructam equitatu & thesauris belli neruis, adijcit propheta Nabuchodonosorem nullo negotio superaturum Ægyptios, & vniuersum regnum deprædaturum. Parabola hoc suffigurat, Sicut enim pastor, inquit, mutaturus locum, pallium accipit, & humeris imponit atq; discedit, nulla inquam graui laborans molestia: sic Nabuch. ipsa Ægypto ceu pallio se amiciet, id est omnem Ægypti prædam conuasabit, atq; incolumis redibit in patriam Babylonem. Si verò redit incolumis, ergo virtus Ægyptia patriam defendendo nihil valuit. Colligitur hinc dogma vniuersale, irato Domino nullas munitiones, opes, militumq; virtutes tantillum efficere: ergo Dei timore & obseruantia melius tueri homines patriam suam, quàm militari apparatu. Quanquam hic etiam, si moderatus sit, & cum timore Dei coniunctus, minimè sit aspernandus.

Interit falsa religio.

Postremò repetit iterum & plana deorum, & deos pariter comburenda fore, atq; adeò Ægyptiam religionem cõculcandam. Nominat inter alia domum Solis vel Bethsæmes aut templum Osiridis aut Serapidis valde celebre Ægyptijs, quod & ipsum sit diruendum. Sed quid hoc miraremur, cùm videamus omnes deos, & omnia per vniuersum orbem idola corruisse ad veram Euangelij prædicationem? Dubium ergo non est, quin Ieremias his maximè cõmendauerit veram religionem Iudæis, atq; adeò omnibus populis, falsam autem, vt caducam & vmbratilem damnarit. Domino Deo nostro sit gloria in secula. Amen.

Grauissima oratione Ieremias accusat idololatriam Iudaicam, quam exercebant in Aegypto.

CAPVT XLIIII.

CONCIO CXXXVIII.

VErbum quod factum est ad Ieremiam, ad omnes Iudæos, qui habitabant in terra Ægypti, qui habitabant in Migdal, in Taphnes, in Noph, atq; in terra Patros, dicens, Sic dixit Dominus exercituum, Deus Israelis: Vos vidistis omne malum, quod induxi super Hierusalem, & super cunctas vrbes Iuda, & ecce vastatæ sunt hodie, nec est qui inhabitet: id autem propter scelera eorũ, quæ perpetrarunt, & me exasperauerunt, eundo scilicet ac incendendo suffitum, ac seruiendo dijs alienis, quos non cognoscebant, nec ipsi, nec vos, nec patres eorum. Et mittebam ad vos omnes seruos meos prophetas, manè surgendo, mittendo, & dicendo, Ne obsecro feceritis rem istam abominandam, quam detestor. At non obtemperarunt, nec aurem suam inclinarunt, vt reuerte-

vt reuerterentur à malitia sua, quò minus incenderent suffitū dijs alienis. Inde conflatus est æstus meus & furor meus, & exarsit in vrbes Iuda, & in plateas Hierusalem, factaq́; sunt vastæ & desolatæ, sicut hodie apparet. Nunc ergo sic dicit Dominus exercituum Deus Israelis, Cur facitis tantum malum aduersus animas vestras, ad excindendum vobis viros vestros ac fœminas, pueros & lactentes è medio Iuda, vt nullos vobis reliquos faciatis? Ad irritandum me operibus manuum vestrarum, adolendo dijs alijs in terra Aegypti, quò abijstis, vt ibi habitetis, vt excindatis vos ipsos, & vt sitis execrationi & probro inter omnes gentes terræ? Num obliti estis scelerum patrum vestrorum, & scelerum regum Iuda, & vxorum eorundem, scelerum vestrorum, & scelerum vxorum vestrarum, quæ designastis in terra Iuda atq; in plateis Hierusalem? Non sunt humiliati ad hunc vsq; diem, nec reueriti sunt, nec ambulaverunt in lege mea, & in statutis meis, quæ proposui vobis & patribus vestris. Ic circo sic dicit Dominus exercituum, Deus Israelis, Ecce ego pono vultum meū contra vos in malum ad extirpandum vniuersum Iuda, tollamq́; reliquias Iuda, qui posuerunt vultum suum eundi in Aegyptum, vt ibi habitent, & absumentur omnes in terra Aegypti, cadent gladio & fame conficientur, à minimo ad maximum vsque, ferro & fame morientur, eruntq́; in execrationem, stuporem, contumeliam, & probrum. Et visitabo eos, qui habitant in terra Aegypti, quemadmodum visitaui Hierusalem, gladio, fame & peste, vt & de reliquijs Iuda qui in Aegyptum ad habitandum abierunt, nemo euadat, aut reliquus fiat, vt redire possit in terram Iuda, quam tamen toto desiderarunt animo redeundi illuc, & habitandi ibi. Non enim reuertentur, nisi qui effugerint,

DESCRIBITVR hoc capite 44. grauissima cōcertatio inter Ieremiam & populum Iuda idololatricū. Distingui potest tota descriptio in partes tres. Primò enim ponitur Ieremiæ oratio vel concio in Ægypto altera vel secunda, habita contra idololatras. Deinde subiungitur tumultus & rebellio populi recusantis recipere verbum Domini, & palàm profitentis se sequi velle quod ipsi sit visum ac libeat. Postremò sequitur constans & grauis Ieremiæ rebellium obiurgatio, & certissimi miserrimiq; excidij denunciatio. In his ceu in lucidissimo speculo contemplabimur mundi & mūdanorum hominum grauissimam audacissimámque contra verbum Dei rebellionem. Dices nostra propemodùm secula esse descripta. Ea omnia succinctius tractabo, quòd nihil omnino hic dicatur, quod non semel dictum & repetitum & sæpius expositum sit superius, & iam dictio vel genus loquendi Ieremiæ omnibus consuetum sit & perspicuum.

Distributio capitis.

Vsus huius loci

Titulus Orationi ex more præmittitur, ostenditurq; mandatum Dei iubentis Ieremiam concionari vniuerso populo, qui tum erat in Ægypto, & qui iam didicerat sacrificare dijs alienis. Pertinet autem oratio illa ad omnes, qui sunt similes Iudæis in sacrificijs offerendis, ijs qui dij non sunt. Oratio ipsa prophetæ vltima eius fuisse videtur, vtpote post quam traditur adobrutus fuisse lapidibus. Grauis ergo est, vehemens, & tota ardens. Obiurgatoria est simul, & certi exitij denunciatoria. Talis est qualis fuisse videtur Stephani in Actis cap. 7. Tribus membris componitur. Nam principiò proponit infelix miserrimæ patriæ Hierosolymorum exemplum, cuius sanè cineres calebant adhuc, nec dum fumare plenè desierant. Sed nihil commoti sunt exemplo recenti & horribili. Quid ergo mireris, si hodie quoq; videas paucos vllis commoueri exemplis quantúmuis atrocibus? Repetit autem significantibus euidentibusq; exemplis, quid sint passi, & cur tam infanda passi, ob idololatriam & peregrinum cultū receptum.

Oratio Ieremiæ ardens & vltima.

Ea re irritarunt ac exasperarunt Deum. At turpissimum erat eos colere pro dijs, quos quales essent reuera ignorabant. Et hodie coluntur multa, quæ qualia reuera sint, nesciuntur. Loquor de diuis, de reliquijs & id genus alijs similibus.

Eximia Dei bonitas. Commemorat interim eximiam Dei bonitatem mittentis viros prophetas, qui reuocarent ad meliorem frugem, obtestando & obsecrando. Notatur tamen hic impietas infracta & audax. Noluerunt enim redire in viam, sed perrexerunt in studijs suis corruptissimis. Quibus iam peropportunè subiungit pœnam iustam & commeritam, quòd inquã furor Dei instar metalli conflatus est (vt supra quoque dictum est in oratione postrema tracta in cap. 43.) ac desæuijt in incorrigibiles. Et hæc est prima pars huius orationis.

Iudæi receperunt Aegyptiã superstitionẽ. Deinde obiurgat grauiter nihil tantis malis emendatos. Nam receperãt Ægyptios ritus ac suffitum fecere, ac libamina profudere Soli, & Lunæ, & exercitui cœlorum: quod & antea dum in patria erant, fecerant, sed iam intermiserant aliquandiu, repetierant autem nunc in Ægypto. Quo nomine, ne facerent scilicet rem tam nephandam, Deus ipsos ab Ægypto prohibuerat, ipsi verò veluti freno excusso, iam perruperant, ac plenis volis impiè sacrificabant. Nunc ergo, Cur, ait, facitis tantum malum, quòd certò tendet in exitium animarum vestrarum? Nam propter idololatriam & falsum vestrum cultũ peribitis vniuersi. Fusè hæc & diligenter exponit, si fortè commouerentur ad pœnitentiam. Sed &

Præstãtissimos populi collocat Ieremias in catalogo idololatrarum. maiorum exempla iterum repetendo obijcit. Nec pudet ipsum & reges & reginas in catalogo collocare idololatrarum. Addit, neque sic quidem commoueri nunc filios, quò minus legem præuaricentur, sed similes patribus, lege spreta, sectari animi proprij libidinem. Ac dubium non est, Ieremiæ grauiter iratos esse proceres ob hanc eius libertatem. Sed iubentur omnes ministri gloriam Deo dare, & constanter annunciare verbum Dei, nulla ratione habita impiorum, quantúmuis potentum honoratorumq;. Nam ponenda est vita in manus nostras, & veluti proijcienda imminentibus ac latrantibus vndiq; impijs.

Graues minæ contra idololatras. Tertia & vltima orationis parte grauissimas Dei minas recitat contra Iudæos, prædicens eis, ob idololatriam admissam, excidium certissimum. Sicut autem illi peccando fecerant, ita faciebat Deus puniendo. Illi obfirmarant vultũ, id est omnino statuerant descendere in Ægyptum, nec quenquam saniora consilia suggerentem audiebant: nunc ergo Deus quoq; vultum ponit & obfirmat contra eos, puniturus inquam ipsos certissimè & grauissimè, quòd sint incurabiles. Vbi & modum rationemq; supplicij describit. Cadent, inquit, gladio, conficientur fame, tollentur morbis: idq; tanta vehementia, vt sitis omnibus in orbe gentibus stupori futuri. Rursus autem adiungit his domesticum exemplum, à quo vult vt discant, non parcendum eis, sed certissimè sumendum de eis supplicium, quàm certò sumptum sit à Hierosolymitanis. Vehementer quidem ipsi cupiebant redire in patriam Iudæam: sed propheta negat hoc ipsis concedendum. Sciamus itaq; Deum non morem nobis gerere velle, quoties nos pro agnita stultitia nostra, mutata volumus consilia praua. Prius curandum ne praua admittamus consilia, &c. Dominus aperiat nobis mentes nostras.

Impia proteruia abijciunt verbum Dei Iudæi, & fœdissimè effunduntur in Aegyptiorum idololatriam, prædicantes impiorum felicitatem.

CONCIO CXXXIX.

Respondet

Responderunt autem Ieremiæ omnes viri isti, qui conscij erant quòd vxores eorum adolerent Dijs alienis, & omnes mulieres stantes in multitudine magna, & vniuersus populus qui habitabat in terra Aegypti in Patros, dicens, Sermonem Domini, quem loquutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus, sed faciemus quicquid egreditur de ore nostro, vt suffitum incēdamus Reginæ cæli, et libemus ei libamina: quemadmodum fecimus nos et patres nostri, reges nostri & principes nostri in ciuitatibus Iuda & in plateis Hierusalem: tum enim abundabamus pane, & bene nobis erat, nec vllum malum vidimus: quamprimùm autem cessauimus adolere reginæ cæli & ei libare libamina, omnium sumus indigi, & ferro ac fame consumimur. Et cum (nos fœminæ) adoleuimus reginæ cæli & libauimus ei libamina, num absque maritis nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, & libando ei libamina?

SEquitur secunda parte huius capitis rebellio impia & turpis, tumultus item horribilis, & defectio Iudæorum prorsus putida & pudenda. Solet autem ita furere & excipere mundus præconium verbi Dei, quando peccata eius liberè traducuntur, & pura asseritur veritas atq; religio. Sic capitur Ieremias superius semel & iterum. Nazarethani conantur Dominum præcipitem dare ob acrius obiurgatam ipsorum incredulitatem. Apud Ioannem in 8. & 10. capite volunt Iudęi Dominum ob veritatem liberius annunciatam lapidare. Stephano eadem sors sicuti & Paulo obuenit, sicut videre licet in Actis Apost. cap. 7. 14. & 22. Ostenditur autem quinam ita tumultuati sint, illi in primis, quorum vxores defecerant ad Ægyptiorum superstitiosos cultus, fœminæ quoque ipsæ, quę magno numero dicuntur adfuisse. Vehementes alioqui sunt mulieres, quando agitur negotium falsæ religionis cōtra veram religionem. In Actis certè Apost. cap. 13. mulieres quoq; Antiochenæ non parum possunt contra Christi Apostolos Barnabam & Paulum: & hodie etiàm in vtranq; partem, tam pro Euangelio quàm contra Euangelium vehementer complures nituntur atq; laborant. Et quod mirandum non est, totus refertur his se cōiunxisse populus. Adeò verum est quod dicitur, rarò sapere vulgus. Non frustra Dominus tanta diligentia prohibuerat his ingressum in Ægyptum. Præsentiebat enim fore vt corrumperentur, qui olim quoq; post tempora Iosephi fuerant corrupti, adeò vt cum in desertum veniissent, duce Mose, aureum funderent vitulum, quem colerent.

Rebellis Iudæorum defectio.

Vehementer mulieres in defendenda superstitione.

Explicat autem planè ipsorum impiam rebellionem & apostasiam fœdissimam. Dicunt enim se nolle amplius audire verbum Domini. Cuius quidem rei causam immiscent. Tuum, inquiunt, est figmentum, non Dei verbum, quod prędicas: prætexis tamen ei verbi Dei titulum. Addunt: Quod egressum fuerit ex ore nostro, id est quæ nobis placuerint, quæ nos decreuerimus, faciemus. Et quid hoc? Adolebimus incensum Reginæ cœli. De Regina hac cœli dictum est in 7. cap. Concione 29. Et Epiphanius citat hunc locum Ieremiæ contra mulierculas quasdam Arabicas, quæ colyridem parabant, & offerebant virgini Mariæ: quod & ipsum 7. cap. attigimus. Dum verò hæc audimus à Iudæis contra Ieremiam, videmur omnino audire nostrorum hominum voces, ac cernere mores, qui & ipsi clamitant, se nolle amplius audire Euangelicos concionatores, sed veterem, quam vocant, religionem, malle omnino repetere ac recipere. Et isti quidem rationes suas proferunt pro suo illo instituto. 1. Fecimus hoc ipsum antea quoq; dum adhuc domi essemus. Sed non valet exemplum repugnās scripturæ. 2. Fecerunt hoc ipsum reges, & principes, & maiores nostri, qui sanè fatui non fuerunt. Sed his multa sanctissimorum regum contraria exempla obijci potuerunt. Quid autem audias aliud hodie à nostris hominibus tuentibus

Abijciunt verbum Dei.

superstitionem? 3. Iam & vtilitatem & damnum proferunt. Eximiam sensimus vtilitatem ex vsu religionis veteris (sic appellatur quæ noua est reuera) damno ingenti affecti sumus ex ea religione, quã prædicat Ieremias. Respondebit mox ad hæc ipsa Ieremias. Eadem prorsus audias & hodie. Vetus quoq; querela est, calamitates esse ex religione Christiana, felicitatẽ ex idololatria. Notissima sunt quæ scripsit hac de re beatus Cyprianus libro contra Demetrianum, & beatus Augustinus in libris de ciuitate Dei contra Gentes. Mendacissimum verò esse quod dixerunt, felicitatem esse ex idololatria, mox euincet ipse Ieremias: euincit & historia sacra.

Fœminæ verò singulariter pro se respondent, Satis se defensas existimantes, quòd quæ fecerunt, suis maritis conscijs fecerunt. Verùm ea excusatio nulla est. Variant interpretes in fine huius loci. Nam alij legunt, Placentas fecimus ad exhilarandum eam. Alij, Ad colendum eam. Alij, Ad effingendum eã. Fortè quòd placentis infigerent Lunæ imagines aut tale quidpiam, &c. Dominus conterat omnem idololatriam & superstitionem.

Respondet Ieremias rebellium gloriationi de felicitate consequuta ex idololatria, & ostendit contrarium, sequutam videlicet perniciem.

CONCIO CXL.

Loquutus est autem Ieremias ad cunctum populum, ad viros & fœminas tota quã plebẽ, qui ei istum sermonem responderant, & dixit, Nonne & suffitus, quem incendistis in vrbibus Iuda, & in plateis Hierusalem, cùm vos tum patres vestri, cùm reges & principes vestri, tum populus terræ, horum memor fuit Dominus? an non hoc ascendit in cor eius? Et ferre vltra non potuit Dominus, propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes quas faciebatis. Facta est igitur terra vestra vasta, desolata & execrabilis, vt nemo eam inhabitet, sicut hodie patet. Id autem (euenit vobis) quia suffitum incendistis, & quia peccauistis Domino & non paruistis voci Domini, & quòd in lege eius, in ceremonijs eius, & in testimonijs eius non ambulastis: his ex causis euenit vobis malum istud, sicut hodie patet.

TErtia & vltima parte huius capitis commemoratur Oratio Ieremiæ grauis, & obiurgatoria: qua primò respondet ad mendacem populi gloriationem, iactantis ex cultu creaturarum obortam esse populo felicitatem, infelicitatem & calamitates innumeras ex studio veræ religionis, & prædicatione verbi diuini esse enatas. Deinde obiurgat pertinacem ipsorum idololatriam, & multis denunciat eis interitum certissimum, iustum idololatriæ ipsorum præmium.

Refellenda est gloriatio idolatrarum de ipsorum beatitudine.

Præfigit iterum more suo orationi titulum, & scribit, Loquutus est autem Ieremias, &c. Proinde responsio est quæ sequitur, data per Ieremiam populo, iactanti ex cultu creaturarum obortam esse semper felicitatem. Contrarium enim ostendit Ieremias, quòd peregrinus inquam istorum cultus, vel religio electitia & inobedientia ipsorum, & vrbem subuerterit, & totam gentem in extremas calamitates coniecerit. Vnde discant omnes ministri non tacere ad insolentes & ampullosas gloriationes idololatrarum. Certè cum Achab rex Heliæ obijceret pacem constare populo, quam ipse turbet sceleratè, audit à propheta, Tu & domus patris tui turbastis Israelem, &c. Non tacuit Cyprianus, quod & superius

3. Reg. 8.

diximus

diximus, cum Demetrianus idololatra in Christianam religionem coaceruaret omnes calamitates, nostræ religioni acceptum ferens, quòd insurgerent seditiones & bella, quòd peste & morbis conficerentur populi, &c.

Cum verò paucis respondere potuisset, ac dicere. Falsa est illa vestra gloriatio. Nam ex eo tempore quo restauraſtis idololatriam, perire cœpistis, atq; nunc propter ipsam interijstis in vniuersum, vt nihil amplius sit integri, maluit tamen paulò copiosius hoc ipsis exponere: ac initio dicit, Deum fuisse memorem sacrificiorum, idolis oblatorum, ac ipsa ascēdisse super cor eius (daß ſy jm ſynd zů hertzen gange.) sequitur enim mox quòd ferre amplius nequiuerit. Ex quibus verbis illud apparet, ludęos, cum non protinus consequeretur vindicta cōtra idololatriam, sibi persuasisse, Deum ista non curare, neq; tanti facere, quanti volebant videri prophetæ. Solet enim caro nostra confirmari & audacior reddi ex longanimitate Dei. Dicentes enim audimus complures. Non dissimulasset Deus tanto tempore, neq; impunè tulisſemus hactenus, si hoc quod facimus, exxecraretur tantoperè Dominus. Nunc ergo dicit Ieremias, Existimauistis Deū electitios cultus vestros non curare, neq; eorum memorem esse, nunc autem reipsa experti estis, ipsum vidisse omnia quæcunq; vos & principes vestri designastis cultibus illis peregrinis per vrbem & per regionem vestram. Nam tametsi dissimulauerit aliquandiu, semper tamen ferre noluit, imò ferre amplius non potuit: id quod mox inducta vastitate cùm vrbis tum regni validissimè comprobauit. Interim diligenter inculcat, cultum ipsorum malum, imò abominationem esse coràm Domino: ac præmium idololatriæ ipsorum non esse benedictionem aut felicitatem, sed maledictionem & calamitates infandas. Id quod probat nupero exemplo vrbis exustæ, vastati regni, & abductorum in Babylonem. Deinde diligentissimè iterum repetit & inculcat causas malorum tantorum, inobedientiam. Circumscripserat enim Dominus populum suum sanctis legibus, ritibus, & ceremonijs: sed ne ita quidem potuerunt contineri in ordine. Ruptis enim repagulis, effusi sunt in omnem idololatriam. Ideò attriuit eos Dominus.

Deus memor est eorum quæ dissimulare videtur.

Hæc verò possunt & alijs illustrari exemplis. Nunquam enim bene cessit populo Domini, quando spreta aut præterita lege Domini, suas intentiones bonas sequi, quàm verbo Dei obtemperare maluit, quando denique idola receperunt, & his cultum exhibuerunt. Testatur hoc liber Iudicum, qui nobis tot commemorat calamitates, quot defectiones admiserat populus. Sub Heli quoque infelices fuerant: redibat felicitas, quando authore Samuele agerēt pœnitentiam, & deos alienos abijcerent. Inter reges Israelis & Iuda omnes infelices fuerunt, qui idololatriam exercuerunt. Apparet hoc non tantùm in Solomone, cuius extrema senectus propter illā ipsam causam fuit miserrima, sed et in Ieroboamo, cuius semen funditus extirpatum traditur. Excisus est & rex Baasa. Interijt cum vxore Iesabele & omni posteritate Achab rex. Iehu, quòd ipsum sustulisset, regnat in Israele in quartam vsque generationem. Sed cùm non cessarent posteri eius idolis inseruire, succisi sunt & ipsi in Zacharia rege. Quid quòd regnum Israelis diu miserrimis cladibus conuulsum, tandem verò ab Assyrijs funditus est vastatum? (Habes felicitatem, quam parit studium idololatrię suis sectatoribus.) His accedunt reges Iuda, qui & ipsi miseram experiuntur sortem ob exercitam idololatriam. Cognitum est enim, quid vsu venerit Ioram filio Iosaphat. Extat historia eius planè horribilis in 2. Paralip. libro. Ioas dum Deum ritè coleret, feliciter regnat, dum deficeret ad idololatriam, perit casu planè horrendo. Quid sequentibus regibus, Achaz in primis & Manasse euenerit propter idololatriam, longum esset commemorare. Postremi reges filij Iosiæ & nepotes, om-

Nulla fuit vnquam felicitas, neq; erit ex idololatria.

nium sunt & fuerunt regum afflictissimi. Et tamen audent Iudæi nunc prædicare felicitatem istorum, cùm nihil fuerit infelicius. Sed fecerunt hic quod olim in deserto fecerunt, cùm prædicarent voluptates Ægyptias scilicet. Ioachaz certè abductus est in Ægyptum, Ioachim qui ei surrogatus est, capitur à Babylonio, & sepelitur sepultura asini. Iechonias captiuus abducitur in Babylonem. Zedechias cogitur videre coràm necem suorum liberorum & principum, patriæ quoque miserandum interitum, necdum in his miseriæ finis, catenis enim constrictus, in Babylonem abducitur vinctus. Hæc scilicet est illa felix idololatrarum felicitas, quam meritò prædicant, qui porcis similiores sunt quàm hominibus.

Applicanda quoq; hæc sunt nobis & nostris temporibus, quibus audias multos etiam prædicare felicitatem, qua vsi sint maiores nostri ante cognitum & prædicatum Euangelium, dum & illi immolarunt reginæ cœli, & non dispari fecerunt & dixerunt cum his quæ in præsenti commemorantur. Cæterùm historiæ testantur, quòd simul atq; imaginum vsus aliquis esse cœpit in templis Christianorum, mox implicata sint omnia bellis, & inuoluta calamitatibus. Exorta est certè paulò post pestis omnium seculorum pestilentissima, Mahumetes. Possem commemorare alia quamplurima infelicissima, cùm ecclesiæ tum imperio aut regno immissa mala: sed commemorandum hoc relinquo historiarum peritis, &c. Neq; verò minus impudenter hodie peccatur à nobis, quàm olim à Iudæis, quòd sicuti olim Deus populum suum muniuit lege, ritibus, ac ceremonijs, ita nos pulcherrimè illis ipsis legibus donauit, præterea illustrauit doctrina Euangelica & Apostolica. Grauissimè ergo peccatur, dum præteritis illis, comminiscimur quæ ipsi volumus, & cultum Deo obtrudimus, quem toties repudiauit. Orandus est ergo Dominus, vt illuminet eos qui eius nomine gloriantur, & deducat ipsos in via, quæ ipsi placet. Amen.

Acriter obiurgat Ieremias insuperabile studium idololatriæ in Iudæis, quibus pariter & regi Aegyptio excidium denunciat.

CONCIO CXLI.

Et dixit Ieremias ad vniuersum populum & ad omnes fœminas, Audite verbum Domini omnis Iuda, qui estis in terra Aegypti, Sic dicit Dominus exercituum Deus Israelis. Vos & vxores vestræ locuti estis ore vestro, quod & manibus vestris perfecistis, Dixistis nempe, Omnino faciemus vota nostra quæ vouimus, vt suffitum incendamus reginæ cœli, & libemus ei libamina: omnino confirmastis vota vestra, omnino perfecistis vota vestra: iccircò audite sermonem Domini omnis Iuda, qui habitatis in terra Aegypti. Ecce ego iurauí per nomen meum magnum, dicit Dominus, Non appellabitur nomen meum ore cuiusquam de Iuda (vt dicat, Viuit Dominus Deus) in omni terra Aegypti. En ego vigilo super eos in malum & nõ in bonum, & consumentur omnes viri Iuda, qui sunt in terra Aegypti, gladio & fame donec consumpti fuerint. Qui autẽ euaserint à gladio, reuertẽtur de terra Aegypti in terrã Iuda, admodũ pauce. Et scient omnes reliquiæ Iuda, quæ abierunt in terram Aegypti ad habitandum ibi, cuiusnam sermo firmus surgat, meusne an illorum. Et hoc vobis signum esto, ait Dominus, quòd ego visitaturus sum vos in loco isto, vt scíatis certò rata fore verba mea super vos ad puniendum. Sic dicit Dominus, Ecce ego tradam Pharaonem Hophram regem Aegypti in manum hostium suorum, & in manum eorum qui vitæ eius insidiantur, quemadmodum tradidi

Zedechiam

Zedechiam regem Iuda in manum Nabuchodonosoris regis Babylonis hostiũ sui, quærentis animam eius.

POstquam prima orationis parte Ieremias respondit ad insolentem refractariamq; populi Iudaici iactationem, omnem benedictionẽ felicitatemq; referentes acceptam cultui reginæ cœli, ac ostendit idololatriam potius materiam vel causſam esse omnium calamitatum: id quod nuper manifestè apparuerit in vrbe Hierosolymorum exusta & in vniuerso populo disiecto, terraq; promissionis vastata, consequenter in altera cœptæ orationis parte, acriter obiurgat pertinax & incurabile studium populi Iudaici, quod impendebant idololatriæ: & denunciat eis interitum certissimum, qui & regem Ægyptiorum, cui isti fidebant, sit implicaturus. Discant autem constanti Ieremiæ exemplo omnes ecclesiarum ministri, vtcunq; conspirent principes & populi in cultum reginæ cœli & creaturarum ac idolorum, tamen his nunquam esse tacendum & cedendum, sed constantissimè annunciandum verbum Dei contra omnem idololatriam. Cernimus enim in gente Iudaica & nunc etiam in Ægyptijs, quòd verax & iustus Dominus non parcit idololatris, vtcunq; diu videatur dissimulare. Aderit tandem vindictæ tempus. *Obiurgatio idololatriæ vehementis.*

Ab initio manifestis verbis exprimit ad quos orationem illam dirigat, ad omnem populum: & hic præter morem consuetum addit & fœminas, nimirum quòd acrius insisterent superstitioni, erroremq; tuerentur. His autem omnino peccata sunt obijcienda, & exponenda oculis, & pœna quoq; annuncianda cõmerita. Ac nunc iterum inculcat, ea quæ dicturus sit, profecta esse à Domino, Dominiq; se verba non sua proferre. Proinde non tantùm certa, sed etiam indubitata sunt, quæ hic commemorantur. Obiurgat autem nomine Dei præfracta ipsorum peccata. Præfractè enim peccabant, & cum violentia quadam refractaria & incurabili. Quia enim semel verbis vota reginæ cœli nuncupauerant, dicunt se ea opere impleturos. Per vota veteres ferè intellexerunt sacrificia. Nescierunt illi vota nostra monastica & his similia. Quia ergo verbis vouerant reginæ cœli sacrificia, opere existimabant sibi esse adimplenda: ac insolentibus verbis hoc iactabant contra prophetam, se videlicet omnino sacrificaturos, rumpantur vtut Ieremiæ ilia. Dedecere enim eos, vt in negotio religionis sint mendaces, imò & perfidi. His non multum absimilia sunt, quæ audimus hodie à nostris votarijs. Hic enim diuo Francisco votum nuncupauit monasticum, alius vouit S. Iacobo peregrinationem ad ipsius vsque imaginem in Hispaniam: alius vouit diuæ virgini, aut alteri cuipiam diuo sacrificium precum, aut auri argentiq; pondus. Atque hic omnes clamant, Hæc quæ Deo & diuis eius vouimus, incunctanter absque dispensatione, & bona cum fide sunt persoluenda. Id qui non præstant, perfidi sunt, & in consortio hominum non ferendi. Cæterùm si hoc quod vouisti pugnet cum verbo Dei, & cum religione vera, sicuti vota populi Iudaici pugnabant, quæ videlicet contra verbum Dei, quod prædicabat Ieremias, suscipiebantur: peccatur quidem vouendo contra Dominum, gratius autem peccatur, quando sub veritatis prætextu impia vota persoluuntur. Vidit hoc & Magister in Sententijs suis, qui exemplis aliquot adductis, ostendit non præstandum esse quod voueris impiè. Certè cùm quis vouet cœlibatum, & castè non viuit, sed scortatur, cumq; admonetur ne pergat scortari, sed ducat vxorem, ille verò votum prætexit, dicens, Voui cœlibatum Domino & sanctis eius, an non hic votum prætexit scortationi, ac sub hoc prætextu manet infixus in omni obscœnitate & libidine? Quanto satius erat agnouisse stultitiam & peccatum in vouendo, & amplecti sanctimoniam? Rectius fecissent Iudæi etiam, si *Vota sacrificia* *Votariorum voces.*

agnouissent peccasse se vouendo: quod nemini, nisi vni Deo sit sacrificandum: & ideo votum suum reginæ cœli non persoluissent. Verùm non parent hic saniori consilio homines, sed malunt diuinas præceptiones violare propter suas intentiones bonas: in quibus asserendis longè sunt cõstantiores ac magis strenui, quàm in defendendis legibus diuinis.

Pœna idololatris debita.

Nunc ergo copiosè exponit, quę istis & omnibus rebellibus idololatris pœna à Deo sit destinata. Vos, inquit, præfractè pergitis adimplere vota vestra, quæ semel nuncupauistis reginæ cœli: perget itaque Deus etiam constantissimè implere verba sua, quæ contra impios & præfractos idololatras minatus est. Et quò minus dubitarent de verbo hoc annunciato, adiungit iusiurandum Dei, qui iurauerit per nomen suum magnum, id est, per suam maiestatem, & per semetipsum, nullos Iudæorum fore superstites in vniuersa terra Ægypti, qui cum reginæ cœli immolent, nihilominus vsurpent vulgatam iurandi formulam, Viuit Dominus. Quia enim ab vno & solo, inquit, toti non pendetis, qui omnibus sufficit vitam, non viuetis vos. Id iam plenius exponit, En ego vigilo, &c. Dicit autem se diligentia accuratissima effecturum, ne vlli euadant, sed omnes peste & gladio cadant: viri verò numeri, id est, oppidò pauci, & qui facilè numerari possint, euadant. His appendit velut Epiphonema, Et scient omnes reliquiæ, &c. Tandem apparebit quis verum dixerit, quis falsum: vos ne qui felicitatem tribuitis idololatriæ, an ego qui ex ore Dei dico idololatriam caussam esse omnium malorum & excidij certissimi. Vbi ergo excisi fueritis, iuxta verbum Domini, apparebit verbum Domini ratum esse, & consurgere in æternum. His consolemur nos, quoties obijcitur nobis impiorum felicitas. Consule item Psalmum septuagesimum tertium, & Malachiam in tertio & quarto capitibus.

Peribit & rex Ægyptius.

Quoniam verò existimabant Iudæi impossibilia esse, quæ recitabat Ieremias, quòd crederent regis Ægyptij potentiam esse inuictam, addit nunc & regem Ægyptium tradendum fore in manus Nabuchodonosoris. Id quod ceu signum veritatis & veluti confirmationem eorum producit, quæ Iudæis fuerat minatus. Si enim Hophra Pharao cædetur, certè Iudæis profugis non parcetur. Et huic quoque parti apponit exemplum Zedechiæ, vt minus dubitetur de veritate vaticinij. Nam quàm certò Zedechias vinctus in manus Babylonij venit, tam certò & rex Ægypti & ipsa Ægyptus redigetur in potestatem Babyloniorum. De qua re videre licet Iosephum libro decimo, capite vndecimo. Videmus itaque ruere tandem & idololatriam & idololatras, complices ipsorum & omnem spem eorum, tametsi regnauerint & inuicti sint visi omnibus, & quidem multis seculis.

Lapidatur Ieremias.

Tradit autem vetustas, sub finem huius orationis, fortè quòd intolerabile videretur, regem, qui Iudæos exceperat, tanta dicendi libertate incessere, lapidatum esse Ieremiam à populo: sicuti & Stephanum lapidatum legimus, quòd dixisset Iesum Nazarenum demoliturum vrbem & templum. Nam sicuti nihilominus perierunt, tametsi nuncium Dei occidissent: ita Iudæi in Ægypto suo illo parricidio se non liberant ex præsenti periculo, sed implicant magis. Proinde licet hodie occidantur confessorum Christi multa millia, viuit nihilominus Christus, regnabit & vincet veritas Euangelica: cadet certò, suo tempore, cum idololatris vniuersa idololatria. Dominus benedicat populo suo & liberet ipsum ex omnibus malis.

ORA-

ORATIO IEREMIAE DECIMANONA.

Ieremias orationem habet ad Baruch, qua mœstum consolatur.

CAPVT XLV.

CONCIO CXLII.

SErmo quem loquutus est Ieremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cũ ille scriberet sermones illos in libro ex ore Ieremiæ, in anno quarto Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, dicens, Sic dicit Dominus Deus Israelis de te Baruch, Dixisti, Væ nunc mihi, quoniam addet Dominus tristitiam dolori meo, laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni. Sic dices ad eum, Sic dicit Dominus, ecce quæ ædificaui, demoliar, & quæ plantaui ego extirpabo, & omnem terram istam: & ecce tu quæris tibi grandia? Ne quæseris: quoniam ecce ego adduco calamitatem super omnem carnem, ait Dominus, tibi autem dedi animã tuam loco prædæ, ad quemcunq; locum perueneris.

POST expositiones aliquot historicas, in quibus tamen Orationes non paucæ occurrerunt, subiunguntur nunc iterum Orationes Ieremię vsque ad cap. vltimum. Et præsens quidem quæ priuatim ad Baruch prophetam habita est, ordine, iuxta nostram supputationem, XLIX. est, ac breuis admodùm denunciatoria q̃, imò consolatoria est. Tempus eius, quando sit dicta, indicatur, & occasio ex qua sit dicta, adiungitur. Tẽpus notatur, Ioachimi regis annus quartus. Proinde iterum cernitur, quod antea quoq; non semel dixi, non naturali, sed arbitrario ordine hunc librum, id est Ieremiæ historias & orationes esse collectas. Occasionem Orationi obtulit impatientia & mœror seu querela prophetæ Baruch. Annotatur ea hic paucis verbis, copiosius exponitur Ierem. 36. cap. Dum enim Baruch laborat sedulò & legendo & scribendo recitandoq; sermones præceptoris sui Ieremiæ, sperauit haud dubiè ea ex re temporariam gloriam, honorem, & præmia ampla. At hæc adeò non obuenerunt ei, vt magis cõtraria ipsum molestauerint. Nam propter librum venit apud principes in periculum, mox liber à rege exustus est, ipse interim cum Ieremia latitare coactus est. Sed & nouum librum conscribere iubebatur, qua re iterum coniectus est in discrimen, & in inuidiam regis, qui voluit omnino sermones Ieremiæ abolitos. Querebatur ergo conduplicari mœrores eius, nec finem apparere vllum laborum. Ergo passus est humani aliquid Baruch, & fecit quod sæpe factum est & fit, vt ex studio religionis quæsierit amplum præmium, contenderitq; emergere & honoratus esse: irruentibus autem calamitatibus, paulò impatientior, de sorte sua afflicta cœperit conqueri. Fecit hoc magnus ille propheta Helias, qui fugiens furorem reginæ, abdidit sese in antrum, & questus est ibi de sua sorte misera, &c. Apostoli quoque ad grandia aspirarunt, vt cum contendunt quis ipsorum maximus sit futurus in regno Dei, sicut legere est apud Matthæum in 18. & 20. & apud Lucam in 22. cap. Petrus quoque Matthæi 19. clamat ad Dominum, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Ita solemus omnes præmia quærere ex studio religionis. Qua in re alius alio est carnalior.

Ordo huius libri arbitrarius non naturalis.

Infirmitas Baruch.

1. Reg. 19.

Porrò Oratio ipsa Ieremiæ formata ex ore & inspiratione Domini, duas ha-

bet partes. Principiò enim exponitur cogitatio vel affectio aut querela Baruch. Deinde subiungitur denunciatio à Deo & doctrina, quid Baruch faciat, consolatioq; ne ita affligatur. Dum autem exponit Deus quid cogitarit, desideraverit, & questus sit Baruch, significat se non latere murmura & abscondita cordis nostri: videre & audire se omnia. Contineamus ergo nos, & ne indulgeamus affectibus nostris, sed subijciamus nos curæ Domini, & eius sanctæ gubernationi, scientes omnia illum agere prudenter, omnia nostra esse carnalia, & ideò suspecta meritò nobisipsis. Quamuis verò breuis sit querela Baruch, multa tamen comprehendit ac grauis est. Nam queritur Dominum ipsi conduplicare miseriam, tristitiámque adijcere mœrori. Se desiderando, suspirando, & lugendo vsq; ad defatigationem, tamen nihil efficere, nihil consequi. Subiungit enim se nullam inuenire requiem. Similes huic querelæ plurimæ sunt multorum ægrotantium & concertantium graui lucta cum mundo, & ijs quæ sunt in mundo. Sæpius obmurmurantes Deo in afflictionibus nostris, accusamus duritiam & seueritatem Dei, qui plagas suas conduplicet nobis, neque vllum malorum finem faciat. Sed insigne peccatum est ita obmurmurare Deo nostro, cuius iudicia sunt iusta, & gubernatio eius recta. Cæterùm sicuti profuit nobis Thomæ incredulitas, ita & Baruchi impatientia & obmurmuratio erudit nos atque consolatur.

Querelæ hominum.

Non aspirandum ad ardua.

Denunciat iam Ieremias quid faciat Baruch, denunciandoq; obiurgat eius desiderium iniquum, simul consolatur afflictum. Quod nobis quoque adaptari debet, vt nobis etiam prosit illius eruditio. Summa est, Tu aspiras ad ardua, vel quæris grandia ex tuo fideli ministerio: at non debes hoc facere quod facis. Noli, inquit, quærere grandia. Id quod nobis omnibus dicitur, & dictum est Apostolis etiam Matth. 18. 20. & Lucæ 22. Rationem autem grauem addit, Quia ego extirpo quæ plantaui. Loquitur autem de bello Babylonico, quo statuit Deus vniuersam vastare Iudæam, & tollere in vniuersum res pretiosas omnes. Duplex est ergo sensus eorum quæ dicuntur. Principiò enim ideò existimat Deus Baruch non debere aspirare ad ardua in hoc seculo, quòd statuerit Deus omnia deijcere excelsa, & diruere omnia mundi sublimia. Ergo si cedant tibi Baruch in hoc seculo eximia, non seruabis tamẽ illa, non fruêris eis diutius. Expetenda videntur potius æterna. Sic dicitur Petro à Domino, dandam sectatoribus suis gloriam æternam. Discamus ergo hinc semper cœlestia potius quàm terrena expetere. Fluxa, instabilia, & caduca sunt, quæcunq; in mundo sunt. Deinde quando ego statui, inquit, totum regnum Iuda subuertere, & omnes circumquaque gentes discerpere, malè tu facis, quem hæc miseria non magis commouet, quàm vt tu ausis petere, vt te eueham peculiariter. In huiusmodi calamitatibus nemo debet suum commodum priuatum quærere: sed communicare potius cum publicis calamitatibus, commiserescere ac compati. Nam proximi & fratres nostri sunt, qui puniuntur à Deo. Ac nisi emendauerimus mores nostros, peribimus & nos: sicut futurum prædixit Dominus Lucæ 13. Hic verò hortor omnes, vt vultus vestros conuertatis in hoc speculum, quotquot temporibus difficilibus absque commiseratione tantùm cogitant & loquuntur voluptates, pocula, Bacchanalia, opes immensas, & luxum. Humiliemini magis sub potenti manu Dei, & emendate vias vel studia vestra, ne ipsi quoq; citius quàm putetis corruatis. Nam certò & semper intempestiua gaudia conuersa sunt in luctum, & conuertentur hodie quoq; in planctum.

Non exultandum nobis in publicis calamitatibus.

Dominus seruat suos in mediis vndis.

Ad consolationem autem videtur illud pertinere in primis, quod pollicetur ei vitam incolumem & tutam, & quidem in varijs grauibusq; discriminibus. Dicit enim ipsum animam suam prædæ loco reportaturum, quoque locorum

deuenerit.

deuenerit. Potest ergo nos Deus, si vult, cum Loth educere ex incendijs Sodomorum. Potest ille nobis vitam tueri quouis loco, sed & suppeditare quæcunq; pertinent ad vitam sustentandam. Credamus ergo Domino Deo nostro, & permittamus nos ipsi. Ipse curabit & seruabit nos. Cui laus & gloria in secula seculorum. Amen.

ORATIO IEREMIAE VIGESIMA.

Vaticinium est Ieremiæ denuncians Aegyptijs insignem cladem, quam à Babylonijs sint accepturi.

CAPVT XLVI.

CONCIO CXLIII.

VErbum Domini quod factum est ad Ieremiam prophetam contra omnes gentes. Super Ægyptum, contra exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti, cum esset in Carchamis ad flumen Euphratis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, anno quarto regis Ioachim filij Iosiæ regis Iuda. Adornate clypeum & lanceas, & procedite ad prælium, iungite equos & conscendite, ô equites, state in galeis, extergite cuspides, & induite loricas. Cur vidi ipsos pauidos & retroactos? fortes eorum percussi sunt, & fugerunt in refugium, nec est qui respiciat, pauor vndiq; dicit Dominus. Leuis non effugiet, & fortis non euadet: ad Aquilonem, ad ripam fluminis Euphratis ceciderunt & corruerunt. Quis est iste, qui tanquam fluuius ascendit, & cuius vndæ, vt flumina fluctuant? Dicunt enim, Ascendamus & operiamus terram, & perdamus vrbes cum habitatoribus suis. Ascendite ô equi, & insano quodam furore ferimini ô currus: prodeant heroes, Æthiopes, & qui clypeos gestant Libyi, Lydi quoq; tractantes & tendentes arcum. Dies autem Domino Deo exercituum, dies vltionis, vt vindictam sumat de hostibus suis. Vorabit enim gladius ac saziabitur, madebitq; sanguine eorum, quia sacrificium erit Domino Deo exercituum ad Aquilonem, iuxta fluuium Euphratem. Ascende in Gilgal, & resinam accipe, ô virgo filia Ægypti: sed incassum multiplicabis medicamenta: nequit enim tibi vulnus coalescere. Audient gentes ignominiam tuam, & clamor tuus implebit terram: fortis enim in fortem impinget, & ipsi pariter cadent.

Orationes contra gentes decem.

PRAEFIGIT propheta Domini illis quæ sequuntur, Orationibus x. contra gentes varias dictis, titulum vniuersalem, quòd sermo Domini ad Ieremiam factus sit contra gentes, hoc est quòd Dominus vocarit, delegeritq; Ieremiam, cui reuelarit sua contra gentes iudicia, quæ ipse hisce Orationibus vel Concionibus scriptis, gentibus annunciauerit. Commemorantur autem gentes nouem, Ægyptij, Palæstini, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, Syri, Cedareni, Elamitæ vel Persæ & Babylonij. Quoniam verò contra Ægyptios duas habuit orationes, decem nobis relictæ sunt orationes. Sunt hæ veluti commentarius orationis habitæ, & descriptæ in cap. 25. vbi breuibus docet, gentes omnes perdendas à Babylonijs, tandem & Babylonios quoque excindendos. Proinde tametsi Deus sibi peculiariter delegerit populum Israeliticum, nihilominus tamen reliquas per orbem gentes non neglexit Dominus, sed ipso-

rum quoque Deus fuit, quas & varijs beneficijs affecit: quinimò sine Deo nec viuere nec quicquam agere potuissent: id quod & Apostolus testatur in Actis Apost. cap. 14. & 17. Quomodo autem idem Apostolus ad Ephes. 2. dicat gentes fuisse sine Deo, aliâs exposuimus. Certè gentibus non ita vt Israelitis, suam dedit legem, non eas promissiones fecit, neque tam familiaris eis fuit: id quod vbique testatur scriptura. Attamen non omnino his quoque defuit: sicuti & in præsenti Ieremiæ ministerio vtitur ad admonitionem gentium. In Malachia cap. 1. discimus inter gentes quoque non paucos fuisse, qui præstantiores Deo hostias obtulerint, quàm ipsi fecerint Israelitæ: sed & Petrus dicit, Re ipsa experior, quòd Deus personas non respicit, sed in quauis gente qui ipsum timet, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Vbi tamen merito operum nihil tribuo, sed ex contextu totius scripturæ, certò scio, omnes eos qui Deo accepti fuerunt vnquam, ex quacunq; tandem gente fuerint, ex gratia & misericordia propter Christum acceptos fuisse. Nam extra Christum nulla est salus. Habuerunt illæ quoq; Orationes contra gentes dictæ hunc vsum, quòd ex his Iudæi intellexerunt, Deum ne gentibus quidem parcere, quæ multis prepter victorias & reliqua externa bona, videbantur felices. Iudæi enim sortem suã deplorabant, quasi Deus plus faueret idololatris, ipsis verò plus æquo molestus esset. Nunc ergo vident iudicia Dei æquissima, qui tametsi multa gentilium ad tempus dissimulauerit, nunc tamen & quidem opportuno tempore visitet in omnibus & singulis gentibus mala omnia.

Vaticinia contra Aegyptum

Contra Ægyptum verò peculiariter vaticinatur, & cõtexit orationes duas. Ægyptus verò regnum fuit vetustum, magnum, potens, victoriosum, insolens, opulentum, luxuriosum: de quo multa leguntur etiam in sacris literis, non tantùm in profanis historijs. Speculum ergo obijcitur vniuerso mundo, in quo se contemplentur omnia regna mundi, & discant nihil suis fidere rebus, sed Deo soli, hunc timere & colere. Prima oratione vaticinatur cladem, quam acceptur-rus sit rex Ægypti à Babylonio. Ipse quoq; vates breuiculam præmittit historiã, veluti occasionem & argumentum orationis totius. Copiosius omnia prosequitur Iosephus Antiq. lib. 10. cap. 7. Nechao rex Ægypti, insuper & plurimarũ aliarum gentium, comparato ingenti exercitu, mouet in Orientem, prorogaturus terminos regni sui plus vltrà: in ascensu perimit Iosiam, mox inuadit & capit Syriam, sed & Nabuchodonosorem priscum illũ magni Nabuchod. patrem fundit & fugat, ipse cum magna gloria & victoria redit in Ægyptũ. In descensu quoq; Ioachas regem Iuda deijcit, & Ioachimum substituit, regno Iudæorum in fidem accepto. Cæterùm quinto exinde anno, qui erat Ioachimi quartus, Nabuchodonosoris magni primus, sicuti colligit ipse Ieremias 1.1 cap. 25. Nabuchod. patris demortui iniuriam vlturus, & Syriam recuperaturus, ad Euphratem mouet. Ægyptius ea re intellecta, ascẽdit & ipse ingẽti cum exercitu, Babylonium depulsurus. Congrediuntur ergo reges ad Carchamis iuxta Euphratem, confligunt magna cum potentia: sed funditur & fugatur Ægyptius exercitus, victor Babylonius & Syriam recuperat, & Ioachimum cum regno Iudaico accipit in fidem. De clade autem hac futura vaticinatur Ieremias, qui per hypotyposim & prorsus eleganter, & poeticè describit expeditionem Ægyptiorum grandem, conatus maximos, sed & eorũdem fugam trepidam & horribilem, causam mali huius, & cladis damnicq; magnitudinem. Non potuissent hæc viuacioribus depingi coloribus.

Pugna inter Nechaonem & Nabuchod.

Expeditio Aegyptiorum.

Principiò describit expeditionem Ægyptiorum, ac fingit imperatorem exercitus mandare, vt omnes sint parati ad bellũ. Huius sanè verba sunt, Adornate clypeũ, &c. Quæ cùm sint aperta, non est necesse ea pluribus illustrari. Pedites certè

certè, & equites, & currus iubentur esse parati. Attinguntur & varia armorum genera, clypei, lanceæ, cuspides, galeæ, loricæ. Verùm vt vbiq; , ita hic quoque Domino non est placitum, neque in equis, neque in curribus, neque in tibijs viri: sed in ijs qui sperant in ipsum, & timent nomen eius. Deinde verò cum adfectu trepidam describit fugam Ægyptiorum ex acie. Cum admiratione enim ait, Cur verò vidi ipsos pauidos, ipsos inquam, qui sibi inuicti & chalybei futuri videbantur? cur retroacti in fugam dispergũtur? Fortes quiq; à Babylonijs sunt cæsi, qui ergo superstites sunt ex clade, recipiunt se in arces & munitiones vt ibi lateãt tuti. Tam verò feruida est fuga Ægyptiorum, vt nemo ipsorum respiciat. Notatio hæc horribilem fuisse fugam ostendit. Addit, Pauor vndique. Deus enim Panicum immittit terrorem, vt iuxta verba legis, vel folij inarbore leuis motus terreat robustos, & in fugam propellat. Iam & cladis magnitudinem attingit, cùm dicit leues, id est veloces & celerrimi cursus milites non effugituros, neque fortissimos aut robustissimos quosque strenua defensione semetipsos seruaturos. Ceciderunt, inquit, & corruerunt. Locum etiam pugnæ nominat, quò minus dubitarent de veritate vaticinij. Ad Aquilonem in ripa fluminis Euphratis edetur strages illa, quæ tanto erit periculosior & horribilior, quo magis insperata. Qui enim vicerant ante annos quinque, nihil nunc de fuga erant solliciti. Ostendunt & euincũt hæc, victoriam esse de cœlo à Domino Deo exercituum.

Descriptio exercitus iã mouentis.

Pulcherrimè porrò describit incessum maximi instructissimiq; exercitus, cõnatus, & gloriationem eius, & magnitudinem vel copiam ingentem. Comparat incessum exercitus Ægyptiaci flumini impetuoso, quod sæpe fit etiam apud poetas. Insolentiam eius notat per fluctus, qui intumescunt & magno molimine voluuntur. Addit & militares ac gloriosas voces, Ascendamus, & adoperiamus terram, &c. Alloquitur item equos, quos iubet facere, quod facturos sciebat, instar ventorum & furiarũ excurrere per campos. Iam & in aciem producit fortissimos quosque Æthiopum. Nunc enim commemorat quæ gentes fuerint in exercitu Ægyptio. Gestabãt Libij clypeos, Lydi verò arcus. Apparet autem potiorem Aphricę partem secutam esse signa regis Ægyptiorum. Apparet hinc immensum propè & longè fortissimum fuisse exercitum Pharaonis: sed nihil efficiunt oues mactationi destinatæ à Domino.

Cause cladis Aegyptiacæ.

Sequitur enim Dominum vindicaturum se, & supplicium sumpturũ de Ægyptijs. Hactenus visus est multis dormire Deus in aurem vtranque, quòd Ægyptij multiplicibus sceleribus deturpati, viderentur nihilominus esse felices & beati: nũc ergo asseuerat Dominus adesse ipsis destinatam diem vindictę & supplicij. Discimus ergo hinc, iusto Dei iudicio omnibus ac singulis sceleribus ac sceleratis suam diem esse constitutam à Domino, qua puniãtur pro merito, nisi emendatione iusta medeantur imminenti malo. Simul causas ostẽdit malorum, cur ita affligantur Aegyptij. Fuerunt enim hostes Dei, nimirum impij, idololatræ, sanguinarij, qui Ioachimo tradiderant ad supplicium prophetam Vriam fugitiuum. Fuerunt item glorioſi & superbi, contemptores aliarum gentium, fallaces & perfidi, vnde & arundinis appellationem aut parabolam meruerunt. Fuerunt denique opulenti & luxu perditissimi. Occiderant non ita pridem sanctissimum regem Iosiam, quo nomine sese efferebant. Dignissimi itaque erant, qui perderentur miserè. Gladium sumpserant, & exercuerant diu cõtra multas gentes: iccirco dignissimi erant, quorum cruorem hauriret gladius Babyloniorum. Subiungit enim, Vorabit enim gladius, &c. Quinimò dicit mactationem Domino celebrem futuram. Cùm enim perimuntur hostes Dei & populi eius, mactatio illa veluti sacrificium Deo acceptum reputatur. Rursus autẽ propter

rei certitudinem locum conflictus nominat, sicuti & superius nominauerat, ad Aquilonem videlicet, &c. Ista omnia adaptet sibi gens quælibet, quæ Ægyptijs non impar est. Dominus enim ipsam quoque propter peccata suo tempore & loco visitabit. Nam destinata est iam nunc dies supplicio. Quoniam Deus iustus est.

Cladis magnitudo.

Porrò cladis magnitudinem notatione quadam periphrastica adumbrat. Nam iubet Ægyptios ascendere in montem Gilead, in quo magna erat copia resinæ, cuius vsus erat in medicinis aut chirurgia. Inde enim parabantur empla stra ad vulnera curanda. Iubet inquam Ægyptios inde sibi resinam petere. Et cùm ibi ingens sit resinæ copia, interim non sufficiat medicandis vulneribus sau ciorum, quis hinc non colligat Ægyptios cladem accepturos à Babylonijs maximam? Est autem & medicina, medicinæq; effectus à Domino: qui cùm vires medicinæ non concedit, nullo cum fructu medicantur chirurgi. Nequit inquit, vulnus coalescere. Die wund wallet vnd heylet nit zů. Præterea fingit famam de strage Ægyptiorum mirâ celeritate per orbẽ pererrare, atq; ita ignominiam Ægyptiorum diffundi per omnes gentes. Famæ istius summa hæc erat, Impegit fortis in fortem, & corruerunt pariter. Vnde coniectura colligitur, Babylonium victoriam retulisse cruentam. Sunt qui admodùm gaudent victorias suas spargi quàm latissimè in gentes varias: sed isti cogitarent affore tempus aliquando, quo & ipsorum strages ore multorum sit celebranda. Dominus clemens & misericors misereatur nostri. Amen.

ORATIO IEREMIAE VIGESIMAPRIMA.

Sermone hoc altero denunciat Ieremias Aegyptijs vastationem totius regni, quam passuri sint à Babylonijs.

CONCIO CXLIIII.

Sermo quem locutus est Dominus ad Ieremiam prophetam, de aduentu Nabuchodonosoris Babyloniorum regis ad percutiendam terram Aegypti. Nunciate per Aegyptum, & prædicate in Migdal, Noph, & Thaphnes, dicite, Cõsiste, & para te: quia gladius deuorabit quæ circa te sunt. Cur prostrati sunt fortes tui, & non constiterunt? Quia Dominus impulit eos. Multiplicauit corruentes: quin quisque ruit in proximum suum, & dixerunt, Heus vos, redeamus ad populum nostrum, & ad natale nostrum solum à conspectu grassantis gladij. Clamauerunt isthic, Pharao rex Aegypti, designator temporum, circummisit vastitatem. Viuo ego, dicit rex ille, cuius nomen est Dominus exercituum, quòd quemadmodum Thabor inter montes, & quemadmodum Carmelus (excurrit) in mare, sic veniet. Fac tibi ô filia habitatrix Aegypti, vasa siue sarcinas ad transmigrandum: quoniam Noph redigetur in solitudinem, & vastabitur, vt nemo in ea habitet. Bucula speciosa est Aegyptus, excisor celerrimè venit ab Aquilone. Mercenarij quoque eius, qui sunt in ea, sunt sicut vituli saginati, ipsi quoque retrospexerunt, fugerũtq; simul, neque constiterunt: quoniam dies interitus eorum venit super eos, tempus visitationis eorum. Vox eius quasi æris sonabit, quia cum copijs irruent, & cum securibus venient sicut lignorum cæsores. Excindent saltum eius, dicit Dominus, qui numerari non

possunt:

possunt: plures enim erũt locustis, nec eris eis numerus. Pudefacta est filia Aegypti, tradita in manum populi Aquilonaris.

AFflixerat Dominus grauiter Ægyptios, sed extra regni limites: regnum manebat adhuc incolume, & illuc patebat fugientibus aditus. Quamuis ergo irreparabilem cladem perpessi fuissent, mitius tamen tractarat ipsos Dominus, quàm si commouisset tunc Babylonios ad persequendum eos, ac euertendum regnum Ægypti. Concedit ergo spacium pœnitentiæ, & vult bene vti eos illa disciplina. Sic egit aliàs sæpe cum populis bonus Dominus, præcipuè verò cum sceleratissimis Sodomitis, quos priusquam euerteret, bello graui per Orientales reges castigari curauit, sicut videre licet Genes. 14. Ac tum quidem liberauit afflictos & captos per seruum suum Abrahamum: cęterùm cùm hac disciplina non emendarentur, tandem funditus eos subuertit. Ita in præsenti quoque Ægyptiorum causa facit. Dum enim ipsi progrederentur in peccatis & sceleribus, & peccatis peccata accumularẽt, exactis annis circiter 23. à clade Charchemisia, adducit Dominus in Ægyptum Babylonios, qui vniuersum regnum subuertant: quę quidem calamitas superiorem superabat decuplo, imò centuplo. Ieremias ergo, iubente & inspirante Deo, secunda hac oratione sua multis verbis denunciat vastationem & excidiũ Ægyptijs. Debent hæc omnibus regnis præferre lucem, vt videant ipsa, quæ sint Dei iudicia, & si quando manum Domini percutientem sentiunt, sibi sedulò caueant, ne prouocent impœnitenti vita Dominum, qui tandem ea funditus extirpet.

Deus punit quidem, sed mitius, & concedit pœnitendi spacium.

Ex more suo titulum præponit orationi suæ. Titulus indicat Deum esse authorem huius vaticinij. Continet & argumentum & scopum orationis. Nam dicit orationem hanc scriptam esse de descensu regis Babylonij in Ægyptum ad vastandum eam. Mox oratorio & planè rhetorico more vastationem ipsam non tantùm narrat, sed & oculis contemplandam subijcit. Fingit enim regem vocare suos, & his in mandatis dare, vt celerrimo cursu per regnum currant, & passim proclament adesse in terminis regni hostem vastatorem, qui vicina quæque atterat atque deuastet: nisi ergo ipsi quoque perire velint, in armis sint omnes, concurrant, vt pro patria pugnantes hostem finibus pellant. Ibi præclaras nominat vrbes, Migdal, Noph, & Taphnes, quæ haud dubiè copiosum regi militem dederant.

Rex vocat Aegyptios suos ad arma.

Iam autem cum omnes in aciem produxit, atque adeò in hostem quoque eduxit ad confligendum, & iam iam confligerent, de repente clamat Ieremias, Cur fortes tui prostrati sunt? cur fuga quàm pugna sibi consulere maluerunt? atque ita elegantissimè significat, Aegyptium exercitum infeliciter pugnaturum pro patria, ac in fugam à Babylonijs pellendum. Causam autem mali huius apertissimè ostendit, cũ ait, Quia Dominus impulit eos, Gott hat jnen ein stoß gäben. Iterum ergo cernimus victoriam cœlitus conferri à Deo, & gentes alioqui fortissimas nullo Dei negotio sterni & dissipari. Porrò demonstrat etiam cladis magnitudinem, & quidem vno propemodùm verbo, Multiplicati sunt corruentes: id est admodùm multi ceciderunt in infelici illa contra Babylonios pugna. Apparet enim Ægyptios occurrisse Babylonijs in regni terminis, aut cum iam prętergressi essent regni terminos, sed fugisse mox, & aditum præbuisse hostibus.

Funduntur & fugiunt Aegyptij.

Et cum Ægyptus esset regnum opulentissimum, habuit non modò copiam mercatorum ingentem, sed & turbam ociosorum & inutilium hominum confertam, sectantium voluptates, vt hodie quoq; fit in amplis illis vrbibus & emporijs. Hos iam fingit turbatos vel attonitos ex clade, in complexum ruere socio rum, querulari, hortariq; mutuùm, vt relicta Ægypto, profugiãt in patriam, vn

Mercatores et ociosi homines diffugiunt in periculis.

de venerant, ne & ipsi gladio conscindantur vnà cum Ægyptijs. Muscis non immeritò comparantur huiusmodi homines, quæ aura calente & temperata, magna cum copia aduolant, & omnia opplent: vbi autem hyems appropinquarit, aut aura asperior flauerit, mox disparent, vt nullam alicubi videas. Et quidem homines tales, quorum Deus, aut venter est, aut mammon, in nullo periculo fortes sunt.

Rex euocatur ad resistendum hostibus.

Locus qui sequitur, Clamauerunt isthic, &c. variè legitur & exponitur. In Ægypto clamatum est, Pharao rex Ægypti (scias) quod qui constituit tempora, circummisit vastitatem. Referunt enim ad Deum, qui solus terminos rerum omnium scit, & prouidentia sua constituit. Ergo clamatur ad regem, nunc illud ad esse tempus, quod Deus dudum eõstituit, quo vastetur & pereat Ægyptus. Lutherus vertit, (Man schrey jnen nach/Pharao der künig ligt/er hat sin zeit gelassen. Quasi tu dicas, clamatum est, fusum esse Pharaonem, & desertis castris aut papilionibus fugisse turpiter. Alij parum diuersa à superioribus ratione illa enarrare videntur, O Pharao rex Ægypti, tumultus, præterijt tempus præstitutum. Simplicius fortè si explicaueris, Clamauerunt ibi, Pharao rex Ægypti, tumultus, transiuit limitem. Id est, in Ægypto clamatum est ad regem Aegypti, Tumultus, ad arma, ad arma. Nam Nabuch. capto Pelusio, & superato limite, iam in ipsa Aegypto est: proinde armata manu ipsi occurrendũ est. (Man schrey da/Pharao künig Ægypti/vfrůr/vnd dran/er ist schon über die march. Proinde fingit per totum regnum conclamari ad arma, à rege postulari, vt cum hostis irruit in regnum, ipse obuiàm procedat.

Iurat Deus & cõfirmat hæc.

Quia verò impossibile videbatur vt rex aliquis, potentissimus licet, irrueret in Aegyptum, & hanc vastaret, confirmat Deus iureiurando, hoc omnino futurum. Iurat enim Deus, exercituum Dominus, solita iurandi formula, Viuo ego Deus, quòd quàm firmiter stant montes nec concidunt, neque Carmelus qui in mare procurrit, & fluctibus quatitur, vllis cedit vndis furẽtibus, tã certò veniet in Aegyptum Babylonius. Similis confirmatio habetur etiam Isaiæ 54. Ne itaq; de iudicijs Dei dubitemus, scientes credentesq; complenda esse omnia, quæ ore Domini nobis proponuntur.

Aegyptus parat se ad transmigrationem.

Conuerso autem sermone ipsam nunc Aegyptum alloquitur, mandans ei, vt sarcinas componat, & reculas suas colligat. Nam migrandum ei ex solo patris. Potentissimas enim maximasq; vrbes omnino vastandas fore, neque quenquam illas inhabitaturum amplius. Par verò pari, quod dici solet, referebatur. Hactenus enim exteris bellis, suis sedibus pepulerant & eiecerant multas gentes: nunc itaq; vice versa Babylonij eadem eis mensura remetiebantur, qua ipsi alijs fuerant mensi. Vtinam nationes fortes & bellicosæ ista apud se rectius expenderent: ita enim minus mercenariam militiam probarẽt, vel ipsi in militiam excurrerent.

Aegyptus bene pinguis buculæ mactationi destinata.

Comparat iam etiam Aegyptum speciosæ & bene pinguí buculæ, idq; propter luxum & delitias. Obesa erat, & in voluptatibus vixerat. Quia verò Iacobus Apostolus, In delitijs, inquit, vixistis super terram, & lasciuistis, enutristis corda vestra ad diẽ occidionis vel mactationis, iccirco addit hic quoq; Ieremias, ab Aquilone celerrimè aduolare mactatorem, id est venturos Babylonios, qui bene curata cute Aegyptios iugulent. Hæc rursus diligenter inspiciant, qui nihil magis quàm voluptates curant, & se saginant delitijs. His enim certò mactatores destinati sunt, qui ipsos iugulent. Neque enim Deus diutius fert insolentiam voluptuariorum hominum.

Conductitij milites fallunt & ipsi.

Alebat Aegyptus Cares vel mercenarios milites, in quos non modicum fiduciæ collocabat, quasi hi vitam essent posituri & fortiter pugnaturi pro Aegy-

protsed

pto: sed hi quoque cuticulam suam curabant. Erant voluptuarij, ebrij, comedones, & fracti mollesq; facti delitijs: sicut fieri solet. Vocat hos vitulos saginatos, & ideò parum amplius militiæ idoneos. Tales proponit nobis milites scriptura sancta in libris Iudicũ, Moabitas, sub rege Aeglone, qui vnà ab Israelitis obtrũcati sunt omnes. Tales fuisse leguntur Hannibalis milites in Campania, quibus ocium & voluptas plus nocuit quàm gladius. Hi quoque non constiterunt, inquit propheta, sed & ipsi retrospexerunt, Aegyptum non liberarunt, sed ipsi quoque perierunt. Causa huius calamitatis, Quoniam dies interitus eorum venit super ipsos, &c. Dudum iratus fuit eis Dominus, propter insolentiam & mores militares, statuit eos punire, & nunc quidem aderat tempus vindictę, oportuit ergo ipsos deleri iuxta iustum Dei iudicium. Cur itaque Christiani tantum spei collocamus in mercenarios milites, qui cum madeant sanguine, fœteant ebrietate, scortatione, & omni immunditia, turgeant denique horrendis & abominabilibus blasphemijs, cur speramus tales à ceruicibus nostris hostes depulsuros? Quod hic euenit Aegyptijs, idem nobis quoque eueniet, nisi Deum timuerimus. Meminerimus semper diem visitationis peccatorum esse destinatam à Deo.

Variant interpretes & in his quæ sequuntur. Alij enim legunt, Vox eius vt serpentis incedit. Referunt hęc ad Ægyptios, qui submisse loquuturi sint in istis periculis, quorum clamores & tripudia hactenus non potuerint compesci. Lutherus & vulgaris versio simplicior esse videtur, Vox eius vt æris sonabit, Sy farend dahar/daß der harnisch braſtlet oder klinglet vnd klipperet. Fingit enim hostes aduentare imò irruere horribili cum armorum fragore. Sequitur enim, Quia cum copijs irruent, &c. Comparat item milites robustis lignorum cęsoribus, qui mittantur, vt saltum vel syluam aliquam excindãt: id est, qui totum regnum Aegypti floridum deuastẽt. Hi erant Babylonij instructi à Deo. Timeamus ergo Deum: qui cum voluerit, tam nullo negotio amplissima regna excindere potest, quàm rusticus aliquis syluam suam per seruos suos deijcere. Præterea comparat Babylonios locustis, idq; propter copiam: Dicit enim ipsos numerari non posse. *Aduentus hostiũ terribilis.*

His omnibus subiungit epiphonema vel acclamationem, & ait, Confusa est filia Aegypti, &c. & tradita in potestatem Babyloniorũ. Oremus ne nos quoq; tradamur propter peccata nostra in manus hostium.

Pergit commemorare iudicium Dei iustum cõtra Aegyptios, sub finem læta promittit Iudæis.

CONCIO CXLV.

Dixit Dominus exercituum Deus Israelis, Ecce ego visitabo Ammon de No, & Pharaonem atq; Aegyptum, deos eius & reges eius, Pharaonem & eos qui fidunt eo. Et tradam eos in manum quærentium animas eorum, & in manum Nabuchodonosoris regis Babylonis, atq; in manum seruorum eius: & post ista habitabitur quemadmodum retrò temporibus, dicit Dominus. Tu vero serue mi Iacob, ne timeas, & ne formides Israel: quoniam ecce ego de longinquo seruabo te, atq; semen tuum de terra captiuitatis tuæ, & redibit Iacob, quiescet & ditabitur, & non erit qui exterreat. Ne timeas serue mi Iacob, dicit Dominus: quoniam ego tecum sum. Consummationem faciam in omnibus gentibus, in quas te propuli: te autem non consumam: at corrigam te in iudicio, nec tamen ad purum putum excoquam te.

Dominus visitabit Aegyptũ

A B initio iterum inculcat ea, quæ sit dicturus, esse verbũ Dei: & quod prius dixit, iterum repetendo asserit, se visitaturum Aegyptios, id est puniturum grauiter. Intelligunt autem alij per Ammon populum ac multitudinem de No, quam volunt esse Alexandriam. Vulgata interpretatio legit, Tumultum Alexandriæ. Lutherus vertit, die wercklüt zů No. Sunt qui existiment Amon proprium fuisse nomen regis Alexandrini, qui regnauerit ibi sub Pharaone. Copiose exponit quos visitaturus sit Dominus, principiò quidem totam multitudinem populi in No, atq; adeò in reliquis quoq; vrbibus Pharaonem ipsum & Aegyptum, regnum eius, & deos eius, totum inquam cultum illum idololatricum, quem vnà cum templis sustulerunt Babylonij. Reges principes intelligit, qui passim sub Nechaone regnabant longè & latè per Aphricam. Repetit se puniturum Pharaonem, denique omnes in ipsum confidentes. Hi erant Iudæi, qui ideò confugerant in Aegyptum. Maledicit autem propheta omnibus confidentibus in homines, sicuti videre licet Ieremiæ decimo septimo capite. Proinde nihil vspiam tutum erit. Deo enim progrediente ad vindicandum, corruunt omnia.

Modus visitationis.

Modum autem visitationis mox exponit plenius, Tradam, inquit eos in potestatem illorum, qui nihil magis sitiunt quàm Aegyptiorum sanguinem. Post illa ex magna misericordia promittit eis saltem aliquam restitutionem. De qua licet copiosiora legas apud Ezechielẽ cap. 29. Verè itaq; dicunt & prædicãt prophetæ, misericordia Domini plenam esse terram, & bonitatis eius non esse vllum modum. Nemo itaq; desperet in peccatis suis. Si enim Aegyptios castigatos restituit post annos 40, quid non speret boni quilibet peccator, qui credit Christum sibi esse donatum?

Iudæis prædicatur Euangelium.

Et quoniam Ægyptijs meliora iam promisit, pergit & Israelitis annunciare Euangelium, ne dicerent omnes Dei promissiones falsas esse vanasq;. Consolatur itaq; captiuos, ac asserit se liberaturum ac seruaturum ipsos. Amicè compellat ipsos, vt Dei seruos, iubet ipsos animo esse explicato & minimè solicito. Verba eadem antea quoq; non semel habuimus: proinde non est quod sæpius dicta repetamus. Constat illa esse adimpleta sub Sorobabele & Iesu summo pontifice, plenius tamen sub Christo & Apostolis, plenissimè autem implenda fore, in restitutione omnium, in vltimo inquam iudicio. Vera enim felicitas in Christo datur, in quo est omnis plenitudo. Neque verò absoluitur illa plenè in præsenti sæculo: absoluta felicitas est sæculi futuri.

Diuersa ratione punit Deus fideles & infideles.

Sub finem elegantissimam subijcit doctrinam de castigatione, Ne timeas, inquit, serue mi Iacob, dicit Dominus, quoniam ego tecum sum, &c. Diuersissima ratione punit Deus fideles & infideles. Fideles castigat in iudicio cum æquitate, mit maaß. Castigat inquam ne insolescant, simul etiam fidem auget, & patientiam confert, tandem & malis omnibus liberat. Infideles autem penitus tollit è medio: & si quando felicitatem eis concedit in hoc seculo, breuissima tamen & spinis plena est: vbi hinc autem migrauerint, cum diuite epulone demerguntur in tartara, & perpetuis mancipantur supplicijs. Variè quoq; redditus est hic locus. Sed eadem verba inuenies in 30. cap. quæ nos exposuimus Concione 97. Ie circo lectorem illuc remitto. Domino sit laus.

ORATIO IEREMIAE VIGESIMA SECVNDA.

Vaticinatur Palæstinis interitum per Nabuchodonosorem.

CAP.

CAPVT XLVII.

CONCIO CXLVI.

SErmo Domini qui factus est ad Ieremiam prophetam aduersus Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam. Sic dicit Dominus, Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & exundabunt in torrentem, inundabuntq; terram, & quicquid in ea est, vrbes cum habitatoribus suis. Et clamabunt homines, atq; vlulabunt omnes habitatores terræ, à strepitu incessus vngularum caballorum eius, à tumultu curruum eius, & à fragore rotarum eius. Non respexerunt patres ad filios præ remissione manuum, propter diem quo aderit ad vastandum omnes Palæstinos, ad excindendum Tyrum & Zidonem, atque omnes reliquos auxiliatores: quoniam vastabit Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Caphtor. Venit caluitium in Gazam, ad silentium redacta est Ascalon cum reliquijs vallis ipsorum. Quousque te lanias? Eheu mucro Domini, quousque non cessabis? redi in vaginam tuam, quiesce & cessa. Quomodo verò cessaret, cùm Dominus præceperit ei aduersus Ascalonem, & aduersus littus maris, vbi constituit eum?

ORATIO hæc 22. ordine, contra gentes verò 3. titulum habet sicuti & aliæ omnes. Ostendit Titulus initiò Deum authorem, deinde contra quos sit dicta, cõtra Palæstinos. Fuit ea gens vetustissima ex Mizraim, vt à Mose in originibus exponitur: fuit ea denique infensissima Dei populo, quod testatur historia Iudicum & Regum. Habuit Satrapias quinq;, quę recitantur in 1. lib. Sam. Fuerunt Palæstini opulenti & in loco vberrimo, amœnissimo, accommodatissimoq; sibi, fuerũt fortes & victorioſi. Sed nolo nunc copiosius ipsorum proscqui historiam ac laudes. Superstitionis patriæ fuerũt studiosissimi, & plus quàm peruicaces. Sæpe quidem inuisit ipsos Dominus plagis suis: sed ipsi perpetuò antiquum obtinuerunt. Pharao quoq; Gazam cœpit, & ipsos afflixit: sed cùm resipiscere nollent, vergerent autem subinde in deterius, Dominus iusto iudicio eos excidit per Nabuchodonosorem. De quo excidio nunc fit sermo. Tempus etiam ostenditur, quãdo sit per Ieremiam dicta, antequam Pharao Gazam percuteret. Quod alij factũ arbitrantur decimo Zedechiæ anno, alij verò, quod verisimilius esse videtur, quarto anno Ioachim, quando Pharao ascenderet pugnaturus in Charcemis. Tunc enim & aliæ orationes dictæ sunt. *Palæstini.*

Comparat exercitum Nabuchod. hostilem inundanti aquæ, quam vt nemo prohibere potest, ita facilè omnia loca inundat, lateq; occupat & perdit. Frequentissima est illa comparatio in Psalm. & Prophetis, adde & in poetis gentilium. Sicut autem flumen vel torrens impetu suo tollit, & secum aufert quæ deprehendit, sic fingit Babylonicum exercitum omnia Palęstinorum perditurum. Subiungit enim, Inundabunt terram, & quicquid in ea est, vrbes cum habitatoribus suis. Ea est diuina & inuicta Dei potentia, cui nemo resistere potest. In sequentibus allegoriam vel parabolam aquarum interpretatur, ac dicit aduenturum validissimum Babyloniorum exercitum. *Babylon. exercitus flumini similis.*

Exponit enim, & veluti oculis contemplandam obijcit miseram rerum istarum faciem. Qui enim olim fuerunt milites inuicti, iam in mulieres commutati videbantur, adeoq; tota gens intrepida olim & terribilis omnibus vicinis gentibus, modò clamabit, & luporum instar vlulabit præ dolore & metu aduentantis exercitus. Pergit enim Ieremias paucis verbis adumbrare terribilem hostilis exercitus apparatum siue potentiam. Sunt in exercitu illo equites ca- *Consternatus pauore populus.*

taphracti, vtentes equis feroçibus & generosis, sunt falcati currus multi, & ita instructi, vt vel incessu cursuq; validissimo & sonoro terrorem incutiant omnibus. Huiusmodi verò instrumentis bellicis, fragoribus, & tumultuosis sonorisq; rebus Palæstini semper delectati sunt, ideo nunc ijsdem satiantur abundè, ceduntq; ipsis ad interitum. Sic eueniet alijs quoque omnibus non dissimilibus Palæstinis.

Iterum amplificat metum atque terrorem ex aduentu hostium conceptum. Attribuit enim eis manus remissas, qui gestus est debilium, vel eorum qui præ formidine vix vitalem retinēt spiritum. Nos dicimus, Mir sind händ vnd füß empfallen. Præ timore nec pes, nec manus suum facit officium. Sed de hac locutione antea quoq; dictum est. Tantus verò erit in Palæstinis terror, vt naturalis etiam affectio sit adobruenda. Pater enim in fugam effusus, non respiciet ad filium. Id quod horribile admodùm est. Ac potentissimas affectiones esse necesse est, quæ pellunt, quas storgas nuncupant. Sceleratum quoq; esse videtur, obliuisci liberorum, aut negligere hos. Sed punit ita Dominus homines nimium studiosos liberorum. Solliciti sunt pro illis, quomodo euehantur in opes & voluptates, nulla cura est de pia educatione & pietate. Euenit itaq;, vt cum omnes contemnunt Deum, tam liberi quàm parentes, negligantur & ipsi à Deo in periculis, & exuant omnem in se affectionem mutuam.

Nemo eripiet ex manibus Domini.

Addit porrò vastandum per Babylonios totum illum maris tractum Tyrum & Zidonem vsque, & omnes Palæstinorum auxiliarios, ne quid spei superesset reliqui. Si autem iratæ Dei manui non potuit resistere tractus ille maris & munitissimus, & potentissimus, opulentissimusq;, quæ, oro, gens posthac eruetur ex manibus Dei vindicantis in die illa cuilibet genti destinata, peccata contra Deum & proximum admissa? Sunt autem Caphtorim non illi Cappadoces, de quibus historici, sed in confinibus Palęstinorum, vt ex hoc loco manifestè colligitur. Cappadoces enim circa Pamphyliam ad mare Euxinum vltra Armeniam maiorem habitant. Caphthorim dicuntur fratres Philistijm. Genes. 10. Hæc ex doctissimis Ioan. Oecolamp. Commentarijs huc transcripsi, quòd eius sententia videatur verisimillima.

Calamitatis descriptio.

Porrò suffigurat calamitatem gentis Palæstinæ hypotyposi. Dicit enim calui tium venisse super Gazam, id est Gazeos euellere præ mœrore & doloribus comam. Hactenus comam nutrierunt & ornarunt. Cultus corporis luxuriosus fuit & vanus: vices verò iam vertuntur, & succedit omnium pariter rerum turpitudo & deformatio. Similis locus est apud Isaiam in cap. 3. Hæc expectent, qui totos dies se ornant, & vestibus incedunt ornati vsq; ad deformitatem. Adijcit & Ascalonem redactam esse ad silentium. Hactenus illa clamosa fuit. Auditæ sunt in ipsa iactationes gloriosæ, tripudia, iubilationes denique vino & fortuna temulentorum hominum, nunc verò compescuit, & ad silentium redegit eos Dominus. Per duas autem has excellentiores vrbes, cæteras Palæstinorū intelligit, Asotum, Accaronem, & Geth vel Gath, & quæcunq; ad has vrbes pertinebant. Nam in præsenti addit, Cum reliquijs vallis eorum. Alloquitur iam etiam Palæstinos, & ait: Quousq; lanias vel laceras te? Significat ergo maximis eos calamitatibus esse inuolutos. Hic enim est gestus doloribus & calamitatibus oppressorum. Vnguibus enim vultum arant, vestes lacerant, & clamoribus aera complent. Affingit iam etiam illis voces, quas dolor eis exprimat. Clamant enim, Eheu mucro Domini, &c. Optant votis quàm ardentissimis finem malorum, vt bellum cesset, redeat pax & tranquillitas. Cæterùm mox ostendit huiusmodi votis nihil profici. Nam veluti per subiectionē subdit, Quomodo verò cessaret? &c. Frequens est in hisce capitibus personarum mutatio; id quod facit ad affectus

affectus exprimendos & concitandos. Ideo verò nullus finis malorum, quòd Dominus iudicio suo iusto mandarit ea in gente illa fieri, quæ fiunt. Iubente autem Domino, quis prohibebit quod ille fieri iusserit? Ita nos non raro clamamus, Nolumus famem, nolumus bellum, nolumus pestem: volumus pacem & felicitatem: sed quia hæc non sunt in manibus nostris, frustrà volumus, aut nolumus. Præstaret autem in tempore obuiam ire Domino cum pœnitentia, ne aliquando ad hunc modum opprimeremur, sicuti audimus oppressos esse Palæstinos. Dominus liberet nos ab omni malo. Amen.

ORATIO IEREMIAE VIGESIMATERTIA.

Vaticinatur & Moabitis Ieremias interitum per Babylonios.

CAPVT XLVIII.

CONCIO CXLVII.

Contra Moab, Sic dicit Dominus exercituum Deus Israelis, Væ Nebo-ni, quia vastata est, pudefacta & capta est Kiriathaim: pudefacta est Misgah, & confracta. Non est vltra gloriatio in Moab: super Hesbon cogitauerunt malum, Agite excindamus eã, ne sit gens. Et tu Madmena ad silentium redigeris, gladius te persequetur. Vox clamoris de Horonaim, vastitas & clades magna. Contrita est Moab, annunciauerunt paruuli clamorem eius. Siquidem per cliuum Luhith ascendet in fletu & ploratu: quia in descensu Horonaim clamorem vastationis, quem hostes (ediderunt) audierunt, Fugite, seruate animam vestram, & myricæ in deserto estote similes. Pro eo quod confisa fuisti in munitiones tuas, & in thesauros tuos, tu quoque capieris, & Chamos in captiuitatem abibit, sacerdotes quoq; eius, & principes eius simul. Et veniet vastator super omnes vrbes, & vrbium nulla euadet: peribunt valles, & campi vastabuntur, quemadmodum dixit Dominus. Date alas ipsi Moab, vt ocyßimè auolet: nam ciuitates eorum desertæ erunt, vt nemo in eis habitet. Maledictus qui facit opus Domini dolo malo, & maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.

ORATIO quæ ordine est 23. contra gentes verò 4. titulum habet, sicut & reliquæ contra gentes. Ostenditur titulo contra quos dicta sit, & quo authore profecta, nimirum Deo authore contra Moabitas. Moabitæ & Ammonitæ gentes robustissimę & potentissimæ descenderunt ex Loth, qui suscepit duos filios ex incestuoso concubitu cum filiabus, quemadmodum narrat in Genesi Moses. His gentibus contulit multa & magna beneficia Dominus. Nam cùm nuper nudus & inops ex Sodoma effugisset pater ipsorum, filij tamen breui tempore maximas sunt opes consecuti: vt vix alia in Oriente esset æquè populosa, diues, & victoriosa, terribilis & celebris gens. Cæterùm parùm, quod sit, Deo grati fuerunt, declinaruntq; in idololatriam, ac polluerunt se sceleribus nefarijs. Fuerunt enim insolentes, superbi, glorioſi, aliarum gentium contemptores, crudeles, sanguinarij, libidinosi, ebrij, & per omnia luxu perditi. Cùm Israel ex Ægypto egrederetur, pepercisset eis, nisi incentore Balaamo Israelitas pellexissent per filias in peccatum contra Dominum. Ideò enim iussit

Moabitæ qui.

eos inuadere & cædere: quod copiosè exponitur in libro Numerorum. In libro Iudicum & Regum varia leguntur de ipsorum conatibus contra populum Domini. Attriti tamen sub Iosaphat & Ioram, refloruerunt vsq; ad hæc tempora, quibus à Deo perdendi excindendiq; prædicantur. Copiosa & elegans est hæc oratio contra ipsos dicta. Videtur Ieremias aliquo modo imitatus esse Isaiam, qui suis temporibus Moabitis cladem prædixit, quam perpessuri fuerant à Sennacherib rege Assyriorum. Ex omnibus his discimus, nullam gentem adeò validam & inuictam esse, quæ non possit frangi diuina potentia: proinde Deum semper esse metuendum, ac bene vtendum eius beneficijs.

Concidit arrogans gloriatio.

Ab initio nominat vel perstringit nobiles vel præclaras aliquot Moabitarum ciuitates, vt Nebonem & Kiriathaim: has dicit captas, vastatas, confusas esse. Misgah alij arbitrantur proprium esse vocabulum ciuitatis: alij appellatiuum esse arbitrantur, & exponunt arcem munitissimam. Et quod sequitur, Confracta est, alij interpretantur, metu perculsa est. Moabitæ glorioſi admodùm fuerunt iactatores suarum opum & victoriarum: iam verò dicit propheta gloriationem illam concidisse, nec vllam esse amplius in Moab gloriationem. Ita verò semper cadit gloriatio superborum. Hesbon videtur præclara & regia fuisse ciuitas, in qua ferè comitia celebrabantur regni: in ea capiebantur varia contra multas gentes consilia: ergo aliæ gentes quoq; nunc communicant inter se consilia contra ipsam, ac dicunt, Agite excidamus eam, &c. Verissima ergo est hic quoque vulgaris illa sententia, Malum consilium consultori pessimum: & qui mala contra alios consilia ineunt, in ipsis capiuntur tandem & ipsi ac euertuntur. Madumena insolens fuit. Fuerunt in ipsa exultationes, chori, tripudia, cãtica & clamores: sed redacta est & ipsa ad silentium, & vt nos dicimus, Sy ist gsetzt/vnd geschweigt. Dominus enim pronunciat in Euangelio & dicit, Væ qui ridetis: flebitis enim, &c. Modestia, humilitas, & temperantia his omnibus commendantur.

Miserabiles pereuntium clamores.

Consequentibus aliquot versibus mirabili euidentia describit miseram regni potentissimi faciem. Fingit enim varios & luctuosos clamores. Nominat loca in quibus clamor sit excitandus. Et quidem in Horonaim clamores erunt de clade ingenti accepta, & de vastitate lugubriter querimoniam instituentes. Sed & pueri vnanimi concentu prædicabunt Moab attritam esse. Per cliuum Luith ascendent Moabitæ, & deplorabunt miseram sortem suam. Quid quod tam misera erit vastitas & vastatorum miseria, vt ipsi quoque hostes descendentes per cliuum Luith, deploraturi sint pereuntium vices? Illi ipsi commiseratione quadam commoti iubebunt Moabitas fuga sibi vitam conseruare, ac se abdere alicubi in deserta loca, vbi instar myricæ solitariꝰ lateant. Tam grauiter videlicet punit hostium suorum scelera Deus, quando nequicquam concesso pœnitentiæ spacio, nullam pœnitentiam videt in quoquam.

Fidere munitionibus.

Miscet etiam malorum causas. 1. Confisa fuisti in munitiones tuas. Simpliciter nuncupat opera, sed munitiones intelligit. Est autem grande malum, quod superius quoq; audiuimus, confidere in ea ædificia, quæ manibus suis homo extruxit. An non hoc est confidere in opera manuum suarum? Fidere iubemur toto corde Domino Deo nostro, & toti pendere ab ipso. 2. Confisi fuerũt Moabitæ etiam in diuitias vel in facultates suas, vel in suos thesauros. Scriptura iubet nos cõfidere Deo, qui affatim suppeditat nobis necessaria omnia. Sic enim Apostolus docet 1. Tim. 6. Capieris, inquit, vnà cum tuis opibus, neq; hę liberabunt te. 3. Coniungit his scelus idololatriæ. Nam Chamos fuit Deus, vel idolum Moabitarum. Quale hoc fuerit, propter vetustatẽ nemo facilè dixerit: quidam arbitrantur Priapum fuisse; hoc autem certum est, eum cultum quem Deo soli de-

soli debuerunt, falso huic Deo qualis qualis fuit impendisse. Vnà ergo dicit in captiuitatem abducendos, & Deum ipsum, & sacerdotes & principes. Proinde apparet hunc siculneum fuisse Deum, qui neque semetipsum, neque cultores suos redimere aut liberare potuit ab impendentibus malis. Hæc omnia & singula nobis quoque applicanda sunt, qui ipsi etiam confidimus non tantùm in opes, in ædificia nostra, sed & in merita nostra, & in deos vel diuos, quos delegimus nobis.

Rursus de vastatore Babylonio & vastatione regni loquitur. Dicit nullam vrbium seruandam, omnia quæ in campestribus locis, in montibus & vallibus sita sunt, certò deijcienda & complananda fore. Præterea iubet Moabitas optare alas sibi dari, quibus ex tam horribili vastatione auolent ocyssimè. Nam nihil relinquendum integri. Alij pro alis reponũt germina. Quia vastandi estis, opus erit nouo quodam germine aut surculo, vnde noua enascatur plantatio. Significantur his omnibus vastitates regni irreparabiles. *Vastabitur regnum.*

Postremò commemoratur sacramentum militare, quo Babylonij milites omnes astringuntur, ne vlli Moabitarum parcant, imò vt omnem crudelitatem, cùm in ipsos, tum in omnia ipsorum exerceant. Ita enim oportuit illos tractari, qui nemini etiam iam per annos plurimos pepercerant. Latissimè verò patet hæc sententia ad omnia à Deo iniuncta officia. Nam qui officium accepit à Domino, nec illud strenuè exequitur, meritò maledicitur ei à Deo. Benedictio Dei confertur omnibus sua munera strenuè obeuntibus. Cauendum verò ne quis præsenti loco abutatur, quasi iubeatur proprio arbitrio sæuire in quoslibet. Mãdatum hoc peculiare est, & pertinebat ad magistratum. Quia Nabuchodonosor magistratus erat constitutus à Deo. Magistratus ergo iubetur strenuè exequi iudicia contra sontes. Orandus ergo Dominus, vt prohibeat ne quid hic priuato affectui indulgeatur.

Pergit Ieremias in descriptione vastationis Moabitarum.

CONCIO CXLVIII.

Felix & securus fuit Moab à pueritia sua, & quiescens in fecibus suis, neque defecatus est de vase in vas, & in captiuitatem non abijt, hinc est vt sapor eius duret in eo, & odor eius non sit immutatus. Propterea, ecce dies venient, ait Dominus, vt mittam eis vietores qui transuasent ipsum, et vasa eius euacuabunt, & lagenas eius collident. Et pudefiet Moab à Chamos, quemadmodum pudefactus est Israel à Bethel, spe sua. Quomodo dicitis, Fortes sumus & viri ad bellandum strenui? Deuastata est Moab, ciuitates eius succiderũt, & electi iuuenes eius ad lanienam descenderunt, ait rex, cui nomen est Domino exercituum. Accelerat interitus Moab ad veniendum, & calamitas eius properat vehementer. Condolete ei omnes qui estis per circuitum eius, atq; omnes qui cognoscitis nomen eius, dicite, Quomodo confractus est baculus fortis, virga præclara? Tu quoq; filia quæ Dibon inhabitas, descende ex gloria, & sedeto in siti. Nam vastator Moab contra te ascendet, & dissipabit munitiones tuas. Et tu, ô habitatrix Aroer, sta ad viam, & contemplare, interroga fugientem & euadentem, & dic, Quid accidit? Pudefactus est Moab, quia contritus est, vlulate & clamate, annunciate in Arnone, quòd vastatus sit Moab. Et iudicium veniet ad terram planam, ad Holon, ad Iahazam, ad Mepath, ad Dibon, ad Nebo, & ad domum Diblathaim, ad Kiriathaim, ad domum Gamul, ad domum Meon, ad Kerioth, & ad Bozra & ad omnes vr-

bes terræ Moab, longè vel propè sitas. Resectum est cornu Moab, & brachium eius confractum, dicit Dominus.

PRosequitur diuinus propheta miserabilem Moabitarum interitum, ad terrorem omnium aliarum gentium, si fortè miserando casu Moabitarum admonitæ, resipiscant & incolumes maneant. Nam sicut Petrus testatus est, omnes qui Deum metuunt, Deo acceptos esse: ita cõsequens est, Deo displicere omnes, qui ipsum contemnunt. Et quidem Moabitæ habuerunt, sicut de Romanis testatur Apostolus, legem naturæ scriptam à Deo in corda: habuerunt ob oculos excidium Sodomæ, & varios casus Iudaicæ gentis, sed nihil his sunt commoti: proinde iusto Dei iudicio perierunt. Cum verò nos non tantùm illa omnia, sed multò plura habeamus documenta & exempla iudiciorũ Dei, amentes sumus, si non resipiscamus. Ab initio protinus allegoria quadam pulchrè complectitur, & peccatum & pœnam Moabitis irrogandam. Abundabat ea regio præstanti vino. Ad vinum ergo alludens, ipsos Moabitas ait similes esse vino nunquam defecato aut transuasato, iccirco illos retinere saporem, odoremq; feces referentem. Addit paucis verbis horum omnium expositionem, & dicit, In captiuitatem non abijt. Hoc inquam est quod adumbrauit per vinum nunquam defecatum. Eam ob rem insolentes fuerunt Moabitæ & securi, inquit, existimantes se capi non posse, sed inuictam esse gentem. Ea superbia & arrogantia offenderũt Dominum: qui victores ipsis mittit, nimirum Babylonios, quos contra ipsos adducit ex Oriente, vt transuasent, id est, captiuos abducant, dolia verò infringant atq; lagenas collidant, id est, qui totum regnum Moabiticum deuastent. Omnes itaq; gentes fecibus suis insidentes & gloriantes securè, exitio suo admodùm vicinæ sunt. Timeant ergo omnes Dominum, & modestè vtantur donis Dei. Superbos enim & superbiam odit Dominus. De quo postea dicetur.

Moabitæ nunquam transuasati.

Præterea taxat in Moabitis idololatriam ac peruersum Dei cultum. Ingentia beneficia contulerat in Moabitas Dominus: sed illi ingrati Deo, Deum non colebant, sed confinxerant sibi Deum nouũ Chamos, aut receperant hunc cum peregrino cultu à maioribus suis, qui confinxerant Deum hunc alienum. Qualis Deus fuerit, propter vetustatem (quod modò etiam dixi) nemo facilè & certò dixerit. Apparet fuisse creaturam aliquam excellentem, cui perperam tribuebãt quod Dei erat: sicuti hodie quoq; superstitiosi homines faciunt: aut Deũ ipsum hoc nomine nuncupabant, colebantq; illegitimé. Dicit autẽ confundendos ipsos ab illa sua spe. Spes eorum erat Deus ille tutelaris siue patronus: sed in periculis ipsos asserere & liberare non potuit. Apponit exemplum Israelitarum, qui & ipsi deficientes à legitimo Deo & cultu, confinxerant sibi in Bethel & vitulos & cultum, qui ipsos ab Assyrijs liberare non potuit. Quemadmodum ergo, ait Ieremias, in summo discrimine Israelitæ confusi sunt, & frustrati spe sua, ita eueniet etiam Moabitis. Petitur hinc generalis doctrina, nullum illegitimum cultum prodesse suis cultoribus. Proinde Deum solum esse colendum, ac ita esse colendum, vt ipse nobis verbo suo præscripsit.

Peruersus Dei cultus.

Vituperat porrò aliud scelus Moabitarum. Stupenda enim arrogantia iactabant robur corporis, & peritiam rei militaris: præ se contemnebant omnes alias gentes, quasi ipsi soli essent viri & heroes inuicti. Proinde dicit Ieremias, Qua fronte audetis robur & peritiam rei militaris iactare? Experiemini longè robustiores & peritiores in militia Babylonios. Horum enim fortitudine & solertia, vastabitur totum regnum: ciuitates Moabiticæ ascendent: addunt hic alij per ignem, giengend im fhür vf. Lutherus vertit, sind erstigen: id est, captæ. Munitiones ergo non eripient ab impendentibus malis. Selecta iuuentus,

Arrogantia Moabitica.

iuuentus, belli flos, descendet quidem ad pugnam satis alacriter & ferociter, sed vt mactetur: ergo descendet veluti oues & vituli in lanienam. Ne quid autem dubitarent de his omnibus, adijcit, Hęc dicit rex ille, qui nuncupatur Dominus exercituum: qui vt verax est, ita & omnipotens est, faciens in cœlo, in terra, & in omnibus creaturis, quæcunq; vult. Itaq; stultissimi sunt, quotquot fidunt munitionibus, & militibus fortibus, Deum autem non metuunt, qui fortissima quęq; debilitat ac dejcit, quando ipsi visum fuerit.

Iam etiam affirmat hunc Moabitarum interitum esse in foribus: nimirum quòd isti hæc contemnerent, & dicerent, sicuti hodie permulti dicunt, Priusquã hæc fiant, nos qui nunc viuimus, mortui erimus: aut, Qui sibi timet, induat loricam, & armet se bipenni. Asserit itaq; calamitatem illam impendere modò ceruicibus ipsorum. Rursus item amplificat calamitatis magnitudinem, dum iubet omnes vicinos condolere afflictis. Sic enim significat Moabitas maximis calamitatibus opprimendos fore. Quinimò adducit qui per admirationẽ dicant, Quomodo confractus est baculus fortis? Hactenus enim Deus robore ipsorum ceu baculo aut virga vsus fuerat in puniendis aut affligendis hostibus suis. Id quod Moabitæ non agnoscebant, omnia tribuentes suæ fortitudini. *Calamitas insoribus.*

Nunc etiam cõuertit singulariter sermonem ad pręclaras aliquot vrbes Moabiticas, quas & ipsas capiendas vastandasq; dicit. Dibon videtur munitissima fuisse, & aquis circumfusis inaccessa. Verùm propheta ait ciues Dibonitas laboraturos siti, id est aquas circumfluas non prohibituras hostem: sed hunc irruptu rum, vastaturumq; omnes munitiones alioqui inuictas. Ita alloquitur & Aroer ciues nimirum Aroeritas, quos iubet consistere in compitis (quæ quidem est egregia prosopopœia) ac fugientes interrogare, Quid factum sit & quid fiat? Ita enim fit tempore belli, cum ad alia loca homines fuga elabuntur, patria iam capta & ignibus succensa. Fingit præterea fugientes rogatos respondere, Pudefactus est Moab, &c. quæ omnia quidem satis clara sunt. Quid autem dicent, cum hæc legunt, qui accusant sacras literas, quasi sine arte scriptæ sint? Credo sanè ipse etiam, prophetas & Apostolos non affectasse artem: certum est tamen tã perspicuè & tam eleganter scripsisse, vt qui artem affectarunt, & laudem meruerũt, in ijs nihil habeant illis elegantius. *Contra præclaras Moabitarũ vrbes.*

Multas vrbes consequenter nominatim perstringit in campestribus Moabiticis sitas. De quibus non est quod copiosius disseram. Petantur ea à Cosmographis. Iudicium verò appellat supplicium iusto Dei iudicio decretum contrà ipsas à Deo. Postremò subjcit Epiphonema, & ait, Refectum est cornu Moab, &c. Per cornu autem & brachium, significatur robur & potentia: quæ vniuersa Deo ipsis irato, veluti in momento disparuerunt. Ipsi gloria. Amen.

In eodem argumento pergit.

CONCIO CXLIX.

Inebriate eum, quia contra Dominum magnificè se extulit, vt volutet se Moab in vomitu suo, & ludibrio sit ipse quoq;. An nõ ludibrio tibi fuit Israel? num inter fures deprehensus? Quia ex quo verba tua de eo, teipsum commouisti. Relinquite ciuitates, & habitate in petra, ô habitatores Moab, & estote similes columbæ nidulanti in prominentijs foraminis foueæ. Audiuimus superbiam Moab, qui supra modum fastuosus est, superbiam eius, fastum eius, arrogantiam eius, & elationem cordis eius. Ego noui, ait Dominus, transgressionẽ eius, cui nec lacerti eius, nec facta respondent. Propterea super Moab eiulabo,

& ſuper totũ Moab vociferabor, ſuper viros Kirhæres ingemiſcet (cor meũ) Fletu Iazer flebo ſuper te, ô vitis Sibma, propagines tuæ tranſierunt mare, ad mare ô Iazer pertigerunt. In meſſem tuam, & in vindemiam tuam irruit depopulator. Ablatum eſt gaudium & exultatio de agro culto & fertili, & de terra Moab: vinum feci ceſſare de torcularibus, non calcabitur cum celeuſmate: quin celeuſma non erit celeuſma. Propter clamorem Heſebon dederunt vocem ſuam vſq; ad Eleale & vſq; Iahaz, à Zoar vſq; Horonaim vitula trima: quoniam & aquæ Nimrim deſolatæ erunt. Vacare quoq; faciam Moab, ait Dominus, ſacrificantem in excelſis & adolentem dijs ſuis. Iccirco habet cor meũ propter Moab perinde atq; tibia, triſte canens, & cor meum propter viros Kir-Hæres, velut tibia perſtrepit: quoniam diuitiæ, quas fecit, perierunt.

Ebrietas Moabitica.

SIcut cœpit, ita pergit propheta copioſe exponere interitum & cauſas interitus Moabitarum. Ebrietatis vitio, aut ſcelere potius laborauit regio Moabitarum. Indulſit enim vino vſq; ad vomitum turpiſſimum: qua in re ſibi placuit, maximè verò illuſit ijs, quos inebriauerat, vt vomerent & ipſi, nec ſtare nec ambulare poſſent. Id quod hodie quoq; videas fieri à multis. Non putant iſti ſatis humaniter & liberaliter ſuſceptos tractatosq; hoſpites, niſi vino ſic inebriati ſint, vt vomant, & in vomitu (turpe dictu) volutentur. Hoc cùm cernunt, rident, & ebrijs illudunt: etiam cùm crapulam edormiuerint, ridere, iocari, & illudere non deſinunt. Si verò integrum dicendo diem conſumam, non tamen dignè ſatis explicauero huius ſceleris magnitudinem & fœditatẽ. Admonuit nos Dominus ſobrietatis, prædixitq; diem Domini horrendam oppreſſuram ebrios illos poſtremi ſeculi homines. Conſulatur doctrina Domini apud Matth. in 24. cap. & apud Lucam in capite 21. Sed audiamus iam, qua pœna Moabiticam temulentiam affecerit Deus. Iubet inebriari Moabitas, id eſt omni genere calamitatum adoperiri. Inebriari enim dicuntur, qui opprimuntur ira diuina: ſicut alibi apparet in prophetis. Alij ergo verterunt, vt complodat manus ſuas in vomitu ſuo. Nos dicimus, daß jr hãnd ob dem kopff zamen ſchlahe/ob jrem erbũchen. Significatur calamitatis magnitudo & doloris exuberantia. Et ſicut Moabitæ ebrijs illuſerunt, ita nemo condolebit malis illorum, ſed ludibrio fient omnibus gentibus. Quia magnificè admodùm ſe extulit contra Dominum. Quo non tam ſuperbiam eorum notari arbitror, quàm contumaciam contra Deum, qua erecto collo, in ebrietate & alijs ſuis ſceleribus progreſſi ſunt, contemnentes & Deum & omnes eius admonitiones. Quo in ſcelere cùm deprehendatur noſtrum quoq; ſeculum, metuendum eſt, ne & ipſum inebriandum ſit graui ira Dei, vt vomat præ ingenti vi æſtuantis iræ Dei, vt complodat manus in iræ Dei magnitudine, & ludibrio fiat omnibus & angelis & hominibus, &c.

Ridere religionem veram & pios.

Aliud Moabitarum ſcelus attingit, An non ludibrio tibi fuit Iſrael? Cùm enim abducerentur X. tribus per Salmanaſarem in captiuitatem, adeò non condoluerunt vicinorum miſeriæ, vt potius inſultarint eis, & culpam malorum trãſtulerint in religionem ipſorum ac Deum, quaſi illa fuerit vana & hic impotẽs, qui non potuerit ſuos ſeruare cultores. Hodie cùm malis affliguntur Euangelio credentes, inuenias clamantes, ſi vera erat Euangelij prædicatio, cur non ſentiunt Euangelici auxilium è cœlo? Vbi nunc illud Euangelium? vbi ille iſtorum Chriſtus? Addit Ieremias, Num inter fures deprehenſus? Quo ſignificat tãtam fuiſſe illuſionem & opprobrationem Moabitarum contra populum Dei, vt non potuerint impudentius, ſi in ipſo furto aut alioqui manifeſto facinore fuiſſent deprehenſi. Quaſi verò Deus & religio populi Iſraelitici conferri potuerint aut debuerint cum manifeſtis ſceleribus. Nunc pœnam etiam addit huic

ſceleri,

sceleri, Quoniam verba illa contra populum Dei euomuisti, ideo te ipsum commouisti vel propriis sedibus eiecisti: id est, propter blasphema illa verba tua ejicieris ex patria tua in exilium & in captiuitatem. Id quod copiosius exponit per consequentia. Conuerso enim sermone ad Moabitas, Relinquite, inquit, ciuitates, &c. Addit exemplum columbæ, quæ vt tuta sit à feris auibus, nidum alicubi in foramine præruptæ petræ collocat. Ita tu quoq; Moab, inquit, perrepta in desertum, & abscondere alicubi in cauerna aliqua petræ inaccessæ, ne deprehendaris à Babylonijs, & discerparis. Hoc ipsum expectent, qui promptas habent linguas ad blasphemias & sanctorum illusionem.

Accedit porrò ad aliud scelus Moabiticum, ad superbiam, fastum, arrogantiam, intolerabilemq; iactantiam exagitandam. Hoc erat adeò vulgare, & omnibus gentibus notum de Moabitis, vt non frustra dixerit, Audiuimus superbiam Moab. Gloriabantur Moabitę de vbertate soli sui, de vrbibus natura & arte munitis, de robore corporum suorum, & de militari splendore, & quidem iactatio ipsam superabat virtutem. Vnde Dominus ait se nouisse ipsorum insolentiam & iactationem vanam, quòd nec lacerti respondeãt (id quod nos efferimus, Er hatt nit in armen: non tantæ illi sunt vires) & quòd nec facta verbis eius respondeant: quo superiorem locutionem aliquanto obscuriorem interpretatus est. Ac fit ferè, vt iactabundi & glorioſi homines verbis ampullosis superẽt res. Malum hoc superbiæ ac arrogantiæ ingens est malum. Deiecit è cœlo angelos, Adamum, & genus humanum eiecit in exilium, & in omnes calamitates humanas præcipitauit. Saulem quoq; è regno expulit, & Nabuchodonosorem in bestiam propè commutauit. S. Petrus dicit Deum odisse superbos, humilibus dare gratiam, &c. Consequentibus igitur copiosè exponit calamitates, quibus Deus superbiam istius gentis castigare, & opprimere velit. Nam dicit, Propterea super Moab eiulabo. Indicium autem maximum est maximæ calamitatis, cùm propheta, qui veluti hostis Moabitarum reputabatur, dicit se eiulaturum. Ac fletu ait, quo defleui Iaser deflebo & vineta Sibma. Omnes enim incolæ locorum istorum transferentur vltra mare, & in remotissima loca in captiuitatem. His coniungit aliam calamitatem. Hactenus Moabitæ propter ertilitatem terræ exultarunt, & cantarunt in messe, & in vindemia calcantes in torcularibus vuas. Habebant enim metẽtes & calcantes vuas sua peculiaria carmina et gaudia. De quibus & poetæ plurima scribunt. Cæterùm tollet illa gaudia Dominus. Irruet enim in messem & vindemiam barbarus hostis, & pro celeusmate vel carmine torculari, barbaricas edet voces, & vastabit omnia: vina ex dolijs effundentur, breuiter vniuersa corrumpentur. Ita verò confundentur superbi homines. Quò & illud pertinet, quod clamoris meminit pereuntium ab Hesebon ad Eleale vsque, & à Zoar vsq; Horonaim, quam ob soli fertilitatem aut vbertatem vocat vitulam trimam. Abundabat verò aquarum copia Nimrim, sed illam quoq; dicit laboraturam siti. Id est, significat omnia ea quibus fidebant, è medio fore tollenda. De remedijs superbiæ alibi dictum est. Eadem verò illa inueniuntur apud Isaiam, quem non infeliciter secutus vel imitatus est Ieremias. *Fastus Moabitarum.*

Aliud iterum commemorat flagitium, idololatriam, vel falsum Dei cultum. Sacrificabant enim in excelsis, id est non legitimo cultu Deum venerabantur, & incensum dijs suis peregrinis offerebant. Gentibus quidem reuelatum esse, Deum esse spiritum, & sacrificijs vel donis spiritualibus delectari, constat ex ipsis gentilium libris: sed reuelationem hanc Moabitæ dispungebant suis electitijs & corporalibus cultibus. Iccirco minatur eis Deus interitum, & quod implicandi & opprimendi sint maximo luctu. Quod consequentibus copiosè absoluet. In funeribus & luctibus tibia vsos esse veteres patet vel ex Euangelica *Idololatria.* *Matth. 9.*

historia. Proinde verus Dei cultus gaudium parit stabile, superstitio inducit luctum & gemitus. Caueamus ergo ab idololatria. Eadem enim & repositas aufert opes, & redigit vel opulentissimos ad inopiam summam. Dominus liberet nos à malo. Amen.

In eodem argumento pergit.

CONCIO CL.

Quoniam omne caput est caluum, & omnis barba attonsa, in omnibus manibus incisuræ, & super omnes lumbos saccus. In omnibus tectis Moab & plateis eius omnibus planctus: quoniam confregi Moab tanquam vas, cui nulla est gratia, dicit Dominus. Quàm verò pauet? vt vlulat? vt ceruicem intorquet Moab præ pudore? Ludibrio enim erit Moab, & terrori omnibus, qui circum eum sunt. Quoniam sic dicit Dominus, Ecce inuolabit (hostis) veluti aquila, & expandet alas suas super Moab. Captæ sunt vrbes, & munitiones occupatæ: eritq; cor fortium Moab eo tempore sicut cor fœminæ angustijs (partus) comprehensæ. Et delebitur Moab, ne sit populus: quia contra Dominum magna molitus est. Pauor super te, fouea & laqueus, ô habitator Moab, dicit Dominus. Qui effugerit pauorem, cadet in foueam, & qui emerserit de fouea, capietur laqueo: quia inducam super Moab annum visitationis eorum, dicit Dominus. In vmbra Hesebon steterunt, qui fugerunt propter robur (hostis) quia ignis egressus est ex Hesebon, & flamma de Sihon, & deuorauit angulũ Moab, & verticem filiorum tumultuosorum. Væ tibi Moab, perijt populus Chamos: quoniam abducti sunt filij tui & filiæ tuæ in captiuitatem. Reducam autem captiuos Moab, postero tempore, dicit Dominus. Hactenus iudicium Moab.

Deus grauissimè irascitur idololatris.

COpiosè admodùm prosequitur descriptionem supplicij sumendi de Moabitis idololatris. Etenim cùm Dominus oderit omnia hominum scelera, grauissimè omnium persequitur nepharium scelus idololatriæ, superstitionis, & falsi cultus. Vnde in præsenti, sceleri huic copiosissimam pœnæ descriptionem subiungit. Principiò enim publicum luctum in verbis recitatis depingit. Euellebãt comam in luctu Orientales, abradebant barbam, atterendo autem præ anxietate cordis, manus ipsas excoriabant vel lacerabant, sed & vestitu splendidiore posito, sumebãt saccum, id est vilissimam aut lugubrem vestem. De qua re dictum est aliàs. Dum ergo dicit Moabitas ista facturos, per ista veluti signa, maximas eis calamites imminere significat. Quò & illud pertinet, quod sequitur, In omnibus tectis, id est domibus, & in omnibus plateis audiendum planctum. Causa planctus subijcitur, Dominus confregit vel comminuit regnum Moabiticum instar ollæ aut vasis, quo nemo prorsus delectatur (wie ein gschirr das yederman vnwerd vnd verhasset ist) & quod aspernantur omnes. In domo ampla, ait Apostolus, varia esse vasa. Et Ieremias asserit omnia regna mundi in manu Dei esse instar luti in manu figuli, qui vas pro suo arbitrio vel fingat, vel paratum rursus confringat. Iustitia tamen summa Deus vtitur in gubernatione rerum, cum non sit apud Deum vlla libido aut iniustitia. Subinde verò repetitur in præsenti hæc vox peculiaris prophetæ, Dicit Dominus, non tam vt intelligerent omnes hæc ex Deo proficisci, non ex humani ingenij beneplacito, quàm vt perspicerent etiam omnes hæc omnia Dei gubernari iudicio, & eiusdẽ fieri potestate grandi & iusta. Inter hæc veluti ipsos coràm videat plangentes: Quàm verò pauet, inquit, vt vlulat, & ceruicem intorquet, vel caput deijcit (hänckt den

den Kopff) Moab, idq; præ pudore. Pudet enim ac piget se ex tam sublimi solio deiectos esse in cœni volutabrum. Qui enim diu felices fuerunt & supra modum superbiuerunt, impatientius ferunt deiectionem, quàm qui miseri & deiecti semper fuerunt. Indignissimè verò ferunt si sint aliorum ludibrium. Ac fit ferè vt illis plus insultetur quàm miseris alioqui. Voluit autem Deus casu Moabitarum terrorem incutere omnibus in orbe gentibus, vt singulæ admonitæ casu miserabili Moabitarum, sibi cauerent ab ijs quæ illos pertraxerunt in pernicié. Et hic quidem est finis omnium eorum quæ dicuntur de Moabitis. *Finis eorũ quæ dicuntur de Moabitis.*

Præterea modum vastationis eleganter illustrans, Nabuchod. comparat aquilæ, & Moabitas columbæ, aut alioqui imbelli auiculæ. Fingit ergo Nabuchod. inuolare in Moab maximo cum impetu, ceu aquilam impingere in auem. Et subiungit iam iam captas esse vrbes, occupata omnia munitiora loca, heroes verò, id est milites claros, degenerasse in fœminas, nec iã fortes esse amplius viros, sed puerperas. Quid pluribus, inquit, opus est? Vastabitur & funditus perdetur ac delebitur Moab. Ratio subiungitur, Quia magna molitus est contra Dominum. Rebellauit enim verbo Dei, falsum Dei cultum omnino retinere voluit, abiectis omnibus contraria, sed salutaria suadentibus. Quid ergo hodie expectent aliud, quàm interitum certissimum, quotquot oppugnant Euangelium, & Papismum non tantùm armata manu defendunt, sed violenter omnibus obtrudunt, & vt semper vincere possint, semper noua consilia captant et fœdera iungunt? *Nabuchodonosor aquila.*

Verùm quando impij audiunt grauia, quæ contra ipsos annunciantur, Dei iudicia, cogitant alicubi ipsis aperiendas fore ad effugiẽdum fores: proinde propheta consequenter admonet, nullibi vllam se eis effugiendi facultatem oblaturam. Et coniungit tria, pauorem vel terrorem horribilem, rationem eripientem & impellentem in quælibet noxia: foueam vel interitum, & laqueum: alludens ad venationes. Ita verò hæc coniuncta esse ait, vt si quis ex altero emergat, incidat in alterum, eiq; implicetur, necubi pateat exitus: breuiter perdendos omnes omnino asserit. Rursus verò causam adiungit, Quia inducam super eos annum visitationis eorum. De loquutione hac dictum est cap. 23. Discamus verò hinc, vtcunque diu Deus ad hominum dissimulet scelera, annum tamen retributionis certò destinatum esse à Deo, qui vbi, absoluto curriculo, aduenerit, nullo modo parci impœnitentibus. Docent ergo hæc omnia & Dei timorem, & veram pœnitentiam. *Nullum patebit effugium.*

Porrò fingit, eos qui è pugna elapsi sunt, strenuè ad regiam properare Hesebonem, vt ibi veluti in vmbra tuti lateant, & hostilem insectationem eludant: verùm ne in regia quidem illa quicquam tuti fore ait. Atque hic inserit Ieremias verba vetustissimi carminis, quod Moses recitat in Numeris 21. cap. Quasi dixerit, Nũc iterum fiet Moabitis, quod olim factũ eis legitur ab Ammorreis. Nam vt hi eos propter idololatriam vicerunt, & eiecerunt, occupata ipsorum terra, ita nunc etiam vincent Moabitas Babylonij, & ejcient eos patrijs sedibus. Ignis enim diuinæ vindictæ erumpet ex illis ipsis locis, in quibus illi sese tutos fore arbitrabantur, & absumet eos. Angulum Moab vocat robustos, & quicquid in Moab insigne fuit. Verticem filiorum tumultuosorum nuncupat capita, id est ipsos militares Moabitas. Et nunc etiam appellamus durum caput, ein herten strüttigen Kopf, hominem audacem, qui non facilè se in ordinem redigi sinit, sed semper erũpit & tumultuatur. His subtexit exclamationem, Væ tibi Moab. Vocat filios vel populum non Dei, sed Chamos: quòd huius sese patrocinio crediderant. Ideò enim væ illi euenit, quòd sese Deo vero subtraxit, Deo autem peregrino subiecit. Ideò enim captiuos abducendos prædicit. Quod omnes expectent, qui eadem culpa detinentur. *Ignis diuinæ vindictæ consumit impios.*

Restitutio Moabitarum.

Postea tamen lætiora annunciat, restituendos inquam posterioribus seculis. Id quod tunc maximè impletum est, quando his regionibus Euangelium est annunciatum. Adumbratur his vocatio gentium. Concludit autem Orationem illam, & ait hactenus pertingere iudicium Moab, iustum inquam Dei iudicium. Domino sit gloria.

ORATIO IEREMIAE VIGESIMA QVARTA.

Denunciat Ammonitis interitum propter peccata eorum: postremò promittit eis restitutionem.

CAPVT XLIX.

CONCIO CLI.

FIlijs Ammon sic loquitur Dominus, Num Israeli desunt liberi? an hæredem non habet? cur ergo Malcham Gad occupat: & populus illius, huius vrbes inhabitat? Iccirco ecce tempus veniet, ait Dominus, vt ipsi Rabbath filiorum Ammon inferam classicum prælij, & redigetur in aceruum desolata, & filiæ eius igne comburentur. Et possidebit Israel eos, qui se possederant, dicit Dominus. Vlula Hesebon, quoniam vastata est Hai: vociferamini filiæ Rabbath, accingimini saccis, plangite, & oberrate circum sepes, quia Malcham ibit in captiuitatem, sacerdotes quoque & principes eius cum eo. Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua, ô filia vaga, quæ confidit in thesauris suis, (dicens) Quis accedat ad me? Ecce ego inducam super te pauorem dicit Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui circum te sunt, & propellemini quisq; antror sum, nec erit qui palantes colligat. Post hæc autem reducam captiuos Ammonitas, ait Dominus.

De Ammonitis

ORATIO cõtra Gentes 5. ordine 24. Ieremiæ, perinde vt cæteræ titulum habet, Dominum hæc loqui filijs Ammon, vel ad, vel contra filios Ammon. Author ergo huius Orationis Deus est, qui vsus est Ieremiæ ministerio. Dicta est autem vel habita contra Ammonitas, & consequenter contra omnes gentes Ammonitis similes. Ammon fuit frater Moabi: vterque fuit filius Loth, natus ex incestu, sicut sacra commemorat historia. Ammonitica gens fuit gens potens, opulenta, superba, petulans, inimica populo Israelitico. Sæpissimè enim pugnauit & grauia bella gessit contra Israelitas. Et quidem in lib. Iudicum asseruntur filij Israelis ab Ammonitis per Iephthe, qui atrocissima cæde repressit insolentiam Ammoniticam. Historia extat Iudicum 11. Illi ipsi Ammonitæ maximis copijs Israelitas inuaserunt sub Saule & Dauide. Nam ille fudit ipsos ad labes Galaad. 1. Sam. 10. Hic verò per Ioab & Abisai eosdem vicit & subiugauit. Legatur 2. lib. Regum vel Samuelis cap. 10. Rebus tamen Iudaicis subinde vergentibus in deterius, recuperarunt vires Ammonitæ, cumq; Israelitæ premerentur bellis exterorum regum, & attererentur, non modò iugum excusserunt Ammonitæ, sed & insultarunt Israelitis, & occuparunt terras illas, quas olim sub Iephthe repetiuerant, non autem recuperauerant. His iam denunciat propheta interitum per Nabuchodonosorem à Domino, propter peccata ipsorum, quæ obiter perstringit. Sub finem verò promittit ipsis restitutionẽ. Discant hinc omnes homines

Argumentum orationis.

Vsus.

homines pœnitentiam, & ſibi ab illis ſceleribus cauere, propter quæ perijſſe audiemus Ammonitas.

Ab initio objcit Ammonitis iniuriam, qua Iſraelitas affecerant. Nam ex auaritia & per vim occupauerant aliquot vrbes, quas Dominus tradiderat poſſidendas tribui Gad, cum ex Ægypto ingrederentur terram promiſſam. Ergo nõ ſine ſtomacho interrogat, An nulli amplius vel liberi vel hæredes ſunt filijs Iſraelis? Quòd ſi hæredes ſunt, vt certè ſunt, quare occupatis vos Ammonitæ hæreditatem Iſraelitis debitam? Sed maluit hoc poſtremum membrum & ipſum enunciare cum ſtomacho, Quî fit quòd Malcham ſortem occupat Gaditarum? Malcham deus fuit vel idolum Ammonitarum. Ergo non ſine dente nuncupat Ammonitas Malcham, cultores inquã Milchonis, id eſt idololatras. Indignum verò erat idololatras, eiectis veri Dei cultoribus inhabitare portionem terræ à vero Deo populo ſuo conceſſam. Ac præfixit Deus terminos regnis in orbe omnibus, volens quamuis gentem in ſuis degere regni terminis trãquillam. Hos irrumpere ex auaritia, & gentes ſuis pellere ſedibus, adeò ingens ſcelus eſt, vt videretur Ioſaphato omnino tale eſſe, propter quod meritò euerteret gentes, irrumpentes in terminos Iudæorum: ſicuti legere eſt in 20. cap. 2. lib. Paralip. Ammonitæ, Moabitæ, & mons Seir, inquit, veniunt vt exturbent nos de poſſeſſione tua, quam nobis poſsidendam dediſti. An verò tu Deus noſter non iudicabis eos? Videant ergo reges & principes quid agant, qui viciniores & remotius diſſitos terminos populorum bellis fatigant non aliam ob cauſam quàm vt latè dominentur. Atqui Apoſtolus concionans apud Athenienſes, Deus, inquit, fecit ex vno ſanguine omne genus hominum, vt inhabitaret vniuerſam faciem terræ definitis temporum opportunitatibus, & poſitis finibus vel terminis habitationis eorum. Peccant ergo contra decretum Dei, quotquot aliena regna & terminos alienos inuadunt: neq; impunè hoc à Deo diu ferent. Videant item quid agant, qui propter ſtipendia principibus huiuſmodi violentis ſuppetias ferunt. Peccant & illi grauiter, qui hæreditates alijs debitas præripiunt, & iuſtis hæreditatibus imbecilles deijciunt. Audi enim quid præmij Deus Ammonitis propter iniuriam illam rependere velit, bello inquam Babylonico vaſtare terram ipſorum, & eos quos gladius non abſumpſit, abſtrahere in captiuitatem. Veniet tempus, inquit, quando inferam claſsicum prælij metropoli Rabbath, filiorum Ammon. En veniet tempus ait. Vtcunque ergo diu occupes per iniuriam partas terras, non oblitus eſt tamen Dominus iniuriæ. Veniet aliquando tempus, quando iuſtiſsimo Deo pœnas dabis. Nemo ergo in peccatis & in iniuria ſecuro & tranquillo animo exultet. Sicut autem illi Gaditas per vim eiecerant: ita nunc Deus par pari rependens, per crines etiam extrahit Ammonitas ex Gaditarũ poſſeſsionibus. Quoties verò noſtra ætate vidimus iam hos iam illos ex agro Mediolanenſi cruentis armis pulſos? Coaceruarant opes Ammonitæ in immenſum: iam verò Deus in vnum aceruum exaggerat, & congeſtas opes & oppida extructa. Filias vocat oppida ſubiecta metropoli, aut pertinentia ad Rabbath. Ignis autem hoſtilis abſumpſit ſemel omnia. Hic ſcilicet finis eſt ædificiorum & ſplendoris, opumq; partarum per iniuriam. Dicit autem Iſraelitas poſt deletos Ammonitas denuò in auitis ſuis ſedibus habitaturos, dominaturosq; Ammonitis. Quod aliquo modo impletum eſt Machabæis regnantibus, plenius tamen Apoſtolis prædicantibus: ſicuti ex Zachariæ vaticinijs intelligitur. Monẽt Coſmographi, Rabbath aliquando vocatam fuiſſe Philadelphiam, id quod minutius eſt, quàm multis admonere conueniat.

iniuria.

Dominus ſingulis regnis circundedit limites & diſcreuit ab alijs.

Actor. 17.

Attingit poſt hæc aliud peccatum, idololatriam Ammonitarum, ſicuti & in præcedenti oratione taxauit & Moabitarum cultum illegitimum. Simul autem

Contra idololatriam Ammoniticam.

pœnam irrogandam eleganter describit. Dicit enim & deum Milchom & sacerdotes & principes eius abducendos per Babylonios in captiuitatem. Vnde iubet vlulare Hesebon & Hai, quæ alia est ab ea quæ trans Iordanem est, capta & concremata olim temporibus Iosue: significans hoc dicendi genere ingentes in terra Ammonitica calamitates exercituras inhabitantes. Et quod iubet illos oberrare circum sepes, quod faciunt qui fugiunt, & latibula quærunt, Lutherus vertit, Vnd louffend vff den muren herumb. Id quod tumultuantes solent, nescientes quò se recipiant præ hostium formidine.

Fiducia in opes & insolens iactatio.

Aliud iterum scelus Ammonitarum taxat, vanam in loca fertilia munitaq; & in opes fiduciam. In his insolenter gloriabantur. Valles & munitæ erant & fertiles, ideò inaccessas arbitrabantur, dicentes, Quis accedet nos? Quis audebit in valles illas sese ingerere? Periculum enim erit, ne à nobis ex vicinis opprimantur collibus. Thesauris quoq; suis paratis ex vbertate vallium, aut soli Ammonitici non modicè fidebant, scientes pecunias esse belli neruum. Sed defluxit, inquit, vallis tua, perinde vt solent niues defluere. Proinde nihil proderunt tibi illa, quibus confidis. Iam appellat filiam vagam, nimirum homines errones, qui suis eiecti sedibus, nullum habituri sint amplius locum certum, iactati vtiq; & dispersi in orbem per captiuitates & exilia. Alij vertunt, ô filia delicata, alij, ô filia rebellis. Rectè ergo docuit Apostolus fiduciam non esse collocandam in diuitias incertas, sed magis in Deũ viuentem. Notus est locus Apost. in 1. ad Tim. 6. cap. Et quoniam iactabundam illam vocem insolenter iactabant, dicentes, Quis accedet ad me? insolentiæ ipsorum respondet Dominus ipse, qui superbos odit, humilibus dat gratiam, & ait, Ecce ego inducã super te pauorem, &c. Quibus verbis iterum exponit supplicium sumendum de Ammonitis, ipsorumq; de scribit interitum. Non, inquit Dominus, est quòd quæras, quis te accedere audeat. Si enim nemo audet, en ego me tibi præbebo hostem. Ego, qui Dominus sum exercituum, accedam ad te, pauoremq; immittã tibi, quo consternatus ipse tibi sis futurus hostis. Malum est autem horrendum & ineluctabile, si exercitum aut populum aliquem formido aut pauor inuadat ac abripiat. Nam suas ipsorum vmbras & res nihili perinde metuunt atq; cohortes equitum instructissimorum. Ac torquet hic pauor corda ipsorum tam atroci vi, vt nihil possit atrocius & horribilius. Horrebis, inquit, omnes qui circum te sunt, & fortassis hostes non sunt: tu tamen obuium quemlibet hostem esse putabis. Quid ergo fiet? Rectà fugies, nuspiam consistes. Sen richtigen vnd grad fürsich wirst du triben werden: id est, in proximam quanq; viam fuga tua se effundet. Non respicies, sed festinabis rectà, qua via dabitur fugere. Cæterùm solent aliquando cordati duces in fugam effusos recolligere, consolari, & rursus producere in aciem. Verùm Dominus, Nec erit, inquit, qui palantes recolligat: id est, nullũ erit consilium, nulla spes aut consolatio in calamitatibus. Totus & in vniuersum opprimeris aduersis, & ab his absorbeberis penitus. Est autem hic finis insolentissimarum iactationum, & gloriationis in donis Dei superbæ. Sic ruunt in exitiũ præsens & ineluctabile, quotquot suis opibus & viribus confidunt. Bonum est sperare in Domino Deo nostro, & non in diuitijs, & in locis vel arte vel natura munitis. Postremò promittit afflictis gentibus, & oppressis omnino restitutionem.

Pauor à Deo hominibus immittitur.

Restitutio vera fit per Christũ.

Quod certè ipsissimum est Euangelium. Neque plenè præditum his, nisi per Euangelij prædicationem. Alioqui enim nihil aut parum legimus de restitutione Ammonitarum corporali. Restituti sunt ergo per Christum, dum eis per Apostolicam prædicationem innotuit Euangelium. Per Christum liberamur ex captiuitate peccatorum, inferni, & sathanæ. Id quod aliàs fusius est expositum. Christo vnico liberatori nostro sit laus & gloria.

ORA-

ORATIO IEREMIAE VIGESIMAQVINTA.

Idumæis quoque vaticinatur exitium præsentissimum propter peccata ipsorum: & quòd non sint eripiendi per ea, in quæ ipsi confidebant.

CONCIO CLII.

Ad Edom sic dixit Dominus exercituum, Num adhuc est sapientia in Theman? Perijt consilium ab intelligentibus, sapientia eorum nihili facta est. Fugite, terga vertite, in profundum vos demergite ad habitandum, ô vos habitatores Dedan: quia interitum Esau induxi super eum, tempus visitationis eius. Si vindemiatores venissent tibi, an non reliquos fecissent racemos aliquot? Et si fures noctu (irruissent) tantum rapuissent, quantum ipsis sufficere putassent: sed ego nudaui Esau, reuelaui abstrusa eius, vt abscondi non possint. Vastatum est semen eius, fratres eius, atq; vicini eius, & non erit (qui dicat) Deseres pupillos tuos, sed ego reficiam eos, & viduæ tuæ in me confident. Quoniam sic locutus est Dominus, Ecce quos videbatur parum æquum bibere calicem, cum primis biberunt, tu autem innoxius & immunis esses? Neutiquã eris innoxius aut immunis, sed omnino bibes. Quia per memetipsum iuraui, ait Dominus, quòd in desolationem, opprobrium, in vastitatem, & execrationem abibit Bozra, & omnes vrbes eius erunt perpetuæ solitudines. Rumorem audiui à Domino, legatum ad gentes missum esse (qui diceret) Congregamini & venite contra eam, insurgite ad bellum. Ecce enim paruum reddidi te inter gentes, & contemptum inter homines.

ORatio contra exteros vel contra gentes 6. ordine 25. Ieremiæ, & ipsa habet titulum, qui ostendit authorem Deum, & contra quos sit dicta, nempe cõtra Idumæos. Esau frater Iacobi appellatur etiam Edom, vnde populi ab ipso descendentes nuncupantur Idumæi & Edomitæ, regio ipsa Idumæa & Edom. Ratio huius nominis ostenditur Genesis 25. Typum prætulit hæc gens omnium impiorum. Habitarunt in Arabia deserta, ad mare Rubrum, in montanis Seir. Habuerunt duces & reges ante filios Israelis, & infensissimi fuerunt hostes Israelitarum, licet genearchæ Esau & Iacob fuerint fratres vterini. De odio implacabili & grauissimo eorum contra Dei populum, extat Psal. 137. Sub Dauide domiti, & sub iugum missi sunt Israelitarum, sicuti cõmemoratur in 1. Paral. 18. cap. Nouas res quidem cum vicinis gentibus tentarunt contra Iosaphat regem, sed virtute Dei per Iosaphatum sunt repressi. Sub Ioram verò principe impio defecerunt tandem, sicut commemoratur 8. cap. 4. lib. Reg. Postea verò implacabili odio ardentes in Israelitas & Iudæos, ad quamlibet ipsis occasionem oblatam, eos acerrimè persecuti sunt. Proinde Ieremias contra hos acerrimos populi sui hostes concionatur, Deo iubente, ac prædicit eis interitum certissimũ, qui eis à Nabuchodonosore immineat, à quo non sint vllis rebus liberandi, quibus ipsi fidebant plurimùm, adeoq; securi, existimabant vana esse quæcunq; dicebantur à prophetis. Prophetarunt enim contra eos etiam alij prophetæ insignes, vt Abdias, Isaias item in cap. 21. & Amos in cap. 1. Et Ieremias per omnia imitari videtur Abdiam in tota hac oratione sua, in qua alicubi ipsis Abdiæ verbis vtitur; adeò à libris aliorum prophetarum legendis non abhorruit: qui spi-

Idumæi.

2. Paral. 20.

Vsus huius orationis.

ritu Dei singulariter donatus fuit. Colligitur autem ex vniuersa hac oratione doctrina vniuersalis, omnes à Deo perdendos fore certissimè, quotquot moribus referunt Edomitas. Discunt ergo sancti cauere ab illis, quibus cernunt deiectos esse in exitium Idumæos. Discunt impios non liberari ab impendente interitu, per ea, per quæ sibi impunitatem pollicentur.

Sapientia non eripiet Idumæos ex iudicio.

Et Idumæi quidem solertes erant homines, & sapientia præclari. Sapientia verò in rebus omnibus, in pace & bello præstat, iureq; cæteris præfertur donis eximijs, vtpote sine qua illa noceant, non cõmodent. Da enim stolido homini opes, quid existimas ei has profuturas? An non potius illi erunt laqueus & exitium? Da vicissim debilem, sed sapientem, plus hic, licet debilis sit, sapientia perficiet, quàm robustus, qui nihil sapiat. Proinde existimarunt Idumæi se omnia pericula per suam illam sapientiam facilè profligaturos, aut certè declinaturos. Cæterùm sine timore Dei & eius benedictione, freno caret hominum sapientia. Iccirco cum Idumæi Deum contemnerent, nec reuererentur, ostendit Ieremias ipsos ex impendentibus malis non eripiendos esse per sapientiam. Deus enim, vt sapientiam confert hominibus, id quod in exemplo Solomonis & Danielis videre licet, ita sapientes iusto iudicio occęcat, vt stultis sint stultiores. De quare disserit & beatus Iob cap. 12. Simpliciter itaq; pronunciat Ieremias, sapientes ac intelligentes obstupefactos, non posse vllum suppetere sanum & vtile consiliũ. Idumęi quidem dicebant, Non est sanè, quod metuamus nobis à Babylonijs aut vllis alijs hostibus. Num enim adhuc est sapientia in Theman? Id est, Omnino tanta & tam famigerata supereſt sapientia apud Idumæos, vt his nihil sit ab vllis hostibus timendum. Porrò Ieremias mox subijcit, Perijt consilium, &c. Quider go restat aliud, quàm vt fuga vobis quæratis salutem, ac demergatis vos alicubi in profundas latebras, vnde vos hostes vestri non facilè extrahant repertos? Responsionem subijcit, quare dixerit omnia esse conclamata: quoniam tempus adest, quo Deus statuit visitare Esauitas, & hos excindere funditus. De visitatione dictum est antea non semel. Fuerunt autem Dedan & Theman excellentes Idumęæ vrbes, sicuti Bozra eius metropolis. Has igitur compellans, loquitur de vniuerso regno, in primis verò de ciuitatibus illis celebribus. Discamus hinc omnes timere Dominum, & non inniti sapientiæ nostræ, licet sit præclara. Et huc pertinet doctrina Apostolica, Ne quis seipsum fallat. Si quis videtur sibi sapiens esse inter vos, in seculo hoc stultus fiat, & reliqua. Vide 1. Cor. 3. cap.

Dies visitationis adest.

Diuitiæ non liberabunt Idumæos.

Præterea confidebant Idumæi splendidis suis opibus. Etenim superius dixi, & docet experientia, pecuniam vel amplas facultates neruum esse belli. At Dominus per Ieremiam dicit vniuersas illas opes nihil profuturas Idumæis, sed diripiendas penitus ab hostibus. Imitatur hic quoq; Abdiam, cuius verba vsurpat. Vtitur parabola, Vindemiatores, inquit, colligentes botros, relinquunt aliquot, nec decerpunt ad vnum omnes, vt racematores (die nachstichler) saltem aliquid inueniant in vitibus. Fures quoq; nocturni tantum sibi rapiunt ac suffurantur, quantum sibi satis esse arbitrantur, residuum relinquunt. At nihil tale facient Babylonij. Omnes enim opes vestras funditus exhaurient, nihil residui relinquent penitus. Atqui solent hic solertes fidere plurimùm latebris, in quas ingenioſe abscondunt opes, atq; ita subducunt hostibus. Cæterùm Dominus, Sed ego, inquit, denudabo Esau, reuelabo vel aperiam retrusa & abscondita eius omnia, vt nihil planè latere & absconditum manere possit. Ita sanè Dominus omnem spem præripit impijs suis hostibus. Audimus hodie multos inter milites gregarios, virgula nescio qua, indagare in vrbium expugnationibus thesauros abstrusos, & proferre illa quicquid defossum est humi. Melius est itaq; sperare in Domino, quàm in Mammona iniquitatis.

Iam

Iam etiam connexi inter sese erant Idumæi, & sibi ipsis fideles admodum. Nam vt exteras gentes omnes vilipendebant, & præ se contemnebant prorsus, ita mutuùm sese amabant ac iuuabant, magnicq; faciebant. Inde futurum existimarunt, vt si bona pars eorum interijsset, superstites saltem aliqui mansissent, superstites illos pauculos curam fidelem habituros viduarum & pupillorum, quos reliquissent ipsi bello absumpti. Nunc verò Dominus, Ego, inquit, totum semen Idumæorum excindam, vt neque vicini vlli, nec; fratres remansuri sint: quinimò nullus eorum erit superstes, qui assistens morientibus, dicat; Deseres nunc quidem pupillos tuos, sed nolo id te exerucier, ego enim illorum curam in me recipiam, ego reficiam. Vidua tua in me respiciet. Ego ipsam consolabor, & eius consultor fidelis ero. Alij ad Deum referunt, quasi ipse velit causſam agere viduarum & pupillorum, licet mariti in bello perierint. Sed prior sensus melior esse videtur, propterea quod in huiusmodi gentium excidijs vniuersalibus ne ipsis quidem viduis aut pupillis parcatur. Quod sanè fit iustissimo Dei iudicio, qui in Exodo dixit, Nullam viduam aut pupillum affligetis: si verò omnino eos affligere perrexeritis, indubiè clamabunt ad me, & ego certissimè exaudiam eos, & excandescet ira mea, & trucidabo vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij orbi, &c. Quoniam itaque Idumæi afflixerunt viduas & pupillos vicinarum aliarúmque gentium, meritò tandem & ipsorum quoque viduæ & pupilli non tantùm negliguntur, sed affliguntur etiam. Hæc probè apud semetipsos expendant, quibus militia, & lusus & quæstus est, in qua multa viduarum & pupillorum millia fiunt.

Fidelis amicitia & cura non liberabit Idumæos.

Exodi 22.

Ista cum dicerentur Idumæis, videbantur ipsis similia esse anilibus nugis. Contemnebant ergo has prædictiones, sed & impossibile esse putarunt quod ipsis prædicebatur, iccirco Ieremias, Deo authore, vehementi asseueratione confirmat hoc, quod de interitu ipsorum prædixit, certissimè complendum fore: ac principiò vtitur argumento à comparatis ducto, & per exemplum accommodato. Iudæos enim proponit contemplandos Idumæis. Fuerunt hi confœderati Dei, nuncupati populus Dei, habuerunt templum & sacra Deo placita, & promissiones amplissimas: nihilominus vrbs eorum vastata est, & ipsi per Babylonios abducti sunt in captiuitatem. Cum ergo hi, qui immeritò affligi sunt visi, non potuerint subterfugere supplicium, tùne Idumæa, quæ cũ Iudæa nullo modo cõferenda es, impunè exultares perpetuò in peccatis tuis, imò in nephandis sceleribus? Hic per subiectionem subiungit magna cum gratia & vehementi spiritu, Neutiquam eris exors: sed bibendo bibes: id est omnino subijcieris supplicio. De poculo hoc dictum est Ierem. 25. Vsus est huiusmodi argumentatione & beatus Apostolus Petrus in cap. 4. prioris epistolæ, vbi manifestè euincit incredulos aut impios horribiliter & certò fore puniendos. Sed & Dominus in Euangelio dixit, Si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet? Luc. 23. Nõ est ergo quod impij sibi palpent & impunitatem sibi in sua felicitate fœda polliceantur. Si enim ecclesiæ suæ non pepercit Deus, sed in hoc seculo tot & tantis exercuit persequutionibus, an parceret impœnitentibus & cum Deo impiè pugnantibus?

Omnino excidendos Idumæos.

Si pij vexantur aduersis, quanto magis impij

Confirmat excidium ipsorum iam etiam adducto iuramento Dei, Deus iurauit per semetipsum (cum per maiorem iurare non posset) se omnino Idumęam totam redacturum in cineres: vastanda est itaq; in vniuersum indubiè. De iuramento Dei & fide iurisiurandi dixi aliàs, quemadmodum & de loquutionibus istis, Dabo in opprobrium, execrationem, &c. Consequenter per visionẽ quandam comprobat vastandos fore Idumæos. Asserit enim se sub quadam visionis specie audiuisse rumorem per gentes dispersum, qui nunciet legatos iam missos à rege Babyloniæ ad homines regno Babylonio subditos, qui aptos militię con-

scribant, arment, & in Idumæos ducant. Mutuò accepit etiam illud ex Abdia; sicuti & consequentia pleraq;. Videtur ergo Ieremias tale quidpiam dicere, Persuasistis vobis neminem venturum in Idumæam, qui vos superet & excindat, ego verò iam audiui certò, exercitus conscribi, qui contra vos in Idumæam ducantur. Fingit ergo voces quas legati illi profundant, dicentes, Congregamini, &c. Colligimus hinc, quod & sæpe superius audiuimus, Deum gerere bella contra hostes suos, quæ videntur (ad secundas causas spectantibus) geri à militiæ primatibus & militibus. Sed hanc molem mouet Deus omnipotens, iustus, & sanctus.

Superbia Idumæorum.

Idumæi alijs regnis collati, vt Assyriaco, Ægyptio aut Babylonio, satis erāt exiles & cōtempti, sed extulerant se vltra sortem communem, ea re concitarunt Dominum ad iram, qui modò dicit, Reddam te contemptissimum inter homines. Superbos enim humiliat Dominus, humiles euehit. Displicet Deo in primis pauper superbus. Vide Eccli. 25. Et hæc quidē sententia pertinet ad consequentia, quibus absoluitur. Nunc agemus Deo gratias, &c.

Pergit in eodem argumento contra Idumæos.

CONCIO CLIII.

Arrogantia tua decepit te & petulantia cordis tui, quæ habitas in petrarum foraminibus, & tenes collium altitudinem: tametsi sustuleris nidum tuum vt aquila, inde tamen detraham te, ait Dominus. Et erit Edom desolata, omnis qui eam præteribit, stupebit & sibilabit super omnes plagas eius. Quemadmodū subuersæ sunt Sodoma, Gomorrha, & vicinæ vrbes eius (ait Dominus) sic nemo habitabit (in Idumæa) neq; incolet vllus mortalium. Ecce quemadmodum ascendit leo de tumore Iordanis ad habitabula munitissima, sic impellam & ad currendum incitabo illum aduersum eam. Et quicunque electus iuuenis fuerit, hunc contra eam recensebo. Quis verò mihi similis est? Quis mecum contendet? aut quis est ille pastor qui coràm me consistat? Propterea audite consilium Domini, quod cepit super Idumæa, & cogitationes eius, quas cogitauit super ciuibus Theman, quòd despectui habituri sunt eos minimi ex grege, & habitacula eorum cum eis deserta reddent. A fragore casus eorum tremet terra, clamor vocis eorum audietur ad mare rubrum. Ecce sicut aquila ascendet (hostis) inuolabit & expandet alas suas super Bosram: eo die cor fortium heroum Idumææ erit sicut cor fœminæ, in angustijs (partus) comprehensæ.

Idumæos non eripient vires ipsorum neque munita loca.

TAxare cœpit Idumæorum superbiam, eum locum his primis absoluit. Duo verò simul vitia reprehendit in Idumæis. Etenim confidebant suis viribus, & sese omnibus præferebant gentibus, non agnoscentes imbecillitatem suam, quodq; cum alijs ne conferri quidem potuerunt. Deinde confidebant locis, in quibus habitabant, natura munitis. Nam propter montana, præruptas petras, & arces atque fauces, existimabant se & inuictos esse, & nemini ad ipsos vllum patere aditum. Cæterùm ea fiducia, inquit, decepit te. Nam si sustuleris nidum tuum instar aquilarum, inde te detraham & terræ illidam. Apud Abdiam alia hyperbola vtitur, Si inter astra tete collocaueris, inde te deijciam. Alioqui iterum verbis Abdiæ vtitur Ieremias. Peccatum est itaque grande arrogantia, fastus, vel superbia. Alij verterunt pro arrogantia, conquassatio tua vel inquies tua, qua tu perpetuò laborauisti, & gentes alias inquietasti. Alij verterunt,

Terror

Terror tuus, quo scilicet territasti alios assiduis bellis, perdidit te. Peccatis grande est munitionibus confidere. De quo antea quoq; dictũ est non semel. Et Deo omnipotenti difficile non est arces alioqui inaccessas aperire hostibus & accessas reddere. Cur ergo confiditis montibus vestris & arcibus?

Consequentibus demonstrat, ac euincit argumentis pluribus, Idumęos prorsus fore perdendos. Et erit Edom desolata, &c. Modum quoq; explicat horrendum, Sic vt qui per regionem illam à bello Babylonico ambulauerit, cum stupore sibilaturus & admiraturus sit, quòd tantis plagis vniuersam terram attriuerit Dominus. Addit his exemplum, excidium inquam Sodomæ & vicinarum vrbium. Nam sicut illæ quoq; obrigueranr in peccatis & securę erant, existimantes nunquam se opprimendas fore, attamen vno veluti momento cœlesti igne combustę sunt, sic eueniet & Idumæorum regioni, vt dum non expectant, subuertantur à Babylonijs. Idem eueniet & alijs regionibus, in quibus inoleuerunt Sodomorum & Idumæorum mores scelerati. Mores Sodomorum noti sunt vel ex 19. cap. Genes. & Ezech. 16. Certè adducitur hoc exemplum in scripturis passim vel creberrimè. Est enim exemplum iræ ac vindictæ Dei admodùm memorabile, contra securos & impœnitentes homines. *Idumæi funditus perdentur.*

Rursus per hypotyposin ostendit, quomodo Babylonius in Idumęam sit irrupturus. Armentarij erant Idumęi, ergo parabolam adducit leonis prodeuntis ex tumoribus vel ex collibus Iordanis & irruentis in armenta vel gregem. Sic enim ait Dominus, impellam & currere faciam Babylonios, qui munitissimam illam tuam regionem inuadent, ac habitatores lacerabunt, habitationem verò vastabunt. Ad expositionem huius, illud pertinet quod sequitur, Et quicunque electus iuuenis fuerit, &c. Sic enim explicat quid significauerit per Leonem, nimirum milites Babylonios fortes & audaces, quos se ait expediturum contra Idumæam. Proinde iterum audimus Deum iusto suo iudicio bella commouere contra illos, quos aut exercere vult, aut perdere. Intelligis item ex Deo esse robur animi & peritiam rei militaris. Concedit hanc illis, quos immissurus est genti alicui corruptæ.

Iam ne securi rerum hæc omnia, quæ protulit hactenus, contemnerent, attingit obiter Dominus insuperabilem suã potentiam. Quis, inquit, mihi similis est? Non habet parem Deus in gloria, potentia, maiestate, ac sanctitate. Quis me cum certet? Id verterunt alij, Quis mihi tempus aut modum præscribet? aut quis mecum cõueniet? Quis pastorum id est principum se in conspectu meo statuat, aut in aspectum meum prodire ausit? Nemo. Cum ergo sim omnipotens & omnium rerum Dominus, cur dubitatis illa omnia me facere posse, quæ facturum me dixi? Si creditis, quare non metuitis potens nomen meum? cur non humiliamini? Hæc autem singuli nobis dicta putemus. Copiosiora de immensa Dei potentia lege Isaiæ. 40. &c. *Deus parem habet neminẽ.*

Rursus itaq; quomodo Idumæos puniturus & subuersurus sit ostendit, si forte rerum horribili commemoratione conuersi ad Deum, agerent pœnitentiam. Consilium enim suum Deus, quod contra ipsos cœpit, libere exponit. Futurum est, inquit, vt qui sunt in grege minimi, id est contemptissimi, lixæ, & calones in castris Babylonijs (Lutherus vertit die hirten bůben) conuulsuri sint tuam illam superbiam, quam modò compescere potest nemo. Despicient isti te, vexabunt te, deprædabuntur te, quæ nunc te inuictam esse arbitraris: præterea vastabunt & te & habitationes tuas funditus, nec restabit aliud de rebus tuis quàm turpis memoria, ac Idumæa erit deserta. Nostra certè memoria idem euenit militibus sua opinione gigantibus. Postquam enim commissa pugna fusi sunt & fugati, calones quiq; irruerunt in eos, ac spoliarunt rebus omnibus, dimiseruntq; nu- *Quomodo Deus puniturus sit Idumæos.*

dos vt interim ne digitum quidem contra cõtemptissimos illos spoliatores suos commouerint. Videntur autem ciues Themanitæ præ cæteris fuisse insolentes, feroces, ac superbi: vnde singulariter hæc tam abiecta eis vaticinatur. Caueant ergo sibi feroces & arrogantes, ne pari pœnæ subijciantur.

Porrò amplificat vel exaggerat horribilem ipsorum interitum per hyperbolas quasdam vulgatas. Nam dicit terram à lapsu vel casu ipsorum commouendam, & vocem vel sonum fragoris audiendum procul in littoribus maris rubri. Qua re veterem historiam reuocat in memoriam, Pharaonis videlicet cum suis Ægyptijs submersi in mari rubro. Ita enim & nunc quoque pereunt de repente Idumæi: peribunt omnes impœnitentes. Postremò adducit etiam parabolam aquilæ inuolantis in columbas. De qua sententia dictum est sub finem Orationis habitæ contra Moabitas in capite quadragesimo octauo. Domino Deo nostro sit laus & gloria.

ORATIO IEREMIAE VIGESIMASETXA ET VIGESIMASEPTIMA.

Prædicit & Damasco & Syriæ regno certissimum & miserrimum interitum.

CONCIO CLIIII.

CONtra Damascum, Pudefacta est Hamath & Arphat, quia rumorem malum audierunt, & dissoluti sunt (sicut qui) in mari soliciti quiescere non possunt. Exanimata est Damascus atque in fugam conuersa, tremor inuasit eam, angustia & dolor occuparunt eam, sicut parturientem. Quomodo? an non derelicta est vrbs laudis, vrbs gaudij? Iccirco iuuenes eius cadent in plateis eius, & omnes viri bellicosi compescentur eo die, dicit Dominus exercituum. Et incendam ignem in muro Damasci, & deuorabit ædes Benhadad.

CONtra Cedar & regna Hazor, quæ percussit Nabuchodonozor rex Babylonis, Sic dicit Dominus, Surgite, ascendite contra Cedar, & vastate filios Orientis. Tentoria eorum & gregem eorum rapient, cortinas eorum, & omnia vasa eorum, camelos eorum tollent sibi, & clamabunt ad eos, Pauor vndique. Fugite, discedite protinus, in profundum vos demergite ad latendum, ô habitatores Hazor, dicit Dominus: quia consilium iniit contra vos Nabuchodonozor rex Babylonis, & cogitationem contra vos cogitauit, Surgite, ascendite contra gentem felicem, habitantem securè, ait Dominus, quæ ostia nõ habet, nec vectes, sed sola habitat. Eruntq; cameli eorum in direptionem, & multitudo pecorum ipsorum in prædam, & dispergam eos ad omnem ventum, & ad eos, qui ad angulos habitant extremos: & ab omnibus qui vltra eos sunt, adducam perniciem eorum, dicit Dominus. Et erit Hazor cubile draconum, & deserta in sempiternum, nemo ibi habitabit, nec commemorabitur in ea filius hominis.

Damascus vetus ciuitas.

ORATIO contra exteros 7. ordine, quem nos sequimur 26. titulo prefixo ostendit contra quos sit dicta, contra Damascum, id est contra Syros, quorum metropolis erat Damascus, vetus & admodùm celebris in Oriente vrbs. Frequentissima fit eius in sacris literis mentio, & Vadianus in Epitome sua

tome ſua copioſe de ipſa ſcripſit. Dedit illa nobis purpuram, quam hodie quoq; appellamus ab vrbe Damaſco damaſcenam, damaſt vel damaſch. Nobile inſuper fuit Orientis emporium: vnde & vrbs opulentiſſima erat, & luxu perdita: aliquando & militia inſignis ac laudata. Cuius quidem generis in libris Regum & Paralipomenon non pauca commemorantur. Damaſco itaq; ac Syris diuinus vates interitum prædicit, ſicut & alijs gentibus, propter peccata ipſorum, & maximè propter vitam prorſus à pœnitentia alienam. Et quidem peccata ipſorum paucis attingit, pœnam vel excidium paulò copioſius proſequitur. Cùm verò vrbem laudis vel gloriæ, ac gaudij, vel tripudij nuncupat, peccata ipſorum attingit. Quia enim Dei beneficio inſignis & laudata vrbs facta eſt, non agnouit hæc Dei beneficium, neque modeſtè vſa eſt Dei donis, ſed ſuperbiuit, & in alienis donis nimium ſibi placuit, nimisq; inſolenter res ſuas iactauit. Quod ſemper diſplicuit Deo. Acceſſit ad inſolentiam & ſuperbiam inſignis & inſolens luxus, adeò vt ipſa vrbs appellaretur tripudij vel gaudij vrbs. Hic enim Comus, Venus & Bacchus colebãtur: hic erant choreæ & tripudia, conuiuia, comeſſationes, & omnis generis fœdæ voluptates. Vnde & apud Amos legimus dixiſſe contra Damaſcum Dominum, Excindam habitatorem de valle vanitatis, & tenẽtem ſceptra in domo vel in horto delitiarum. En Damaſcum appellat vallem vanitatis, nimirum officinam omnis vanitatis & omnium nequitiarum, præterea Edẽ, id eſt hortum delitiarum. Erat enim illa veluti altera in Aſia vel Oriente Epheſus aut Corinthus. Voluptatibus enim indulſit, & mercatorum frequẽtia ſubinde nouas voluptates didicit. In quibus ſe ſecurè volutans, nunquam deſerendam putauit: ſed Dominus dicit ipſam omnino deſerendam: ſicuti & de Ægypto antea audiuimus. Certè multas præclaras vrbes in orbe perdidit luxus, Troiam in primis, vt alias taceam quàm plurimas. Contra Damaſcum hãc prophetarunt & alij vates, Dei fideles miniſtri, vt Iſaias in 17. cap. & Amos in primo capite. Docemur his vrbes & gentes delitijs & luxui deditas non fore diuturnas.

Peccatũ Damaſci & Syrorũ.

Excidium Damaſci paulò proſequitur, ſicut modò dixi, copioſius. Nominat autẽ mox ab initio præclaras aliquot vrbes Syriæ, vt Hemath, quæ aliquando dicta eſt Antiochia, & Arphat, cuius mentio fit etiam in rebus Ezechiæ, et intelligit per eas totam Syriam, quam ait confuſam eſſe: et rectè quidem cõfuſam. Quia hactenus victorijs & opibus nobilis, nihil tale expectabat. At diſſoluti ſunt, inquit, vel rumore infelici vel bellico, de aduẽtu Babylonij ſparſo. Ita enim robuſtiſſimos quoſque Deus in die viſitationis, vel rumoribus ſiniſtris, & perturbare & conſternare poteſt, vt nullas habeant vires reliquas, nullum animum virilem. Sic teſtatur Rachab apud exploratores Ioſue, in vrbe Iericho omnium Chananeorum animos ex rumore geſtarum rerum in Ægypto, & in deſerto contra potentiſſimos reges, concidiſſe, & miſerè ſibi ab Iſraelitis metuere omnes. Huc pertinet fortè prouerbium vetus, Panicus caſus. Sequitur enim, Sicut illi qui in mari iactantur, ſolliciti conſiſtere nequeunt: ita eueniet Damaſco, vt timida conſiſtere non poſſit. Quæ quidem elegans parabola eſt: quæ mox ſignificantioribus verbis explanatur. Exanimata eſt Damaſcus, &c. Parabolam parturientis mulieris & antea non ſemel habuimus. Timeamus ergo Dominum, qui & animos inſpirat fortes, & pauidos quoque, ac in præcipitium agentes.

Excidium Damaſci.

Panicus caſus.

Quoniam verò Damaſcus adhuc habebat iuuenes fortes, & viros aptos bello, confidebat in his, atque putabat iſtorum robore ſe ſaluam fore: ideóque propheta ait ſaucios & confoſſos in vrbe corruituros illos atq; ita compeſcendos. Ac quò certiora hæc forent, adijcit, Ait Dominus exercituum, qui omnia poten

Fortes Syrorũ cadent.

sua manu versat. Adijcit his pręterea Epiphonema petitum ex propheta Amos, Et incendam ignem in muro Damasci, &c. Ignis quidem vindictæ Dei symbolum est. Proinde ait se vindicare velle ac punire peccata Damascenorum, & incendio perdere velle regia illa palatia Damasci. Benhadad commune fuit vocabulum regum Syriæ magnificum. Intelligimus itaque neque ædificia, neque robur militum noxios & pœnæ diuinæ destinatos eripere ex impendentibus malis.

ORATIO XXVII.

Cedareni qui.

ORATIO octaua contra exteros, quæ ordine alioqui 27. est, dicta est contra Cedarenos, quorum primum locum quidam fuisse arbitrantur Hazor. Habuerunt hi non vnum regnum: sed variè dispersa per deserta. Sunt enim Cedareni, Agareni, & Ismaelitæ, ac Arabes. Arabia patuit latissimè. De Scenitis & desertum habitantibus hæc maximè intelligimus. Fuerunt autem feri & barbari homines, pagani & pastores, horrendas inhabitantes syluas, paludibus alicubi fœdas. Carebant vrbibus vel oppidis. Nomades enim cum essent, certas non habuere sedes, sed tabernacula mutarunt pro ratione pascuorum: sicuti hodie refertur de Tartaris. Videtur interim Hazor locus fuisse celebris inter eos. Fortassis regna Hazor appellat regiones paganas, & rurales. Etenim Hebræi vocant Hazor locum non muratum, vel muro non munitum aut cinctum. Fuerunt enim Scenitæ. Contra hos prophetauit etiam Isaias in cap. 21. qui apertè in titulo orationis, vocabulum ponit Arabiæ. Hos autem dicit Ieremias percussos esse à Nabuchodonosore. Vaticinium est ergo de excidio Cedarenorum. Excisi sunt autem propter peccata sua, sicuti & aliæ gentes, quarum catologus hic, hoc est in hisce postremis cap. & in 25. cap. ponitur: sed qualia illa fuerint, non commemoratur. Apparet autem illos paria habuisse peccata cum alijs gentibus, crudelitatem, quòd inquam prędas egerint, et vicinos inuaserint. Quòd Deum non timuerint, neq; ipsi fuerint grati: quòd suis viribus, et opibus, & eremo suæ confisi sint, ceu inaccessæ, &c. Præmittit autem præceptum Domini mandantis Babylonijs vt surgant, & ascendant contra Arabes. Ex quo intelligant cum quo ipsis sit negotium, & quis sit dux belli futurus, ipse Deus. Est autem durissimum belligerari cum Deo. Mandatum verò Dei tristissimum est, Vastate filios Orientis. Mox commemorat opes & instrumenta ipsorum, quæ ait

Opes Nomadũ

diripienda fore ab hostibus Babylonijs. Opes ipsorum erant tabernacula, cortinæ, greges, vasa, id est instrumenta pastoralia varia, mulctralia, & quæ huius generis innumera sunt, cameli item ac dromedarij, &c. Fingit porrò pauorem repentinum & Panicum vndique in ipsos irruiturum. Fingit voces acclamantes, Fugite, &c. Habitatores Hazor nominat Scenitas paganos, ruri, & in locis non cinctis muro habitantes. Cur autem ita fugere & latere alicubi in profundo aut abstruso loco iusserit, rationem reddit, & ait, Quia cõsilium iniit, &c. Iam etiam imitatione refert voces Babylonicas. Clamant enim duces, et compellant militem, dicentes, Surgite, ascẽdite ad gentem felicem, vel opulẽtam, aut quietam, & securè habitantem, quæ nullos metuit milites, se tutam arbitratur & inaccessam. Neque portas habet neq; vectes. Erant enim Scenitæ, & per syluas & campos vagantes, sub tentorijs agentes. Repetit omnes ipsorum opes fore diripiendas: ipsos verò in omnem ventum, id est ad omnes cœli plagas dispergendos, etiam vsq; ad extremos Garamantes: quod Hebræi effari solent, ad eos, qui extremos incolunt angulos. Addit se adducturum perniciem contra ipsos ex omnibus terminis ipsorum. Vicinis enim ipsorum & remotè dissitis molesti fuerunt:

Dissipiantur Arabes.

æquum

æquum ergo erat, vt nunc à vicinis pariter & remotis hostibus diuexarentur. Ita eueniet cunctis prædonibus, quorum auaritia parcit nemini. Postremò minatur ipsis prophetico & peculiari quodam dicẽdi genere vastitatem horrendam, cùm ait, Et erit Hazor cubile draconum, id est loca illa, quæ nunc incolunt Scenitæ illi pastores, redigentur in loca maximè vasta, & vastitate horrida, quæ maximè fera animalia deserto gaudentia, vt dracones, inhabitant. Neque enim amplius ab hominibus inhabitabuntur. Hic est finis impiorum & impietatis. Timeamus ergo Dominum, & ambulemus in lege eius. Ipsi gloria semper. Amen.

ORATIO IEREMIAE VIGESIMAOCTAVA.

Prædicit etiam Elamitis excidium per Nabuchodonosorem: sub finem tamen promittit latiora.

CONCIO CLV.

VErbum Domini quod factum est ad Ieremiam prophetam contra Elam in principio regni Zedechiæ regis Iuda, dicens, Sic dicit Dominus exercituum, Ecce ego confringam arcum Elam, principium (vel præcipuum) fortitudinis eorum: & inducam contra Elam quatuor ventos à quatuor extremitatibus cæli, & dispergam eos ad quatuor ventos istos: nec erit gens vlla ad quam non veniant profugi Elam. Efficiam enim, vt Elam paueat ab hostibus suis, atque ab his, qui quærunt animam eorum: & adducam super eos malum, furorem iræ meæ, dicit Dominus, & persequar eos gladio, donec consumam eos. Ponamq; solium meum in Elam & perdam ipsinc regem & principes, dicit Dominus. Erit autem in postremis temporibus reducam captiuitatem Elam, ait Dominus.

ORATIO contra exteros nona, ordine 28. habet inscriptionẽ cõtinentem authorem Deum huius Orationis, loquentem per Ieremiam: deinde tempus quo reuelata est, circa principium regni Zedechiæ. Diuerso enim tempore hæc reuelata est ab alijs orationibus. Rationem huius diuersitatis dicere non possum. Reuelat nobis Deus suam voluntatem quando vult: tũc autem vult, quando is nouit opportunum esse ac vtile nobis. Neq; recipio hic expositionem eorum qui mendum esse arbitrantur librarij, ac pro Zedechiæ vocabulo reponendum Ioachim. Indicatur præterea contra quos sit dicta oratio, contra Elamitas. Hos cap. 25. Persas esse dixi: id quod & Plinius dicit lib. 6. cap. 28. Cæterùm Elam fuit primogenitus filius Sem, Persarũ genearcha, vnde Persæ Elamitarum nomen acceperunt, prius tamen dicti Elamitæ quàm Persæ. Regia Persidis fuisse dicitur vrbs Susarum. Milites Persæ admodùm fuerunt feroces, eximij arte sagittandi: vnde & alij principes horum opera vtebantur in bellis, ac hi se istis venales ceu Cares præbebant. Strabo commemorat Persas exercuisse prædas. Quo nomine nimirum offenderunt Deum, qui diligit iustitiam, odit iniquitatem. Nunc ergo vaticinatur Persis Ieremias, ipsos quoq; per Nabuchodonosorem vastandos, nimirum propter peccata, maximè propter iniurias & iniustitiam. Sicut enim in omnes excurrerunt gentes, & prædas exercuerũt, ita futurum asserit, vt omnes gentes in ipsos quoq; irruant, & vicissim mactent & vastent ipsos; iuxta communem illam regulam, Qua mensura alijs mensi

De Elamitis.

Vaticinium contra Persas.

fueritis, eadem alij vobis remetientur. Sub finem tamen lætiora promittit, libertatem.

Ars sagittandi. Confidebant autem plurimum arti suæ sagittandi, & hac molesti erant omnibus circumquaq; gentibus: quemadmodum hodie inuenias gentes quę excellant sclopetis aut bombardis, & his conficiunt multos, ac terribiles sunt multis. Sed Dominus, Ego, inquit arcum Elam confringam. Vide quis etiam sclopeta confringat, aut innoxia hominibus reddat. Nostra memoria sæpe sclopetarij in feriendo aberrarunt, aut non tantum, quantum valuere, potuerunt. Dominus enim regit manus hominum. Dauid canebat, Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Cessante ergo Domino aut non concedente successum, frustra conantur homines multa. Loquutio, Principium fortitudinis eorum, tantum valet ac si dicas, quod præcipuum est fortitudinis eorum: vel, quo illi præcipuè valent. Præterea dicit Dominus, postquam exarmauerit ipsos, se inducturum super ipsos quatuor ventos à quatuor cœli plagis. Intelligit autem Babylonios: Quòd sicut venti cum impetu irruunt valido, adeò vt frustra ipsis resistatur: ita Babylonios maxima cum potentia vndique inuasuros Persidem & domituros. Addit se item Persas dispersurum in omnes mundi partes: adeò vt nulla sit gens, quamuis remotissima, futura, ad quam profugi & exules Persę non sint venturi. Ita verò rependit Persis Dominus, qui excurrere solebāt militatū in omnes gentes. Meminerint horum milites nostri seculi, qui & ipsi pro stipendio quibuslibet militant, non curantes quòd pereant innoxij homines, modò ipsi habeant quod impendant ingluuiei, scortis, aleæ, luxui vestium, & intemperantiæ suæ.

Persæ peribūt. Cæterùm cordati & animosi erant Elamitæ, vnde non videbatur verisimile gigantes tot & tantos facilè posse redigi in ordinem. Dominus verò dicit se pauorem his, vt reliquis antea fortissimis gentibus, incussurum, vt paueant & miserè sibi ab his metuant, qui aliquādo timuerunt Persas. Sic solet Dominus mutare animos, qui alioqui aerem & mare ipsum mirificè mutare potest. Sequitur quod adhuc est grauius, Adducam super eos malum, nimirum furorē iræ meæ, qua persequar eos, donec conficiam omnino. Minatur ergo se Persas ex ira sua deleturum vel consumpturum. Rectè ergo dixit Apostolus, graue esse incidere in manus Dei viuentis.

Neglexerunt Persæ iustitiam. Postremò adiungit se ista omnia facturum iusto & æquissimo iudicio. Dicit enim se positurum solium vel sedem iudiciariam, aut tribunal inter Elamitas, iustoq; iudicio excisurum reges & principes Persarum. Videtur autem subobscurius taxare iniustitiam gentis Persicæ, quæ negauit ius viduis & pupillis, neque iudicia, vt debuit, exercuit. At cum negligitur ab hominibus ius & iustitia, exercetur ipsa in negligentes & preuaricatores iuris à Deo per vindictam ad interitum vel excidium. Discant ergo magistratus hinc exercere iustitiam. Et quamuis historia sacra non commemoret quomodo hæc sint impleta per Nabuchodonosorem, constat tamen esse adimpleta, postea verò Cyri temporibus Persas iterum emersisse.

Post dura & acerba hęc, lætiora subiungit Ieremias, promittens Persis libertatem ex captiuitate Qui locus pertinet ad vocationem gentium. Tametsi enim sub Cyro & subsequentibus ipsum regibus Persæ restituti fuisse videntur, nihil tamen est, quantumuis illustre sit, si conferatur cum beneficio & restitutione verāque libertate Christi. Per hunc Persæ & omnes gentes liberati sunt à captiuitate mortis, peccati, diaboli, & inferorum, facti sunt autem filij Dei & hæredes regni cœlorum per Euangelium. Et certè legimus Elamitas positos in catalogo illorum qui primi audierunt Apostolos prædicantes Euangelium in Actis cap.

Persæ Euangelij luce illustrati.

2. In Ni-

2. In Nicena Synodo, testatur Eusebius in vita Constantini, fuisse episcopum ex Persida. Scimus præterea virum doctissimum, sanctissimumq́, & mysteriorum Christi scientissimum Theodoretum, cuius hodie plurima extant opuscula præstantissima, de vera religione nostra conscripta, inseruijsse ecclesijs Elamitarum. Deo ergo liberatori nostro sit laus & gloria.

ORATIO IEREMIAE VIGESIMANONA.

Tandem & Babylonijs excidium suum propter peccata prædicit Ieremias.

CAPVT L.

CONCIO CLVI.

SErmo quem loquutus est Dominus contra Babylonem & contra terram Chaldæorum, per Ieremiam prophetam, Annunciate per gentes ac prædicate, signum quoque eleuate, diuulgate, ne celetis, dicite, Capta est Babel, pudefactus est Bel, confractus Merodach, pudefacta simulachra eius, contrita stercora eius. Quoniam ascendit contra eam gens ab Aquilone, quæ rediget regionem eius in solitudinem, vt nemo in ea habitet, non homo, non iumentum, fugierunt, abierunt. In diebus illis & in tempore illo, ait Dominus, venient filij Israel, ipsi & filij Iuda simul, eundo & flendo incedent, quæsituri Dominum Deum suum. Viam ad Zion perueſtigabunt, eò conuertent vultus suos (ac dicent) Venite & adhærebimus Domino fœdere perpetuo, quod nunquam obliuioni tradetur.

ORATIO Ieremiæ 10. & vltima contra gentes exteras, omnium est copiosissima, qua tamen eadem propemodùm res subinde inculcatur, Perdendam videlicet funditus Babylonem, idq́ propter peccata grandia: liberandum interim populum Domini. Neq́ verò sine causa hoc negotium tractat tam copiose. Mirari enim quis poterat quid tandem factum sit cum Babylonijs, in hoc mundo victoriosissimis & felicissimis gentibus. Inuident homines victi vexatiq́ victoribus & vexatoribus fauentem fortunam, maximè si existiment, vt ferè fit, se illis nihilo esse vel inferiores vel deteriores. Indignatio autẽ hæc tendit tandem contra ipsum Deum & iudicia eius: quasi hic illis contra æquitatem faueat, & res ipsorum promoueat, afflictorum deprimat. Cæterùm iudicia Dei semper æqua & iusta apparent. Sicuti & in Babylonijs ipsis colliquescit. Pertinet huc propemodùm tota Abacuk prophetæ prophetia: ac Ieremias tam copiose exponit fata Babylonis, vt omnes videant Deum esse iustum, & iudicia eius æqua. Et quidem in cap. 25. dixit Ieremias, & Sesak, id est Babylonium bibiturum ex poculo Domini. Ergo quomodo biberit & crusta poculi quoque deuorare coactus sit, consequenter copiose exponit. In titulo mox ab initio asserit hoc totum vaticinium Dei esse, qui sanè solus futura nouit & prædicit, vtpote in cuius prouidentia consistunt omnia. Rursus non tacet suum ministerium, se videlicet electum esse à Deo, qui per ipsum oracula sua reuelare velit Babylonijs. Nam significanter etiam in titulo exprimit hæc omnia tendere contra Babylonem, & contra terram vel imperium Chaldæorum. Periculosum verò erat

Copiosa est oratio instituta cõtra Babylonios

Periculosissima est Ieremiæ functio.

dicere & scribere contra illos, qui tunc rerum potiebantur. Neq; dubiũ est quin hæc omnia peruenerint in cognitionem Nabuchod. & principum eius. Nam vt Ionas peruenit Niniuẽ, & interitum eius palàm annunciauit, ita sub finem cap. 51. audiemus, Ieremiam mandasse Seraiæ, vt Sermones hos omnes recitet Babyloniis, deinde & sermonẽ lapidi alligatum demergat in Euphratem. Sed cum Ieremias post paucos annos (hæc enim dictata & pronunciata videntur 4. anno Zedechiæ, aut vt aliis videtur tunc quidem missa, sed 4. anno Ioachim scripta) veniret in manus Nabuzardan principis militiæ Babylonicæ, non legimus isto nomine cum ipso vel expostulatum, nedum acerbius actum quicquam. Iudicabunt ergo gentes, nostræ ætatis homines, qui tam iniquè excipiũt sermones pronunciatos contra ipsorum corruptionem & scelera, &c.

Babylon.

Babylon alioqui fuit vrbs vetustissima, turri illa contra Deum extructa insignis, id quod videre licet 11. cap. lib. Geneseos. De qua vide copiosiora in Concione CLXVI. Emersit demum ex Assyriaci imperij casu. Nam Merodach Baladan, cuius mentio fit in rebus Ezechiæ regis Iuda, post interitum Senacheribi & Assaraddonis, cœpit oppresso & nomine & regno Assyriorum inclarescere in Babylone. Reliquit imperium filio suo Ben Merodach, is verò filio suo Nabuchodonosori prisco, qui dedit amplissimum imperium filio suo Nabuchod. qui ex amplitudine rerum gestarum, nuncupatus est magnus. Paruit huic propemodùm orbis vniuersus: extruxit, aut ampliauit potius, ornauitq; hic Babylonem, & produxit vsq; ad miraculum: quod ex 4. Dan. cap. intelligitur. Idem Dan. in 7. cap. nuncupauit Nabuchod. cũ monarchia sua, caput in statua illa oraculari, caput aureum. Fuit enim inter omnes monarchias omnium præstantissima. Omnes totius propemodùm orbis opes, & excellentissima vel pretiosissima quæq; mundi vniuersi in Babylonem ceu in mare quodpiam, vt ait Abacuk, illata sunt. Vnde gloria, magnificentia, splendore, diuitijsq; omnia orbis regna superauit. Militiæ & victoriæ Babyloniorum toti terrarum orbi fuerunt notissimæ, & iam tot tantisq; per Ieremiam nostrũ decãtatæ. Sub Euilmerodacho filio Nabuchod. magni, regnum Babyloniæ longè amplissimum fuit. Magnitudine verò, mole inquam sua, felicitate item & securitate cœpit infirmari & collabi. Dum enim abutuntur felicitate & incredibilibus opibus suis, præterea Deo essent ingrati, imò in Deum blasphemi & impij, vtpote idololatræ & veri Dei hostes, sicuti Dan. 5. apparet in Baltazaro filio Euilmerodachi, & in suis principibus, meritò cecidit imperium tantum, atq; adeò ipse rex effœminatus, meritò in conuiuio trucidatus est luxurioso.

Babylon typus mundi, & regni Antichristi

Gessit Babylon typum mundi, quem & ipsum cadere & interire oportet, vtcunq; videatur multis inuictus & sempiternus. Cadet inquam mundus, & tunc liberabuntur omnes filij Dei, in die illa vltima, quam ideò S. Petrus nuncupat diem restitutionis omnium. Prætulit eadem Babylon typum Romæ (quæ ideò appellatur Babylon altera) & regno Antichristi, sicuti exposui multis in Concionibus meis in Apocalypsim S. Ioannis. Pertinere ergo hæc omnia etiam ad nos, & nobis applicare oportere res ipsa clamat.

Absorpsit Ieremias paucis verbis Babylonem.

Ab initio protinus orationis paucissimis verbis vastissimam illam vrbem absorbet. Iubet enim passim apud gentes deprædicare & ebuccinare, & lætitiæ signa extollere, edicereq; palàm, captam esse Babylonem, & munitiones eius confractas, templa denicq; illa augusta vnà cum dijs aut idolis corruisse, & confusa esse vniuersa. Deos autem Babyloniorum nominatim perstringit. Coluerunt illi reges suos veteres, Belum, Merodachum, & similes: sicuti & Romani Romulum suum, & Germani Martem suum coluisse leguntur. Idola quoq; nuncupat Gillulim, nimirum fœditates & stercora. Quid enim homines aliud sunt, quàm

puluis

puluis & cinis? Quid lignum, lapides & lutum, vnde formantur imagines, sunt aliud quàm stercora? nam ne aurum quidem, æs, aut argentum excipimus. Idololatria porrò hac offenderunt Dominum grauiter: vt nunc veluti causa adferatur, cur ceciderit Babylon. Significantius hæc exponuntur apud Danielem in cap. 5. Caueamus itaq; ab omni idololatria.

Ostendit porrò Babylonem, quam plerique inuictam putabant, delendam fore, & quidem per illos ipsos hostes, quos Dominus sit adducturus ab Aquilone. Loquitur autem de Persis & Medis, quos adduxere ad Babylonem Cyrus & Darius. Cœperunt hi vrbem, & vastarunt, adeò vt nihil integri superfuerit ex tanta copia, ex vrbe tam ampla, præter ædificiorum quorundam, & maximè murorum ruinas. Fugerunt simul & pecora & homines. Nemo amplius ipsam inhabitauit, vtpote desertam prorsus. Copiosius hac de re disseruit Isaias in 13. & 14. cap. Copiosiora sequentur item & in hoc Ieremia nostro. Proinde nemo confidat ædificijs vtcunque splendidis & munitis. Videmus hodie passim per Heluetiam extare rudera & modica vestigia munitissimarum arcium. Contractæ & dissipatæ sunt omnes. Possunt ergo & vrbes & munitiones, quæ hodie extant, dirui manu Dei omnes, nisi emendemus mores nostros corruptos, & verè credamus in Dominum. *Delebitur Babylon.*

Capta autem & subuersa Babylone, prædicit captiuum Dei populum ex captiuitate fore liberandum. Significanter verò exprimit non duas duntaxat tribus, Iudæorum & Beniamitarum, reducendas in patriam: sicuti quidam falsò opinantur, has duntaxat tribus reductas esse ex captiuitate: sed & decem alias tribus. Etenim, Venient filij Israel, ait, ipsi inquam & filij Iuda simul. Proinde reducti sunt ex captiuitate ex duodecim tribubus Israelis plurimi: quod & alijs scripturæ locis confirmatur. Fletum his tribuit lætitiæ, non mœroris. Nam profunduntur lachrymæ & lætitiæ ergô. Diligenter hic describit quales sint tunc futuri, longè meliores & religiosiores, quàm cùm abierunt in captiuitatem. Deum enim non quæsierant, vnde & in manus hostium traditi fuerant. Nunc enim castigati in Babylone, in schola Dei, quærent Dominum Deum suum, solliciti de vera religione, & de patria sua, in qua quondam colebatur verus Deus à patribus. Quinimò fingit itinerantes interrogare de recta via, qua eatur Hierosolymam. Fingit itinerantes Zionem conuertisse vultus, id est, rectà festinasse Hierosolymam. Fingit itinerantes adhortatos esse socios Iudæos, vt festinent, & vt adhæreant perpetuo fœdere Domino. Cuius etsi hactenus obliti sint, curaturos tamen posthac, ne vnquam obliuioni tradatur. Quæ quidem completa sunt vtcunq; temporibus Zorobabelis, Ezræ, & Nehemiæ, maximè verò plenissimeq; Christi temporibus, quibus nouum & æternum Testamentum sanguine filij Dei dedicatum est: sicut nobis scripta exponunt Apostolica. In hoc fœdere sempiterno sese mutuùm & Iudæi & gentes conuersæ hortantur ad adhærendum Christo Domino. Cui gloria. Amen. *Liberabitur ex captiuitate Dei populus.*

Perseuerat propheta in eodem argumento.

CONCIO CLVII.

Oues perditæ fuerunt populus meus, pastores earum seduxerunt eas, in montibus oberrarunt, de montibus ad colles abierunt, oblitæ cubilis sui. Omnes qui inuenerunt eas, deuorarunt eas, & hostes eorum dixerunt, Non culpa vacamus, quia isti peccauerunt Domino, qui est Deus, domicilium iustitiæ, & spes patrum eorum. Fugite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum exi-

te, & este vt hirci ante gregem. Quoniam ecce ego excitabo, & adducam contra Babylonem cœtum gentium magnarum de terra Aquilonari, & oppugnabunt eam, deinde capietur. Sagittæ eius non redibunt vacuæ, quemadmodum sagitta viri iaculandi periti. Et erunt Chaldæi præda, & omnes prædones eius satiabuntur, ait Dominus: quoniam gauisi estis, & lætati estis, conculcando hæreditatem meam, quia excreuistis sicut vitula gramine (incrassata) & hinniuistis sicut caballi. Pudefacta est mater vestra vehementer, & quæ vos genuit, pudore suffusa est: ecce nouissimum gentium desertum, vastitas, & solitudo. Propter indignationem Domini non habitabitur, sed erit tota desolata, vt omnis qui prætereat Babylonem, obstupescat, & sibilet super omnibus plagis eius.

Causæ captiuitatis Iudaicæ.

OBiter exponit quales ante captiuitatem fuerint Iudæi, vt causam reddat, cur à Deo deserti, & abducti fuerint in captiuitatem Babylonicam: quia sapere noluerunt, & adhærere Deo vero suo pastori. Libenter autem comparat scriptura homines peccatores per auia peccatorum aberrantes, ouibus stolidis & aberrantibus, adeoq; perditis. Sic videre licet Isaiæ 53. Pastores verò Ieremias in præsenti sicut Ezechiel in 34. nuncupat populi reges, præsides, antistites atque doctores. Horum insciția, incredulitate & perfidia miser populus periit. Etenim doctores religionis plantarunt idololatriam: principes illam non exciderunt. Factum est itaque, vt quemadmodum oues per montes atq; colles aberrant, & obliuiscuntur cubilis sui, id est, nesciunt vbi conquiescant, aut quæ sit caula ipsorum: ita homines aberrantes per excelsa, impendendo cultum, quem Deo debent, creaturis atque idolis, ignorent & ipsi, in quo sit animi tranquillitas, in solo videlicet Deo per Messiam: vbi sit caula ipsorum, nimirum ecclesia sanctorum. Dum enim fiduciam collocant in Milchom, Chemos, Astaroth, Baal, Beelzebul, & alijs dijs, nullam in his assequuntur quietem & securitatem, sed pergunt addubitare de salute, ac subinde hanc in alijs atq; alijs rebus incertis inquirere. Cæterùm in his illam non inueniunt: in erroribus ergo vagantur, & nesciunt suum cubile, suam quietem, atque adeò ignorant veram sanctorum ecclesiam. Sancti enim in solo Deo conquiescunt: & ecclesia fundata est in petram Christum. Quid verò videas hodie in Papatu aliud fieri? Dum enim salutem & vitam multi quærunt in cultu diuorum, in ordinibus vel sectis monachorum, excidunt ex vera ecclesia, oberrant, & nesciunt quod nam sit cubile ipsorum, in quo requiescant tranquilli. Qui Christum in ecclesia sanctorum semel apprehendunt, saturati plenè nihil appetunt amplius. Porrò ex hac inobedientia & rebellione populi factum est, vt Dominus ipsum deseruerit, & abiecerit hostibus Babylonijs: qui se existimauerunt nihil peccasse contra Deum, vtpote qui punierint illos, qui sceleribus admissis grauiter offenderunt Dominum: qui cùm sit domicilium & asylum iustitiæ, fueritq; semper spes beatorum patrum, impijssimè posteri talem deseruerunt Deum, meruerunt q; defectione sacrilega dari in Babyloniorum libidinem. Ac verisimile est, aliquot ex Babylonijs ita excusasse bellum suum, quod intulerunt Iudæis. Qui verò tales fuerunt, Deum cognouerunt familiarius, & voluntatem eius. Dubium interim non est plerosque non ita iudicasse, neque æstimasse rem, sed affectum secutos prauum, & ideò non sine peccato bellum intulisse Iudæis. Inuidiam enim, auaritiam, & alios corruptos affectus secuti videntur. Obseruandum est autem, Deum esse asylum iustitiæ, & spem omnium fidelium: quod singulariter erigit deiectos hominum animos. Quidam hunc locum sic interpretantur, Babylonij quidem arbitrantur se immunes esse à culpa, nec imputandum ipsis, quòd Iudæos per

Obliti cubilis sui.

Hostes se excusarunt.

dæos perſecuti ſunt, & oppreſſerunt. Cæterùm cùm Deus ſit iuſtus, & ſpes patrum, qui ampliſsima promiſit patribus, non ita æſtimat quòd Babylonij Dei hę reditatem vaſtarunt: & proindè puniet eos.

Rediens autem ad libertatem, de qua paulò antea dicere cœperat, liberatos grauiter hortatur, ne maneant aut hæreant in Babylone, ſed migrent, imò fugiant potius ex ipſa. Vrget hoc non ſemel in hac oratione. Vnde hoc nobis erit obſeruandum in primis. Atq; hic etiam ſuadet, ne alij in alios reſpicientes quando moueant, nunquam moueant: ſed ſicut hirci gregem præcedunt & ductores fiunt gregis, ita quiſque, non expectato altero, donec videlicet ipſe ſe ducem præbeat, rectà proficiſcatur, & ſeſe ducem præbeat gregi: id eſt, ſuadet vt ſinguli alacri mente viam capeſſant, & redeant in patriam. Certè dum hodie multi in alios reſpiciunt, & expectant donec illi recipiant Euangelium, & reforment eccleſias, cernimus ipſos nunquam peruenire ad veritatis cognitionem. Cùm ergo vocationem & illuminationem Dei habemus, non ſpectandum eſt quid faciant alij, ſed quid is nos facere iuſſerit, qui meritò vnus & ante omnes alios audiendus eſt. Is verò clamat, Fugite ex Babylone. Et quoniam prætulit Babylon typum regno Antichriſti & mundo, rectiſsimè Apoſtoli applicant hæc omnibus nobis. Nam Dominus Ieſus apud Ioannem apoſtolum in Apocalypſi hortatur his verbis fideles ſuos, vt Romam & Antichriſti regnum deſerant. Locus extat Apoc. 18. quem & ibidem interpretatus ſum. Pariter verò fugere iubemur mundum alioqui immundiſsimum. Conſulantur ſcripta Apoſtolica, Ioannis videlicet in 1. Epiſt. cap. 2. Pauli quoque in 2. ad Corinth. cap. 6. Caueamus verò nobis ab iſs, quæ fugam ex mundo & pſeudoeccleſia impediunt, cuiuſmodi ſunt affectiones humanæ, metus, & ſpes, voluptates item, amicitia hominum, facultatum ſtudium, &c.

Hortatur vt fugiant ex Babylone.

Fugienda Roma.

Fugiendus mundus.

Quia verò liberatio illa multis videbatur impoſsibilis: eo quòd haberetur pro certiſsimo, Babylonem expugnari & capi non poſſe, eam inquam ob rem oſtendit porrò Ieremias ex oraculo diuino capiendam fore Babylonem, & diruendam funditus. Ego, inquit, ne dubites de potentia, adducam Perſas & Medos, exercitum ingentem. 2. Oppugnabunt hi Babylonem, & etiam capient: nimirum Deo vires & ingenium ſufficiente. 3. Commendat militem à peritia ſagittandi. Significare enim volens ipſum iaculandi peritiſsimum eſſe, Sagittæ eius, inquit, non redibunt vacuæ, non fruſtra iaculabitur, neque aberrabit. Deus enim moderatur curſum aut motum ſagittæ, & quò vult dirigit aut impellit, ſicuti declaratur interitu Achabi, qui incerta confoſſus eſt ſagitta. Breuiter Chaldæi erunt præda, quemadmodum hactenus ipſi alias quoque gentes deprædati ſunt. Simul indicat ſpolia fore ampliſsima. Nam dicit, Omnes prædones eius ſaturabuntur, vtcunque ſint inſatiabiles. Nam in Babylonem ceu in mare quodpiam inuexerant Babylonij omnes propemodùm totius orbis opes. Nunc ergo viciſsim eadem exhauritur. Dicit enim alius propheta, Væ qui prædaris, nónne & præda eris? Sic Roma deprædata legitur omnes orbis plagas: ſed illa ipſa viciſsim præda eſt facta, cùm Gothis tum Vandalis, qui fortè reges ſuos nuncuparunt Alarychos & Genſerychos, quaſi tu Germanicè dicas, All rych vnnd gantz rych / quòd viderentur omnes milites ſuos ditare opibus imperij Romani. Hæc moneant nos, ne ſimus faciles ad bella & prædas agendas. Deus enim iuſtus prædones omnes per alios prædones robuſtiores ſubigit & deprædari ſinit.

Deſtruetur omnino Babylon.

Deus dirigit ſagittas.

Sed & cauſam luculenter ſuppingit, ob quam paſſus ſit Deus Babylonicum regnum deprædari, Quoniam vos Babylonij gauiſi eſtis, &c. Hæreditatem ſuam vocat Dominus terram Iſraelis, vrbem Hieroſolymorũ, ac populum ſuum.

Qui deprædantur alios, ipſi viciſsim ab aliis deprædantur.

Petulantiam quoque Babyloniorum adumbrat, dum eos comparat cum vitulis bene pastis, & obesis, lasciuientibusq́, & cum caballis hinnientibus. Feroces ergo fuerunt etiam, digni qui compescerentur à Domino. Quo facit & Iacobi Apostoli locus in cap. 5. Nemo itaque exultet in opibus partis iniuste. Certè minantur hæc verba etiam exitium omnibus ecclesiæ Dei persecutoribus, quæ reuera est Dei hæreditas. Iterum verò inculcat Babylonem insigni vastandam esse cum ignominia. Fingit autem nouam quasi Babylonem veteris esse filiam: & matrem erubescere de filia degenere. Mater enim assueta fuit vincere & vastare alios: iam verò vincebatur & diruebatur ab alijs filia. Hanc vocat nouissimam gentium, quòd inter gentes, sicuti & 25. cap. expositum est, vltimo loco sit vastata. Congerie quoque verborum ostendit eius vastitatem horribilem fore. Et subiungit vastitatem illam non aliunde proficisci, quàm ab ira vel vindicta Dei. Non enim refertur ad fortunam vel casum vel ad astrorum cursum, sed ad iram Dei. Amplificat item vastitatem verbis appositis, & è vulgo petitis, quod cum valde miratur, sibilat. Sed ea de re antea quoque dictum est. Nemo itaque fidat huius mundi potentiæ & splendori. Deus enim nullo negotio subuertit omnia. Cui gloria.

Pergit in eodem argumento differens contra Babylonem.

CONCIO CLVIII.

Præparamini contra Babylonem circumquaque, omnes qui arcum tenditis, iaculemini in eam, nec parcite sagittis, quia Domino peccauit. Clamate contra eam per circuitum, tradidit manus suas, ceciderunt fundamenta eius, subuersi sunt muri eius. Hæc enim est vltio Domini, vlciscimini eam: & quemadmodum fecit, facite ei. Excindite satorem ex Babylone, & tenentem falcem tempore messis. Propter grassantem gladium quisq; ad populum suum se vertet, & quisq; ad terram suam profugiet. Pecus dispersum est Israel, leones expulerunt ipsum: primus deuorauit eum rex Assyrius, & postremus exossauit ipsum Nabuchodonosor ille rex Babylonis. Propterea sic dicit Dominus exercituum, Deus Israelis, Ecce ego visito regem Babylonis & terram eius, sicut visitaui regem Assyrium. Et reducam Israelem ad septa sua, & depascet Charmelum & Basan, & in monte Ephraim atq; in Gilead saturabitur desiderium eius. In diebus illis & in tempore illo, dicit Dominus, quaretur iniquitas Israelis, & nulla erit: & peccatum Iuda, & non inuenietur: quia propitius ero eis quos reliquos feci.

Excidium Babylonis spectaculum est quod mundo exhibetur contemplandum.

SPectaculum exhibet nobis hac vltima sua oratione Dominus per Ieremiam fidelem seruum suum, dignum omnino, ad quod cõcurramus omnes spectatum, & quidem summa cum diligentia & attentione. Exhibetur enim nobis contemplanda & liberatio filiorum Dei, & interitus non tantùm Babylonis, sed ipsius etiam mundi & omnium hostium ac persequutorũ Dei & verbi ipsius. Porrò nisi oculos fidei assumpserimus, nulla cum vtilitate contemplabimur hæc, memorabilia alioqui & vtilitatis maximæ.

Animantur hostes contra Babylonem.

Conuerso ergo sermone ad Persas, Medos, atq; Parthos, Babyloniorum aduersarios, hortatur illos, vt omnibus viribus, & quàm sæuissimè irruant in Babylonem, vniuersamq; absorbeant, nullo modo ei parcant. Iubet enim omnes circumquaq; accinctos esse. Iubet sagittarios omnes fortiter in Babylonẽ iaculari, nec parcere sagittis. Rationẽ huius sui mandati subijcit, Quia Domino peccauit.

Pertinent

Pertinẽt ergo hæc omnia ad iuſtitiam Dei & exequutionem eius. Etenim iuſtitiam ſuam exequitur per Perſas contra Babylonios, qui peccatis ſuis dudum meruerant excindi deleriq; funditus. Timeamus ergo omnes Dominũ, ne ille propter peccata noſtra & vitam pœnitere neſciam, nos vnà cum Babylonijs atterat atq; conſumat.

Quod autem modò dixit, id alia dicendi figura repetit, ſignificans vtiq; Babylonem iuſto Dei iudicio omnino excindendam fore. Iubet enim hoſtes circũquaque conclamare contra Babylonem. Mox autem fingit ipſam extendere manus: quod deditionis ſignum eſt. Fingit muros cecidiſſe, & fundamenta murorum confracta eſſe. Videtur occultè alludere ad interitum fortiſſimæ munitiſſimæq; vrbis Ierichuntinæ. Ea enim ad claſſicum tubarum & ad clamorem populi Dei ſubſidit, & collapſa legitur, non ſine inſigni miraculo Dei. Is ergo qui Ierichuntinam vrbem corruere iuſſit, iubebit & Babylonem collabi, & in cineres conuerti. Et ſicut ſuperius adiecit, Quia Domino peccauit: ita in præſenti, Hæc eſt enim vltio Domini, inquit. Et hac occaſione iterum mandat Perſis vt vlciſcantur, & Babyloni faciant ſicut ipſa alijs gentibus populisq; fecerat. Vulgatum enim & lege naturæ receptum eſt, ea menſura nobis alios menſuros, qua alijs menſurauimus. Si itaq; non vis tuas tibi opes diripi, vxorem & liberos conſtuprari, vide ne alijs feceris, quod tibi nolis fieri. Facillimè quidem hæc dicuntur à nobis omnibus & intelligũtur: cæterum animis pauci aut nulli propemodùm infigunt. Vt autem omnes intelligant Babylonem nulla cum miſericordia abolendam, ne agricolis quidem parci mandat Deus. Solet autem in bellis ferè agricolis parci, ne deſit annona militi. Atqui in excidio Babylonico his nullimè parcetur. Quid ergo fiet cum nobilibus, molliculis illis, & luxurioſis, cum militibus truculentis? Arbitrantur nonnulli in ſpacioſiſſima vrbe fuiſſe multa agrorum iugera, quæ coluerint agricolæ in ipſa Babyloniorum vrbe commorãtes. Verùm vtcunque ea res habeat, agricolas per agrum Babylonicum fuiſſe innumeros res ipſa clamat. Si miraris quî fiat, quòd in bellis innocuum pereat ruſticorum genus, dicimus non omnes nec ſemper eſſe adeò innocuos. Habẽt enim illi ſua quoq; ſcelera, habent artes prauas. Vt verò maximè ſint fideles dominis ſuis, an non exultant etiam in victorijs patriæ? an non iactant dominorum ſuorum ſuperbiam? Breuiter Deus nulli facit iniuriam.

Corruet Babylon.

Iugulabuntur etiam iuſti Babyloniorũ.

Cum verò in Babylone magna eſſet turba peregrinorum hominum, ne ſperarent Babylonij, horum auxilio malis ſe ſubleuandos, prædicit illos omnes illinc fugituros. Simile quiddam habuimus ſuperius de Ægyptijs capite quadrageſimo ſexto, Mercenarij quoque eius qui ſunt in ea, &c. Cum ergo iudicia ſua Deus exercet, quiſq; rebus ſuis conſulit, nihil ſolicitus de aliorum ſalute. At fit vt qui in voluptatibus ſocij fuerunt, & voluptates procurarunt, tempore infelici diffugiant.

Peregrini fuga ſibi conſulent.

Rurſus ad cauſas venit, ob quas excíſa eſt Babylon. In primis verò commemoratur tyrannis contra populum Dei, quem comparat gregi diſperſo. Reges exteros nuncupat leones. Nam tyrannorum typum leones ferè exhibent. Mox ſe exponens, quid per leones intellexerit, dicit, & nominat Aſſyrios & ipſum Nabuchodonoſorem. Primùm enim reges Aſſyriorum vexarunt decem tribus. Nam Phulazar qui & Tiglatphalaſar appellatur, multas occupauit Iſraelitarum ciuitates: quod exponitur in 4. lib. Regum 15. cap. Subſequutus eſt Salmanazar, qui X. tribus euertit prorſus, & in captiuitatem abduxit. Deindè Nabuchod. ſemel, iterum, & tertiò exercitum duxit in Iudæam, poſtremò abduxit optimos quoſq; in captiuitatem, vrbem quoq; & templum inflammauit atq; vaſtauit. Quo nomine dicitur populum Dei exoſſaſſe, nimirum omnibus præſidijs

Tyrannis.

nudasse ac contriuisse penitus, vt nulla amplius superfuerit spes. Quanquam verò Nabuchod. moderatus & egregius fuerit princeps, fieri tamen non potuit, quin in tanto exercitu ex tot populis collecto, fuerint sæua & truculenta ingenia, à quibus exercita fuerit crudelitas atrox. De qua re abundè testari possunt Threni Ieremię. Sub hæc minatur Deus se animaduersurum in Babylonios. Visitare enim est punire. Apponit exemplum Assyriorum. Sicut non impunè hæreditatem meam, inquit, inuasit & deprædatus est Senacherib, sic Babylon quoque mulctabitur. De Senacherib refert historia sacra, quòd vniuerso exutus exercitu (ceciderant enim sub manu angeli centena octoginta quinque millia militum ante mœnia Hierosolymorum) ipse profugerit in patriam, vbi ante conspectum idoli sui, gladio filiorum, Adramelech & Sarazer, fuerit iugulatus: imperium verò ipsius Assyriacum mox dissolutum, ac ad Phul Belochum & Arbacem Medum deuolutum. Ad eundem modum cæsus legitur Baltazar vltimus Babyloniæ rex, capta Babylone, & regnum translatum ad Persas & Medos. Ita verò nunquam impunè persequuti sunt Romani imperatores ecclesiam Christi: quid quod tandem ipsum imperium in mille propemodùm frusta est discerptum? Prædixit autem Zacharias neminem lapidem hunc (ecclesiam intelligit capite duodecimo) commoturum, quin detrimenti inde aliquid sentiat accipiátque.

Senacherib Assyriorum rex cadit.

De liberatione filiorum Dei, & remissione peccatorum.

Post hæc iterum deflectit ad liberationem & restitutionem populi Dei. Punitis enim & è medio sublatis Dei hostibus, glorificabuntur sancti, 1. Cor. 15. Et quæ sequuntur, partim quidem impleta sunt, sicuti & similes promissiones, dum sub Zorobabele, Ezra, & Nehemia, Israelitæ in patriam rediere. Tunc enim loca illa iterum inhabitarunt. Partim verò & plenius impleta sunt sub Christo, & gratia noui Testamenti. Reduxit enim Christus omnes suas ouiculas, Dei inquam filios, per vniuersum orbem dispersos, in vnitatem fidei & ecclesiæ. Saturauit item desiderium sanctorum cibo & potu corporis & sanguinis sui. De quo copiosè disserit ipse Dominus Ioan. 4. 6. 7. cap. In illis diebus propitiatus est pater cœlestis humano generi, idq; respectu Christi, qui est propitiatio pro peccatis totius mundi. Ergo si quæratur iniquitas fidelium, nulla erit: nõ quod nulla futura sit, aut nulla iam sit, sed quòd credentibus propter Christum imputanda non sit. Quæretur ergo peccatum Iuda, ecclesiæ inquam Dei, sed non inuenietur: obtectum est enim sanguine Christi. Qua de re dictum est non semel in hoc opere, vt Ieremiæ 31. & aliâs: & disseruit eadem de re significantissimè Apostolus ad Romanos capite quarto. In Christo certè habemus plenissimam peccatorum remissionem & vitam æternam. Testes sunt Apostoli, Ioannes. 1. Ioan. 1. & 2. & Petrus 1. Pet. 1. & Actorum 2. 3. 4. & 10. Paulus quoque Roman. tertio. Coloss. secundo & Hebr. 10. cap. Christo liberatori nostro sit laus & gloria semper.

Pergit propheta in eodem argumento disserens contra Babylonem.

CONCIO CLIX.

Ascende contra terram exacerbationum, ascende inquam contra eam, & contra habitatores visitationis, grassare & excinde post eos, dicit Dominus, & perfice omnia quæ præcepi tibi. Fama prælij in terra, & contritio magna. Quomodo fractus & contritus est malleus vniuersæ terræ? Quomodo Babylon inter gentes redacta est in solitudinem? Laqueum posui tibi, & capta es Babylon: inuenta

inuenta es & deprehenſa: quia prouocaſti Dominum. Aperuit Dominus armamentarium ſuum, & protulit arma indignationis ſuæ: quoniam hoc opus quod factum eſt in terra Chaldæorum, à Domino Deo exercituum eſt. Venite ad eã ab extremitate, aperite granaria eius, conculcate eam ceu aceruos manipulorum, & vaſtate eam vt nihil ſuperſit. Occidite omnes iuuencos eius, deſcendant ad mactationem. Væ eis quia venit dies eorum, & tempus viſitationis eorum. Vox fugientium & euadentium ex Babylone (audita eſt) ad annunciandum in Zion vindictam Domini Dei noſtri, vltionem templi eius. Conuocate contra Babylonem plurimos, omnes tendentes arcum, obſidete eam per circuitum, ne quis euadat ex ea. Reddite ei iuxta opus ſuum, & ſecundum omnia quæ fecit, facite ei: quia contra Dominum ſuperba fuit, contra ſanctum Iſraelis. Propterea cadent iuuenes eius in plateis eius, & omnes viri bellatores compeſcentur die illa, ait Dominus. Ecce me tibi ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum, quia venit dies tuus & tempus quo te viſitem. Cadet enim ſuperbus & corruet: nec erit qui eum erigat. Incendam ignem in ciuitatibus eius, qui deuorabit omnia quæ circum eas ſunt.

RVrſus inhortatur Dominus Perſas & Medos vt inuadant Babylonem & eam deuaſtent. Subinde repetit hæc dici à Deo, ne quis ſuſpicetur aliquid hic proficiſci ex adfectu, odio vel inuidia. Babyloniſq; enim victores populi Dei, multis malis populum Dei affecerant. Sed & cauſas ſubinde immiſcet, cur Domini iudicio contrita & ſubuerſa ſit Babylon. Et mox ab initio huius loci vocat terram Babylonis terram Merathaim, id eſt exacerbantium (duali numero) rebellantium vel amaricantium, aut amaritudinum. Hæc enim cauſarum vna eſt, ob quam vaſtata eſt. Non quòd duo duntaxat peccata admiſerit: ſed quòd exacerbarit & Deum & homines. Exacerbauit enim Deum impietate, idololatria, rebellione, & blaſphemia: homines verò inſolenti ſuperbia, iactatione, & contemptu aliorum, iniuria, rapinis, incendio & cædibus. Ideò etiam nuncupat Babylonios habitatores vel ciues viſitationis, vel viſitandos, qui vtiq; meruerunt ſceleribus ſuis, vt viſitentur à Domino, nec parcatur eis: vt pote qui theſaurizauerint ſibi iram in die iræ. Contra hos ergo incitat Dominus Perſas. Iubet hos graſſari & excindere penitus omnes, nequid poſteritatis ſuperſit. Iubet omnia perfici, quæ mandarit ipſe Dominus. Decretum is tulerat iuſtum, vt tota excinderetur Babylon, rependeretúrque ei pro meritis.

Babylon terra Merathaim.

Sequitur iam effectus, & quidem immediatè. Nam fingit iam iam ſpargi famam de prælio commiſſo, de clade accepta, & de fuga internecioneq; Babyloniorum. Id eſt, ſignificat pugnam committendam ante obſidionem, fundēdosq; Babylonios, de qua re poſtea concione 163. audietur ex Herodoto: deinde certiſſimè interituram Babylonem, & euentura illi omnia, quæ prædicit. Quinimò inducit mundum mirari, quomodo potuerit tanta vaſtari vrbs, & tantum diſſipari imperium. Ergo & modum exponit, quomodo deſtructa ſit: & iterum inſerit cauſam interitus. Nam Babylonem vocat malleum orbis: eo quòd Babylon totum (ſicut copioſè exponitur ſequenti 51. cap.) contriuerit orbem. Propter cru delitatē autem exercitā in omnes gentes, interit iam & ipſa, & ſuffocatur in ſanguine effuſo: & quæ fuit habitatiſſima, celeberrimaq;, redacta eſt in ſolitudinē. Inuenti ſunt poſterioribus temporibus, qui libenter paſſi ſunt ſe nuncupari Terrores orbis, fulmina, flagella Dei, &c. ſed interierunt & ipſi. Porrò modum exponit, quomodo potuerit totius orbis malleus contundi ac cōteri, aut cōfringi. Ab initio quidem Nimroth primus Babyloniorum princeps, fortis fuit in terra venator, nimirum bellator ſtrenuus & atrox, qui homines longè lateq; vexauit,

Subuerſa Babylon.

Malleus orbis Babylon.

Venatores captiuenationes

nudasse ac contriuisse penitus, vt nulla amplius superfuerit spes. Quanquam verò Nabuchod. moderatus & egregius fuerit princeps, fieri tamen non potuit, quin in tanto exercitu ex tot populis collecto, fuerint sæua & truculenta ingenia, à quibus exercita fuerit crudelitas atrox. De qua re abundè testari possunt Threni Ieremię. Sub hæc minatur Deus se animaduersurum in Babylonios. Visitare enim est punire. Apponit exemplum Assyriorum. Sicut non impunè hæreditatem meam, inquit, inuasit & deprædatus est Senacherib, sic Babylon quo que mulctabitur. De Senacherib refert historia sacra, quòd vniuerso exutus exercitu (ceciderant enim sub manu angeli centena octoginta quinque millia militum ante mœnia Hierosolymorum) ipse profugerit in patriam, vbi ante conspectum idoli sui, gladio filiorum, Adramelech & Sarazer, fuerit iugulatus: imperium verò ipsius Assyriacum mox dissolutum, ac ad Phul Belochum & Arbacem Medum deuolutum. Ad eundem modum cæsus legitur Baltazar vltimus Babyloniæ rex, capta Babylone, & regnum translatum ad Persas & Medos. Ita verò nunquam impunè persequuti sunt Romani imperatores ecclesiam Christi: quid quod tandem ipsum imperium in mille propemodùm frusta est discerptum? Prædixit autem Zacharias neminem lapidem hunc (ecclesiam intelligit capite duodecimo) commoturum, quin detrimenti inde aliquid sentiat accipiátque.

Senacherib Assyriorum rex cadit.

De liberatione filiorum Dei, & remissione peccatorum.

Post hæc iterum deflectit ad liberationem & restitutionem populi Dei. Punitis enim & è medio sublatis Dei hostibus, glorificabuntur sancti, 1. Cor. 15. Et quæ sequuntur, partim quidem impleta sunt, sicuti & similes promissiones, dum sub Zorobabele, Ezra, & Nehemia, Israelitæ in patriam rediere. Tunc enim loca illa iterum inhabitarunt. Partim verò & plenius impleta sunt sub Christo, & gratia noui Testamenti. Reduxit enim Christus omnes suas ouiculas, Dei inquam filios, per vniuersum orbem dispersos, in vnitatem fidei & ecclesiæ. Saturauit item desiderium sanctorum cibo & potu corporis & sanguinis sui. De quo copiosè disserit ipse Dominus Ioan. 4. 6. 7. cap. In illis diebus propitiatus est pater cœlestis humano generi, idq; respectu Christi, qui est propitiatio pro peccatis totius mundi. Ergo si quæratur iniquitas fidelium, nulla erit: nō quod nulla futura sit, aut nulla iam sit, sed quòd credentibus propter Christum imputanda non sit. Quæretur ergo peccatum Iuda, ecclesiæ inquam Dei, sed non inuenietur: obtectum est enim sanguine Christi. Qua de re dictum est non semel in hoc opere, vt Ieremiæ 31. & aliâs: & disseruit eadem de re significantissimè Apostolus ad Romanos capite quarto. In Christo certè habemus plenissimam peccatorum remissionem & vitam æternam. Testes sunt Apostoli, Ioannes. 1. Ioan. 1. & 2. & Petrus 1. Pet. 1. & Actorum 2. 3. 4. & 10. Paulus quoque Roman. tertio. Coloss. secundo & Hebr. 10. cap. Christo liberatori nostro sit laus & gloria semper.

Pergit propheta in eodem argumento disserens contra Babylonem.

CONCIO CLIX.

Ascende contra terram exacerbationum, ascende inquam contra eam, & contra habitatores visitationis, grassare & excinde post eos, dicit Dominus, & perfice omnia quæ præcepi tibi. Fama prælij in terra, & contritio magna. Quomodo fractus & contritus est malleus vniuersæ terræ? Quomodo Babylon inter gentes redacta est in solitudinem? Laqueum posui tibi, & capta es Babylon: inuenta

inuenta es & deprehenſa: quia prouocaſti Dominum. Aperuit Dominus armamentarium ſuum, & protulit arma indignationis ſuæ: quoniam hoc opus quod factum eſt in terra Chaldæorum, à Domino Deo exercituum eſt. Venite ad eã ab extremitate, aperite granaria eius, conculcate eam ceu aceruos manipulorum, & vaſtate eam vt nihil ſuperſit. Occidite omnes iuuencos eius, deſcendant ad mactationem. Væ eis quia venit dies eorum, & tempus viſitationis eorum. Vox fugientium & euadentium ex Babylone (audita eſt) ad annunciandum in Zion vindictam Domini Dei noſtri, vltionem templi eius. Conuocate contra Babylonem plurimos, omnes tendentes arcum, obſidete eam per circuitum, ne quis euadat ex ea. Reddite ei iuxta opus ſuum, & ſecundum omnia quæ fecit, facite ei: quia contra Dominum ſuperba fuit, contra ſanctum Iſraelis. Propterea cadent iuuenes eius in plateis eius, & omnes viri bellatores compeſcentur die illa, ait Dominus. Ecce me tibi ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum, quia venit dies tuus & tempus quo te viſitem. Cadet enim ſuperbus & corruet: nec erit qui eum erigat. Incendam ignem in ciuitatibus eius, qui deuorabit omnia quæ circum eas ſunt.

RVrſus inhortatur Dominus Perſas & Medos vt inuadant Babylonem & eam deuaſtent. Subinde repetit hæc dici à Deo, ne quis ſuſpicetur aliquid hic proficiſci ex adfectu, odio vel inuidia. Babylonij enim victores populi Dei, multis malis populum Dei affecerant. Sed & cauſas ſubinde immiſcet, cur Domini iudicio contrita & ſubuerſa ſit Babylon. Et mox ab initio huius loci vocat terram Babylonis terram Merathaim, id eſt exacerbantium (duali numero) rebellantium vel amaricantium, aut amaritudinum. Hæc enim cauſarum vna eſt, ob quam vaſtata eſt. Non quòd duo duntaxat peccata admiſerit: ſed quòd exacerbarit & Deum & homines. Exacerbauit enim Deum impietate, idololatria, rebellione, & blaſphemia: homines verò inſolenti ſuperbia, iactatione, & contemptu aliorum, iniuria, rapinis, incendio & cędibus. Ideò etiam nuncupat Babylonios habitatores vel ciues viſitationis, vel viſitandos, qui vtiq; meruerunt ſceleribus ſuis, vt viſitentur à Domino, nec parcatur eis: vt pote qui theſaurizauerint ſibi iram in die iræ. Contra hos ergo incitat Dominus Perſas. Iubet hos graſſari & excindere penitus omnes, nequid poſteritatis ſuperſit. Iubet omnia perficere, quæ mandarit ipſe Dominus. Decretum is tulerat iuſtum, vt tota excinderetur Babylon, rependeretúrque ei pro meritis.

Babylon terra Merathaim.

Sequitur iam effectus, & quidem immediatè. Nam fingit iam iam ſpargi famam de prælio commiſſo, de clade accepta, & de fuga internecioneq; Babyloniorum. Id eſt, ſignificat pugnam committendam ante obſidionem, fundẽdosq; Babylonios, de qua re poſtea concione 163. audietur ex Herodoto: deinde certiſſimè interituram Babylonem, & euentura illi omnia, quæ prædicit. Quinimò inducit mundum mirari, quomodo potuerit tanta vaſtari vrbs, & tantum diſſipari imperium. Ergo & modum exponit, quomodo deſtructa ſit: & iterum inſerit cauſam interitus. Nam Babylonem vocat malleum orbis: eo quòd Babylon totum (ſicut copioſè exponitur ſequenti 51. cap.) contriuerit orbem. Propter crudelitatẽ autem exercitã in omnes gentes, interit iam & ipſa, & ſuffocatur in ſanguine effuſo: & quæ fuit habitatiſſima, celeberrimaq;, redacta eſt in ſolitudinẽ. Inuenti ſunt poſterioribus temporibus, qui libenter paſſi ſunt ſe nuncupari Terrores orbis, fulmina, flagella Dei, &c. ſed interierunt & ipſi. Porrò modum exponit, quomodo potuerit totius orbis malleus contundi ac cõteri, aut cõfringi. Ab initio quidem Nimroth primus Babyloniorum princeps, fortis fuit in terra venator, nimirum bellator ſtrenuus & atrox, qui homines longè lateq; vexauit,

Subuerſa Babylon.

Malleus orbis Babylon.

Venatores capti venatione.

cœpit, atque oppressit. Sequuti sunt ipsum posteri eius, & ipsi acres & crudeles hominũ vexatores, atq; pernicies. Perdiderunt venatione & aucupio suo Ægy pum, Idumæam, terram Moabiticam & Ammoniticam, Cædarenam, & passim gentes & regna orbis multa & varia. Quocirca Deus & ipse venator atque au ceps factus (quod ἀνθρωποπάθως dicimus) laqueum, inquit, posui tibi, & capta es Babylon, &c. Dei inquam potentia deuicta, & conculcata, abolitaq; est Babylon. Concisa verò oratio vehemens est, & sarcasmum amarissimum habet. Tu nescisti, inquit, minimè expectauisti, neq; futurum putauisti, quod tamen eue nit. De repentè ergo & insperatò euersa es. Inuenta es, & deprehensa. Nos me lius Germanicè exprimimus, cùm dicimus, Gält du syest fundẽ vnd erwüschr. Credidisti te inuictam, sed victa & oppressa es. Redditur iterum ratio, Quia pro uocasti Dominum, nimirum rebellione & blasphemia, cuius aliquis gustus ex hibetur Danielis 5. in conuiuio luxurioso Baltazaris regis Babylonij. Ac Xeno phon lib. 7. & Herod. authores sunt, belli Babylonici initia cœpisse ex venatione, &c. Vtcunq; verò ea res habeat, Ieremias noster omnium certissimus, & in dubitatæ fidei author pergit consequenter exponere quomodo capta, oppressa, & deleta sit orbis domina Babylon. Aperuit Dominus armentarium suum, in quit, & protulit arma indignationis suæ contra Babylonios. Sicut enim reges et principes sua habent armamentaria, ex quibus proferunt tempore belli arma varia: sic affingit Deo, quòd habeat armamentarium, ex quo cõtra Babylonios expediat arma instructissima, quibus semel excindat Babylonem vtpote implacabiliter ei iratus. Atq; armamentariũ Dei reuera est vniuersitas illa mundi om nigena. Dei enim sunt angeli, cœli, ignes, fulmina, venti, aquarum æstus & in undationes, terra ipsa, & quicquid est in terra animantium, & quicquid est sub terra aut in aere, dæmones quoq; ipsi, & quicquid vspiam est virtutum. Ideò e nim nuncupatur Deus Dominus exercituũ. Ex his ergo deligit sibi Deus quod vult, & mandat ei vt perficiat voluntatem ipsius. Quod & dicto citius fit. Quini mò vt intelligeremus totum hoc opus quod fiebat in Babylonis expugnatione & destructione, à Dei voluntate, & potentia, manuq; forti proficisci, disertis ver bis, Quoniam hoc opus, inquit, quod factum est in terra Chaldæorum, à Do mino Deo exercituum est. Cuius quidem rei qui cupit copiosiorem cernere ex plicationem, legat quæ tradit Daniel in cap. 5. Isaias in fine 44. & per initium 45. cap. & historia Ezræ in capite primo. Et quidem ipse Ieremias in præsenti plenius exponit, quid protulerit Deus ex suo armamentario. Euocauit enim ab extremitate vel à fine, vel confinijs Babyloniæ, aut terræ Chaldææ Cyrum Per sam, mandauitq;, vt subuertat Babylonem. Eadem res subinde dicitur, repeti tur, & inculcatur. Etenim non scripsit hæc Ieremias, vt delectaret: sed vt veritatẽ inculcaret, & assereret grauissimè rem alioqui incredibilem. Nemo enim tũc temporis cùm hæc dicerentur, credidit Babylonẽ ruituram. Pertinent præterea hæc ad consolationem afflictorum, qui & ipsi difficulter credunt, se quidem li berãdos fore, hostes autem perdendos. Ab extremitate vel fine verò dicit, quòd veluti in confinijs Babyloniæ esset Persia. Alij legunt, Ab æstate vel post mes sem, ac intelligunt Babylonem perdendam, quando omnium rerum copia abũ dauerit. Ergo sicut agricolæ post messem horrea ingrediuntur, & manipulos deijciunt in aream, bouesq; inducunt, qui triturent: Sic Dominus ad Persas di cit, Ingredimini horreum ex totius mundi opibus contractis redundans, & cæ dite homines, opes autem diripite, da trõschend. Efficite, nequid supersit. Atq; hic est finis opum amplissimarum bello comparatarum, aut iniustè & per vio lentiam, aut impostura partarum. Significantius autem mandat cædem homi num, cùm dicit, Vastate aut occidite omnes iuuencos eius. Vetus interpres tro

Aperit Dominus armamentarium.

Eadem res subinde repetitur et inculcatur.

pum

pum aperuit, qui vertit, omnes fortes viros. Iuuencos hos nuncupauit, ſicuti et ſuperius Ægyptios, quòd bene paſtis eſſent corporibus, & veluti ſaginati vituli. Vnde & in macellum vel ad lanienam illos deducere iubet. Sic enim cæduntur milites glorioſi, qui militia ſua omnibus terrori fuerunt. Appendit his omnibus exclamationem horrificã: Væ eis, quoniam adeſt dies & viſitatio ipſorum. Terminum enim Deus omnibus hominibus præſcripſit atque conſtituit, quem nemo præterire poteſt. Dauid ait, Domine in manu tua ſunt tempora mea. Vulgo dicitur, das ſtündli iſt hie/da hilfft niit me. Cogitemus ergo in felicitate & abundantia, imò et in calamitate noſtra Deum nos nonignorare, et omnib. cùm hominibus tum rebus ſuum præfixiſſe finem, ad quem tandem & omnes & omnia pertingant, ac vlterius progredi non poſſint.

Dominus vindicat populum & templum ſuum.

Sicut autem in tota oratione aſpergit expoſitioni vaſtationis Babylonicæ liberationem populi Dei: ita nunc quoq; eandem hic inſerit obiter. Fingit enim Iudæos ex Babylone redeuntes, in Zion, id eſt in tota Iudæa annunciare prædicareq; vindictam, quam ſumpſerit Dominus de Babylone propter oppreſſum Dei populum, & deiectum, atque exuſtum Dei templum. Vbi iterum attingitur cauſa interitus Babylonis. Licet itaq; Deus viſus ſit multis dormire, & populum ac religionem ſuam negligere, non tamen in æternum ſuorum eſt oblitus. Suo enim tempore vindicat ſuos. Id quod à Deo omnes pij omni tempore expectare debent, nec deſperare de illius auxilio & aſſertione. Si verò vltus eſt vim & iniuriam templo Dei ex lapidibus extructo illatam, quantò magis vindicabit ſanguinem ſeruorum ſuorum? Nos enim ſumus templa Dei viuẽtis. Quod Paulus aſſerit 1. Corint. 3. & 2. Corinth. 6.

Superbi

Rurſus verò incitat in Babylonem ac Babylonios hoſtes Perſas. Conuocate, inquit, contra Babylonem vniuerſas ſagittariorum copias: eas ita diſponite in vrbis obſidione, ne qua fugitiuis rima pateat. Curate ne quis euadat incolumis. Rependite ei iuxta opera ſua, &c. Id quod ſuperius quoque adduxit. Id ipſum Dominus Apoc. 18. hinc mutuatus eſt. Cauſam addit. Quoniam ſuperba fuit contra Dominum, contra ſanctum, inquam, Iſraelis. Superbos autem odit Dominus: quod ſæpius iam auditum eſt: humilibus dat gratiam. Deiecit ſemper Dominus ſuperbos ex thronis, & euexit humiles. Peculiariter verò grauiter puniuit in Nabuchodonoſore ſuperbiam: ſicut ipſemet commemorat edicto publico apud Danielem in cap. 4. Caueamus ergo ſinguli, ne exacerbemus Dominum ſcelere ſuperbiæ: quod initium fuit præuaricationis ac calamitatum omnium. Pergit recenſere calamitates Babylonis, ac dicit cladibus tollendos è medio omnes iuuenes fortes, nec in campo fundendos, ſed in ipſis plateis, vt ante ſuorum oculos luctum excitent acerbiorem. Hactenus militẽ Babylonium nemo potuit compeſcere. Deus verò nunc conſopiet illos. Nam ſequitur, Ecce me tibi ſuperbe, &c. quaſi dicat, Si videris tibi tanta pollere virtute & gloria bellica, vt nemo in toto orbe tecum committi poſſit, en ego me tibi prębebo hoſtem, ſi fortè antagoniſtam aſſequare potentem ſatis. Repetit horam, diem, & tempus viſitationis acceſſiſſe: & proinde corruiturã Babylonem, & omnes fortes eius, ſuperbos alioqui ſternendos: neque quenquam auxilium eis laturum, aut vulnera curaturum. Quinimò aſſerit ſe ignem incenſurum, qui omnia longè latéque abſumat. Hæc expectent omnes, quotquot populo Dei infenſi, verbum Dei perſequuntur, ſanctos diuexant, & Dominum blaſphemant. Deo noſtro ſit laus & gloria. Amen.

Pergit in eodem argumento Ieremias.

CONCIO CLX.

Sic dicit Dominus exercituum, Oppressi sunt filij Israel, & filij Iuda pariter: omnes qui cæperunt eos, tenent eos, ac renuunt dimittere eos. Sed fortis vindex eorum, cuius nomen est Dominus exercituum, is iudicando disceptabit causam eorum: & vt requiem det terræ, conturbabit habitatores Babylonis. Gladius contra Chaldæos, ait Dominus, & contra habitatores Babylonis: atque contra principes eius, & contra sapientes eius. Gladius contra diuinos, qui stulti fient: gladius contra fortes eius, & pauebunt: gladius contra equos eius, & currus eius, & contra omne promiscuum vulgus, quod est in ea, & erunt sicut fœminæ: gladius contra thesauros eius, & diripientur. Siccitas super aquas eius, & exarescent: est enim terra sculptilium, & in Emim gloriantur. Iccirco habitabunnt in ea Ziim cum Iim, & habitabunt in ea iuuenes struthiones: non habitabitur vltra in perpetuũ, neq; incoletur à generatione ad generationem. Quemadmodum subuertit Dominus Sodomam & Gomorrã cum vicinis eius, ait Dominus, sic nemo isthic habitabit, neque incolet eam filius hominis. Ecce populus venit ab Aquilone, & gens magna, atque reges multi excitabuntur à lateribus terræ. Arcum ferunt & hastam, crudeles sunt, nihil miserentur: vox eorum similis est mari tumultuanti: equis vehuntur instructi ad bellandum contra te, ô filia Babylonis. Audita fama illorum, elanguerunt manus Babylonici regis, angustia & dolor apprehendit eum, sicut parturientem. Ecce ascendet de tumore Iordanis, sicut leo ad munita pascua. Quoniam ego incitabo, & currere faciam ab ea. Quicunq; ergo electus est iuuenis, hunc recensebo. Quis verò similis est mihi? aut quis mecum certet? aut quis pastorum consistat coram me? Propterea audite consilium Domini, quod iniit contra Babylonem, & cogitationes, quas cogitauit contra terram Chaldæorũ, infimi de grege prostratos trahent eos, & habitacula cum ipsis deserta faciet. A fragore captæ Babylonis contremiscet terra, & clamor eius inter gentes audietur.

Deus iustus iudex.

DEus Dominus noster, Deus est verax & iustus, qui vt suos negligit nunquam, sed semper ipsos curat, & consolatur, redimitque ex malis: ita vicissim non ignorat impios, neque horum scelera sinit impunita. Quando verò in hoc mundo sæpe diuersa ab his apparent, vt videantur iusti negligi, impij felices esse, & abundare in bonis, quæ miratur mundus, ægrè sinit sibi mundus persuaderi Deum esse talem, qualem nobis scriptura prædicat, veracem & iustum, benignum bonis, malis acerbum. Ergo vt tollatur error & dubium ex animis piorum, confirmetúrque vera fides in pectoribus sanctorum, Dominus per Ieremiam hoc ipsum in Babylone proponit contemplandum, nempe Deum liberare populum suum, & grauiter punire hostes suos. Id quod copiosè non modò exponitur, sed etiam ad nauseam vsque propè inculcatur. Applicemus hæc omnia ad eruditionem nostram, ne quid de Dei iustitia, & bonitate, & veritate dubitemus, quando videmus malè esse bonis, malis felicia euenire cuncta. Statuit enim Deus omnibus terminum certum, ad quem cùm peruentum fuerit à bonis & malis, quisque suum à Deo accipit præmium. Simus ergo constantes in vera fide.

Populus Dei oppressus.

Præfatur autem Ieremias iterum suo more, & testatur ea, quæ prolaturus est per consequentia, à Deo esse profecta. Nam dicit, Sic dicit Dominus exercituum. Protinus autem significat atq; testatur Deus se non ignorare calamitates

populi

populi sui. Oppressi sunt, inquit, filij Israel, pariter & filij Iuda. Et quomodo oppressi, aut vim contumeliamq; passi sint, exponit & subdit: Babylonij in captiuitatem traxerunt eos, in captiuitate autem retinent, neq; illos manumittere cogitant. Displicet autem Deo talis crudelitas, vel immanitas. Vnde in lege sua cauit, ne perpetua seruitute pauperes opprimerentur à potentioribus aut ditioribus. Imò vehementer displicet Deo, quando nimis rigidè nostra potestate in homines abutimur. Qui petulanter alijs dominantur, & nimis sunt tenaces rerum suarum, facilè remouentur à gubernaculis. Ac in præsenti ait Ieremias, Sed cum modum excedant Babylonij, non deerit suis oppressis Dominus, neque permittet vt semper insultent Babylonij Israelitis. Cum enim viuat adhuc vindex & liberator vel redemptor sui populi, idemq; sit fortis, imò omnipotens, qui inde sortitus est nomen, vt appelletur Dominus exercituum, suscipiet ipse causam afflicti sui populi disceptandam, ageteq; ipse causam sui populi, & asseret eum, atque adeò efficiet, vt terra quæ hactenus præ Babyloniorum tumultibus quiete sua caruit, quietem consequatur, & Babylonij interim tollantur, collidanturq;. Proinde concipiant ex his Domini verbis firmam spem, quot quot pauperes & oppressi asseri non possunt: quòd ipsis ius negetur, & potentiores ipsos contra phas & ius subiugent, & contumelijs afficiant. Viuit enim vindex eorum, & aderit vocatus in tempore opportuno. Discant hinc magistratus ius reddere viduis, pupillisq;, & afflictis, ne dum negant ius, miserè pereant ipsi, & viduæ pupillique ipsorum malè excipiantur, sicuti minatus est Dominus Exodi 22.

Deus agit causam sui populi.

Porrò copiosè & elegantissimè exponit, quomodo Deus coercere & perdere velit Babylonem cum omni eius potentia. Vtitur enim enumeratione vel distributione pulcherrima, quam vehementissimam reddit, repetendo subinde gladium Dei, id est, vindictam Dei, desæuituram in Babylonem & ciues Babylonis. Id quidem principiò attingit in genere: deinde speciatim recensет omnia, quibus regna fidere solent. Ea verò omnia gladio Domini cõscindenda asserit, principes inquam, deinde principum & populi consiliarios, viros sapientes: diuinos item siue magos & astrologos. Hos singulariter dicit stultos futuros. Plenius ea de re Isaias in cap. 47. disserit. Fuit autem magna sapientum in Babylone copia; sicuti colligere licet ex Danielis cap. 1. & 2. Iam addit & promiscuum vulgus, collectum ex varijs gentibus, fore conscindendum. Itẽ fortes viros, milites inquam, equitatum, & currus falcatos. Quorum tunc erat in militia vsus, vt nunc tormentorum vel bombardarum maiorum est, & quidem omnibus formidabilis. Diripientur & thesauri. Incredibiles fuerunt illi, vt videre est apud Strabonem in lib. 15. Plinius lib. 33. cap. 3. Cyrus deuicta Asia, inquit, pondo XXXIIII. millia inuenerat, præter vasa aurea (certè Iudæis aurea & argentea vasa restituit 5400. sicut testatur historia Ezræ lib. 1. ca. 1.) aurumq; factum & in eo folia ac platanum vitemq;. Qua victoria argenti quingenta millia talentorum reportauit, & craterem Semiramidis, cuius pondus XV. talenta colligebat. Addit præterea munitiones nihil profuturas. Author est Eusebius 9. lib. præparat. Euangel. à Babylonijs fossas deductas esse ex Euphrate. De his Herodotus quoq; testatur, vt videbimus Concione 166. Tradunt historici Cyrum in oppugnatione Babylonis deriuasse Euphratem (qui mediam interluit & secuit vrbẽ) siccauisseq; alueum, per quẽ deinde milites ingressi ipsam occuparint regiã, priusquam intellexissent aut sensissent ciues militem esse in vrbe & ciuitatem esse captam. De quo dicetur Concione 163. Proinde ex spiritu Dei prædixit Ieremias aquas exarituras, exiccandasq;. Declarauit itaque potentissima quæque, quibus aliæ vrbes contra vim hostilem defenduntur, Babyloni nihil pro-

Dominus frangit vindictæ suæ omnem Babylonis potentiã.

Inestimabiles thesauri Babylonis.

futura: sed Dei potentia & vindicta euertenda vniuersa, & Babylonem gladio vltoris Dei dissecandam. Atq; hic iterum pro more suo caussam euidentem huius excidij cõmemorans, Est enim terra, inquit, sculptilium, & in Emim glorian tur. Coluerunt idola, & Deum verum contumelijs affecerunt: sicut exponitur Dan. 5. Gloriati sunt in Emim, id est in idolis, quæ meritò terrorem incutiunt omnibus pijs. Certè de Paulo referunt Acta apostolica, quòd Athenis subsistens spiritus eius in ipso sit irritatus, cum spectaret vrbem Athenarum idolis esse deditam aut mancipatam. Præterea appellantur idola in scripturis, præcipuè Deu. 7. terrores & execrationes. Emim alioqui significat Deut. 2. homines monstrosę proceritatis & terrificos hominibus. Fortè cum mirę magnitudinis homines, ac veluti gigantes haberent Babylonij, gloriati sunt in eis, & eam ob rem confisi, sicuti & Palæstini. Subijcit & aliud, Quia delectati sunt idololatria, ideò euertet vrbem Deus, efficietq; vt quæ fuit celeberrima & habitatissima ac cultissima ab hominibus, porrò lustrum sit ferarum maximè solitudine gaudentium futura. Similia cõmemorat & Isaias in cap. 13. & 14. Qualia animantia sint Zijm & Iim non video constare satis interpretibus. Reuera sunt animantia solitaria, sicuti & struthio. Et vt superius adduxit exemplum Sodomæ atq; Gomorræ, ita idem nũc quoq; adducit, vt vrbem potentissimã absorbeat penitus: maximè cum illæ ipsæ causę, quæ Sodomã perdiderãt, inuentę fuerint & in Babylone. Subuerten tur & gentes & vrbes, quotquot imitatę fuerint moribus Sodomã & Babylonẽ.

Idola terrores.

Subuertuntur omnes impiæ vrbes.

Aduentantis ad vrbem aliquam exercitus icon.

Iam etiam describit mira hypotyposi aduentantem contra Babylonem ex variis multisq; gentibus collectum exercitum, vt videaris coràm cernere omnia, Ecce populus venit, &c. Eandem loquutionem & antea habuimus. Arma eorũ attingit, Arcum & Kidon, quod alij hastam vel frameam, ein spieß vertunt, alij cassidolabram, alij vrbinam. Equites ferè fuerunt Parthi, quemadmodũ hodie adhuc Turcæ. Comparat sonitum exercitus se cõmouentis, mari æstuanti, &c. Quomodo autem affectus sit rex ad famam vel nuncium belli ac interitus, subdit, Elanguerunt manus eius, &c. Consulatur 5. cap. Dan. & iudicetur quàm verè & propriè vaticinatus sit Ieremias, & quàm non ceciderit in terram vel apex verbi vllius, aut verbum vllum quod non sit impletum: quantumuis tunc quidem impossibilia loqui videretur Ieremias, quando hæc proposuit. Credamus ergo in omnibus verbo Dei. Quæ verò ad finẽ vsq; capitis sequũtur, totidem verbis (exceptis nominibus propriis) exposita sunt, & à nobis quoq; explicata in fine orationis Ieremię cõtra Idumæos. Domino Deo nostro sit laus & gloria semper.

Perseuerat adhuc vates in eodem argumento.

CAPVT LI.

CONCIO CLXI.

SIc dicit Dominus, Ecce ego excito contra Babylonem & contra habitatores (eius) corde insurgentes contra me, ventum vastantem. Et mittam in Babylonem ventilatores, qui eam ventilabunt, & terram eius euacuabunt: quoniam erunt contra eam per circuitũ in die afflictionis. Non tendet qui tendit arcum suum, & non ascendet loricatus. Nolite parcere iuuenibus eius, excindite funditus vniuersum exercitum eius. Et cadent cæsi per agrum Chaldæorum, & confossi in plateis eius. Quia non relinquentur Israel & Iuda ceu viduæ à Deo suo, à Domino exercituum: quia horum terra impleta est delicto contra sanctum Israelis. Fugite de medio Babylonis, & seruet quisque animam suam, ne pereatis in iniquitate eius: quoniã tempus est vltionis Domini,

vices

vices enim ei ille rependet. Fuit Babylon crater aureus in manu Domini, inebrians vniuersam terram: de vino eius biberunt gentes, & iccirco insanierunt gentes. Subitò cecidit Babylon, & contrita est: vlulate propter eam, & resinam adhibete vulneri eius, si fortè sanetur. Curauimus Babylonem, at non est sanata: deserite ergo eam, & abibimus quisq; in regionem suam: quia peruenit iudicium eius vsq; ad cœlos, & sublatum est vsq; ad nubes. Protulit Dominus iustitias nostras: venite igitur & narremus in Zion opus Domini Dei nostri.

QVOD hactenus audiuimus per integrum caput 50. id ipsum audiemus etiam per integrum caput 51. Deum inquam iustum rependere pro meritis impiæ Babyloni, & liberare Dei populum, atq; adeò semper vel omnibus temporibus, & erga omnes gentes, populos, & homines, talem futurum Deum, qui inquam prauos puniat, timentes verò ipsum seruet. Quod cum à pleriscp difficulter credatur, eò quod in cursu rerum humanarum contraria fere appareant, ea de causa (quod & antea monui) tanta copia eadem res exponitur, repeturcp, & alijs atque alijs verbis proponitur, ac interitus Babylonis veluti oculis omnium contemplandus exponitur. *Scopus & argumentum omnium eorum quæ tota hac oratione dicuntur.*

Inculcat iterum Deum hæc, quæ dicturus est, reuelasse, quo facilius credatur denunciationi ipsius. Comparat autem Babylonem amœnissimo prato, aut agro luxurianti & vberrimo. Erat enim Babylon opulentissima vrbs, voluptuosissima, & modis omnibus felicissima in mundo. Sicut autem Deo difficile non est, immisso vento vrente aut vastante, corrumpere segetes & virentia perdere prata: ita nullo negotio florentem Babyloniorum vrbem & perdere poterit & perdet. Causa perditionis coniungitur, Corde insurrexerunt cõtra Dominum. De quo antea quoq; dictum est. Variè verò hic locus est redditus. Alij enim legunt, Et contra cor hostium meorum. Alij, Qui cor suum leuauerunt contra me. Alij, Qui ex corde contra me insurgunt. Isaias etsi in 40. cap. & ipse florentes Babyloniorum res comparet gramini & floribus, qui exarescunt ad ventum, generalius tamen eam parabolam omni adaptat carni, docens omnium hominum res florentes similes esse floribus deciduis, ideoq; rebus fluxis non innitendum, sed magis Deo perpetuo, & verbo eius æterno. *Babylon amœnum pratum.*

Mox ipse vates quid intellexerit per ventum vastantem explicat, hostes nimirum Persas vastatores. Vbi tamen iterum ex agricultura comparationem petit. Nam hostes Babyloniorum vocat Ventilatores, wanner/vnd trôscher. Assimilat ergo Babylonẽ prædiuiti & omnibus frugibus referto horreo: immittuntur ergo in hoc Medi & Persæ, vt vanno excutiant & purgent frumenta, sed ita vt nihil maneat reliqui. Id est, iubet hostes diripere Babylonis ex toto orbe comportatas opes, dispergereq;. Asseuerat præterea ventilatores aut dispersatores illos cincturos veluti corona ipsam Babylonem, ne qua vlla vllis fuga pateat. Et quidem in die afflictionis, nimirum dispositа à iustissimo Deo. Destinat enim ille idonea tempora puniendis impijs, qui se hactenus crediderunt impunè illudere Deo & sanctis eius. *Babylon diues & refertum horreum.*

At cum tempus illud vindictæ aduenerit, tum, inquit, Babylonij sese non obijcient hosti. Sagittarij non intendent arcum ac iaculabũtur vt hostem à mœnijs depellant: loricati vel armati, qui alioqui non impigrè induerant aliquando arma, nunc non occurrent hosti ac insurgent in illum alacres; sed deiectis animis sese mactandos hostibus dabũt turpiter. Atque hic pro more suo Persas & Medos inhortatur, ne vllis parcant Babylonijs, sed absq; misericordia confodiant omnes. Quinimò subiecta sententia iam iam veluti per agros Chaldæo- *Babylonici erant imbelles in die visitationis.*

rum fusos, & in plateis Babyloniæ confossos iacere dicit, aut iacentes quasi contemplandos ostendit. Id est, significat certò Babylonios fore trucidandos absque misericordia ab hostibus. Alij alium sensum hic sequuntur. Dicūt iā Deum alloquí eos, qui artis sagittandi periti sunt, & eos qui celeriter induerunt loricā, id est eos, qui expediti sunt milites (die ſchnäll in dem pantzer od harniſch ſind) strenui, agiles, & alacres, ne parcant iuuenibus, &c. Cuius quidem generis locutiones etiam superius habuimus, & exposuimus.

Deus non relinquit populum suum orbum.

Porrò causam rursus immiscet, cur Deus iusserit excindere funditus (alij legunt pro funditus excindite, anathematisate, quod quidem in idem recidit) exercitum. Quoniam omni iniuriarum & contumeliarum genere adoperuerunt populum Dei: quem existimarunt viduatum Deo suo, perinde, vt mortuis maritis, viduæ fiunt aliquando, & deinde omnium iniurijs exponuntur. Atqui dicit vates, populum Dei nunquam relinqui orbum & viduatum, vel desertum à Deo. Id quod omnes nos meritò consolatur plurimùm. Nam quod hic Ieremias de populo Israelis dicit, Isaias in 49. & 51. cap. ad omnes fideles pertinere testatur. Idem attestatur Dominus Iesus apud Lucam in cap. 18. Dominum videlicet vindicaturum & asserturum populum suum perpetuó. Ne ergo abijciamus spem, tametsi iuxta mundum propter afflictiones, deserti à Deo videamur. Quod sequitur, Quia terra eorum impleta est delicto propter sanctum Israelis, id est, quia peccarunt in sanctum Israelis, vel contra sanctum Israelis, subijcitur ceu alia ratio, cur funditus extirpetur Babylon, quia varijs pollutionibus, immunditijs & fœditatibus peccauit contra Deum verum, qui munditia & sanctitate delectatur & colitur. Alij eum locum sic intelligunt, voces sanctum Israelis, referunt ad superiorem sententiam, Israelem non esse desertum à Deo suo, nimirum à Domino exercituum, qui sit sanctus Deus Israelis. Deinde subiungūt, Quamuis delictis impleuerint terram. Quod de Israelitis, non de Babylonijs intelligunt, Deum eorum nihilominus miserturum & liberaturum eos, tametsi polluerint terram suam varijs pollutionibus. Deum enim condonaturum eis peccata, & purificaturum eos, atq; renouaturum, vt purgati ei seruiant iterum in veritate, sanctitate, & iustitia. Id quod à nobis, qui per Christum liberati sumus, nunc quoq; requiritur.

Fugiendum ex Babylone.

Cùm autem hæc omnino Babyloni euentura sint, monet Deus iam secundò omnes electos, vt fugiant Babylonem. Nam & in capite præcedente id ipsum monuit. In præsenti significantius duo inculcat & explicat. Prius, Seruet quisq; animam suam. Quod perinde est ac si dixisset, Non est quòd alij in alios respiciatis quando fugiant. Quisque per se sapiat, & fuga suæ saluti consulat, non expectato alterius exemplo. In priori capite dixerat, Et este vt hirci ante gregem. Vetuit & Dominus in Euangelio Petro respicere ad alienā vocationem. Ioannis vigesimo primo. Certè seducuntur hodie multi, quòd magis ab aliorum exemplis & factis pendent, quàm vocationi suæ obtemperent, animásque suas seruent. Audias enim dicentes, Non credam Euangelio, donec receptum fuerit ab alijs regnis & confirmatum approbatumq; fuerit à concilio generali, &c. Cùm verò addit, Ne pereatis in iniquitate eius, principiò docet quid sit fugere verè Babylonem, non participare vticq; cum peccatis & iniquitate Babyloniorum. Certè alij verterunt, Ne sitis conformes illius iniquitati. Paulus, Nolite vos, inquit, conformes facere mundo. Et Ioannes dixit, Ne dilexeritis mūdum, neq; ea quæ sunt in mundo, &c. Similia docet Apostolus in 5. cap. ad Ephesios. Deinde eocet nos perire cum illis, qui propter peccata sua excinduntur, & quorum imitamur corruptelam. Nam tametsi non eodē tempore succidaris, suo tamen tēpore tolleris à Deo aut affligeris. Etenim destinauit Deus tēpus vltionis

omnibus

omnibus qui patrant iniquitatem, rependitq; his secundum merita ipsorũ. Quæ præterea hic dicenda sunt, dicta sunt à me Apoc. 14. & 18. Inde require.

Iterum verò causam interitus Babylonis, peccatum inquam enorme recenset. Babylon, inquit, fuit aureus crater in manu Domini, quo inebriatæ, & ad insaniam ceu philtro quopiã redactæ sunt omnes gẽtes. Duplici autẽ ratione crater vel calix dicitur Babylon. Principiò quòd Deus Babyloniorum opera vsus est (hactenus crater sustinetur manu Dei) in puniendis omnibus gentibus. De qua re dictum est cap. 25. Quia ergo omnes gentes perdidit, perdetur tandem & ipsa. Aureus autem crater est: quia opibus valuit, & antecelluit alias gentes. Deinde tradunt scriptores historiarum ex Babylonia & Ægypto idololatriam omnemq; superstitionem fuisse exortam. Hactenus ergo propinauit errorem omnibus gentibus, & inebriauit atq; dementauit ipsas. Aureus hac parte crater fuit. Idololatria enim auro, gemmis, splendoreq; commendatur hominibus. Eadem patera aurea datur in manus meretricis insidentis super bestiam in Apoc. cap. 17. Mysterium illud ibidem sum interpretatus. *Qua ratione Babylon calix in manu Domini.*

Quoniam ergo omnes gentes & vastauit bellis, & seduxit idololatria, ideò punietur à Deo iustissimo, sicuti & Roma, vt habetur in Apocalypsi. De repente enim & cùm minimè putasset, imò cùm se æternam fore credidisset, cadet, nec cadet modò, sed conteretur etiã. Vlulabunt autẽ propter interitum eius Babylonij, & Babyloniorum amici. Dicta sunt de his plurima in Apocalyp. 18. Atque hic crebra personarum apponitur mutatio ac dialogismus elegans. Sunt enim, qui suadent vulneri adhibenda esse emplastra, si forte curari possit. Genus orationis petitum est ex chirurgia. Respondent autem alij, Equidem bonam nauauimus operam, ac omnem in curanda ipsa diligentiam fidemq; adhibuimus: sed frustrà. Sanari enim non potuit. Certè Daniel, Ieremias, Ezechiel atque alij, & docuerunt, & fecerunt plurima, quæ pertinebant ad incolumitatem Babylonis, Babylonij autem aspernati sunt illa omnia. Adest itaque qui clamet, Deserite ergo eam, Ad hæc singuli subijciunt, Abibimus quisque in regionem suam. Addunt rationẽ, cur sic instituerint suaconsilia Quoniam peruenit iudicium eius vsq; ad cœlum, atq; adeò penetrauit nubes. Quo locutionis genere significatur peccata mole sua corruitura, & Deum adigi, vt iusto suo iudicio animaduertat in ipsa. Iudicium enim, id est, accusationem eius delatam esse ad sedem Dei iusti. In summa, significatur his omnibus incurabilem redditam esse Babylonem, & sceleribus sic infamem esse factam, vt non potuerit ei amplius parcere diuina iustitia. Sic loquitur scriptura & de Sodoma & Gomorrha, Geneseos capite 18. & 19. Incutiunt hæc timorem Dei omnibus pijs, & maturam suadent omnibus pœnitentiam. *Babylon cadit subitò.* *Babylon incurabilis.*

Post hęc gratulatur sibi ipsi populus redemptus à Domino, quòd Dominus protulerit iustitias eorum in apertum. Hactenus quòd victi & in captiuitate detenti sunt, visi sunt malã habere causam & religionẽ falsam. Iactabant Babylonij suam victoriam, & inde colligebant causam Israelitarum esse pessimam, religionemq; falsissimam, suam verò veram & incorruptam. Nunc verò cùm & Babylon subuersa est, & deorum templa sublata, idola confracta, Israelitæ in libertatem restituti, gratulantur de illa sibi Dei benignitate, & hortantur sese mutuò ad prædicationem commendationemq; operum Dei, & ad laudem & gratiarũ actionẽ, quam Deo suo in Zion offerant. His verò nos docent pro exhibito Christo, & pro redemptione parta per Christum, æternas Deo gratias agere. Cui sit laus & gloria. Amen. *Deus declarat causam suorum esse iustam.* *Prædicanda Dei gratia, & agendæ gratiæ Deo.*

Pergit adhuc in eodem argumento Ieremias.

CONCIO CLXII.

Exacuite sagittas, parate clypeos: excitauit Dominus spiritum regum Medorum: quia mens eius contra Babylonem, vt perdat eam: quia vltio Domini est, vltio templi eius. Extollite vexillum in muris Babylonis, augete excubias, constituite vigiles, struite insidias: quoniam quod proposuit Dominus, & locutus est contra habitatores Babylonis, hoc perficiet. Tibi quæ habitas ad aquas immensas, et thesaurorũ dives es, adest finis tuus, & auaritiæ tuæ modus. Iurauit Dominus exercituum per animam suam, quòd implebit te hominibus sicut brucis, qui mutuò se contra te inhortabuntur celeusmate. Qui fecit terram virtute sua, orbem constituit sapientia sua, atque intelligentia sua extendit cœlos. Cum dat vocem, multitudo aquarum in cœlis (coit) euocat nubes à finibus terræ, fulgura in pluuiam mutat, & educit ventum de loculis suis. Stultus factus est omnis homo à scientia, pudefactus est omnis fusor propter simulachrum: quia mendacium est quod conflat, & non est in eo spiritus. Vanitas sunt, & opus impostrarum, in die visitationis eorum peribunt. Non est his similis portio Iacob, sed qui condidit omnia, is est, & virga hæreditatis eius, nomen eius Dominus exercituum.

Babylon ex malis se non extricabit.

DEmonstrat euidenter Babylonem ruituram, deijciendam potenti manu Dei, tametsi instructissima modis omnibus sese hosti aduentanti oppositura sit. Quinimò iubet verbis omnino militaribus sese parare Babylonios ad sustinendam vel repellendam hostium obsidionem. Exacuite aut expolite, inquit, sagittas & arma reliqua implete, aut multiplicate, aut parate scuta. Vetus interpres habet, Implete pharetras. Sunt qui interpretantur, Implete scuta, id est clypeis tegite corpora vestra. Cur autem sic iubeat, subdit causam. Deus animũ strenuum indidit Medorum regibus, eosq; contra Babylonem incitauit. Sequitur enim adhuc clarius, Quia mens eius, Domini videlicet, exarsit contra Babylonem, vt subuertat ipsam, idq; in vltionem suæ iniuræ acceptæ à Babyloniis, & illatæ templo, atq; adeò toti religioni synceræ, quam isti, dum templum exurerent, blasphemis vocibus petulantissimè protulerunt. Idem antea quoq; dixit. Vlciscitur ergo Dominus tandem iniurias ecclesiæ & veritati synceræ illatas, tametsi diu dissimulet.

Vltio Domini.

Propositum Domini contra Babylonem.

Redit autem ad illud, quod iam cœperat, paululum autem insertis de vltione diuina verbis intermiserat, & alloquens iterum Babylonios, Extendite, inquit, vexillum super muros Babylonis, &c. Ita enim solent facere milites in vrbibus ab hoste cinctis: ideoq; cur sic mandarit, causam attexit, Quoniam quod proposuit Dominus, & contra Babylonem locutus est, nunc expediet, id est, ab hoste eam obsideri, capi, & subuerti faciet. Vbi manifestum est testimonium diuinæ prouidentiæ atq; iustitiæ. Et Ieremias in cap. 25. sub Ioachimi regis regno, primo Nabuchodonosoris anno interitum Babylonis prædixit, quem ante multò plures annos etiam Isaias prædixerat. Oportet autem Dei consilia progredi, nec possunt impediri ab vlla humana arte aut potentia. Credamus autem Deo in omnibus quæ nobis vel promittit, vel minatur. Nam consilia Dei certa sunt & infallibilia, licet carni dubia videantur.

Impios non iuuant vel potentissima aliàs.

His adpendit ea, quibus fidebant maximè Babylonij, ipsis nihil profutura. Mediam secabat vrbem Euphrates. Ex Euphrate deductæ erant fossæ, vt ceu labyrinthus septa vallataq; videretur Babylõ. Verùm finis tuus, inquit, tibi aduenit.

Reposi-

Repositos habebat thesauros frumenti & omnium rerum necessariarũ. Nihil autem profuerunt ei & ista. Nam finis aduenit. Præterea ex innumeris regionibus adferebantur tributa & donaria: quæ omnia Babyloniorum auaritia exhauriebat. Atqui & huius, inquit, lucri & tuæ auaritiæ erit tandem finis aliquis. Non eripient ista omnia à malis impendentibus. Id quod Christus Dominus noster generatim docuit, dicens, Videte & cauete ab auaritia: neq; enim cũ (bona) cuipiam redundant, vita ipsi constat ex bonis suis. Adde his quę sequuntur Lucæ cap. 12.

Iam etiam iuramento confirmat, se euersurum Babylonem, ne quis addubitaret quicquam de veritate & certitudine vaticinij. Nam vt Romam quondam æternam in veteri numismate prædicabant Romani, ita arbitrabantur & Babylonem Babylonij fore æternam. Iurat Deus per animam suam, nimirum per semetipsum. Affirmat autem se impleturum vrbem hostibus, tanta copia quanta condensantur in hortis verno tempore bruci. Hostes verò aít edituros carmen Hedad, vindemiæ nimirum, quo se vuas calcantes hortantur ad operis sui feruorem. Ita enim dicit nunc, hostes mutuò sese adhortaturos ad euertendam & euacuandam Babylonem. De Iuramento & Dei quidem iuramento, dictum est aliàs satis. *Deus iurat.*

Consequenter describit diligentissimè quis ille Deus sit, & quantæ potentię sit, qui in præsenti subinde asserit se euersurum Babylonem: ne quis existimet non satis instructum esse illum viribus, ad perficiendumea quæ minatur. Ex opposito perstringit deorum & idolorum Babyloniorum vanitatem, vt appareat hęc non posse tueri suos cultores, & religionem Babylonicam non posse asserere Babylonios à potenti manu Dei potentissimi. Quoniam verò versus illos eodem sensu positos cap. huius operis 10. exposui, non est quod multis repetam eadem. Sub finem dicit, portionem id est hæreditatem Iacobi, id est electorum non tam esse vanam, quàm sit Babyloniorum. Nam Deum conditorem omnium, esse summum bonum omnium electorum, hunc eundem esse virgam hæreditatis, id est hæreditatem, quæ ipsis in diuisione (quæ virga fiebat mensoria) cessisset, non idola, non res vanas, sed Deum exercituũ, cui subsunt elementa omnia, angeli omnes, homines & creaturæ vniuersæ. Huic Domino Deo nostro sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Quantus Deus Babyloniæ hostis.*

Adhuc differit de interitu Babylonis.

CONCIO CLXIII.

Malleus tu mihi es, instrumentum bellicum, per te contudi gentes, & per te perdidi regna, contudi per te equum & equitem eius, per te contudi currum & vectorem eius, contudi per te viros & fœminas, senem & adolescentem, & contudi per te iuuenem & virginem. Contudi per te pastorem & gregem eius, contudi per te agricolam & iugum eius: & contudi per te duces & tyrannos. Rependam igitur Babyloni & omnibus habitatoribus Chaldæis omnem calamitatem, qua ipsi adfecerunt Zionem, idq; vobis spectantibus, ait Dominus. Ecce me tibi mons vastator, ait Dominus, qui vastas vniuersam terram: extendam ego quoq; manum meam super te, & deuoluam te è petris, reddamq; te montem exustum, vt non accipiant de te lapidem ad angulum, & lapidem ad fundamẽta, sed eris perpetua solitudo, ait Dominus. Extollite signum in terra, canite tuba in gentibus, sanctificate contra eam gentes, accersite contra eam regna Ararat, Minneorum & Askenas: recensete contra eam nobilitatem, adducite

equos ſicut locuſtarum examen horridum. Deſtinate contra eam gentes, nempe reges Medorum, duces eius, & omnes ſatrapas eius, totam denique terram quæ eſt ditionis eius. Cẽmota eſt terra & contremuit, cum exurgerent cogitationes Domini ad redigendam terram Babylonis in ſolitudinem, vt nemo in ea habitaret. Ceſſarunt robuſti Babylonis à pugnando, deſiderunt in munitionibus, luxatum eſt robur eorum, facti ſunt ſicut fœminæ: incenderunt habitacula eius, confracti ſunt vectes eius. Occurrit curſor curſori, & nuncius nuncio, ad annunciandum regi Babylonis captam eſſe vrbem eius, ab extremitate ingreſſus (fluminis) occupatam, arectaq; paluſtria igni exuſta, milites metu attonitos.

Malleus Dei Babylon.

RVrſus cauſas exponit cur Deus exciderit Babylonem, quoniam malleus fuit quo Deus totum terrarum orbem contudit. Eſt autem malleus de quo loquitur, non quiuis malleus, ſed robuſtior & maior ille, quo petræ comminuuntur. Germanicè nuncupamus ein ſchellhamer. Vtitur autem longa partium aut ſpecierum enumeratione, recenſens quoſnam malleus hic contuderit. Nihil erat in mundo tam firmum, quod non Babylon viribus ſuis comminueret. Vires enim potentiamq; acceperat à Deo. Enumeratio ſatis eſt clara, vt longiore non indigeat explanatione. Subiungit autem, Rependam itaq; Babyloni. Nam martellum robuſtius aut malleus grauior fortiorq; eſt, quem parauit Babyloni Dominus, non artifex aliquis ingenioſus, Brontes, Steropesq;, & nudus membra Pyragmon. Nec dubium eſt quin aliarum quoq; gentium iniurias à Babylonijs illatas vindicarit iuſtus Dominus, in primis tamen contumelias & calamitates illatas populo Dei. Et quoniam Zion prætulit eccleſiæ typum, mirum non eſt, quòd Iſaias in capite quadrageſimo primo ipſam vocauit paluſtrum graue, & tribulam dentatam, & Zacharias in 12. calicem inebriantem, ac lapidem oneris, lacerantem omnes eos, qui ipſum contrectent atque eleuent. Propter eccleſiam enim grauiter punit Babylonem, omnésque inſtar Babyloniorum eccleſiam perſequentes. Qui tangit vos, ait alibi Dominus, tangit pupillam oculi mei. Cur autem illos puniat, quorum opera vſus eſt in puniendis ſuis illis, dixi ſuperius.

Eccleſia eſt plauſtrum & lapis oneris.

Babylon mons pernicioſus.

Conſequentibus exponit euidenter ac luculenter, quomodo ipſe Deus Babylonem funditus ſua virtute velit excindere, En ego, inquit, te, quæ vaſtas orbem, manu mea iniecta vaſtabo. Montem autem nuncupat, non quòd mons eſſet aut in monte ſita eſſet, (extructa enim traditur in planicie) ſed quòd magnitudine & ædificiorum altitudine montem referret & inuicta videretur, impoſita veluti petræ immobili. At ego, inquit Dominus, exturbabo te ex petra, efficiãq; vt videaris non florẽs mons ſicuti hactenus, ſed veluti ambuſta vrbs. Atq; adeò vaſtaberis, vt ne ruinæ quidem cuiquam quicquam ſint profuturæ. Id enim eſt quod ait, Non accipient ex te lapidem ad angulum aut ad fundamentum. Chriſtus Dominus dixit, Non manebit in te lapis ſuper lapidem, &c. Ac in præſenti ſequitur expoſitio, Sed eris perpetua ſolitudo.

Hoſtes Babylõniorũ nominatim exprimuntur.

Deus iterum excitat gentes, quas & nominatim exprimit, contra Babylonios, iterum vſurpans ſermonem prorſus militarem. Ararat aiunt eſſe gentem Armeniorum. De Minneis & Askenas, qui nam ſint, variant ſententiæ, vt nihil certi poſſim pronunciare. Ex contextu apparet fuiſſe populum Orientalem. Equitatum verò ait tam copioſum futurum, vt conferri poſſit cum examine locuſtarum horrido. Tam non difficile eſt Domino Deo noſtro innumerabilem conflare exercitum, quo puniat & deleat hoſtes ſuos.

Cadit Babylon

Porrò oculis totius mundi proponit contemplandum quomodo perierit Babylon. Nullus orator hoc potuiſſet elegantius & illuſtrius proponere atq; exornare. Et

nare. Et tamen eloquentiam sacrorum oratorum nemo miratur: omnes admirãtur Tullium & Demosthenem, ac in his laborant explicandis & illustrandis. Commota est, inquit, terra & contremuit, cum iam Dominus inciperet exequi suum, quod diu contra Babylonem instituit, consilium. Nullam virtutem reliquit Babyloniis, subtraxit fortibus omnibus corda. Qui ergo hactenus bellis fatigari non potuerunt, nunc lassi & excordes, prodire non audent in aciem. Ergo turpiter desident in munitionibus, nulla inest eis amplius mascula virtus, facti sunt fœminæ. Ita factum est vt hostes ruperint repagula omnia, ac incenderint etiam illis habitacula.

Hic mira euidentia fingit cursorem cursori, nuncium nuncio obuiam occurrere, festinareq; ad regem vt nuncient hostem subiisse iam mœnia vrbis. Ac mirum est Ieremiam etiam attigisse modum, quo capta est vrbs. Nisi verò ex spíritu sancto hæc omnia pronunciasset, nunquam tam diserte potuisset hæc prædixisse. Ab extremitate, inquit, ingressus, nimirum Euphratem, clamant vrbem esse occupatam. Alij verterunt, quòd capta sit ciuitas eius à termino. Et vada occupata sunt: & arundines combusserunt igni. Vetus interpres sic reddidit, Capta est ciuitas eius à summo vsq; ad summum. Et vada præoccupata sunt, & paludes incensæ sunt igne. Cyrus enim Euphratem magnis laboribus deriuauit, arundinem quoq; quo expeditior esset via, combussit, & per alueum ingressus est vrbem. Ea de re sic scribit Herodotus lib. 1. Cyrus vbi propius Babylonem promouit, Babyloniq; cum eo conflixerunt, prælioq; fugati in oppidum se receperunt. Ii tamen quia Cyrum iam pridem animaduerterant inquietum esse, viderantq; omnes pariter gentes aggredientem, comportauerant multorum sanè annorum commeatus, ideoq; tunc obsidionem nullius momenti faciebant. Et Cyrus cum iam longo tempore nihil admodùm res proficerent, inops consilij erat: tandem siue alius ei anxio suggessit, siue ipsi in mentem venit (scriptura dicit quòd Dominus ei immiserit in mentem, Herodotus id nesciuit qui tamẽ hęc non sine dubitatione effert) quid in rem esset, sic statuit faciendum. Instructis uniuersis copijs, partim qua fluuius vrbem ingreditur, partim à tergo qua egreditur, præcipit, vt dum cernerent alueum posse transiri, illac vrbem inuaderent. Ita instructis ac admonitis suis cum inutiliori exercitus sui parte abijt ad stagnũ. Eò vbi peruenit, quæ Babyloniorum regina fecerat apud flumen & apud stagnum, quod erat palus, eadem ipse faciebat. Nam reuocato flumine alueum eius pristinum vado transibilem reddidit. Id tale vbi actum est, Persæ qui ad hoc ipsum instructi erant, per alueum vnde fluuius Euphrates abscesserat, mediorum fere femorum tenus grauiter Babylonem introierunt. Et paulò post, Cum capti essent qui media vrbis incolebant Babylonij, propter eius tamen magnitudinem, non sentiebatur (vt fertur) ab his qui circa extrema habitabant: sed fortè quoniam dies festus eis erat, exercendis choreis atq; oblectationibus opera dabatur, donec planè rem animaduerterunt. Hæc Herodotus. Potuissent Babylonij ex hoc prophetæ manifesto vaticinio, vt ad flumen & carecta sibi cauerẽt in obsidione, admoneri: sed non crediderunt verbo Dei, sed cõtempserunt potius. Meritò autem intereũt omnes qui contemnunt verbum & admonitiones Dei, Cui soli gloria.

Capta Babylon deriuato Euphrate.

Herodoti testimonium de capta Babylone.

Pergit adhuc in descriptione excidij Babylonici.

Quoniam sic dixit Dominus exercituum Deus Israelis. Filia Babylon est veluti area, tritura eius tempus adest, breui adhuc tempore veniet messis eius. Deuorauit me, contriuit me Nabuchodonosor rex Babylonis, reddidit me vas vacuum, deglutiuit me sicut draco, & impleuit aluum suam delitijs meis, expulit me. Substantia mea & caro mea in Babylone, dicet habitatrix Zion, & sanguis meus apud habitatores Chaldææ, dicet Hierusalem. Propterea sic dicit Dominus, Ecce ego agam causam tuam, & vltionem tuam vlciscar: ego exhauriam mare eius, & exiccabo venam eius. Et redigetur Babylon in aceruos, & in habitationem draconum, in stuporem & sibilum, quòd nemo isthic habitet. Simul rugient vt leunculi, vt catuli leonum vociferabuntur. In calore eorum disponam conuiuium eorum, & inebriabo eos vt exultent, & dormiant somnum sempiternum à quo non euigilabunt, dicit Dominus. Deducam eos ad macTandum sicut agnos, & sicut arietes cum hircis. Quomodo capta est Sesach & comprehensa celeberrima in vniuersa terra? Quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes? Intumuit super Babylonem mare, quæ & fluctuũ eius multitudine adobruta est. Factæ sunt vrbes eius desertæ, terra torrida & vasta, terra in qua nullus hominum habitet, neque filius hominis transibit per eas. Visitabo quoq; ipsum Belum in Babylone, & eripiam ex ore eius bolum eius, vt non confluant ad ipsum vltra gentes: quin & murus Babylonis corruet.

RENouat nouo exordiolo, hæc quæ dicuntur proficiſci ex reuelatione & ex ore Dei Domini exercituum. Ab hoc enim inſpiratus Ieremias, dixit quæcunq; contra Babylonem protulit. Comparat Babylonem areæ, in qua manipuli ordine ponuntur & triturantur. Nam addit breui adfuturam meſſem Babylonis. Sicut enim à meſſe manipuli triturantur: ita deſtinato tempore conculcabitur ab hoſtibus Babylon. Comparatio petita eſt à re ruſtica. Ac videmus omnia gubernari aut regi diuina potentia, ſingulasq; res præſcriptum habere tempus, quo cadant. Videmus item omnium rerum eſſe vices. Nam qui hactenus omnium propè populorum capitibus inambularunt, illi ipſi nunc proſtrati in terram, omnium gentium pedibus proculcantur, & pœnas dant inſolentiæ ſuæ. Ita factum eſt poſtea cum Perſis, Græcis, atque Romanis, ac fit hodie etiam cum potentiſſimis regibus & nationibus. Timeant ergo omnes gentes Dominum Deum iuſtum. Et certè totus hic locus de ſupplicijs gentiũ, qui à capite quadrageſimo ſexto hucuſq; productus eſt, pertinet ad illuſtrandam Dei iuſtitiam, & iudicia eius iuſta.

Babylon eſt area in qua triturantur.

Querela populi Dei oppreſſi in Babylone.

Cæterùm quare voluerit Dominus Babylonem penitus deleri, ſequuntur cauſæ, ſuperius quoque non ſemel cõmemoratæ. Atqui eas repeti, & quàm diligentiſſimè inculcari oportuit, quò ſcandalo infirmorum conſuleretur. Fingit autem populum Dei in Babylone captum amariſſimè conqueri de miſerabili ſua ſorte & oppreſſione, conqueri autem apud Deum, & coràm vniuerſo mundo, accuſareq; grauiter Babyloniorum truculentam crudelitatem, Deuorauit me, inquit oppreſſus Dei populus, Nabuchodonoſor. Licet enim Nabuchodonoſor fuerit princeps præſtãtiſſimus, & multis heroicis virtutibus ornatiſſimus, ſicuti Ieremias & Daniel liquidè teſtantur, fuit tamen ei miles atrox & cruẽtus, quem ille cohercere non potuit. Contritum ſe itaq; à Babylonijs ait Dei populus, vt nihil integritatis in eis remanſerit. Auaritia Babyloniorum exhauſerat omnes Iudaicas opes, tam patentes vel apertas, quàm abſtruſas. Vnde dicit, Reddidit me ceu vas vacuum, in quo ne vnica aut guttula quidem vlla remanſit. Addit parabolam, Deuorauit me ſicut draco, & cupidè quidem & crudeliter. Implevit aluum ſuam meis delitijs. Quæ enim aliquando in delitijs habuit Dei populus, ſuſtu-

lus, sustulerunt ac deuorarunt Babylonij. Hodie similia videmus fieri in regnis & populis multis. Quæ enim multo tempore multis laboribus comportarunt, ea dissipiuntur, diripiuntur, & luxu, libidine, & ebrietate prodiguntur à voracibus militibus. Expulit me, inquit, id est, captiuum ex patria in exilium protraxit, rapuitq; Et adhuc clarius, Substantia mea, vel reliquiæ aut rapina mea, vel facultates meæ direptæ, denique & caro mea est in Babylone. Ita sanguis meus sparsus est passim per Chaldæorum terram. Significat autem his locutionibus Zion & Hierusalem Babylonios penitus oppressisse, & crudeliter quidem oppressisse Dei populum. Significãter enim nunc omnia verba hęc attribuit Zioni, aut vrbi ciuibusq; Hierosolymorũ, aut Iudæis. Quibus interim verbis mirificè omnis adumbratur persecutio populi Dei, docemurq; in oppressione nostra, & in persecutionibus ecclesiæ, ad Dominum clamare, apud ipsum deplorare sortem nostram. Id quod non semel factum legimus in libro Psalmorum, qui egregia huius rei exempla nobis suppeditat. *Persecutio ecclesiæ*

Respondet autem nunc ad querelam istam populi sui Dominus, & ait, Propterea quòd mihi causam tuam proponis atq; committis, iccirco illã ego agam fideliter, & quia vindictam tuam mihi commisisti, en ego vindicabo te, mulctatis Babylonijs seueriſſimè. Mihi, ait alibi Dominus, vindictam committe, & ego retribuam. Multis deniq; alijs locis scripturæ discitur Deum esse populi sui patronum, & vindicem vigilantissimum. Certè hic locus admodùm est euidens. Et habet tota hæc contra Babylonem oratio similes sententias plurimas. At quomodo vindicare velit populum suum, perderéq; Babylonios, copiosissimè exponit per consequentia. *Responsio Dei ad querimoniã sui populi.*

Mare bonorum fuit Babylon. Vt enim omnia flumina se exonerant in mare, ita omnium propè regnorum opes comportatæ erant in Babylonem. Dives enim facta fuit per direptionem omnium regnorum. Vena, id est fons perennis in ea videbatur ebullire, neq; ipsam vnquã euacuari posse facultatibus. Verùm Dominus, Ego, inquit, exhauriam illud mare, ego venam illam perennem exiccabo. Intelligimus ergo impijs nihil profuturas opes quantúuis amplas, cùm tempus supplicij de ipsis sumendi aduenerit. *Mare fuit Babylon.*

Redigetur præterea ipsa orbis domina in aceruos, ruinis vbiq; fœdis extantibus. Vtitur locutione consueta prophetis, dum significare vult horribiliter fore vastandam. Ergo stuporis & sibili meminit. De quo antea dictum est non semel. Quod verò de rugitu leonũ adijcitur, exponi poterit & de Babylonijs præ dolore horribiliter vociferantibus, aut de Persis Babyloniorum hostibus, præ ferocia & truculentia crudeliter rugientibus contra Babylonios, quos cupiant discerptos, aut frustulatim dilaceratos. *Perit Babylon.*

Sed & modum exponit, per quem Deus Babylonem perditurus sit. Babylonij incalescent cùm vino tum cupiditatibus varijs: ego igitur instruam illis conuiuium, & ero pocillator ipsorum, ait Dominus, bibent, & inebriabuntur, sed et exultabunt, vel choreas ducent, ac in omnibus sese volutabunt voluptatibus: in quibus dum insanient securi rerum, non animaduersus irruet hostis, & trucidabit eos veluti porcos in hara bona saginatos. Alluſit autem omnino ad conuiuium illud Baltazaris luxuriosum, cuius Daniel meminit in cap. 5. Audiuimus paulò superius ex Herodoto, Babylonios eo tẽpore, quo vrbs capta est, festum egisse diem, & choreas duxisse, & de repẽte in suis oppressos esse voluptatibus. Horrendum verò illud est, quod dicit propheta dormituros illos somnum sempiternum, à quo nunquam sint euigilaturi. Non quòd neget illos in vltima illa die resurrecturos, sed quòd significet impios illos Babylonios in peccatis suis morituros, atq; ideò perpetua condemnatione condemnandos. Addit se illos *In luxurioso conuiuio interit Babylon.* *Babylonij damnantur.*

perinde vt oues, arietes atq; hircos abducturum ad macellum, & iugulaturum vnà omnes. Pereunt enim impij anima & corpore. Pijs corpus & vita illa terrena, & momentanea auferri potest, anima verò damnari non potest: quod Dominus dixit in Euangelio apud Matth. in cap. 10. Mira autem prophetiæ energia subinde apparet in hac oratione, in qua annis circiter sexaginta, priusquam hęc euenirent Babyloni, tam disertè prædicta sunt. Non cecidit in terram vel apiculus de his omnibus, quæ prædicuntur Babyloni. Oportuit ergo Deum ipsum locutum esse per Ieremiam. Apparet in his etiam clarissima diuinæ prouidentiæ, omnia certo ordine gubernantis, demonstratio. Nam Deus omnem modum destructionis Babylonis nunc prædicit, sicut illam post 60. annos aut circiter perfecturus erat: & ita modis omnibus postea perficit, sicut se nunc perfecturum prædixit. Admiranda hæc sunt, & obseruanda diligentissimè. Qualis autem fuit interitus Babylonis, talis erit etiam finis huius seculi. Deprehendentur enim homines securi in suis illis voluptatibus, sicuti factum legimus temporibus Noe et Loth, & opprimentur à die illa Domini, sicuti Dominus in Euangelio futurum prædixit, Matth. 24. & Lucæ 17. Proinde vigilandum est nobis, orandum integritatiq; studendum, sicut nos docuit iterum in Euangelio Dominus, Lucæ 21. & Apostolus in 1. ad Thessalon. 5. cap. ne & nos opprimamur ab illa die cum incredulis.

Veritas & certitudo prophetiæ.

Adobruitur Babylon.

Porrò cùm magna admiratione exclamat, & ait, Quomodo capta est Sesach? Dixi autem cap. 25. per Sesach intelligendam esse Babylonem. Exclamatione illa amplificat malum exitij. Est autem duplicata exclamatio. Deinde verò veluti per subiectionem addit, quomodo interierit, Absorpta est veluti ab intumescente mari, adeoq; adobruta est suis ipsius fluctibus: corruit nimirum sua mole detracta vel deiecta. Et sicut Pharao potentissimus Ægypti rex derepentè adobrutus est marinis fluctibus, ita Babylon ex improuiso, & quàm celerrimè cœlo veluti tacta corruit, proprijs adobruta fluminibus. Hostes enim eius ferociores redditi sunt opibus Babylonis, spe nimirum prædæ amplissimæ. Post hæc repetit iterum, quæ antea quoque non semel dixit, Factæ sunt vrbes eius desertæ, &c. Bello enim Persico & Medico non ipsa tantùm Babylon petita est, sed et vicinæ vrbes destructæ sunt. Hyperbolicæ verò locutiones, vt quod dicit nullum hominem in Babylonicis vrbibus habitaturum amplius, nec quēquam hominum pertransiturum per eas ciuitates, amplificant rem, & significant stupendam fore illam vastitatem.

Beli cultus destructur.

Et sicut antea non semel, ita nunc iterum taxans Babylonicam idololatriā, & religionem falsam, asserit ipsam quoq; abolendam. Hoc enim significat vocabulum Visitandi, de quo sæpe iam diximus in hoc opere. Colebant Babylonij Belum Nini patrem, 2. regem Assyriorum, successorem Nimroth, qui & Saturnus dicitur Babylonicus: sicut Belus Iupiter Babylonicus appellatur. Hunc existimabant opinione fatua & gentilitia relatum esse in deos. Pararant huic statuam, ad quam multæ & preciosę afferebantur hostiæ, quas sacrificí mentiebantur ab ipso Deo absumi, cùm interim ipsi sacrificí arte fabricatum ingressum parauissent in templum, per quem noctu vnà cum familia subrepentes, dona vel sacrificia illa auferebant, atque luxuriosè absumendo deuorabant. Historia hæc texitur in fragmentis prophetę Danielis. Certè in præsenti ait per Ieremiam Dominus se Belum illum, opima inquam sacrificia erepturum ex ore Beli, nimirum ex faucibus sacrificum impostorum reuelaturumq; impostura, qua detecta gentes non amplius properaturæ sint cum donarijs vel anthematis ad mendacem illum & impostorem Belum. Quin addit murum Babylonis, id est ipsam Babylonem in vniuersum corruituram. Discimus ergo tandem omnes religiones fal-

nes falsas, vtcunq; diu & fortiter pro veris fuerint defensæ, Dei potentia conuel lendas, deijciendas, conculcandasq; fore. Domino sit laus & gloria. Amen.

Pergit adhuc contra Babylonem disserere, & certissimum ei denunciare interitum.

CONCIO CLXV.

Exite de medio eius populi mi, & seruet quisq; animam suam à furore iræ Domini. Ne fortè molleſcat cor vestrum, & paueatis ad quemuis rumorem, qui audietur in terra: alius enim rumor veniet alio atque alio anno: alia item atque alia violentia in terra, & dominator alius super dominatorem alium. Propterea ecce dies venient, vt visitem sculptilia Babylonis, & pudefiat omnis regio eius, & interfecti eius in ipsa cæsi iaceant. Et iubilabunt super Babylone cælum & terra, & quicquid in his est, cùm ab Aquilone venient ei vastatores, ait Dominus. Vt Babylon strauit interfectos Israelis, sic Babylonis interfecti sternentur per vniuersam terram. Qui euasistis gladium, ite, & ne steritis, memores estote Domini de longinquo, & Hierusalem ascendat in cor vestrum. Erubuimus dum audiuimus opprobria, pudor operuit vultus nostros, eo quòd alieni venerunt in sanctuaria domus Domini. Propterea ecce dies venient, dicit Dominus, vt visitem sculptilia eius, & per vniuersam terram vulnerati ingemiscant. Si ascenderit Babylon ad cælos, & robur suum muniat in excelsis, à me tamen aderunt ei vastatores, ait Dominus. Vox querula in Babylone, & magna confractio è terra Chaldæorum: quoniam vastat Dominus Babylonem, & perdidit ex ea strepitum magnum: sonuerunt enim fluctus eorum instar aquarum ingentium, editus est tumultus voce eorum. Quoniam venit contra eam, contra Babylonem inquam vastator, & capti sunt fortes eius, & arcus eorum confracti sunt: quoniam Deus repensionum Dominus abundè rependet. Et inebriabo principes eius, sapientes eius, duces eius, satrapas eius, atque fortes eius, & dormient somnum sempiternum, & non euigilabunt, ait rex, cui nomen Domino exercituum.

TErtiò iam populũ suum hortatur, vt egrediatur ex Babylone: & ne quis alio rum exempla spectet, moueátque tardius, aut impeditus remora desideat in Babylone monet: sed seruare quisque animam suam, quanta licet festinantia, properet, ne faciat se iræ Dei participem. Claret autem ex frequenti hac repetitione & inculcatione, præcipuum aut certè non postremum huius orationis caput esse egredi ex Babylone, aut fugere Babylonem. De qua re dictum est antea. Quoniam verò in ipso quasi puncto liberationis & exitus ex Babylone prænoscebat Dominus graues & horribiles exorituras in Babylone turbas, præmonet earum rerum populum suum, ac hortatur ipsum ne animis concidant, aut animos despondeant, sed in periculis istis constantes, animose expectent salutem, & se parent profectioni. Ne molleſcat, inquit, vel pusillanime reddatur cor vestrum: curate, aut orate potius, neque abieceritis spem vestram ad rumorem quemlibet. Nunc enim prædico vobis varios in regno exorituros rumores. Nam intra annos tres vel quatuor admirandæ erunt mutationes. Expeditiones fient graues, committentur prælia, de cladibus & stragibus spargentur nuncia. Vincetur Crœsus rex, Bellum inferetur Baltazari, quo cæso succedet Darius & Cyrus. Et hoc est quod ad verbum Ieremias dicit, Et venit rumor in anno, & post hunc in anno rumor, & violentia in terra, & dominator su-

Emigrandum ex Babylone.

Turbæ in orbe graues.

per dominatorem. Alij paulò significantius ea reddidere : quos nos sequuti sumus. Locus alioqui obscurus est, nisi historia inspiciatur. Infert ea lucem maximam. Dominus noster Iesus Christus prædicens fata vrbis Hierosolymorum, gentis excidium, & finem seculi per vltimum iudicium, hunc locum prophetæ fructiferum nobis reddit. Consulatur eius doctrina apud Matth. in cap. 24. & deprehendet quilibet se expauescere non debere ad turbas illas nunc in orbe vigentes, plane stupendas, sed eleuato capite expectandam esse redemptionem, quam promisit ecclesiæ suæ Dominus.

Lucæ. 21.

Euertetur idololatria.

Infelicitas idolatrarum.

Iterum dicit se euersurum cum sculptilibus Babyloniorum omnem corruptam & idololatricam religionem, cæsis & prostratis passim per plateas corporibus Babyloniorum. Pudefiet enim vniuersa, inquit, regio Babylonis. Punietur ob commissam idololatriam. Nam Dominus minatus est se velle animaduertere in tertiam & quartam generationem, eorum, qui ipsum prouocarint atque offenderint idololatria. Vbi sunt ergo qui felicitatem promittunt simulachrorum cultoribus?

Quomodo lætentur sancti de vsteritu impiorum.

Porrò dicit & cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, lætitia exultatura & iubilatura ob interitum Babylonis, vel quòd vastatores tandem ab Aquilone, ex terra inquam Medorum, venerint, missi à Deo contra Babylonem, omnium regnorum, & præcipuè populi Dei flagellum crudelissimum. Fit enim vt festos dies agant, sublatis tyrannis, liberati. Sicuti Roma legitur festos celebrasse dies, cum semetipsum confodisset Nero Cæs. Ad amplificationem verò pertinet, quod ait cœlos quoque exultaturos. Sancti autem exultant in interitu malorum, non odio quopiam aut alieni mali cupiditate (nam bene precantur hostibus suis) sed quòd vident Deum iustum & veracem, rationem habere oppressi sui populi, & punire homines impœnitentes, quos maluissent quidem seruatos per pœnitentiam: quoniam verò isti obstipo collo perruperunt, & Deum atque homines contempserunt & prouocarunt, non possunt non exultare in vindicta Dei gloria & veritate. Sed ea de re dixi nonnulla in Apocalyp. cap. 18. vbi eadem propemodùm verba continentur de gaudio cœlitum & iustorum propter subuersam Babylonem Antichristianam. Addit Dominum par pari repensurũ, ita vt quemadmodum Babylon multos prostrauit & occidit, ita iam vice versa prosternendi cædendiq; sint Babylonij. Vbi iterum vniuersalis illa sententia cõfirmatur, Qua mensura alijs mensi fueritis, eadem alij remetientur vobis. Quæ vtinam tam probè expenderetur ab omnibus, quam promptè profertur ab omnibus. Sic enim minus esset bellorum, tumultuum, & iniuriarum.

Properandum ex Babylone.

Quarto iam vrget populum suum & hortatur ad exitum ex Babylone. Habent autem singula verba suum pondus admodùm graue. Qui euasistis gladiũ, inquit, ite. Quasi dicat, Cum in capta Babylone, & in tot funerum aceruis, hosteq; gladio per vrbem & agrum grassante, vos à gladio seruarit Dominus, in hoc seruauit, vt egressi ex Babylone redeatis in terram sanctam. Si itaque grati velitis esse Deo, & vestrum facere officium, ibitis. Iam ergo veluti protrudit ipsos, & ait, Ite, ne steteritis. In mora enim periculum est. Ita Dominus in Euangelio docet, non esse respiciendum ab ijs, qui semel admouerint manum suam aratro : meminerint potius vxoris Loth, quæ dum respiceret in Sodomam ardentem, conuersa est in statuam salis. Pergamus ergo constanter in via Dei. Docemur enim hic, quid in turbis huius mundi faciamus. Quidam volunt expectare finem istorum motuum, & deinde in aliquam inclinare partem. Sed Deus iubet quemlibet, qui aliquam veritatis cognitionem consequutus sit, nihil conctari, sed progredi in via veritatis reuelata à Deo per verbum. Addit, Recordemini à longe Domini, & ascendat super cor vestrum Hierusalẽ; non quòd

Officium liberatorum.

parum

parum memores esse debeant Dei, sed ipsi qui longè erant à terra, in qua se præsentem patribus exhibuerat Deus in verbo & Sacramentis visendum, recordari deberent Dei, qui à longè, id est ab antiquis temporibus patrum ipsorumq; Deus fuerit, ideoq; cogitare de templo & cultu eius instaurando. Quo nimirum pertinet quod ait, Ascendat super cor vestrum Hierusalem, id est sit vobis cordi Hierusalem, desiderate eam, cogitate de reparanda illa. Hoc enim à quouis nostrum, qui redempti sumus à Domino, requiritur, vt cum desiderio cogitemus de restituendo Dei cultu, de reparanda & bene instituenda Christi ecclesia. Verùm plures hic suffocantur Babylonica pompa, in qua, licet destructa, manere & otiari malunt, quam in ecclesia, iam florere incipienti, laborare. Præterea admonet eos contumeliarum & iniuriarum, quas in captiuitate intulerant populo Dei Babylonij. Opprobrarunt enim eis templum destructum. Qua si religio ipsorum vana fuerit, vtpote cuius officina sic destrui potuerit & vasa omnia diripi. Incusit ea exprobratio ipsis Iudæis pudorem, vt iam ipsi confiteantur, & dicant, Nos audiendis opprobrijs erubuimus, &c. Ad hæc autem tacitè infert Dominus, Ergo si assertam cupitis meam gloriam, & restitutum templum & cultum, pudoremq; vestrum conuerti in honorem & gaudium, nolite hærere in Babylone, sed protinus migrantes inde Hierosolymam contendite, & de reparando templo, cultu, & vrbe cogitate. Ita enim pudor vel ignominia potius abstergetur, & glorificabimini iterum. Rectè sanè dixit Apostolus, ex peccatis nihil manere reliquum nobis nisi pudorem: id quod semper nobis, dum ad peccandum sollicitamur, ob oculos versari debet, abstraheretq; à peccatis. Rom. 6.

Post hęc iterum asserit se omnem in Babylone idololatriam contriturum, & idololatrarum corpora passim dispersurum per vrbem & agros, in quibus semineces ingemiscant, & falsos deos vituperent, qui nullum tulerint suis cultoribus auxilium. Denique ne Babylonij suis munitionibus fiderent, & se in his tutos fore crederent, hos vt antea Idumæos in capite quadragesimo nono alloquitur, & ait, Si ascenderit Babylon, &c. Olim etiam ascendere voluit in nubes perturrim altissimam, sed tunc quoque confusa est: sicuti nunc etiam confundetur. Non tulit in ipsis cœlis Deus superbiam & rebellionem angelorum, cui ergo verisimile videatur Deum superbiam dissimulaturum hominum super terram? Deturbabit fidentes munitionibus, & humiliabit superbientes Dominus. Fingit autem nunc exaudiri voces querulas pereuntium in Babylone, & fragorem ac veluti tonitrua ruentis Babylonis. Addit Dominum Deum vastare Babylonem. Comparat clamorem & sonitum cadentis pereuntisq; vrbis ac hominum in ipsa, voci æstuantis maris, aut aquarum ingentium tumultuantium. Repetit venire contra Babylonem eos, quibus à Deo demandata erat vastatio. Ac Deum hunc vocat Deum repensionum, & Dominum abundè rependentem, nimirum malis mala, bona bonis. In præsenti loquitur de malis. Obseruemus autem Deum esse retributorem, rependentem abundè vel liberaliter, iuxta verbum suum. Non enim est Deus noster Deus ficulneus, sed zelo ardet, & est ignis consumens. Timeamus ergo ipsum & credamus promissionibus & minis eius. Quæ autem sequuntur, Et inebriabo, &c. prius sunt exposita. Domino Deo nostro sit laus & gloria.

Corruent idololatræ cum idololatria.

Dominus est Deus repensionum.

Absoluitur oratio Ieremiæ contra Babylonem, annunciariq; iubetur in Babylone per Seraiam, qui prælectam in Euphrate demergit.

CONCIO CLXVI.

Sic dixit Dominus exercituum, Murus Babylon ille denſus omnino diruetur, & portæ eius excelſæ igni comburentur, & quod gentes & populi labore & fatigatione operati ſunt, in vanum & in ignem abibit. Sermo quem mandauit Ieremias propheta Seraiæ filio Neriæ, filij Mahaſiæ, cum proficiſceretur cum Zedechia rege Iuda in Babylonem, anno quarto regni eius. Erat autem Seraias præfectus quietis. Et ſcripſit Ieremias omne malum quod Babyloni euenturum erat in librum vnum, omnes ſcilicet Sermones qui ſcripti ſunt contra Babylonem. Deinde dixit Ieremias ad Seraiam, Cum peruenies Babylonem, vide legas omnes ſeremones iſtos, ac dicas, Domine tu loquutus es contra locum iſtum, vt eum excindas, vt nemo in eo habitet, neque homo neque beſtia, ſed vt ſit deſolatus in ſempiternum. Cumq; ad finem legeris totum librum iſtum, alligabis ei lapidem, & abijcies eum in medium Euphratem, ac dices, Sic demergetur Babylon, & non conſurget à facie mali, quod ego inducam ſuper eam, & defatigabuntur. Hactenus verba Ieremiæ.

Murus Babylonis denſus diructur.

SVmmam omnium contexit eorum quæ oratione contra Babylonem proſequutus eſt, ac dicit murum Babylonis, id eſt ipſam Babylonem fore diruendam, & portas eius igni comburendas, denique vniuerſum ædificium, quod magnis impenſis, & laboribus non æſtimandis conſtructum ſit, deijciendum atq; conculcandum. Non temere autem hæc omnibus illo tempore incredibilia, protulit in medium, ſed addit his authoritatem, præmiſſa conſueta ſententia, Sic dicit Dominus exercituum. Poſtulat autem hic locus vt cõmemorem quæ de Muro & portis Babylonicæ vrbis tradiderunt ſcriptores vetuſti. Strabo libro Geographiæ 16. Babylon in campo, inquit, iacet, muri ambitũ habent CCCLXXXV. ſtadiorum. Eius craſſitudinem pedum XXXII. Altitudinem inter turres cubitorum quinquagenum, turrium ipſarum ſexagenum: viam ſuper mœnibus tam latam, vt quadrigæ occurrentes facilè pertranſire poſſint. Vnde & hoc ex ſex ſpectaculis vnum dicitur. Et reliqua. Herodotus autem libro primo hæc paulò liberalius expoſuit, ac dixit, Babylon in ingenti planicie ſita eſt, forma quadrata, magnitudine quoquouerſus centenum vicenum ſtadiorum, in ſumma quadrigentorum & octoginta in circuitu quatuor laterum vrbis. Tanta eſt Babylonici oppidi magnitudo: quod ita exornatum eſt, vt aliud nullum eorum quæ nouimus. Iam primùm foſſa ambit alta atque lata aquæ plena. Deinde murus quinquaginta cubitorum craſſitudine, ducentorum altitudine. Eius per ambitum centum portæ ſtabant, æreæ omnes, cum cardinibus itidem, poſtibusq;, &c. Cum autem tantum ædificium quod inter miracula mundi recenſetur, perierit funditus (quanquam non protinus & ſemel penitus Cyri temporibus, ſed poſtea conſequentibus) quid putabimus poſthac futurum in mundo ſtabile? Diu laborarunt ad fatigationem vſque, & inæſtimabilibus impenſis multi populi & gentes plurimæ in extruenda Babylone: ſed ea redigitur in nihilum, & abit in fumum. Quid igitur ædes noſtras & opes noſtras, diu & multo cum labore corraſas & paratas, ſtabiles fore credimus? Ne ergo fidamus rebus huiuſmodi inſtabilibus, ſed Deo æterno, qui parauit nobis in cœlo ſedes ſtabiles & ſempiternas. De magnificentia, ſubuerſione denique Babylonis & ruina, ſcripſit hæc in Commentarijs ſuis Hieronymus ad Iſaiæ cap. 13. & 14. Babylonem fuiſſe potentiſsimam, & in campeſtribus per quadrum ſitam, ab angulo vſque ad angulum muri ſedecim millia paſſuum tenuiſſe, id eſt, ſimul per circuitum quadringenta octoginta ſtadia, refert Herodotus, & multi alij qui Græcas hiſtorias conſcripſe-

Portæ Babylonis.

De incredibili vrbis Babylonis ſplendore.

conscripserunt. Arx autem, id est capitolium illius vrbis, est turris quæ ædificata post diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim de lato in angustias coartata, vt pondus imminens facilius à latioribus sustentetur. Describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroq; fulgentes, & multa alia, quæ penè videantur incredibilia. Hoc totum narrauimus, vt ostenderemus quòd ad iram Dei omnis potentia puluis sit, & fauillæ & cineri comparetur. Si liceret introire barbaras nationes, & videre tantæ vrbis extrema vestigia, videremus possessionem hericij & paludes aquarum, & verè compleũt esse quod nunc Isaiæ vocibus canitur, Scopabo eam scopa terẽs. Exceptis enim muris coctilibus, qui propter bestias concludendas post annos plurimos instaurantur, omne in medio spacium, solitudo est. Et idem paulò ante, Sicut, inquit, subuertit Deus Sodomam & Gomorram, sic & ista subuersa, in æternum non habitabitur. Pro illa enim Seleuciam & Ctesiphontem vrbes Persarum inclytas fecerunt. Item. Didicimus à quodam fratre Elamita, qui de illis finibus egrediens, nunc Hierosolymis vitam exigit monachorum, venationes regias esse in Babylone, & omnis generis bestias murorum eius tantùm ambitu cohercери. Hæc Hieronymus. Hactenus exposuimus copiosissimam & elegantissimam Orationem Ieremiæ contra Babylonem habitam, breuitatem vbique sequentes, ac vestigia potius indicantes expositionis, quàm ipsam expositionem operosè prosequentes. Videntur enim indicia illa sufficere diligentibus.

Porrò sequitur quomodo vaticinium hoc à Deo reuelatum Ieremiæ, peruenerit ad Babylonem, atque Babylonijs innotuerit. Huius rei circunstantiæ diligenter attinguntur. Vbi ante omnia obseruandum venit, Deum optimum maximum, licet Israelem delegerit peculiariter, curasse tamen, & nullibi neglexisse mox ab initio gentes quoque. Ideò enim legimus Ionam missum esse ad Niniuen metropolim regum Assyriorum: nunc verò curat Deus per Ieremiam, vt Babylon quoque verbum Dei audiat, & iudicia eius discat. Modus reuelationis idem est, qui aliâs obseruatus est à Deo. Vt enim verbum vsurpauit & symbola semper ferè ab initio, ita nunc quoq; recitatur sermo Dei, & symbolum vel chria additur. Nam sermonem alligat lapidi, & demergit in mare, addita expositione. Est autem hæc ratio docendi, per verbum & per symbola, omnium præstantissima, & hominibus maximè idonea & vtilis. Discernimus tamen plurimum inter hæc symbola, quæ cum chria communicant, & inter symbola sacramentalia. De qua re dictum est aliâs.

Quomodo oratio hæc annotuerit Babylonijs.

Cæterùm cùm Ieremias ob rationes certas, maximè quòd mandatum Dei non haberet, non posset ipse Babylonijs concionari, scriptum suum ad ipsos mittit, sicuti & Paulus doctrinam suam de Euangelio, scripto comprehensam misit ad Romanos. Neque misit per quemlibet Ieremias suum sermonem ad Babylonios, sed per virum selectissimum. Nam cœlestes thesauri non sunt committendi quibuslibet, sed selectissimis duntaxat: ideò Deus prophetas & apostolos vocauit, homines sanctissimos, & ministerio verbi appositissimos. Decet enim diuina & publica munera credere hominibus diuinis & excellentibus. Committe enim impuris hominibus magistratum, & verbi ministerium, & experieris pariter confundi diuina atque humana. Ergo Ieremias commisit officium lectionis Seraiæ, qui dicitur princeps fuisse quietis. Id quod variè interpretantur. Vulgata versio habet, Seraias autem erat princeps prophetiæ, is nimirum, cui commissa erat prophetia Ieremiæ, vt eam Babylonijs recitaret. Chaldæus Paraphrastes vertit, Princeps muneris, quasi is munera accepta ab offerentibus obtulerit regi. Alij arbitrantur ipsum fuisse principem recreationis, id est regi à colloquijs, congerronem, qui iucundis sermonibus regis molestiam &

Doctrinam suã Ieremias mandat scripto.

fastidia sustulerit, aut leuarit. Alij quietem exponunt de regis quiete, & quòd Seraias cubiculo in quo rex quiescebat, fuerit præfectus, daß er sye gwäsen deß küniges kämerling. Lutherus vertit, Seraias was ein fridsamer fürst. Ac apparet reuera hominem fuisse pacis quietisq; amantem, & hominem per omnia benignum. Huic inquam commendat Ieremias officium recitandi vaticinij in Babylone.

Quo tempore illa sint Babyloni reuelata.

Iam etiam tempus, quando hoc factum sit, ostenditur, quartus Zedechiæ annus, nimirum 66. annus antequam hæc euenirent Babyloni. Maturè ergo admonita est à Deo Babylon. Alibi diximus annos captiuitatis Babylonicæ auspicandos esse à captiuitate Iechoniæ. Fortè scripsit, & concionatus est Ieremias hunc sermonem Hierosolymis primo anno Nabuchodonosoris, qui erat Ioachimi quartus. Ostenditur & occasio, per quam Ieremias sermonem hunc in Babylonem misit, regis Zedechiæ profectio in Babylonem ad regem Nabuchod. Nō exprimitur vera huius profectionis causa, vnde non est quòd ipsam magnopere inquiramus. Id verò admiratione dignum est, tantam fuisse hic Dei prouidentiam, & Dei in Zedechia potentiam, vt homo alioqui timidulus non opposuerit se huic negotio, impediueritq; quò minus legeret Seraias Orationem alioqui plus satis odiosam, ne fortè parum gratos regi redderet omnes Iudæos.

Summa totius orationis contexitur.

Mandat enim Seraiæ Ieremias, vt librum hunc, id est orationem totam recitet palàm in Babylone. Nam Deus non vult latere sua iudicia, sed aperta esse omnibus, ijs maximè, ad quos peculiariter pertinent. Quinimò mandat, vt lectioni breuem summam omnium eorum, quæ in oratione comprehenduntur, attexat. Summam enim illi veluti in os pönit, & ait, Dices, Domine tu locutus es contra locum istum, &c. Capita præcipua huius summæ sunt. 1. Dominum hæc esse locutum. 2. Babylonem fore excindendam. 3. Atque ita excindendam funditus, vt neque homines, neque bestiæ sint illic habitaturæ. Non loquimur iam de feris belluis, sed de cicuribus, vt bubus, ouibus, armentis inquam & pecoribus. Alioqui scimus Babylonem stabulum velut factam ferarum. 4. Eritq; desolatio illa perpetua, neque quo reparabilis vllo. Sermoni aut denunciationi huic iusit Ieremias addere symbolum, lapidem vtiq;, cui alliget codicem, & demergat in profundum Euphratis. Insuper iubet verbis exponere huius demersionis mysterium. Sic demergetur Babylon, nec resistere poterit malo, quod inducet ei Dominus, sed fatigata mole malorum cadet & peribit. Hic inquam erit finis Babylonis. De paradigmatis & symbolis verbo additis, aliàs in hoc opere copiosius dixi, vt huius nihil nunc repetendum sit. Similia his contra Romam contexuit beatus Ioannes in Apocalypsi cap. 18. Concludit autem scriptor vel amanuensis Ieremiæ Baruch hunc librum, & addit, Hactenus verba Ieremiæ, nimirum recitata sunt, aut pertingunt.

Symbolum vel paradigma additur sermoni.

Gentes iudicabunt fideles.

Priusquam autem ad alia progrediamur, admonendum puto lectorem impietatis, crudelitatisq; regum Iudaicorum. Nam Ioachim rex Vriam in Ægyptum vsque persequitur, quòd paulò liberius annunciasset verbum Dei. Zedechias eo nomine conclusum Ieremiam in carcerem non liberat, nec asserit. At Nabuchodonosor non legitur ad tam dira Ieremiæ vaticinia vel verbulo minatus esse tantillum. Quid quod Phul Belochus contra Ionam adeò non sæuijt prædicantem vel annunciantem Niniues excidium, vt magis omnibus mandato publico præceperit emendationem morum corruptissimorum? Hi ergo reges barbari iudicabunt in iudicio illo principes Christianos, & Episcopos maximè, qui neque audire volunt, quæ prædicantur contra errores & corruptam ipsorum vitam, neque desinunt ob talem prædicationem ministros prosequi flamma & ferro. Interim loquitur sensus communis, tantam esse nostri seculi

corrupte-

corruptelam, tam crassos esse errores monachorum & Papistarum, vt Deus amplius dissimulare non possit, sed grauis vindicta metuenda sit, nihilominus nemo istorum his commouetur, sed obstipo collo pergit quilibet persequi manifestam veritatem. Adsis ergo Domine Deus noster causæ tuæ, & libera tuos ab omni malo. Amen.

APPENDIX VERITATEM PROPHETIAE APPROBANS.

Obsidetur ac capitur vrbs Hierosolymorum. Capitur item rex Zedechias, & vincitur, &c.

CAPVT LII.

CONCIO CLXVII.

NAtus erat viginti vnum annos Zedechias, cùm regnare inciperet, regnauitq; vndecim annis Hierosolymis. Nomen matris eius Hamithal, filia Ieremiæ de Libna. Fecitq; malum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Ioachim: quia ira Domini fuit contra Hierusalem & Iuda, donec eos abijceret à conspectu suo. Defecit autem Zedechias à rege Babylonis. Factum est itaq; in anno nono regni eius, mense decimo, mensis decima, vt veniret Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & vniuersus exercitus eius contra Hierusalem, & castra ponerent contra eam, extructis circa eam munitionibus. Et durabat vrbis obsidio vsque ad vndecimum annum regis Zedechiæ. Mense autem quarto, nona mensis, inualuit fames in vrbe, vt non esset cibus populo terræ. Et rupta est vrbs, & fugerunt omnes viri bellicosi, egressi noctu de ciuitate per viam portæ inter duos muros, quæ est iuxta hortum regis, Chaldæis vrbem circumuallantibus, abieruntq; versus desertum. Insecutus autem exercitus Chaldæorum post regem, apprehendit Zedechiam regem in campestribus Iericho, cùm iam omnis exercitus eius dissipatus esset ab eo. Comprehensum ergo regem, adduxerunt Reblam ad regē Babylonis in terra Hemath, vbi locutus est cum eo iudicia. Et interfecit rex Babylonis filios Zedechiæ in conspectu eius: sed & omnes principes Iuda occidit in Rebla: & Zedechiæ oculos eruit, vinxitq; eum duabus catenis, duxitq; eum rex Babylonis Babylonē, & tradidit eum in domum custodiæ vsq; ad diem mortis eius.

Appendix prophetiæ Ieremiæ.

APPENDICIS huius author non est Ieremias, sicuti superiorum. Sub finem enim capitis earum rerum fit mentio, quæ diu post mortem Ieremiæ facta sunt. Congruunt tamē omnia cum veritate historica, ab ipso nobis Ieremia cap 39. tradita, & cum ijs quæ leguntur in fine lib. 4. Reg. & in fine 2. lib. Paral. Siue ergo ab Ezra, vt quibusdā visum est, siue ab alio viro sancto scripta sit hæc historia, perinde est: certum est omnino profectā esse à sancto Dei spiritu. Capita huius capitis præcipua sunt fermè 5. Principiò enim consignatur quomodo vrbs Hierosolymorū obsessa sit à Nabuch. & capta etiam, quomodo item Zedechias rex fugiens cum magnatibus venerit in potestatem Babylonici regis. Deinde exponitur quomodo templum & vrbis ædificia magnifica omnia sint inflammata, vrbis mœnia deiecta, denicq; quid factum sit cum captiuo populo. 3. Cōmemoratur templi direptio & census spoliorum veluti contexitur.

Argumentum huius loci.

4. Subiungitur census illustrium personarum interfectarum à Babylonico rege sed & census captiuorum. Vltimo loco breuibus attingitur restitutio regis Iechoniæ per Euilmerodachum.

Quis sit huius historiæ vsus & fructus.

Horum porrò omnium hic præcipuè vsus & fructus est. Demonstratur palàm veritas prophetiæ in medium prolatæ iam per annos 40. à Ieremia propheta. Dum ab illo horribiles hæ res exponerentur, insanire multis videbatur vates: quòd impossibilia multis pleraq; quæ dicebat, viderentur. Iam ergo audiemus in hoc capite, ne apicem quidem cecidisse in terram ex omnibus Ieremiæ vaticinijs. Completa enim ad vnguem sunt omnia. Colligimus hinc Deum nostrum, Deum esse iustum, qui tametsi dissimulet diu hominum peccata & conscelerationem, adest tamen opportuno tempore, & rependit vnicuique pro suis meritis. Videmus item Deum non dormire, non mutare verba sua, & fallere, sed constantem & firmum esse, & verbum eius in promissionibus & minis firmissimum certissimumq;. Apparebit in hac insuper historia, quis sit futurus omnium contemptorum verbi Dei exitus, talis qualis horum fuit, quos nullæ potuerunt ad pœnitentiam permouere conciones propheticæ, quantúmuis vehementes. Memorabilis & modis omnibus ergo obseruanda est nobis hæc historia, quam cernimus tot modis esse fructuosam & vberem, ac ea de causa quater in scripturis descriptam, id quod de alijs non dixeris, nempe in præsenti, in 39. item cap. in fine quoq; libri Regum, & in fine libri 2. Paralip. Nos breuibus omnia perstringemus, relegantes lectores ad Concionem huius operis 127. in qua omnia perse quuti sumus vberius.

Aetas & natales regis.

Principiò commemorat historia ætatem & natales regis Zedechiæ. At illa sicuti & externa alia omnia prosunt nihil, nisi virtutibus simus ornati. Degener erat hic Zedechias, sceleratissimus sanctissimi patris Iosiæ filius.

Peccata propter quæ gens aliqua excinditur.

Deinde attingitur peccatum Zedechiæ, propter quod contra vrbem & regnum Iuda vniuersum furor Domini efferbuit. Fuit autem inobedientia. Reiecit enim verbum Dei, imitatus exemplum fratris sui Ioachim, & idololatriam inductam aut reparatam à morte sanctissimi patris Iosiæ propagauit in populo, nequicquam reclamante Ieremia. Cuius Sermones vilipenderunt. Vniuersus ergo populus vnà cum principibus corruptus, pœnitentiam non modò spreuit, sed violenter perrumpens grassatus est per idololatriam & per omnem conscelerationem. Ideò efferbuit contra ipsos furor Domini, ac semel eos delere statuit. De quo copiosiora leguntur in vltimo capite posterioris libri Paralipomenon.

Perfidia.

Adiungit his aliud scelus, nempe defectionem nephariam à rege Nabucho donosore, cui astrictus erat sacramento, & cuius magna cùm in familiam eius, tum in vniuersum populum extabant beneficia. Nam vt peregrinum & alienigenam principem eis non imposuerat, ita religionem patriam eis intactam reliquerat: & cum semel & iterum eis pepercerat, cum funditus potuisset eos delere, sanè ingratissimum ei se exhibebat cum vniuerso populo Zedechias. Exagitat eius perfidiam grauiter Ezechiel in capite decimo sexto, omnes in orbe homines admonens, ne fidem datam vlli mortalium nedum magistratui violēt.

Obsessa vrbs.

Post hæc describitur quomodo obsessa & capta fuerit Hierosolymorū vrbs. Notat autem tempus quo cœpta est obsidio, Decimi mensis diem decimum. Dicit item vniuersum ad mœnia Hierosolymorum adductum esse exercitum regis: nimirum ex omnibus populis immensum: quod & ipsum futurum prædixerat Ieremias. Vrbem autem circundederunt inclusam turribus, pluteis, aggeribus & munitionibus, diuiso vniuerso ad mœnia per castra exercitu. Durauisse autem ait illam obsidionem à 9. Zedechiæ anno, ad annum 11. Quæ sanè diu-

turna &

turna & molestissima fuit obsidio. Interea miserè adflictam fuisse vrbem fame, adde & peste, intelligimus. Quæ omnia & singula prædixerat ex ore Dei Ieremias. Verùm maluit infelix populus illa experiri potius, quàm credere, & prauam vitam emẽdare. Talia sunt hodie quoq; plerorũq; ingenia. Vnde & calamitates agminatim nos inuadunt.

Iam etiam subdit historiam captæ vrbis, exponens modum quomodo sit capta, & quomodo rex miser in fugam effusus, venerit in potestatem Babyloniorum: à quibus rectà pertractus sit ad regem Nabuchodonosorẽ. Quod & ipsum futurum Ieremias prædixerat. Neq; tacet quid cum ipso egerit Nabuchodonosor. Vbi & supplicium describitur, sumptum à rege grauissimum. Non potuit ipsum eripere ex impendenti malo arte extructus exitus ex vrbe. Non potuit ipsum defendere exercitus satis alioqui animosus. Nam hic in fuga est dispersus. Cuius rei supra mentio facta est in cap. 40. & alijs capitibus. Ergo sistitur ante Nabuchodonosorem, qui iure cum ipso agit, capitisq; vnà cum proceribus condemnat. Cogitur ergo miser videre oculis propriis necem filiorum suorum, deinde omnium principum eius supplicium commeritum. Deinde demum cum illo dolore intolerabili excruciatus esset, cogitur pati summam ignominiam, vt non quidem interficiatur cum alijs, sed vt oculi ipsi eruantur, conseruetúrque tormentis maioribus & diuturnioribus. Vincitur enim duabus catenis, & veluti spectaculum in triumpho deducitur in Babylonem, vt ibi ludibria etiam vulgi experiatur. Id quod ipsum disertè ei prædixerat Ieremias. Neq; dum venit in Babylonem, felicius habere cœpit. Conclusus est enim in carcerem, & in eum quidem carcerem, in quo detentus est in finem vsq; vitæ suæ. Hęc scilicet est sors principum virorum, qui gubernaculis à Deo præfecti, officium suum non faciunt, sed libidinem suam in omnibus sequuntur, verbum autem Domini contemnunt & persequuntur. Dominus Deus noster liberet nos à malo.

Capta vrbs.

Captus rex.

Supplicium de rege sumptũ.

Comburitur templum vnà cum vrbe Hierosolymorum, mœnia diruuntur: & populus abducitur partim in captiuitatẽ, partim relinquitur in terra.

CONCIO CLXVIII.

Mense quinto, decima mensis (is est annus decimus nonus Nabuchodonosoris regis Babylonis) venit Nabuzardan præfectus rerum capitalium, qui steterat coràm rege Babyloniæ in Hierusalem. Et incendit domum Domini, & domum regis, atq; omnes domus Hierusalem, & omnes ædes magnificas incendit igni. Omnes quoq; muros Hierusalem per circuitum diruerunt omnes qui erant in exercitu Chaldæorum, sub præfecto rerum capitalium. Tenues autem de populo, & qui in vrbe reliqui facti sunt de plebe, & qui profugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus transportauit Nabuzardan præfectus rerum capitalium. Pauperes autem terræ reliquit Nabuzardan præfectus rerum capitalium, vt vineas & arua colerent.

SEcundo hoc huius Appendicis vel historiæ capite, quatuor præcipua commemorantur, & initio inflammatio aut incendium templi, & quidem templi Domini, id quod Iudæi nunquam excindendum putabant, ideoq; clamabant strenuè, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Existimabant enim in hoc Deum posuisse nomen suum in sempiternum, & ideo nunquam diruendum. Verùm errabant turpiter, neque sic pepigerat (vt mox dice-

Templum comburitur.

mus) cum ipsis Dominus. Diligenter consignatur annus Nabuchod. 19. Per hos enim continuos annos, sicut colligere licet ex 25. cap. Ieremiæ, prȩmonuerat populum suum Deus horum omnium, suadens eis pœnitentiam, ne euenirent quȩ propter vitam pœnitere nesciam euentura erant. Dies quoque consignatur & mensis. Interceſſerunt autem dies 30. inter captam & exustam vrbem. Nihil ergo præcipitanter, sed omnia cum consilio fecerunt principes militum regis Nabuchod. Condemnant hæc furorem eorum, qui Christiani volunt salutari, & tamen in euertendis vrbibus & populis longè imprudentius & atrocius festinãt. Author quoq; harum rerum omnium vel exequutor palàm nominatur Nabuzardan. Cuius etiam ante facta est mentio in cap. 39. Dicitur hic stetisse coràm vel pro rege in Hierusalem, nimirum inseruisse regi Babylonio & vices eius egisse in hoc bello Hierosolymitano, & in vrbe excindenda. Alij sic ordinant, Nabuzardan qui stabat coràm Babylonio, id est ei inseruiebat, venit Hierusalem: sed idem est vtrobiq; sensus. Hic inquam incendit ac combussit templum Dei æterni. Quod sanè auditu horrendum est.

Historia templi Domini.

Ab initio non habuit Dei populus templa Deo manibus extructa hominũ. Vsi sunt magno illo & vero Dei templo, ipso mũdo, in quo viuæ imagines Dei vbiq; comparent, innumera sunt quæ nos Dei & eius potentiæ, bonitatisq; admoneant. In hoc sunt ornamenta pretiosissima & præstantissima, magna item luminaria, non cerea aut sebacea, sed Sol & Luna & stellæ. Sacrificarunt ergo patres ad aras passim excitatas sub cœlo, & inuocarunt Deum cœli, & eundem coluerũt. Sic enim testatur scriptura de Noe, de Abrahamo, Iacobo, & alijs. Sub Mose iussit Deus parari templum portatile, quod vocatur Tabernaculum testimonij, sed rectius cœtus & conuentus vel ecclesiæ. Mutatus est sæpe locus huius templi sicut testatur historia sacra. Tandem parauit abundantissimam materiam Dauid, ac Solomon stabilem & fixam construxit Domino domum. Quæ omnia Stephanus in Actis Apostolicis non tacuit. Extruxit autem templũ Solomon, vt esset typus Christi & ecclesiæ: vt in eo syncera traderetur per lectionem & prædicationem doctrina: vt oraret ibi populus, & perciperet aut celebraret sacramenta. Ac Deus hoc templum sibi soli vendicauit, ideoq; Domum Dei nuncupari voluit: noluit hoc communicari cuiquam. Grauiter enim Solomoni & posteris interminatus est 3. Reg. 9. cap. si non soli Deo reseruarent hoc templum impollutum, quod & templum subuertere & ipsos perdere velit. Cæterùm posuerant in templo aras dijs alienis, extinxerant prædicationem verbi synceram. Orationes ipsorum erant impuræ, & sacramenta vel sacrificia eorum erãt immunda. Proinde meritò subuertit templum Dominus, vtpote quod in alium quàm ipse ordinarat vsum conuersum fuerat. Dominus in Euangelio templum Hierosolymitanum vocat speluncam latronum, eamq; ipsam ob causam subuertendum prædixit, quod & suo tempore factum est. Quid itaque mirum, si hodie quoque videamus passim destrui templa Christianorum à Turcis, cum non seruiant ijs vsibus, quibus reuera consecrata sunt ab initio, sed sint mera idolia? Nihil nunc dicam de eo, quòd qui lapidea idolis templa extruunt, viua propter veram religionem comburunt. Docuerunt sancti ecclesiæ doctores Deum non requirere vt lapidea ipsi extruamus templa, sed vt nosmetipsi vera et viua Dei templa per fidem & pietatem efficiamur.

Destruitur regia.

Deinde destruitur & palatium regis. Pereunt ædes magnificæ omnes, prætoria, & quicquid erat publicum & amplum vnà cum ciuium domibus. Non parcitur pretiosis domibus. Deus enim in extructione ipsarum propter luxum & auaritiam grauiter est offensus. De qua re dictum est cap. huius operis 22. Disce autem cuius beneficio inhabites ædes tuas, & quis sit qui te in ædibus conseruet,

conseruet, Dominus Deus vniuersorum. Cum is tibi irascitur, ejicit te ex ędibus tuis, insuper & ædes subuertit.

Iam diruuntur etiam muri vel mœnia vrbis per circuitum. Ea extruxerant reges laudatissimi simul & sanctissimi, Dauid, Solomon & cæteri. Habent sua in Odis sacris encomia: sed cum inhabitatores mœniorum essent incurabiles, iusto Dei iudicio Hierosolymorum muri cadunt, sicuti ceciderant mœnia Ierichuntina. Impios enim & impœnitentes nulla defendunt mœnia, qualiacunque sint tandem. Totus autem exercitus Babylonicus hoc opere fatigatur: pauci enim huiusmodi muros non facilè eruissent. Non autem desunt homines ijs operibus conficiundis quæ diuina prouidentia statuit perficere. Hactenus muri Hierosolymorum firmiter contra omnem hostilem impetum facilè subsiterant: nunc verò nullo negotio euertuntur, irato Deo. Rectè ergo canit in Odis sacris propheta, Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificat eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam, &c. *Diruuntur vrbis mœnia.*

Postremò narrat etiam quid factum sit cum populo, cui sæpe minatus fuerat extrema Ieremias. Triplicem hic facit populi totius ordinem. Erant qui desciuerant ad regem Babylonium ex vrbe Hierosolymorum. Erant quos capta vrbe, relictos in vrbe, ab ijs qui fugerant, & in campos vsque Ierichuntinos peruenerant, hostes inueniebant. Ex his omnibus erant pauperes & tenues non pauci. Iam verò deligit Nabuzardan ex omnibus turbam pauperem, eámque in terra Israelis relinquit, in hunc finem vt arua colant. Reliquos verò omnes, omnis ordinis homines, abducit captiuos in Babylonem. De quibus superius plura sunt dicta. Est autem hic exitus impœnitentium. Dominus miseretur nostri. *Quid factum sit cum populo*

Commemoratur direptio templi & census spoliorum: item qui ex magnatibus à Babyloniorum rege trucidati sint.

CONCIO CLXIX.

Columnas æreas quæ erant in domo Domini, & bases, & mare æneum, quæ erant in domo Domini comminuerunt Chaldæi, & omne æs ex eis tulerunt Babylonem. Lebetes quoque, scopas, cultros, pelues, & cochlearia, atque omnia vasa, in quibus ministrauerant, tulerunt, & crateres, ignis receptacula, pelues, lebetes, lucernas, cochlearia & pateras, quorum alia erant aurea, alia argętea, tulit præfectus rerum capitalium. Columnas duas, mare vnum, duodecim boues, qui erant sub basibus, quos fecerat rex Solomon in domo Domini. Eorum omnium atque cunctorum istorum vasorum pondus æris rationem superabat. Erat enim colũnæ vnius altitudo decũ & octo cubitorũ: funis autẽ, qui ambiebat eam, duodecim cubitorum: densitas eius quatuor erat cubitorum, eratq; concaua. Et epistylium æreum fuit super ipsam: & altitudo epistylij vnius erat quinq; cubitorum. Super epistylium erat opus reticulatum, & mala punica per circuitum, omnia ex ære. Et huiusmodi erant in altera columna vnà cum malis punicis. Fuerunt autem mala punica nonaginta sex dependentia, & omnia mala punica centum super retiaculum per circuitum. Tulit quoq; præfectus rerum capitalium Seraiam summum sacerdotem, & Sophoniam, qui ei secundus erat: & tres custodes liminis. Et de ciuitate tulit eunuchum vnum, qui fuerat magister militum, & septem viros ex his, qui viderant faciem regis, qui inuenti erant in ciuitate, & Scribam præfectum militiæ, qui conscribebat ad militiam populum terræ, cum sexaginta viris de populo terræ, qui inuenti erant in

ciuitate. Hos inquam tulit præfectus rerum capitalium Nabuzardan, & duxit eos ad regem Babylonis in Reblath. Et percussit eos rex Babylonis, & occidit eos in Reblath, in terra Hamath.

Direptio templi.

TErtio huius capitis loco commemoratur direptio templi, & census spoliorum. Asseuerarant pseudoprophetæ, quod in 27. cap huius prophetæ audiuimus, Iechoniam breui magna cum gloria & cum vasis antea per Nabuchodonosorem ablatis omnibus rediturum. Contra verò Ieremias ex ore Dei asseuerauit Iechoniam cum vasis adeò non rediturum ex captiuitate, vt Zedechias potius cum ijs vasis, quæ in templo reliqua erant, sit captiuus abducendus in Babylonem. Cui vaticinio pseudoprophetæ acriter obstrepebant. At nunc tandem veritas verbi Domini relucet, detegiturq; mendacium seductorum. Princi pió legimus spoliatum esse templum à Babylonijs, dum abduceretur captiuus Ioachim. Sed apparet tunc thesauros templi ablatos vnà cum bona parte vasorum aut instrumentorum sacrorum, quorum iam nulla fit mentio. Deinde cùm abduceretur Iechonias, iterum direpta sunt & abducta templi vasa non pauca. Postremò autem, quod direptionibus prioribus duabus sublatum non fuit, tollitur nunc in vniuersum. Et quidem in duabus prioribus direptionibus apparet rapta esse præstantissima quæq;, quæ modò non commemorantur, cuiusmodi fuit arca, mensæ itẽ aureæ, & cætera. Historia retexitur hic, quæ simili forma extat in vltimo capite postremi libri Regum: vbi & in vigesimo quinto capite, sicuti & in libro secundo Paralipomenon legimus de expoliato templo Domini.

Templum sæpius spoliatum

Columnæ duæ æneæ.

In censu spoliorum obtinent primum locum columnæ duæ æneæ à Solomone paratæ: quod 3. Regum 7. exponitur. Fuerunt hæ cauæ, & ad similitudinem bombardarum nostrarum fusæ. Crassities earum habebat digitos 4. Impositæ erant fulcris vel basibus. Supernè habebant epistylia vel coronas. Ambiebant eas circuli vel orbes, sed & funis cubitorum 12. Altitudo columnarum erat decem & octo cubitorum. Ex ijs in Epistylio erant faberrimè fusa mala punica. Opus erat spectatu iucundum, & per omnia pretiosum. Typum gesserunt Christi & Ecclesiæ, regni & religionis. Dextram nuncupauit Iachin, & sinistrã Boaz. Quod perinde est, ac si dixisset Solomon, Confirmet Deus robur regni Christi sui, religionis & populi per eum, qui est colũna, in quam impositi sunt ac nituntur fideles. Paulus ecclesiam nuncupauit columnam & basim veritatis. Ornata est omni virtutum donorumq; genere tanquam dilecta Christi sponsa, quam sponsus suus ornauit, &c.

1. Timot. 3.

Mare æneum.

Secùndum locum in spolijs habet mare æneum vel polubrum aut solium, ca cabus ingens magnam aquarum vim continens ad purgationem sacerdotum, & hostiarum. Hoc ipsum describitur etiam in septimo capite 3. Regum libri. Sustentabatur bubus æneis duodecim, ceu basibus. Quinimò per bases non videtur aliud intelligere quàm boues. Est autem in ecclesia omnium ablutio sordium in gratiam Christi, aquis significata. Et vt mare illud insidebat boum tergoribus, ita sustinent ministri negotium gratiæ Dei, quod prædicando populis aspergunt.

Varia vasa sacra.

Tertio loco ponuntur varia vasa vel instrumenta necessaria ministerio sacro, cuiusmodi sunt olle vel lebetes, in quibus elixabant carnes sacras ad epulas: pelues etiam, quibus excipiebatur hostiarum sanguis. Sed nolo in præsenti de singulis hisce instrumentis disserere operosius, quod alterius est loci & temporis. Sacrificia erant significationes futuræ passionis, expiationis, & redemptionis Domini, qua genus humanum in cruce expians redemit. Proinde omnia illa quæ

la, quæ Chaldæi abstulerunt, fuerunt grandia Dei Sacramenta. Sicut instrumentis enim sacerdotes vsi sunt in ministerio: ita ministri euangelici suo quodã modo illuminant, purgant, cibant, atq; potant doctrina fidei & pœnitentiæ. Et tamen perueniunt in manus gentilium sacra hæc symbola. Direptum legitur alioqui antea & postea templum Domini non semel. Nam arca potiti sunt Palæstini, quanquam plus mali illa sibi accersiuerunt quàm boni. A morte Solomonis sub Roboamo diripuit templum Ægyptius rex. Achaz aurũ templi dedit Assyrijs. Nunc sub Ioachim & Iechonia spoliatur iterum templum. Sub Zedechia rursus spoliatur, & solo æquatur. Nec obscurum est, quid designarit Antiochus Epiphanes, & quod Romani tandem templum cum vrbe exciderunt. Ergo religio his externis minimè alligata est: vtpote quæ permanet integra, vtcunque Sacramenta & symbola illa & instrumenta, exercitiaq; religionis externa intereant. Impij enim ad res ipsas sacris significatas non penetrant, neq; his nocent, dum signa & organa vexãt, lacerant, atq; cõculcant. Neq; signis illis alligata est salus, ita vt à salute alieni sint, qui nullo cum contemptu signis per ineuitabilem necessitatem carere coguntur. Fuerunt multi viri sancti in captiuitate Babylonica per annos 70. quorum de numero est Daniel, & innumeri viri alij pijssimi. Caruerunt autem toto hoc tempore templo, sacrificijs, & externo cultu: interim per fidem veram seruabantur, quam bonis operibus declarabant. Inuenias hodie inter Turcas multa captiuorum Christianorum millia, qui & ipsi Sacramentis & externo cultu omni destituuntur, sed ideò non pereunt, sed viuunt per veram fidem. Hi Sacramenta & cultum externum magni faciunt, ac libentissimè vterentur ijs si liceret. Ergo cùm non liceat per ineuitabilem necessitatem, dolent, & spiritu Deum colunt. Ergo excusabiles non sunt, qui cum Sacramentis participare possunt, contemnunt tamẽ hæc, & de externo cultu Dei leuiter iudicant. Dum enim illa habere possumus, religiosè ijs vti debemus. Hæc dixi obiter de eo, quòd oppressis & conculcatis per impios Sacramentis, res Sacramentis significatæ nihilominus incolumes sunt, & integra quoq; salus fidelium. Fatetur Apostolus se quidem esse vinctum, negat autem ideò & Euangelium esse vinctum. Etsi ergo sancti ex animo dolent, quando cultus Dei cum Sacramentis ignominia afficitur, & cõculcatur ab impijs & prophanis hominibus, intelligunt tamen ipsam religionem & salutem nihil inde accipere detrimenti in semet ipsis. Comburuntur viua Dei templa, homines dilecti Deo: sed fides & salus eorum comburi non potest. Hæc consolari nos debent, cùm non sine magno dolore cernimus deijci templa Christianorum, exuri libros sacros, conculcari ab impijs Sacramenta. Viuit enim nihilominus Christus, & integra est salus nostra. Propter peccata verò nostra tanta impijs permittit Deus in sacra nostra. De qua re dictum est aliâs.

Sacramenta ve niunt in manus impiorum.

Quarto huius capitis loco redit ad cædem vel supplicium procerum regni, exactius iam censum cæsorum nobis reddens. Sæpe horum admonuerat principes Ieremias: sed illi magis hæc experiri maluerunt, quã credere, & per pœnitentiam cauere. Nunc ergo experiuntur, quod nunquam euenturum existimauerant. Testãtur hæc, Deum non parcere potentibus. Abutuntur sua in terris potentia, eo quòd alijs se præfectos vident, ideoq; neminem sibi metuendum neq; cuiquam rerum suarum rationem reddendam arbitrantur. Sed viuit Dominus, cui subiecti sunt. Venit tempus, quando rationem ab eis omnium rerum requirit, & abutentes sua potentia punit. Sapiens dicit, Potentes potẽter punit Deus. Ac requirit ipsa æquitas & iustitia, vt qui alios seduxerunt, & multis fuerunt causa exitij, cæteris puniantur atrocius. Atqui proceres isti negligentissimi fuerunt in suo munere, quare populum perdiderunt & seduxerunt, & ita grauissi-

Occiduntur principes pœnæ pulli.

mum meruerunt ſupplicium. Apparet hic etiam, quis ſit finis perſecutorum verbi Dei & miniſtrorum eius. Nemo ſe odioſius & pertinacius oppoſuit Ieremiæ & verbo Dei, quàm principes populi: iam ergo puniuntur ob hanc impietatem à Deo, vt timeant Deum omnes principes, & ambulent in vijs eius. Quod ipſis & omnibus nobis largiri dignetur Deus omnipotens benedictus in ſecula. Et in hoc cenſu initiò recenſetur ſummus pontifex Seraias pater Ezræ prophetæ. Addi-

Quinã ex principibus Iudaicis ſint trucidati.

tur ei ſecundus, qui poſt Seraiã ſummus erat, Sophonias. Adnumerantur his duobus tres cuſtodes liminis templi. Præfuerunt hi templo Domini, & erant cuſtodes theſaurorum ſacrorum. Ita quinq; numerantur primarij in ordine ſacerdotum. His coniunguntur proceres regni præſtantiſsimi, eunuchus, id eſt aulicus quidam primarius, vniuerſæ præfectus nomine regis militiæ, magiſter campi vel dux militum ſupremus. Connumerantur huic Septemuiri, ſemper regis contemplantes faciem. Intimi & ſummi hi fuerunt regis conſiliarij. Aſsidui erãt apud regem, ſine quibus agebat nihil. Id quod phraſi Hebraica eloquitur, & ait

Matth. 18.

hos vidiſſe faciem regis. Sic Dominus noſter de angelis dicit, quòd ſemper videant faciem patris, id eſt quòd patris miniſterio intimo & perpetuo, familiariſſimoq; deſtinati ſint. Subiungitur ſcriba quoq;, is inquã qui militiæ ſcriba erat. Quibus omnibus accedunt ſexaginta viri de populo terræ: qui vtiq; nobiles & primarij totius regni viri fuerunt. Ex omnibus colligitur numerus ſeptuaginta quatuor præſtantiſsimorũ virorum. Quos omnes interfecit rex Babylonius in Reblath. Domino Deo noſtro iuſto iudici ſit laus & gloria ſemper. Amen.

Adijcitur cenſus captiuorum, & reſtitutio Iechoniæ per Euilmerodach.

CONCIO CLXX.

Et Iuda captiuus abductus eſt de terra ſua. Hic eſt populus, quem tranſtulit Nabuchodonozor. Anno ſeptimo Iudæorum tria millia viginti tres. Anno decimo octauo tranſtulit Nabuchodonoſor de Hieruſalem animas octingentas triginta duas. Anno vigeſimo tertio Nabuchodonoſoris tranſtulit Nabuzardan præfectus rerum capitalium animas Iudæorum ſeptingentas quadraginta quinq;. Omnes animæ (hæ conficiunt) quatuor millia ſexcentas. Factum eſt autem trigeſimoſeptimo anno captiuitatis Ioachim regis Iuda, menſe duodecimo, viceſimaquinta menſis, vt Euilmerodach rex Babylonis, in anno regni ſui eleuaret caput Ioachim regis Iuda, & educeret eum ex carcere. Et locutus eſt cum eo humaniter, & ſolium eius conſtituit ſupra ſolium regum, qui erant cum ipſo in Babylone. Mutauit quoq; veſtes captiuitatis eius: cibũ quoq; ſumebat apud eum cunctis diebus vitæ eius. Victus quoq; perpetuus dabatur ei à rege Babylonis certo demenſo in ſingulos dies vitæ eius, donec moreretur.

Captiuitas Iudæorum.

AD quartum huius capitis locum pertinet cenſus captiuorum. Sæpe Ieremias prædixerat ipſos ob ſcelera trahendos eſſe in captiuitatem, quam & præfiniebat annorum ſpacio 70. Id eſt quæ duratura eſſet per annos 70. Sed nõ credebant his minis grauibus alioqui: nunc verò exitus rei prophetię veritatem comprobat. Sunt autem qui exiſtimẽt numerum eorum duntaxat hic poni, qui ceſſerunt regi manubiæ. Nam multò plures alioqui eſſe abductos. Quod ſi plures abducti non ſunt quam hic commemorantur in cenſu præſenti, grauiter ſanè deſæuijt in ipſos Dei ira, quæ gladio, peſte & fame immenſum propè hominum numerum hauſit atq; abſorpſit. Nam quantus fuerit populi Iudaici numerus, vt nihil dicamus de decẽ tribubus abductis olim ſub Salmanaſare, æſtimare licet ex

licet ex censu Dauidis ætate acto per Ioabum, qui recensuit Iudæorum millia quingenta. Et sanè apparet multò plures abductos esse in captiuitatem, quàm hic in hoc capite numerentur. Principiò in genere dicitur populum Iudaicum è terra sua abductum esse in Babylonem. Deinde per consignationem temporum vel annorum aliquot, numeri vel summæ aliquot ordine collocantur vel recensentur. Numerat autem annos non regũ Iuda, sed regis Babyloniæ Nabuchodonosoris. Huius septimus annus (in li. Reg. 8. ponitur) erat Ioachimi vndecimus. Nam legimus Ierem. 25. quartum Ioachimi & primum Nabuchodonosoris concurrere. Cum Ioachimo autem abducti dicuntur 3023. Hic videntur præteriri qui abducti sunt sub & cum Iechonia, qui ad differentiam à Ioachim dicitur Ioachin per n, non per m, in fine. De quibus in 4. lib. Reg. 24. cap. legitur, Et transtulit decem millia in captiuitatem. Cæterùm videtur hac summa decem millium comprehendisse historicus omnes abductos sub rege vtroq; nempe sub rege patre Ioachim, & sub filio eius Ioachin cognominato Iechonia. Abducti ergo sunt cum patre illa 3023. quorum hic fit mentio. Cum Iechonia autem 7000. in quorũ numero arbitror recenseri & 1000. artifices seu includores: nisi fortè velis illos seorsim computare, vt numerus excrescat ad 11000. hominũ. Locus certè historiæ nonnihil obscurus atq; implicatus est: sed nihil inde decedit doctrinæ pietatis.

Iam 18. annus Nabuchod. est, 11. Zedechiæ, cum exusta vrbe & æde sacra, Nabuzardan abducit 832. homines, quos animas, more huius linguæ nũcupat. De quo aliâs dictum est. Porrò audiuimus superius capta vrbe plurimos Iudæorum dispersos esse per vicinas gentes: multos item aufugisse ac descendisse in Ægyptum. Hos quinquennio à capta vrbe exacto, recolligit rex Babylonius & 745. in Babylonem abducit. Hisce enim 5. annis oppugnauit Ægyptum, eamq; cepit. Expugnauit & Tyrum, vt est apud Ezechielem: & tunc reliquias istas prioribus captiuis adiecit: sicuti prædixerat etiam Ieremias. Summa captiuorum omnium recolligitur 4600.

Ex his autem discimus, 1. vnde sint incrementa & decremẽta ecclesiæ Dei & Reipub. ex obedientia & inobedientia verbi Domini. 2. Cumq; tam breui temporis spacio tanta vis hominum sit consumpta, colliquescit quàm turpiter cæcutiant & impingant grauiter, quotquot multitudini aut copiæ hominũ confidunt, quasi in copia & robore hominum consistat salus nostra. 3. Qui verò liberi & domini sunt, sortem interim suam felicitatemq; non agnoscunt, & Deo grati non sunt, merito suo in seruitutem rediguntur, sicuti hic vsuuenit Iudæis. Noluerunt pace & felicitate concessa sibi frui, maluerunt turbulenta sequi consilia, misceri principibus bellicosis, cum his ergo pereunt tandem, & nobis relinquunt admonitionem, ne bellum velimus, cùm pace frui possumus.

Copia populi facilè immanitur à Deo.

Quintus & vltimus huius capitis locus exponit nobis restitutionem Iechoniæ. Prædixerat hanc Ieremias in cap. 24. At vaticinium hoc contemnebatur à plerisq;, nunc ergo in fine huius historiæ ceu appendix subijcitur Iechoniæ restitutio, vt hæc etiam confirmet certitudinem vel veritatẽ verbi Domini. Diligenter consignat tempus, mensem videlicet, & diem mensis, adde & annum, quo restitutus est Iechonias, nempe annũ captiuitatis 37. qui erat Euilmerodachi primus. Regnauit ergo Nabuchodonosor supra 44. annum, Euilmerodach 30. Baltazar verò 3. annos. Colligimus hinc quoq; numerum 70. annorum captiuitatis ab abducto Iechonia, & non ab oppugnata & capta vrbe sub Zedechia auspicandum & subducendum esse. Obserua autem regem inclytum Iechoniam in captiuitate detentum esse per annos 37. Qui numerus significat diuturnã fuisse calamitatem regis huius, & Deum qui citius redimere potuisset, iusto iudicio ipsum tanto tempore in captiuitate vel carcere detinuisse atq; exercuisse. Disca-

Restitutio Iechoniæ.

Diuturna piorum mala.

mus ergo hinc patientiam & fidem, vt in malis nobis à Deo impositis, fortes simus, ac à Deo propter crucem non deficiamus. Quod diligentius nos docet Apostolus in fine 10. cap. ad Heb. Leguntur etiam alij viri præclari à Deo in carceribus exercitati & eruditi esse, vt Ioseph & Manasse. Quorum ille non meruerat sceleribus pœnam, quam sustinebat: hic verò nefandis flagitijs meruerat. Liberatur vterq; à Domino. In Euangelio proponuntur nobis multa exempla eorũ, qui crucem sibi à Deo impositam diu gestarunt, vt Hæmorrhousa, quæ morbo vexata est annis duodecim. Alia verò mulier in Euangelio Lucæ legitur cũ grauissimo morbo conflictasse annis octodecim. Paralyticus ille, quẽ sanat in Sabbato Dominus apud Ioannem, laborasse dicitur annis triginta octo. Cæci à natiuitate per multos annos cæci fuisse leguntur, quorum alium illuminat apud Ioannem in cap. 9. alium apud Marcum in cap. 10. Hæc confirmare debent nos in afflictionibus nostris, vt de Deo & eius misericordia bene speremus, & ne expostulemus cum ipso, si diutius malis detineamur, quàm nobis iuxta iudicium carnis nostræ æquum videatur. Omnia Dei iudicia æqua sunt & iusta. Cõmouit autem cor Euilmerodachi Dominus nunc, vt restituat Iechoniam. Cur cor Nabuchodonosoris non commouerit citius, nefas est indagare. Cor regis est in manu Domini, sicuti aquarum deriuationes in manu agricolę: quoquò voluerit inclinabit illud. Commouit idem Dominus & Artaxerxis cor erga Nehemiam. Credamus ergo Domino, & cõmittamus nos gubernationi eius. Significat autẽ eleuare caput, restituere aliquem in integrum, reponere in dignitatem regiam.

Matth. 9.

Lucæ 13. Ioan. 5.

Abundè rependit Dominus pijs & patientibus.

Diligenter cõmemorat historia modum restitutionis, vt quemadmodum intelleximus abundè per annos triginta septem vexatum esse Iechoniam, vicissim audiamus, quàm liberaliter repensum sit ipsi à Domino, & multiplicata beneficia. Ergo educit ipsum ex carcere. Mutat vestes captiuitatis, concedens vtiq; & donans regias. Quinimò extollit thronum eius super omnes thronos aliorum regum, qui cum ipso in Babylone erant: ita vt hic primas inter reges obtineret. Nam historia Hester commemorat plurima sub imperio summi regis imperatorisq; fuisse regna, & reges, ac principes multos. Miranda profectò hęc sunt, vt & illa quæ leguntur de Mardocheo. Verùm Deo omnipotenti, & omnium regum regnorumq; Domino nihil est difficile. Euehit hic & deijcit reges. Quos ipse suo prosequitur fauore, nemo prorsus impedire, aut lædere potest. Prętera adhibet mensæ suæ Iechoniam Euilmerodach, quod & ipsum ingens est beneficium. Victum quoq; continuum ad diem vsq; mortis suæ, vtiq; regium & magnificum, suppeditat ei liberaliter. Generalis verò ex his doctrina petitur, Deum inuocandum esse, qui ex vinculis & carceribus non tantũ liberat, sed opibus quoq;, non tantũ rebus necessarijs suos adobruit. Copiosius de hac re disseritur in Psal. 107.

Historia hæc in Christo desinit.

Clauditur autem hæc historia non facinore tristi, sed lætissima cõmemoratione restitutionis Iechoniæ, qui cùm Neri in scripturis appelletur, eo quòd per ipsius genus Deus cogitaret Christum Dominum veram lucem, illuminatoremq; orbis mundo dare, reparatur sanè in eius restitutione Christi (de qua re vide copiosiora in cap. 22. & 23. huius operis) promissio, atq; adeò cõmendatur nobis fides in Christum, per quam salui efficiamur. Per solam enim fidem in Christum verum Messiam seruati sunt, quotquot seruati sunt ex patribus, ac per eundem solum seruabuntur, quotquot seruabuntur omnibus seculis in finem vsque mundi. Seruatori ergo vnico omnium seculorum, Domino nostro Iesu Christo, Dei patris & Mariæ semper virginis vnigenito filio sit laus, gloria, & gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

FINIS.

THRENORVM

SEV LAMENTATIONVM beati Ieremiæ Prophetæ, breuis explicatio, authore Heinrycho Bullingero, Tigurinæ Ecclesiæ ministro.

PLANGIT *Ieremias vetustißimæ Iudaicæ gentis & clariſßimæ Hieroſolymorum vrbis excidium: cauſas ſimul oſtendit, cur præclaræ vrbes & regna potentißima intereant: & ne intereant, ſalutaria adhibet, optimus medicus, remedia.*

IESVS.

Hic eſt filius meus dilectus, in quo placata eſt anima mea; ipſum audite. Matth. 17.

THRENODIUM

SEV LAMENTATIO;

numbeat lectus aut Propheta, hic
explicuit audiret Deus
tydio Bullingero, Tig
gurinæ Ecclesiæ
ministro.

IESV S.

Hic ego filius meus dilectus, in quo placata est anima
mea: ipsum audite. Matthæi 17.

CLARISS. VIRO D. IOANNI STEIGERO, AMPLISSIMAE REIPVB. BERNENSIS SENATORI ET QVAESTORI PRAESTANTISS. ROTVLI, ET Montis veteris ac magni domino, domino suo colendo HEINRYCHVS BVLLINGERVS S. D. in CHRISTO.

LIBELLVS à Ieremia inscriptus Threni vel Planctus aut Lamentationes, exiguus quidem est, sed fructum adfert lectoribus fidis, vberrimum. Latissimè enim eius vsus atque vtilitas patet: id quod mox ab initio enarrationis meæ ostendo. Celebrarunt scriptores Græci atque Latini excidia præclararum vrbium, vt Troiæ, Thebarum, Carthaginis, Romæ, atque aliarum celebrium: ac fateor ingenuè authorum istorum gentilium lucubrationes geniũ fructumq; habere eximium, audeo tamen illis omnibus, non sine iustis causis, Ieremiæ Threnos anteferre: nõ tam quòd omnia eius profecta sint à Spiritu sancto, quam quòd clarissima omnium Orientis, vel Plinio teste, vrbium Hierosolyma fuit: quodq; totum tractationis huius argumentum, grauitate, præstantia, maiestateq; istis nihil est inferius, vtilitate verò multis nominibus præstantius. Vnde me operæpretium facturum putaui, si hos mihi Threnos in gratiam studiosorum syncerioris theologiæ, sumerem interpretandos: maximè cum totum opus Ieremiæ iam antea exposuissem, Lamentationes duntaxat superessent enarrandæ. Itaq; totum volui absoluere circulum. Inuitauit me & huius nostri seculi infelicitas, qua & peregrinis & ciuilibus bellis seditionibusq; flagrant in orbe Christiano plagæ propemodùm vniuersæ. Qui verò tantorum sint authores malorum, nihil nunc attinet dicere. Ex hac certè lucubratione nostra lectores æquos facilè intellecturos spero, non tantùm causas veras interitus regnorum vrbiumq; omnium, sed etiam remedia, quæ si in tempore, morbis nondum desperatis, adhibeantur, prohibeant excidium. Quæ quidem omnia, ea simplicitate, qua per Dei gratiam potui, candidè exposui.

Non inuidebo interim, si quis authorem hunc interpretatus fuerit doctius atq; felicius: imò vt hoc fiat opto & gratulabor syncerìter, si quis hic nobis fidelem suam operam collocauerit. Nunquam consueui ego aliorum interpretationes despicere, aut vellicare, arrodere aut suggillare. Qui Deum timent, talentum quod acceperunt à Domino, apud mensarios deponunt, non vt sibi, sed ei potius, cuius talentum est, lucrum faciant. Hunc certè finem ego spectaui: eundem & alios spectare mihi persuadeo, vnde scripta ipsorum boni consulo. Si qui tamen apertius & impudentius propriam suam gloriam, & lites vel rixas non necessarias quærere videantur, prætereundi potius, si salua veritate & ecclesia fieri potest, quàm impetendi rectè à cordatioribus iudicantur.

Quicquid tamen hoc mei laboris sit, hoc totum tibi Steigere vir clariß. & domine colendiß. inscribo ac dedico, vt vel hac mea dedicatione conteſter, quantum te amem, quantiq; te faciam tua illa ob eximia dona, acepta à Domino, & in primis ob egregium bonas literas & ſynceram religionem propagandi ſtudium, quodq; beneficia in me contuliſti plurima. Scripſi hæc anno 1561. cum primum Lamentationes Ieremiæ euulgarem, nunc verò cum eaſdem recudo anno Domini 1575. & tu vir clariß. & perpetua mihi obſeruantia colende, interea non modò per omnes gradus adminiſtrationis Reipub. Bernen. propter virtutes tuas ſingulares conſcenderis in ipſam Præturā vel Conſulatum eiuſdem potentiß. Reip. Bernen. ſed & munificentia Dei Opt. Max. opibus ſis auctus feliciter, atq; in his nihilominus & religionem verā & bona literarū ſtudia promoueris, digniſſimus meritò es uiſus, cui rurſus dedicarem ſacras has Ieremiæ Lamentationes. Hortor autem tuam pietatem, vt ſemetipſam vincere pergat, ac quotidie increſcat magis magisq; omnesq; vires intendat ad Eccleſiæ & Reipublicæ incolumitatem conſeruandam atq; tuendam. Scis ampliſſimum tibi à Deo præmium eſſe propoſitum. Rependit hic omnibus in veritate veræ religioni & bonis liberalibusq; ſtudijs fauentibus. Dominus Ieſus benedicat tibi honeſtiſſimæq; familiæ tuæ, & ampliſſimæ Bernatum Reipub. Vale bene. Tiguri. Calendis Auguſti. Anno ab Incarnatione Domini 1575.

THRE-

THRENORVM SEV LAMENTATIONVM BEATI IEREMIAE PROPHETAE

Breuis explicatio, authore HEINRYCHO BVLLINGERO.

HISTORIA sacra paucis admodùm verbis famosissimam, celeberrimamq; Orientis vrbem Hierosolymorum absorpsit. Quoniam verò res est memorabilis, & quæ omnibus ætatibus cognoscatur, repetatur, & inculcetur dignissima, spiritus sancti gratia & instinctu factum est, vt Ieremias poetica sacra copiosè exposuerit, imò oculis omnium gentium & ætatum contemplandum miserabile & vrbis & gentis excidium proposuerit. Libellum hunc quem Odarum aut Elegiarum dicere possis, nuncuparunt Hebræi קינות id est Lamentationes. Lamentationem verò Latini vocant animi ægritudinem cum eiulatu, vel planctum, ploratum inquam, qui miserabili corporis gestu fit. Græci nuncuparunt θρήνον threnũ & θρηνῳδίας id est lachrymas & deplorationem. Vnde fortè Germani habemus nostrum thrän. Vulgò appellatur die klag Jeremie. Carmine autem hanc suam Lamentationem complexus est. Est autem carminum vsus apud veteres & vetustissimus & vsitatissimus. Liquet hoc in lib. Mosis, & in libro Psalmorum. Habemus autem in nouo Testamento admodùm celebria carmina, vt Zachariæ patris Ioannis Baptistæ, Mariæ item virginis, & Simeonis iusti apud Lucam in cap. 1. & 2. Differunt verò carmina sacra à profanis plurimùm. Non enim constant sacra numeris aut temporibus, syllabarumue ratione, nec rythmicè sunt scripta: vt satis mirari nequeam, quid in mentem venerit & Iosepho & Hieronymo, qui dixerunt hæc scripta metro quasi sapphico & trimetro. Sacra certè genere dicendi figurato & amplo vel augusto, grandiq; ab alia oratione differunt. Deinde tractatur sacris odis vel carminibus veritas, nihil fingitur, nulla habetur ratio fabularum. Neq; commemorantur illis Deorum bella, adulteria, & laudes vitiorum, sed virtutum & veri Dei, operumq; eius. Quibus accedit, quòd nihil in sacris noxium, turpe, aut fœdum continetur prorsus. Omnia enim casta, honesta, & vtilia sunt. Nihil tribuitur affectui humano, neque delectationi carnali inseruiunt sacri poetæ vel prophetæ.

Threni.

Carmina scripturæ sanctæ.

Continentur autem hoc breui libello beati Ieremiæ Carmina quatuor, & Oratio vna, quæ & ipsa Psalmus vel carmen sacrum videri potest. Comprehenduntur hæc quinq; capitibus. Et quatuor quidem carmina iuxta ordinem literarum Alphabeti sunt conscripta, vt principia versuum incipiant à litera illa, cui adiuncta sunt. Facit hoc Ieremias ad imitationem Dauidis, cuius aliquot Psalmi extant compositi ad hanc rationem. Nec video vllam aliam rationem, quam spectauerint, quàm imbecillitatem humanam, volentes ita iuuare memoriam labilem alioqui, & altius infigere animis, quæ existimarunt esse præstantia & hominibus necessaria.

Carmina scripta ad ordinẽ Alphabeti.

Summa verò & scopus omnium istorum carminum est. Deplorat casum suę gentis & vrbis, adeoq; totius ecclesiæ, cuius pastor fuit per annos circiter 40. Tale itaq; carmen est, quale Dauidis in sacra historia, quo deplorat cladem populi Dei acceptam à Palæstinis in mõtibus Gelboe, in quibus rex Saul vnà cum filijs ceciderat. Seruatur etiam hodie mos in populo, vt bella, clades, & præcipuarum vrbium expugnationes cantilenis consecrentur posteritati. Discant verò carminum sacrorũ exemplo nostri homines, si canere volunt, canere carmi-

Scopus carminum vnus.

na casta, de rebus honestis & vtilibus composita, abstinere autem à carminibus spurcis & inutilibus.

Vsus vel fructus Threnorũ Ieremiæ.

Ac præstat obiter commemorare huius libelli fructum ac vtilitatem. Docet rectè iudicare de Deo eiusq; iudicijs. Licet enim is ad tempus dissimulet, scelera q; hominum derepentè non puniat, sed vindictam in longinquum extrahat, in tempore tamen iustitiæ veritatisq; suæ memor pro meritis punit sceleratos: si
2. cut apparet in vrbe Hierosolymorum. Cernitur in his Carminibus & illud, quis sit exitus impœnitentium hominum, & aspernantium sana consilia vel verbum
3. Domini. Quid item singuli & vniuersi agamus in periculis & calamitatibus, patientes nempe simus, agnoscentes culpam, orantesq; Dominum pro restitutio-
4. ne ecclesiæ & politiæ. Præterea discimus quales in calamitatibus proceres, potissimùm ecclesiarum antistites esse conueniat, moderatos ad instar Ieremiæ pro-

Commiseratio

phetę, qui miseris illis suis hominibus nihil exprobrat planè, dicens, Digni estis, quibus tantæ eueniant calamitates. An non prædixi hæc futura, nisi emendaretis mores vestros? at emendare noluistis: ferte igitur crucem, quam petulanter vestrismet ipsorum humeris imposuistis. Proinde afflictis afflictionem non addit. Prius quidem, dum saluæ essent res illorum, cupiebat prœuenire sanis consilijs iacturam & perniciem tantam: cæterùm cùm præuenire non potuit, condolet iam malo ipsorum, & quantum ipsi dabatur, medicatur malo ipsorum & querimonia & consolationibus. Ita videmus fecisse Mosen & Paulum cum misera & peccatrice plebe: quorum ille se ex libro Dei expungi potius voluit, quàm videre pereuntem populum: hic postulauit anathema fieri pro Israele. Sic decet
5. esse animatos Dei seruos in ecclesia erga miserabilem populum. Obseruandum hic etiam Ieremiam se non excusare aut eximere turbæ nocentium, & conijcere omnem culpam in inobedientes, sed annumerare se quodammodo inobedientibus. Contrà verò fit hodie. Dum enim grande aliquod malum exercet ecclesiam, alij in alios culpam malorum reijciunt, nemo sibi ipsi in sinum inspicit. Inde verò oritur contentio & impatientia, murmur & dissidia. Imitemur magis Ieremiæ exemplum.

6. Habemus in hoc etiam libello exemplum viuum sententiæ illius Paulinæ, Si cuius opus exustum fuerit, damnum patietur, ipse verò saluus fiet, sed tanquam per ignem, nimirum tribulationis. Etenim bonum posuit Ieremias fundamentum, auditores verò lignum & stramen superstruxerunt posito fundamento: veniens autem ignis Babylonicus, ędificium illud leuiculum consumpsit, Ieremias verò nihilominus Dei gratia seruatur, & non perit, licet multi, quos docuerat, perierint: interim igne examinatur, oculisq; suis spectare cogitur quæ doleant, & cor ipsius grauissimè conturbant. Sic sit sæpe vt pereant ecclesiæ, in-
7. columi manente cum veritate syncera doctore fideli. Claret hinc etiam victores non semper bonam habere causam, eò quòd victores sint, & eorum religionem qui vincuntur prauam esse. Vincunt enim Babylonij, vincuntur Iudæi, quorum tamen religio vera erat, Babyloniorum falsa. Vincunt hodie in omnibus propè conflictibus Turcæ, quis verò inde colligat Turcicam religionem præ-
8. stare Christianæ? Est etiam alius huius libelli fructus. Omnes enim cernunt in ipso errare eos toto, quod dici solet, cœlo, qui arbitrantur ecclesiam Dei errare non posse. Erat populus Iudaicus sanctis prognatus parentibus, Dei populus & ecclesia Dei: sed nunquid errauit? Errauit sanè, & ita turpiter vel enormiter, vt eiecta sit in exilium ad ethnicos. Interim manet ecclesia Dei, manente semine in
9. cordibus fidelium. Quòd si ecclesia Dei sic affligitur, quomodo tractandos existimamus hostes ecclesiæ, & qui sunt extra ecclesiam, sicuti & Petrus Apostolus
10. submonuit 1. Pet. 4. cap? Cùm verò querimonia hac sua nihil peccarit contra

Deum

Deum Ieremias, cõsequens est nec nos peccaturos, si moderatè sortem nostram infelicem lugeamus, & vicissim accipiamus consolationem. His omnibus accedit, quod in hoc carmine ostenduntur nobis veræ causæ interitus regnorum omnium, adhibentur item remedia perituris, ne penitus excindantur. Postremò videmus quàm fallax sit hic mundus, & quòd nihil fidendum sit rebus hisce perituris. Omnia enim etiam amplissima & felicissima corruunt tãdem. Qui timet Deum & fidit ei, ambulatq; in vijs eius, is manet in æternum. 11. 12.

CARMEN IEREMIAE

PRIMVM.

PRIMVM carmen continetur capite primo. Sunt autem omnia argumenti eiusdem: de quo paulo antè. Nec est quod operosè laboremus in connectendis versibus. Scimus enim quales sint orationes propheticæ, quas interrumpit affectus, voluuntúrque veluti sursum & deorsum sine ordine, prout animus sibi ipsi ereptus tumultuatur, & nihil certi aut moderati habet.

Septuaginta interpretes huiusmodi principium (quod apud Hebræos non habetur) primo carmini cæterisq; præfigunt. Et factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Hierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flẽs, & planxit lamentatione hac super Hierusalem, & amaro animo suspirans & eiulans dixit.

CAPVT I.

QVomodo sedet vrbs sola (quæ erat aliquando) *populosissima? & quæ erat magna inter gentes, viduæ similis facta est? domina prouinciarum, vectigalis facta est?* א

EXCLAMAT non sine admiratione, & tria ingentia quondam vrbi integræ tribuit bona, quòd scilicet fuerit populosissima, quòd magna inter gentes, & quòd prouinciarum domina. Promittit hæc Dominus obedienti populo Deut. 28. & Leuit. 26. ac præstitit illa omnia Iudæis. Quia verò ingrati fuerunt, & legem Domini spreuerunt, ea de causa contraria eis euenere: quæ ibidem minatus est Dominus. Quæ fuerat populosissima, inquit, facta est solitaria, quæ magna inter gentes fuerat, reddita est vidua: & quæ tributum accepit à prouincijs, facta est vectigalis. Nã qualis fuerit vrbs Hierosolymorũ sub Dauide, colligere licet ex historia sacra. Hinc verò discunt omnes pij, vnde sit felicitas populorum, & vnde infelicitas. Si ergo populosa es vrbs, si domina es, et multis imperitas, si tributa pendis nulla vlli principi, vide etiam atque etiam, ne impietate contemptúue Dei ac verbi eius serua reddaris ac tributaria. Si verò principi pendis tributa & seruis, fideliter seruito, & persoluito quæ debes. Nam ita iussit Dominus. *Præstantissima vrbium.*

VBerrimè plorabit nocte, lachrymæ eius in maxillis eius: non enim est ex omnibus amatoribus eius, qui consoletur eam, quin & amici eius perfidè deficientes ab ea, versi sunt ei in hostes. ב

Subinde antithesi opponit sibi mutuò bona & mala, felicitatem & infelicitatem populi. Fuit Hierusalem petulans, integras etiam noctes sese volutans *Luxuria conuertitur in mœrorem & penuriam.*

in voluptatibus, & diffluens ex saltatione & cachinnis sudore vberrimo. Iam ergo vice versa pernox versatur in lachrymis copiosissimis, quæ ex maxillis defluunt. Compararunt sibi contra verbum Dei socios vel amicos Idumæos, Moabitas, Ægyptios, Ammonitas. His confisi sunt tanquam fidelibus amicis, sperantes ex his auxilia & varia commoda. Cæterùm isti ipsos in mœrore adeò nō consolantur, vt turpiter etiam ab eis deficiant, vertanturq; in hostes, & iam persequantur. Id quod historia Idumæos in primis fecisse testatur. Hoc verò euenit omnibus plus quàm decet fiduciæ collocantibus in homines, hoc est, in carnem & sanguinem. Fidamus ergo Domino soli, ne maledictio nobis obueniat, quam imprecatur Ieremias omnibus ponentibus carnem brachium suum. Et qui voluptatibus operam dant dies atq; noctes, cogitent vices rerum verti, & gaudia iudicio diuino conuerti in mœrorem, luxuriam in penuriam, sicut euenit genti Iudaicæ.

ג *Migrauit Iuda præ afflictione, & præ graui seruitute habitat ipsa inter gentes, requiem non inueniens, omnes persecutores eam inter angustias apprehenderunt.*

Nulla requies. Iuda migrando, inquit, in captiuitatem, afflictionem sentit maximam, habitandoq; inter gentes seruitute premitur grauissima: adeò vt nullam sentiat requiem. Perpetuò enim inter malleū versatur & incudem, & persequutores vel hostes populi Dei comprimunt eum, ceu inter duos parietes, vel inter duas macerias. Id quod aliàs est stare inter sacrum & saxum. In has angustias ipsi sese contruserunt malitia sua: & cum in Deo & studio pietatis habere potuissent requiē, maluerunt studio impietatis & recedendo à Domino, se præcipites dare in omne malum, & in dolores, laboresq; infādos. In solo certè Deo inuenitu. requies. Extra Deum non est stabilis & vera requies.

ד *Viæ Zion lugent, quòd non sint qui ad solennitatem veniant, omnes portæ eius desolatæ sunt, sacerdotes eius ingemiscunt, virgines eius afflictæ sunt, & ipsa agit in amaritudine.*

Iacet neglectus Dei cultus. Habent etiam illa antithesim occultam. Nam ante captiuitatem tritæ & frequentes erant portæ vrbis ob accedentium populorum copiam. Viæ Zionem versus aliquando lætæ & frequentes erant, non tristes aut squalidæ. Nam ex toto regno læti & frequentes congregabantur ad statas ferias: ideoq; & sacerdotes lætabantur & exultabant, virgines erant hilares & iucundæ, tota denique vrbs & regnum vniuersum felix erat. Nunc verò contraria experitur omnia. Id quod peccatis acceptum referre debuerunt meritò. Claret itaq; Deum moderata cōcedere gaudia seruis suis, atq; hos ex religione incolumi gaudere maximè, tristitiam verò & dolores inferre suis cōtemptoribus. Æquissimum enim est, vt qui amaricarunt os Domini, absynthio & felle impleantur toti.

ה *Hostes eius facti sunt in caput, & inimici eius feliciter habent: quia Dominus afflixit eam propter scelerum eius multitudinem, infantes eius captiui ante hostem abacti sunt.*

Hostes facti sunt in caput. Deut. 28. sic dicit propheta, Ponet te Dominus in caput, & non in caudam. erisq; duntaxat supra, neque vnquam eris infra, si audieris præcepta Domini. Iam verò contrarium factum esse dicit Ieremias, eò quod non audierunt præcepta Dei. Est autem loquutio eius linguæ, Fieri in caput, pro eo quod est dominari & præesse. Et cum hostes feliciter habent, & eis omnia succeduntpro voto, dolet hoc ijs, quibus bene esse potuisset, nisi suapte malitia & suo, quod dici solet, iu-

let, iumento malum aduexissent sibi ipsis. Alioqui peccatum est dolere ob alienam felicitatem. Ratio reddi'tur malorum horum omnium. Quia Dominus gentem illam puniuit, non morositate aliqua impulsus, sed multitudine scelerum eius adactus. Spectabilis verò differentia est inter peccantes (omnes enim peccamus & labimur in multis, facileq; à Deo in gratiam recipimur) & inter multiplicantes peccata vel scelera, qui scelerum nullum finem nec modum faciunt. Tales enim vtpote impœnitentes & longanimitatis Dei contemptores, excindit tandem Dominus: sicuti Iudæos tandem excidit. His adiungit aliud non leue malum, Infantes, inquit, ex quibus erat posteritatis spes, ceu greges ante lanium, abacti sunt ante hostes in captiuitatem. Proinde quòd pereunt infantes, & malè tractantur pueri, in culpa sunt parentes viuendo impiè. Licet verò Deus non puniat peccata parentum in filijs, affligit tamen liberos in hoc, vt sit quod vehemẽter angat parentes, & doleat valdè. Interim nullam cõmittit Deus iniustitiam in liberos, quos alioqui liberalibus præmijs donare potest.

Perijt filiæ Zion omnis decor eius, principes eius similes sunt cerui, qui non inueniunt pascua, abeunt ante persequentem absq; vigore.

Fingit Zionem, quod in scripturis est vsitatissimum, fuisse formosissimam aliquando virginem, nunc verò deformem factam, amisisse decorum omnem. Intelligit per decorem varia & ingentia animi & corporis extrapositaq; dona, quibus populum suum ornauerat bonus & liberalis Dominus. Sed dum abuterentur istis donis, iustè ea ab ipsis abstulit: sicuti copiosè exponit Ezechiel in capite 16. Principes comparat ceruis (alij vertunt arietes, sed recidit in idem) & quidem timidis & inopia pabuli marcidis & omni vigore destitutis. Alludit ad historiam. Fame enim confecti, moliebantur fugam, sed comprehensi in itinere, Riblam abducebantur famelici, & nullo cibo recreati, conscindebantur ibidem. Est & in hoc comparatio, quòd quemadmodum oues ante lanium aguntur famelicæ & marcidæ (muchtloß) ita principes agebantur à Nabuzardan & regijs militibus. S. Hieronymus ista exponens, Obsessa Hierusalem, inquit, ab hoste extrinsecus, omnem decorem iucunditatis suæ perdidit intrinsecus, maximè cùm fame & pestilentia laborans, nullius ope sustentabatur: quoniam principes & rectores illius, dissolutis viribus & pauido corde, non defensionem ciuium, sed fugam inertem meditabantur. Et mox idem, Hac etiam sententia arguuntur negligentes rectores ecclesiæ Dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Christiani: cum nec in meditatione legis diuinæ, nec in cultu pietatis, neque in sacrarum virtutum exercitio laborare conantur, sed in luxu voluptatum, per varia scelera, iuxta suggestionem hostis cogentis, abducuntur. Cuius periculi malum, illos maximè respicit, qui in loco regiminis constituti, potius secularia desideria, quàm mandatorum sequi vestigia elegerunt. Vnde cœlestis regni gloriam cum sanctis doctoribus non merentur accipere, sed cum diabolo & angelis eius pœnam gehennæ cogentur recipere. Tantum S. Hieronymus.

Exuitur omni decore Hierusalem.

Antistites religionis puniuntur grauissimè.

Recordata est Hierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis suæ, omniumq; desiderabilium suorum, quibus vsa est retro temporibus: dum cadit populus eius manu hostili, non est qui ferat illi auxilium, contemplantur eam hostes, & rident sabbata eius.

Hoc versu commemorantur grandia mala & ærumnæ populi Dei omnium maximæ. Principiò enim recordatur, non sine doloribus infandis, felicitatis pri-

Dolor ingens de amissis bonis.

ſtinæ, qua vſus eſt retroactis temporibus. Quanto autem maior illa fuit, tantò impenſius dolet, quando iam ablatam eſſe lugemus. Cui accedit præuaricationis aut rebellionis commemoratio, quæ & ipſa cor affligit, quando cogitamus rebus fœdis promeruiſſe nos noſtra infortunia. Rectè enim Apoſtolus, Quem fructum, inquit, habebatis, tum in iſs, de quibus nunc erubeſcitis? Attingitur hic commune malum generis humani. Dum enim felices ſumus, felicitatem præſentem neq; magni facimus, neq; grati Deo pro felicitate ſumus: cæterùm cum felicitate illa excidimus, eius magnis cum animi tormentis recordamur, diuexantes noſmetipſos, & querulantes quòd non rectius agnouimus & grati fuimus. Exempla huius rei ſunt innumera. Habuit enim populus aliquis bonum magiſtratum, concionatores inſignes, libertatem auream, & religionem puram, ſed non agnouit tanta bona, aut de iſs leuiter iudicauit: exuitur itaq; iſs, & ſubijcitur tyrannis & tyrannidi, ſeruitq; iam in fœdis erroribus & ſeruitute turpi: hic recordatur amiſſæ felicitatis & clamat, Quàm verò felices eramus, ſi modò felicitatem retinere potuiſſemus, quam noſtra culpa turpiter amiſimus? Habuiſti item facultates amplas, prodegiſti has luxurioſe viuendo. Habuiſti coniugem commodam, ſed ſpreuiſti eam, ac illa ceu ancilla vili abuſus es: moritur: imperioſam, rebellem, & rixoſam aſſequeris vxorem, tum demùm mortuæ encomia canis. Fuiſti incolumi & robuſta ſanitate, afflixiſti hanc tua intemperantia, vexaris iam morbis, hic tandem agnoſcis vnde excideris. Diſcamus omnes, dum adhuc felices ſunt res noſtræ, grati eſſe Deo, agnoſcere felicitatem, conariq; modis omnibus ne illam amittamus noſtra culpa malitia & inertia.

Nemo auxiliatur.

Aliud malum attingitur, Incidit populus in manum hoſtilem, & nemo eſt qui laboranti ferat auxilium. Auxiliatorem enim vnicum & verum contempſit & repulit, dignus eſt itaq; qui ſub onere ſuccumbat, & in manu hoſtili conficiatur. Cogitemus hæc in tempore, dum ſaluæ ſunt adhuc res noſtræ. Contemplantur hæc hoſtes ſiue inſpiciunt miſeriam hanc, nimirum magna cum lætitia & cachinnis ſublatis. Et quod omnium eſt grauiſsimum pijs, ridẽt hoſtes ethnici ſabbata quoq;. Per ſabbatum intelligit religionem in vniuerſum omnem. Nam in Pſalmis ſancti hoc in primis cõqueruntur, vt Pſal. 78. & 136. **Cantate** nobis canticum aliquod veſtrum ex canticis Zion. Dolet hoc pijs mentibus amplius, quã quiſquam explicare poſsit. Ludibria paria ſenſit in cruce Dominus noſter, ſicut commemorat S. Matth. in cap. 27. Ideò verò non ſequitur, religionem, impiorum expoſitam ludibrio, falſam eſſe: quod tum colligunt inde impij, quaſi Deus ludibria illa impunita non eſſet præteriturus, ſi vera eſſet religio, quæ irridetur. Id quod cõmemoro, ne quis hodie, dum ſimilia videt exerceri in eccleſia, offendatur, & de veritate ſynceræ religionis dubitet.

Peccando peccauit Hieruſalem, ideò in commotionem venit: omnes qui eam honore proſequuti ſunt, vilem habuerunt eam, quia viderunt fœditatem eius, quin ipſa quoque ingemuit & retroceſſit.

ה

Peccandi aſſuetudo.

Peccando peccauit, loquutione linguæ ſacræ tantum dixit, quantum ſi dixiſſet, Abſque fine & modo peccauit. Nos dicimus, **hat nüt dann gſündet vnd geſündet.** Tribuit ei perpetuum abſque omni reſipiſcentia peccandi ſtudium. Sic antea dixit ipſos non tantùm peccauiſſe, ſed peccata multiplicaſſe. Grauius eſt hoc quàm peccare: vt ſuperius eſt dictum. Ideò, inquit, datus eſt populus in commotionem. Id quod (vt Scholiaſtes annotauit) intelligunt quidam eam abductam eſſe in captiuitatem & inſtabilem factam. Alij, quòd ludibrio gentibus facta ſit. Id quod ſignificãt per cõmotionem capitis, **zum vermupffen.**

Alij

Alij exponunt, quòd immunda sit facta, & veluti separata & eiecta, vt fœmina quæ menses patitur. Sensus semper recidit in idem. Addit, Qui illam aliquando prosequuti sunt honore, nunc contemnunt, vt vilissimam. Proinde constat honorem & ignominiam à Deo concedi, pro ratione obedientiæ, pietatisq́, aut inobedientiæ & impietatis. Alibi scriptura inducit Deum pronunciantem, Honorantes me honorabo, & ignominia me afficientes, afficiam ignominia. Causa contemptionis subnectitur, quia turpitudinem siue fœditatem tuam (nimirum membrum illud pudendum) viderunt. Loquitur paulò obscœnius de causa verba faciens impura, & tamen citra peccatum. Videndum sacris interpretibus, vt hęc coràm populo honestè interpretentur, ne qui scandalizẽtur. Quid verò pudendum magis, quàm si inspiciantur mulieri quæ maximè tecta esse oportet? Intelligit ergo propheta, in lucem prolata esse scelera populi, quæ maximè latere voluit, & vnde maximè confundi potuit. Ideoq́ ingemuit tandem, in pudore & confusione, qui nunquam ob peccata ingemiscere voluit. Accedit his, quòd in omnibus retrocedit, id est, quòd omnia, quæ instituit, infeliciter currunt. Nos dicimus, Es gadt jren alles hinderſich. Nulla sentitur fortuna: omnia eius sunt infortunata. Huc scilicet recidunt res populo, apud quem nihil vnquam potuit fidelis admonitio verbi Dei. Caueamus itaq́ nobis.

Immunditia eius in fimbrijs eius, non fuit recordata nouissimi sui, & miraculosè descendit non est qui consoletur eam. Vide Domine afflictionem meam, quoniam iactauit se hostis. ט

Taxat impudentiam, & quod palàm iactarunt perpetrata scelera. Perinde faciunt, ait, vt solent mulieres non abluentes ex vestibus immunditiam, sed in fimbrijs hærentem quasi ostentant. Ita inuenias hodie etiam iactantes sua adulteria, & cædes suas. Sed propheta alibi dicit, Quid gloriaris in malitia? &c. Vitium est omnium deterrimum: sed nimis vulgare multis. Nam qui peccarunt, de commissis peccatis dolere, non gloriari debent. Accusat etiam gentis vrbisq́ incogitantiam. Nunquam cogitarunt qualem tandem finem hæc essent sortitura. Et quidem in omnibus cùm dictis tum factis respicere ad finem saluberrimum est. Non meminisse finis, caussa multis fuit & scelerum maximorum & exitij. Nos solemus dicere, Nit gedäncken was zů letſten drus wirdt/ vil ſchand/ ſünd/ ſchad vnd übels gebirt. Ideoq́ cum nemo putasset, interijt cum populo vrbs & regnum. Id est, quod dixit, Miraculosè descendit, Jſt wunderbarlich vndergangen. Mirabilis enim fuit omnibus interitus vrbis & gentis, scientibus qualis aliquando fuerit, & qualis modò sit. In omnibus autem calamitatibus nemo fuit, qui ipsam sit consolatus. Remouit enim ab ea Dominus omne solatium, adobruit omni mœstitia. Porrò docet quid in tantis agat calamitatibus, inuocet Dominum. Præit autem orandi formula, & ostendit quomodo Deus inuocandus sit, Cum nemo sit qui consoletur nos, tu Domine, qui es refugium & consolator afflictorum inuocantium te, respice nos, & vide quæ & quanta patiamur. Quòd si indigni videmur quos exaudias, saltem audito & obseruato quæ faciant hostes nostri. Horum enim insolentia impia & iactatio magnifica, contra te & gloriam tuam, & contra verbum tuum tendit. Videri enim volunt vicisse te, & verbum tuum prostrauisse conculcauisseq́ religionem tuam. Huius generis precationum formulæ plures in Psalmis inueniuntur. Discimus ex istis omnes, in omnibus nostris afflictionibus ad vnicum patrem miserorum Deum esse clamandum.

Gloriari in malo.

Respicere finẽ.

Quid faciamus in calamitatibus maximis.

Manum suam extendit hostis ad omnia expetibilia eius, etenim ipsa coacta est ט

videre gentes ingredi in sanctuarium eius : de quibus interdixeras, ne ingrederentur in congregationem tuam.

Direptum & violatum vel prophanatum templum.

Queritur maximè templum esse spoliatum atque direptum, hostesq; in ipsa vsque adyta templi penetrasse. Licet enim in regia & priuatis domibus multæ fuissent res pretiosæ & expetibiles (κλεινοτερ) quæ venerunt in potestatem hostis, in templo tamen omnium præstantissima fuerunt, non tam precio quàm existimatione, clenodia. Arcuit autem gentes à templo suo Dominus Deutero. 23 & alibi. Ac diligenter eam legem obseruatã esse testatur 21. cap. Act. Apostolicorum, vbi Paulus veluti profanationis templi accusatur, quòd in ipsum videretur induxisse gentes. Cauere docemur, ne corpora nostra, quæ sunt sancti spiritus templa, profanemus sceleribus.

1. Cor. 3.

ב

Omnis populus eius cum gemitu cibum quærebat, expendebat quisque expetibilia sua pro cibo ad retinendam animam. Vide Domine, & intuere quàm vilis facta sim.

Famet.

Attingit & deplangit famem, qua miserè in obsidione sunt afflicti. Hanc futuram prædixerat sæpe Ieremias: & sicut prædixerat, ita iam euenerat: id quod nunc deplorat. Dixi autem aliâs, Dominum varias ob causas immittere famem, maximè verò propter has. Abutitur populus aliquis Dei donis per luxum: itaque inopia & egestate luxum punit Dominus: sicuti claret ex minis, Isaiæ 5. cap. recitatis. Opponunt se rebelles prædicationi verbi Dei, & miseros mortales edictis tyrannicis spoliant pane cœlesti: eam ob rem eripit eis Dominus iustus etiam panem terrenum. Aliquando etiam cœlestem ijs subducit: sicut minatus est Amos 8. Sunt qui pluris faciant aurum & argentum quàm fructus terræ, & prius nimium venerantur illa, tollit ergo panem & fruges Dominus, vt ostendat præstantiam harum, & redarguat stultitiam auarorum hominum, quos aurum & argentum pascere non potest. Imò coguntur in caritate & inopia rerum expetibilia illa sua expendere pro cibo. Tandem conuertitur propheta ad Dominum, cuius misericordiam in fame implorat, dicens: Vide Domine, &c. Docet autem nos in fame & alijs calamitatibus rectà recurrere ad Deum, & huius implorare auxilium. Solus enim succurrere potest miseris atque afflictis. De hac re paulò copiosius disserit Dauid Psal. 107.

ה

Ne ad vos, Omnes qui præteritis viam, contemplamini & videte, num sit, quem dolor ita vindemiet vt me, quo me afflixit Dominus in die furoris iræ suæ.

Malum exemplo carens.

Magnitudine acerbitateq; malorum velut oppressus, & in stuporem conuersus, exclamat, Oro Dominum Deum nostrum, ne ad vos videlicet, qui hæc auditis & legitis, vnquam veniat calamitas tanta. Fortè vrbem istam sic loquentem inducit. Variè autem principium huius versus redditum est ab interpretibus. Alij enim legunt, Ne sit vobis transeuntibus graue inspicere, &c. Alij legunt, Nihil ne ad vos pertinere putatis, quod euenit nobis? Alij legunt, Vtinam ad vos: id est, vtinam noster casus ita vos erudiat, vt simili miseria non vexemini. Alij aliter: sed iudicium sit penes Lectorem. Amplificat hic versus doloris acerbitatem, & dicitur apertè, quòd malum ipsorum careat exemplo: vel quòd nulla vnquam gens tanta sit perpessa, quanta ipsi nunc experiantur. Nam solet nonnihil consolari afflictos, si intelligant se non solos esse miseros, & alios aliquando similia esse expertos. Vindemiet autem Emphasi quadam dixit. Vindemiantes enim accuratè quærunt, & botros resecant. Germanicè vertere poteras, ob yemandts schmertzen so gnauw vnd nach süche als mir/ꝛc.

Requisi-

Requisiuerat iam diu fructus suaues ex vinea sua Dominus: at coloni negarũt: digni erant itaq́, in quo diligentissimè inquireretur ab hostibus, quíq́ infandis excruciarentur doloribus. Denicq́ totum hoc quod patiebantur, referunt ad authorem Deum, qui succensus ira, iusto iudicio puniuit incurabiles. Interim cùm omnes transeuntes hortatur ad contemplandum doloris magnitudinem & acerbitatem, optatq́ ne ipsi experiantur paria, ostendit vtiq́ verum historiarum & calamitatum vsum vel fructum ac scopum, vt alienis malis admoniti sapiamus rectius. Sic docuit etiam Asaph in Psal. 78.

De excelso misit ignem in ossa mea, & desæuijt in ea: extendit rete pedibus meis, supinum dedit me retrorsum, desolatam reddidit me, ac tota die mœrentem. 15

Significantius exprimit vnde malum in ipsos sit deriuatum, è cœlis vtique à Deo iudice iusto. Comparat autem malum aut calamitatem vrbis & gentis igni & feruori æstuanti in ossibus. Qua re nihil est grauius, acerbius, & intolerabilius. Et quæ animum affligunt, duriora sunt ijs, quæ corpus torquent. Ita quæ partes duriores corporis afficiunt, acerbius afficiunt. Ideoq́ Deus in lege sua Deut. 28. minatur se non modò afflicturum carnem inobsequentium, sed animos etiam. Comparat item Deum venatori expandenti retia sua ad capiendas feras. Vita humana cursus quidam est, & homines feroces ac disciplinam odientes conferuntur belluis ac feris efferis ac in cursum effusis. Propheta in Psalmis dicit, Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, &c. Deus ergo ferocibus & lasciuientibus expandit rete iudicij sui, & captos agit retrorsum supinos, wirfft ſy zů rugꝛ/atque ita in ordinem redigit insolentes. Sic compescuerat vrbis insolentiam bello, fame, & omnigenis calamitatibus, quæ retia sunt Domini. Præterea desolatam, inquit, reddidit me, ac ideò tota die mœrentem. Audiuimus enim Hierosolymam vnà cum vniuerso regno laceratã & redactam in desertum. Quę sanè amplissima fuit materia lugendi. Sequitur autem desolatio & luctus perpetuus vitam insolentem & impiam, manum medicam respuentem. Caueamus ergo, ne experiamur paria.

Ignis è cœlo ossibus immissus.

Impressum est iugum præuaricationum mearum manu eius, implexæ ascenderunt super collum meum, deiecit robur meum, tradidit me Dominus in manus, è quibus non potero surgere. 1

Ostendit peccata omnium malorum verissimas fuisse & esse causas. Imponit Dominus iugum disciplinæ verbi vel legis suæ in ceruices hominum. Et hoc iugum commodum est & leue, sicut ipsa in Euangelio veritas attestatur. Cæterùm homines malitia deprauati reijciunt à se iugum hoc, & volunt sine iugo, hoc est, filij Belial exultare in omnibus sceleribus: hic ergo adest Dominus iudex iustus, & manu sua imprimit iugum seruitutis & miseriæ incommodum & durum in ceruices præuaricantium. Atque hoc iugum fortiter inhæret in collo peccatorum, vt facilè auelli & abijci non possit, sicuti auulsum & abiectum est iugum mandatorum Domini. Est enim omnipotenti manu vel potentia Dei impositum præuaricantibus, cuius robori nemo mortalium resistere potest. Ergo per interpretationem subiungit, Deiecit robur meum: id est, eripuit mihi omnem virtutem vel fortitudinem: vnde Babylonijs resistere non potui. Sic inquam, traditus sum in manus grauissimorum potentissimorumq́ hostium, ex quibus eluctari non possum. Discat hinc vniuersus mundus reuereri Deum, non spernere mandata eius, ne ille iratus nobis spoliet nos omni sapientia & robore, tradatq́ hostibus, quibus resistere non possimus. Omnis certè virtus &

Iugum Domini.

potentia à Domino est. Germanicè verò principiũ huius versus sic verti poterat, das joch miner vberträttung ist von siner hand geflochten/vnnd hert vff min halß geleit/&c.

ד *Conculcauit Dominus omnes magnificos meos in medio mei, indixit in me ad conterendum electos iuuenes meos, tanquam torculari preßit Dominus virginem filiam Iuda.*

Qui capita esse nolunt, conculcantur pedibus.

Tria dicit. Principiò, conculcatos esse omnes proceres, nimirum sacerdotes, & principes regni. Noluerunt esse capita, sed maluerunt se miscere cum puluere, & immergere se luto scelerum: digniſsimi itaque iudicati sunt à Deo, qui conculcentur pedibus. Quod & factum est. Obseruent hæc viri principes, & conseruent honorem suum ac authoritatem, ne dum polluunt se sceleribus, & volunt esse honorati, conculcentur pedibus hostium suorum tanquam ignominioſi. Deinde, Indixit, inquit, ferias, nimirum ad mactandum electos meos iuuenes. Indixerat Deus ferias, in quibus cultum suum exerceri voluit, & feriari suos à sceleribus: isti verò ferias sacras conuerterunt in materiam flagitiorum, polluerunt́ festos dies Domini, dum abominanda quęlibet in his designarunt impudentiſsimè: vnde Deus iusto iudicio indixit pro feriis mactationem, non hostiarum sacrarum, sed hominum nefandiſsimorum. 3. Redundat autem hoc malum non ad iuuenes, sed etiam ad virgines: quas Dominus veluti torculari quodam preſsit, id est afflictione & anguſtia omnium acerbiſsima afflixit. Proinde videant iuuenes cum virginibus, & cum ipsis etiam senioribus & principibus, ne polluendo ferias Domini, à Domino pœnis subiiciantur grauiſsimis diuexandi. S. Hieronymus ex occasione torcularis de Christo redemptore hæc commentatur, Solus ipse calcauit torcular, nulluḿ habuit adiutorem. Neque enim angeli aut archangeli, throni, dominationes, aut vlla cœlestium potestatum humanum corpus induit, & pro nobis passa est, & calcauit aduersarias potestates, atque contriuit: sed ille solus, qui loquitur in Psalmo, Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus: in tantùm quòd etiam confidentiſsimus, & in fide firmiſsimus Apostolus Petrus timore perterritus fugeret, imò Dominum negaret, &c.

Solus Christus torcular calcauit.

ה *Horum causa ego ploro, oculus meus, oculus inquam meus deſtillat aquas: quoniam longè est à me consolator, qui restituat animam meam: filij mei desolati sunt, quia prævaluit hostis.*

Quare propheta ploret.

Dicit se plorare ob calamitates istas omnes. Nam pastoris est dolere & lugere de gregis sibi commiſsi interitu aut pernicie. Non luget autem aut plorat, vt suo fletu alios homines ad commiseratione aut inanes commoueat lachrymas: sed vt vniuersæ posteritati pœnitentiam commendet, vt́ hæc in tempore ploret, & plangat peccata commiſsa, ne recedens Deus ab ea, relinquat ei miseriam. Dicit enim se ideò plorare tantopere, quòd nullus ei amplius sit consolator, qui restituat animam, id est consolatione deiectum erigat animum. Filios nuncupat eos, quos docuerat, sicut & Paulus 1. Corinth. 4. & Galat. 4. Desolatos vocat omni consolatione & auxilio destitutos, & in manus hostis traditos, qui iam prævaluit penitus, vt victis nihil superſit, niſi dolor.

ו *Cùm expanderet Zion manus suas, non erat ei consolator: mandauit Dominus aduersum Iacob hostibus eius per circuitum eius, factaq́ est Hierusalem in abominationem inter eos.*

Nemo auxilium fert.

Fingit Hieroſolymam & vniuersi regni Iudaici populum extendere manus (qui gestus est circunuentorum periculis & auxilium liberationeḿ petentium)

tium) ſed neminem ſuppetias tuliſſe. Rationem huius mali reddit. Dominus enim hoſtium per circuitum exercitibus mandauit, ne parcerent vel vrbi vel regno, ſed abſq; miſericordia inuaderent, atque ſolo æquarent. Minatus eſt enim non ſemel Dominus ſe non miſeraturum illorum, qui expandenti manus Domino, & vocanti non obſequantur ac veniant, ſed refugiant ab ipſo. Non audiam tunc quoq; clamantes vos, inquit, qui clamantem me nunc audire non vultis. Ita Hieruſalē facta eſt contemptiſſima abominabiliſq; inter hoſtes, inſtar mulieris menſtruatæ, ſicuti interpretatus eſt S. Hieronymus. Alij verterunt, Ad commotionem inter eos, vel in contemptum & deriſum. Videmus itaq; Dominum Deum noſtrum gratiam concedere hominibus: qua ſubtracta exoriuntur odia grauiſſima, & inimicitiæ, & contemptio extrema. Sunt enim hominum corda in manu Domini, qui ipſa pro ſuo iudicio commouet, & huc atque illuc impelit.

Iuſtus eſt Dominus: quia os eius exacerbaui. Audite quæſo omnes populi, & videte dolorem meum: virgines meæ & electi mei iuuenes abierunt in captiuitatem. ע

Occurrit his obiectioni. Dicat enim aliquis, Ergo ne querimonia tua accuſas Deum iniuſtitiæ & crudelitatis? Præoccupat enim hoc & ait, Minimè iſta eſt mea ſententia. Nam Deus iuſtus eſt in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. In me (loquitur autem in perſona totius populi) culpa omnis mali huius hæret. Ego enim exacerbaui os Domini. Similis extat confeſſio, ſed copioſior, apud Danielem cap. 9. denique & apud Eſdram. Diſcamus hinc in ſuppliciis & calamitatibus modeſtè loqui de iudicijs Dei, Deo non obmurmurare, quaſi puniens nos, iniuria nos afficiat. Quod tamen multi non obſcurè in tormentis effutiunt. Deus enim iuſtus eſt, & æquiſſima ſunt eius iudicia: ex nobis eſt omne malum, & nos commouemus Dominum ad iram, vt puniat nos. Os more humano attribuitur Deo: ſed reuera os Dei eſt reuelatio voluntatis Dei, & denuncia-tio verbi ipſius. Loquitur is nobis per prophetas veluti pater, & ſuauia promittit tractabilibus. Si ergo ſimus intractabiles, commouemus Deum, vt iam dura & amara loquatur nobis, mineturq; interitum, denique & perdat. Sic verò amaricant homines os Domini. Ergo cum obmurmuramus prophetarum ſermonibus, amaricamus os Domini, id eſt Deū prouocamus ad amaritudinem, vt amara nobis loquatur & faciat. Porrò euocat omnes populos ad huius ſpectaculi contemplationem, applicans exemplum hoc populi Iudaici omnibus per orbem & per omnia ſecula gentibus, hortatur autem vt contemplando dolorem cōceptum ex captiuitate etiam innocuæ ætatis, virginum inquam & iuuenum, diſcant iuſtitiam & rectius ſapere ex alieno malo. In hunc vſum debemus applicare omnes hiſtorias veterum.

Deus iuſtus eſt nos ſumus iniuſti.

Os Dei exacerbare.

Clamaui ad amatores meos: at illi fefellerunt me, (ad) ſacerdotes meos & ſeniores meos, at hi in vrbe expirarunt, quando quæſierunt ſibi panem vt retinerent vitam ſuam. ד

Loquens ſub perſona populi Hieroſolymitani, dicit omnes eos fefelliſſe (das ſy gefält habind) quibus fuit confiſa. Irato enim & puniente Domino, nullibi vlla affulgent auxilia, & ſi quæ ſint, nihil poſſunt, nihil proficiunt. Ac ſtulti ſunt homines tantoperè confidentes creaturis, & negligentes in gratiam redire cum creatore, & ab hoc vno pendere. In periculis enim nihil eſt vnde ſalutem ſperare poſſimus, ex omnibus quæ in mundo ſunt, ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia. Vocauit Hieruſalem in obſidione & in extremo diſcrimine amatores ſuos in auxilium: ſed illi fefellerūt. Per amatores principiò intelligit patronos illos cœlites,

Fallunt amici in periculis.

deos alienos, deinde cõfœderatos, vt Ægyptios, Moabitas, & alios, quibus fidebãt plurimùm. Cæterùm fruſtra ſperatur in diuos cum aduerſus eſt nobis Deus: fruſtra ſperamus in fœderatos, cum violamus fœdus diuinum. Sacerdotes creduntur hoſtijs & interceſſione apud Dominum lenire mala populi: & ſenatores ſubleuare ſua prudentia & authoritate mala vulgi: cæterùm inuocauit in obſidione & horum patrocinium populus ſtultus & impœnitens: adeò verò nihil ſenſit auxilij, vt ipſi potius ſacerdotes & ſeniores ſibi ipſis nihil auxilij ferre potuerint, ſed interierint potius fame. Proinde veriſſimè dixit Ieremias in capite decimo ſeptimo, Maledictus omnis qui confidit in hominem, & ponit carnem brachium ſuum.

ו *Vide Domine, quoniam affligor, viſcera mea conturbata ſunt, ſubuerſum eſt cor meum intra me: quia contumaciter rebellaui: foris orbat me gladius, intus quaſi mors ipſa.*

Recurrẽdũ eſt ad Dominum.

Cum omnia paſſim ſint deſperata, nec vllum aliunde affulgeat vel cõſilium vel auxilium, conuertitur tandem ad ipſum Dominum, & ſe illi commendat. Suo autem nos exemplo docet, quid nos etiam in rebus deſperatis faciamus, nempe conuertamur ad Dominum, cuius imploremus auxilium, aperientes ei candidè cordis noſtri receſſus atque dolores. Dicit ergo Ieremias ſe circa pectus & cor ipſum maximas ſentire anguſtias, ipſum inquam cor perturbatum eſſe, atq; adeò ſubuerſum in ipſo. Confitetur autem in medijs his querelis peccatum ſuum & populi. Quia amaricando amaricaui, id eſt vehementiſſimè ſceleribus ſuis prouocauit te populus. Semper enim Deo peccata ingenuè ſunt confitenda. Sine libera peccatorum confeſſione nulla nobis peccata condonantur: ſicuti & Ioannes docuit 1. Ioan. 2. Propter peccata verò commiſſa, foris erant bella & obſidio, domi vel intus fames & mors, adeoq; mortis vbiq; apparebat imago. Atq; hic eſt miſerabilis ſtatus pœnitentiam reſpuentium.

ט *Audierunt me gementem, ſed non eſt qui conſoletur me: omnes hoſtes audita calamitate mea lætati ſunt: quoniam tu feciſti, adduxiſti diem quem indixiſti: ſed erunt ſicut ego.*

Non modò malis non condolent, ſed propter ipſa lætantur.

Iterum queritur neminem eſſe qui conſoletur, Audierunt quidem hoſtes gemitum, inquit, ſed nihil affecti ſunt mea miſeria, nihil me conſolati ſunt: quin imò lætati ſunt de mea miſeria, & inſolenter inſultarunt mihi. Dolet autem hoc ita, vt nihil magis, ſi miſeriæ noſtræ nemo non modò non condoleat, ſed gaudeant potius & exultent omnes. Quod ſequitur, Quoniam tu feciſti, legunt alij, Quòd tu feceris & induxeris diem, &c. id eſt lætantur quòd ſic punieris nos, ſicuti prædixiſti & minatus es per prophetas te nos puniturum. Pertinet autem hoc ipſum ad ſingularem conſolationem, ſi referamus calamitates noſtras non ad cauſas ſecundas, ſed ad primam cauſam, Deum. Dum enim ad homines duntaxat referimus, odio incendimur magis atque magis, & indignamur contra eos, quos authores mali noſtri exiſtimamus. Cæterùm ſi cogitauerimus homines ſine Dei voluntate vel permiſſione nihil potuiſſe: & Deum gubernare omnia, & quidem iuſtè & ſanctè, ſubijcimus nos eius dominationi benignè et patienter, agnoſcentes Deum eſſe iuſtum in omnibus ſuis operibus. Ita fecit Iob, qui cum non ignoraret milites Chaldæos diripuiſſe omnes eius facultates, damnum tamen omne refert ad Deum, & ait, Dominus dedit, Dominus abſtulit. Inde oriuntur veræ patientiæ & tranquillitatis fontes. Quandiu reſpicis homines duntaxat, iraſceris illis, & de ſorte tua impatienter conquereris. Ideoq; dixit Ieremias, Tu illa ô Domine feciſti nobis, tu adduxiſti tandem diem iudicij, quem te ad-

Fons veræ conſolationis & tranquillitatis.

te adducturum per prophetas minatus es. Sæpe aliàs dixi diem vsurpari prò tempore destinato pœnæ & supplicio, & pro iudicio. Addit tamen ad finẽ versus, Sed erunthostes sicut ego, id est eadẽ illis sors obtinget, quę iã nobis obtigit. Veniet enim dies iudicij contra Babylonios, sicuti modò contra nos venit. Ac venisse omninò testatur historia sacra, & Daniel in cap. 5.

Veniet omne malum eorum in conspectum tuum, vt vindemies eos sicut me vindemiasti, propter omnes transgressiones meas: quoniam multi sunt gemitus mei, & cor meum mœret. ת

Quoniam dixerat, Sed erunt mei similes, copiosius hoc ipsum exponit. In conspectu Dei semper quidem sunt præsentia omnia hominum quæ facta sunt, fiunt, atq; futura sunt. Dicitur ergo Deus facta hominum reuocare sub conspectum suum, aut reminisci ipsorum, quando tempore concesso pœnitentiæ exacto, statuit punire peccata & euertere impœnitentes. Ieremias ergo prædicit futurum tempus, quo Dominus Babyloniorum peccata sit iudicaturus & punitu rus, perinde vt nunc sub iudicium & gladiũ reuocauit Hierosolymitanos. Vindemiandi verò vocabulo vsus est, quòd vindemiantes multa diligentia botros quæsitos resecent, nec quicquam residuum relinquant. Monet in præsenti Hieronymus non tam imprecationem quàm vaticinium aut prædictionem esse, quod dixit Ieremias, Veniat vel ingrediatur (sic enim reddidit) omne malum eorum, &c. Postremò obtestando quantus sit eius populiq; afflicti dolor, supplicat misericordiæ Dei, ac ei sese commendat. Hæc breuia habui in Elegiam primam.

Puniuntur tandem & illi, qui puniuerunt populũ Domini.

Vindemiare.

CARMEN IEREMIAE SECVNDVM.

ELEGIA Ieremiæ secunda, alphabeto & capite secundo comprehenditur. Insistens autem eidem argumento vates, deplorat interitum ecclesiæ & Reipub. vel regni florentissimi, commemoratq; iudicium in primis Dei seuerum, sed tamẽ iustum: infelicitatem item doloremq; populi sui, sed & hostium insolentiam & blasphemias exagitat. Porrò finis vniuersæ huius tractationis est, vt ex iudicio Dei iusto & ex illa dissipatione populi Dei, discant omnes homines reuereri Deum, audire, & non aspernari verbum Domini, & officium quisq; suum facere. Omnia enim ista ad nos quoque pertinere, ipsa docere poterit applicatio. Errãt enim, qui ista arbitrantur planè esse Iudaica, & nihil prorsus ad nos pertinere. Secus enim iudicauit Apostolus ad Rom. 15. & in 1. ad Corinth. 10. cap.

Scopus & argumentum Carminis.

CAPVT II.

QVomodo obscurauit Dominus in ira sua filiam Zion? cælo deiecit in terram decorem Israelis, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die iræ suæ. א

PER admirationem doloribus implicatam, Quomodo, inquit, formosissimæ filiæ Zion, veluti nubem & tenebras offudit Dominus, vt iam appareat prorsus deformissima, quæ diuina bonitate aliquando formosissima fuit? Serenitas alioqui & forma liberalis in scriptura significat felicitatẽ, nubilum cœlum refert mœrores & infortunia. Ira quomodo tribuatur Deo, expositũ est ab alijs operosius. Certè nulla est in Deo ira talis, qualis est in homini-

Deformatur qui non vult reformari.

bus tribuitur tamẽ ipsi anthropopathωs, ac significatur Deo displicere malum, quod & puniat. Decus verò Israelis est quicquid egregium in bonis internis & externis habuit à Deo Israel, in primis honor & gloria. Decorem hunc è cœlo in terram deiecisse dicitur Deus, tropo vulgari, quo Capernaum legitur in Euangelio in cœlum exaltata præcipitanda verò ad inferos, nimirum extrema afficienda ignominia, & adoperienda malis omnigenis. Scabellum autem pedum Dei cognominatur Hierusalem, quòd ibi videretur locus esse quietis, in quo Deus habitaret, in templo nimirum: non quòd illic alligatus esset, qui vbiq; est, & omnia administrat & conseruat, sed quòd promissionibus suis declarasset ibi se singulariter & propitium inuocantibus exhibiturum. Sicut claret ex oratione Solomonis, quæ habetur in 3. lib. Regum cap. 8. At non meminit Hierosolymorum, neq; respexit ipsum templum, locum habitationis suæ, sed cum deprauati essent & incurabiles, iratus ipsis, deleuit templum vnà cum vrbe. Hoc futurum prædixerat Ieremias in cap. 7. sed non crediderant, nunc ergo experiebantur. Nemo itaq; pollicetur sibi impunitatem scelerum, propter templa excelsa, & cultum externum. Nihil enim profuerunt illa omnia Christianis, licet magnifica in Oriente & Græcia extarent. Omnia enim sunt destructa ac subiugata à Turcis, idq; propter peccata enormia.

Scabellum pedum Dei Hierosolyma.

ב *Disturbauit Dominus absq; miseratione omnia tabernacula Iacob, diruit in ira sua munitiones filiæ Iuda, deiecit vsque ad terram, prophanauit regnum eius & principes eius.*

Diruit amœnissima & robustissima quæq; Dominus.

Significantius iam dicit non ecclesiã solam, sed Rempub. quoq; vel regnum miserè esse conuulsum. Omnia verò hæc Deo tribuuntur authori, non fortunæ, non stellis aut figuræ cœli. Neq; verò tantum potuissent Babylonij in vrbem sanctam, nisi voluisset Deus, iudex vtiq; iustus, qui ita puniuit peccata ipsorum. Tabernacula appellauit oppida, & ipsam vrbem Hierosolymorum, propter soli amœnitatem & fertilitatem. Tabernacula enim constituunt aut erigunt pastores in amœnis pratis aut pascuis. Omnia verò amœna & splendida illa ædificia diruit Dominus absq; vlla commiseratione, qua vtiq; erant indigni, quippe cum toties spreuerant oblatam, per propheras, à Deo gratiam. Meminerint huius Christiani quoq;, ne & ipsi perdantur absq; misericordia. Sed & munitiones, turres, valla, aggeres, muri, & quicquid pertinebat ad defensionem populi, deiecit & solo æquauit (vff den grund abgeschlissen) Dominus. His frustra confisi & nixi fuerant. Ne ergo fidamus hodie quoq; vllis munitionibus. Nam tempore iræ diuinæ diffluunt illa omnia instar niuis. Præterea prophanauit Deus regnum & principes. Sanctificauit fauore suo regnum & principes, dum sibi hos consecrauit, & in suam tutelam recepit. Cùm verò contemnerent Deum, profanauit & regnum & principes, id est, non amplius pro suis agnouit, neque defendit vt suos, sed reliquit eos, atq; adeò permisit ipsos omnium libidini & iniurijs. Proinde donec sancti sumus, pro suis agnoscit nos Deus: quãdo verò polluimus nos omni immunditia, profanat nos Deus deserendo, nec defendendo nos, sed tradendo in manus aduersariorum nostrorum. Ita etiam principibus authoritatem conciliat apud plebem, profanos autem & contemptos reddit, cùm illi contemnunt Deum, & se contemptibiles faciunt leuitate, libidine & sceleribus.

Prophanat Deus regnum & principes.

Autoritas.

ג *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israelis, retraxit retrorsum dexteram suam à facie hostis, & exarsit in Iacob velut ignis, flamma circunquaq; deuorante.*

Cornu.

Copiosius exponit quomodo conuulsum sit regnũ, miserèq; perierit. Cornu in scri-

In scripturis variè vsurpatur, ferè tamen pro robore, potentia & defensione: petita à bubus metaphora, qui robur habent in cornibus, & his sese defendũt. Confregit ergo vel contriuit Dominus omne cornu Israelis, id est omne quod robustũ & præstans fuit, quóue defendi potuit. Hoc ipsum etiam alia dicendi forma exponit, Retraxit dexterã suam retrorsum à facie hostis, id est, dũ appropinquaret hostis, & iam esset in conspectu, Dominus auxilium, assertionem vel defensionem, cùm maximè necessariũ fuit, retraxit vel abstulit à nobis, nec iuuit nos. Quid itaq; factum? Illo non iuuante, perijmus toti. Nam velut incendium inextinguibile nos corripuit & absumpsit, vt nihil remanserit à vi ignis integrum. Docet hic versus, omne robur militare, omnem defensionem non ex nostris esse viribus, sed ex diuino auxilio. Vnde Psalmi testantur Deum conferre in bello vires, ipsum instituere firmareq; manus ad prælium. Corruimus, inquit Dei populus, quia non es egressus cum exercitibus nostris. Breuiter retrahente Domino manum suam, corruunt omnia, ac pereunt. Timeamus ergo Deum, & supplicemus illi perpetuis precibus, & seruabit nos.

Vires in bello confert Deus.

Tetendit arcum suum quasi hostis, constituta est dextra eius instar inimici, & perdidit omnia, quæ oculis erant expetibilia, in tabernaculo filiæ Zion effudit sicut ignem iram suam.

Pergit commemorare quomodo Deus se non adiutorem & socium, sed hostem populo suo exhibuerit, ac velut incendio vastarit vbique vniuersa. Sicut enim Homerus finxit Apollinem iratum iaculari letalia tela in castra Græcorum, ita Ieremias fingit Deum arcum tetendisse, ac veluti hostem sagittas direxisse vel iaculasse in Iudæos, denique per omnia se hostem præstitisse populo suo. Vnde factum sit, quòd quæcunq; amœna fuerunt & pulchra, quibus solebant delectari homines, perierint penitus. Et quemadmodum Ieremias in capite 4. minatus fuerat in Israele exarsurum ignem, quem nemo possit extinguere: ita nũc conqueritur inextinguibilem illum ignem ardere in medio domus Domini. Monuit Apostolus quoq; ad Rom. 2. cum certissimo coniunctum esse exitio, si thesaurizemus nobis iram in die iræ per abusum longanimitatis Dei. Permoueant ergo nos hæ graues Dei adhortationes admonitionesq;, & tristia populi Dei exempla, ne Deum impœnitentia prouocemus ad iram.

Deus populum suum non defendit.

Factus est ergo Dominus quasi hostis: deglutiuit Israelem, deglutiuit omnia palatia eius, diruit munitiones eius, & multiplicauit filiæ Iuda mœrorem & tristitiam.

Redundanti copia idem propemodùm dicit, quod dixit antea, nouo tamen & eleganti genere dicendi. Nam repetit Dominum factum esse hostem populi sui: quod sane horrendum est, & obseruandum bene. Ideò enim repetitur toties. Addit Dominum ceu feram & voracem belluam deuorasse vel deglutiuisse, & ipsum Israeliticum populum, & omnia præclara eius ædificia: deinde etiam diruisse, aut solo æquasse omnes eius munitiones, atq; ita nudam & inermem exposuisse hostium libidini. Qua ex re multiplicauerit mœrorem & dolorem filiæ Zion. Idem enim Dominus, qui luctum, mœrorem, lachrymásque abstergit, & implet suos omnigena lætitia, idem inquam mœrores & dolores vberrimè hostibus suis auget. Disce ergo hinc vnde sit verum gaudium, & vnde insanabilis tristitia, & mœror mœrorem excipiens, ex Deo. Cuius bonitati vel gratiæ eius omnia beneficia, iudicio autem eius iræq; vniuersa mala vel infortunia tribuuntur à prophetis, à Ieremia potissimùm in hisce Lamentationibus, vt hinc discamus respicere semper ad causam primam.

Deuorat Dominus impœnitentes.

Gaudium & mœror à Deo.

Et dissipauit quasi hortum tentorium suum, solennitates eius aboleuit, obliuioni dedit Dominus in Zion stataș ferias & sabbata, & in fremitu iræ suæ contumeliæ exposuit regem & sacerdotem.

Subuertit Deus templum ceu aper hortũ

Ad religionem dissipatam redit deplorandam. Dixerat aliquando Micheas, Zion vt ager arabitur, & Hierusalem in aceruos lapidum redigetur, & mons domus in excelsa syluæ. Atque durum hoc admodùm & impossibile videbatur tunc, at nunc Ieremias deplorat hoc factum, tentorium videlicet domini, templum nimirum ita euersum esse, quasi fuerit hortus, quem euerterit (ζernũlet) aper syluestris. Ita enim loquuntur Psalmi. Et vbi nos legimus, Solennitates eius aboleuit, legunt alij, Et perdidit testimonium suum: alij legunt, Et perdidit cœtum suum. In idem verò recidit sensus. Solennitates enim propter cœtum erant institutæ, & in cœtibus sacris testimonium vel lex domini prælegebatur. Cæterùm toto illo tempore quo Israel fuit in captiuitate Babylonica, quòd templum esset dirutum, nulli cœtus, nulla sacrificia, nullæ feriæ celebrabantur. Ac inter hostes omnibus contumelijs adoperiebãtur principes & sacerdotes populi Dei. Ac meruerant hoc enormibus illis suis sceleribus, in primis quòd cœtus sacros neglexissent, & ferias Dei aliter celebrassent, quàm instituerat Dominus. Quia ergo Deum affecerant ignominia, quantum videlicet erat in ipsis, Deus vicissim illos omni contumeliarum genere adoperiebat. Proinde caueant proceres Reipub. & antistites religionis, ne spernant cœtus sacros, & ne ferias Domini polluant. Ita docuit copiosè Ieremias in cap. 17.

Religiosè se gerere in ferijs.

Repulit Dominus altare suum, aspernatus est sanctuarium suum, & tradidit in manum hostis muros palatiorum eius, vocem dederunt in domo Domini, vt in die solenni.

Templum abiectum à Deo, Ierem 7.

In eodem versatur argumento, & ait aram quoque cum victimis & oblationibus deiectam esse: sanctuarium, id est templum etiam, quod aliquando Domino curæ fuit, nunc neglexit & execratus est. Nam tradidit in potestatem hostium, qui ipsum vnà cum omnibus ædificijs magnificis exciderunt. Et quemadmodum aliquando ob populi frequentiam celebritatemq́, ob musicam etiam sacram, sacerdotibus & vocibus humanis & tubis personantibus, strepitus cõcentusq́ excitatus est mirificus & hilaris admodùm: ita nunc ex barbaricis clamoribus hostium intonuerunt omnia. Ingredientes enim templum hostes, alij quidem profanum aliquid in contumeliam religionis clamabant, alij verò per irrisionem simulabant se cantare Psalmos. Breuiter aspernabantur, irridebant & blasphemabant religionem veram. Id quod hodie quoq́ fit à Turcis, vbi occupant templa Christianorum, denique à petulantioribus Papistis, quando subintroeunt templa Euangelicorum. Dolet autem hæc contumelia, supra quàm credi possit, hominibus sanctis. Cæterùm peccatis nostris efficimus, vt ita vilescat nomen Dei, & blasphemetur à gentibus. S. Hieronymus non malè hæc nobis applicans, Videndum est nobis, inquit, ne propter iniquitates nostras habitaculum pectoris nostri deserat inhabitator spiritus sanctus, respuat sacerdotium, & despiciat ordinem regiminis nostri, fiamúsque sicut hortus dissipatus, vbi nullus virtutum gignitur fructus. Metuendum igitur, ne tanta suauitate & iucunditate priuati in amaritudinem & fœditatem perueniamus sempiternam. Dicit enim Corinthijs manifestè Apostolus, Nescitis quia templum Dei estis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Dominus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et idem, An nescitis quia membra vestra templũ sunt spiritus sancti, quẽ habetis, & non estis vestri? Empti enim estis precio magno: glorificate ergo, & portate Deum in corpore vestro. Hæc ille.

Cauendum ne nos abijciamur à Domino.

Cogitauit

Cogitauit Dominus demoliri murum filiæ Zion, tetendit regulam, & non reduxit manum suam, quò minus dirueret: lugent ergo murus & propugnaculum, pariterq; sunt subuersi. ה

Deplorat quòd murus & omnia propugnacula solo sint æquata. Magis autem ei dolet diuinum auxilium & defensionem esse sublatam, & indignationem Dei in ipsos instar nimbi effusam. Alicubi enim appellatur Dominus murus circum Hierusalem igneus: & in Psalmis dicitur Dominus esse circũ Hierusalem, nimirum cingere hanc defensione & fauore suo. Iterum enim dicit se populum sepe circundedisse aut cinxisse: velle autem sepem iterum diruere, vt feris quibuslibet ingressus pateat ad vastandam vineam. Donec ergo Dominus protexerit nos, mœnia, valla, & propugnacula valent, & suum faciunt officium: vbi verò subtraxerit à nobis fauorem & gratiam, nihil iuuabunt vel instructissima mœnia. Apparet hoc iam in vrbe Hierosolymorum, quam capiunt & diruunt Babylonij sub impio rege Zedechia: at sub pio principe Ezechia nihil potuit Senacherib rex Assyriorum, licet mœnia non vsq; adeò essent instructa. Seruat sæpe in semidirutis vrbibus aut oppidulis præsidia modica Deus contra hostes validissimos, qui fortissima instructissimaq; in munitionibus inuictis tradit in hostium minimè instructorũ potentiam. Porrò primùm instituit apud se Deus, quid facere velit: id quod de ipso dicitur per ἀνθρωποπάθειαν. Quod autem instituit, iustè instituit, modo & ratione certa. Dicitur itaq;, quòd regulam tetenderit. Terminos enim quibuslibet rebus instituit, quos nemo facile aut vllo modo transilierit. Vnde sæpe hostes vlterius grassari potuissent, sed non grassantur, quia modum eis definiuit Deus. Præterea sæpe instituunt res magnas homines, sed ad finem deducere nõ possunt, aut nolunt, in medio opere deficientes: Deus verò quod instituit, ad finem vsq; perducit, neq; manum suam retrahit, donec omne quod instituit, perfecerit. Ideoq; pariter subuersi sunt muri cum propugnaculis, quæ per Prosopopœiam, vel per Synecdochen lugere dicuntur, cùm ciues luxerint. Nemo ergo cogitet, Non poterit cœpta hæc res ad finem institutũ perduci. Omnes enim hinc agnoscent omnipotentiam Dei, & eam quidem inuictam, &c.

Defensio diuina sublata.

Zachar. 1.

Regulam tetendit.

Demersæ sunt in terram portæ eius, perdidit & contriuit vectes eius, rex eius & principes ad gentes (abducti sunt) *non est lex, neque prophetæ eius nacti sunt visionem à Domino.* ט

Non loquitur duntaxat de portis & vectibus, vel repagulis portarum, quæ sunt in muris oppidorum, per quas solent importari & exportari ciuium vniuersa, sed potius queritur de interitu iudiciorum. Ad portas enim ac in ipsis portis solebant olim considere, & ius reddere oppidanis. Sicuti multis adhuc in oppidis non procul à portis, in loco patenti aliquo solent cœtus colligi, & capitalia exerceri iudicia. Et vt vectibus vel repagulis obserantur, obfirmanturq; portæ: ita in iudicijs sunt viri prudentes, integri, & fortes, veluti vectes aut columnæ iudiciorum, quorũ probitate & dexteritate sustentantur & gubernantur iudicia. Atqui iudicia & iudices in ipsam dicuntur submersi aut subsidisse terram, ideoq; nullum amplius extare in populo Dei iudicium, aut viros inclytos iudicium & iustitiam seruantes. Mox enim subiungit omnes regni proceres & viros primarios in captiuitatem esse abductos. At malum est omnium calamitosissimum, carere iudicibus & iudicio. Cæterùm moniti à Ieremia toties, cauerent nedum iniquè iudicarent, destituerentur tandem iudicio & iustitia, cogerenturq; ferre hostium iniurias. Id verò nunc factum esse conqueritur. Inspiciamus ergò hoc exemplum diligenter, discamusq; alieno sapere malo.

Interierunt iudicia.

Interitus doctrinæ sanæ.

His adiungit malum aliud non minus perniciosum, interitum doctrinæ sanæ. Non, inquit, est lex, nec visionem prophetę assequuntur à Deo. Erat sanè lex adhuc scripta in libris: & quamuis verisimile sit plures libros in capta vrbe exustos fuisse, non tamen omnes in vniuersum perierant. Quia verò non docebatur priuatim & publicè in Babylone, rectè dicit Ieremias, Non est lex. Quid nobis hodie prodesset mutus Euangelij liber, si non explicaretur, & quodammodo vocalis fieret? In Babylone autem captis Iudæis, nedum templum vllum, sed ne synagogæ quidem concedebantur: in familijs pijs dubium non est, quin fuerit institutio priuata, patribus familiâs instituentibus familias quibusq; suas. Iacebat verò omnis cultus Dei in cinere, templo exusto, ac dispersi erant Iudęi captiui per totum Orientem, vnde oraturi sese cõuertebant ad Hierosolymas, vbi adhuc residua erãt templi fundamenta. Iustissimo autẽ Dei iudicio spoliati erãt Iudæi lege & prędicatione verbi Dei. Dum enim illa frui potuissent, noluerunt. Repulerunt enim verbum Dei, neq; aliud genus hominum perinde eis inuisum & execrabile erat, atq; prophetarum. Liberauit ergo Deus ipsos hac molestia, sed illis ipsis in certissimum exitium.

Leguntur sanè in captiuitate visiones habuisse & prophetasse Ezechiel atque Daniel, sed non fuit ea copia prophetarum & reuelationum, quę fuerat ante captiuitatẽ. Præterea nulla erat consolatio, nulla institutio & admonitio prophetarum, sicuti fuerat ante captiuitatem. Atq; hoc erat quod Dominus minatus fuerat per prophetam Amos cap. 8. fore vt fame non panis, sed verbi Dei pe reant. Non magnifit hæc fames ab hominibus huius seculi, sed illi ipsi sentiunt quantum hoc sit malum, dum in desperationibus suis diu luctantur, tandem in
1. Sam. 26. ijs etiam suffocantur. Exemplum huius rei horrendum exhibetur nobis in rege Saule, qui cum audire potuisset Samuelem, audire noluit, & odio ipsum simul & omnes veros prophetas est prosequutus: quando verò libenter habuisset consilium & reuelationem à Domino, nullam accipere potuit, vnde se ad fœdissi-
1. Par. 10. mam conuertit maleficã, & diabolum pro Samuele & audiuit & adorauit, inq; peccatis suis miserè interijt. Proinde nemo nostrum, dum audire potest verbum Dei, auertat aures suas. Legatur potius 1. cap. lib. Prouerb. Solomonis.

Sederunt in terra & conticuerunt senes filiæ Zion, conspergunt puluerem super caput suum, accingunt saccos, deijciunt in terram capita sua virgines Hierusalem.

Senes ex tribunalibus deiecti sedent in terra

Deplorat consequenter, quòd omni gloria spoliati, ad extremum fuerint humiliati. Reipub. enim regnorumq; insignis est gloria & laus, si senes habeãt honoratos, authoritateq; verendos, qui videlicet sublimes in subsellijs sedeant, & non taceant, sed loquantur ea quæ ad honestatem & vtilitatem, non iuuenum modò, sed ad ornamentum, incolumitatemq; vniuersi regni pertineant. Ac Ieremias semper annixus est tales reddere senes Israelis, prædicatione doctrinæ puræ. Sed non receperunt isti doctrinam sanam, maluerunt q; sese in cœno voluptatum & auaritiæ volutare, quàm in honore esse. Tacuerunt, vbi maximè illos loqui oportebat. Pro merito itaque ipsorum deiecit ipsos Dominus in terram, proculcauit eos in lutum. Ibi conticuerunt prorsus (sind geschweigt worden) aspergunt q; puluerem capitibus, & lugent accincti non purpura, qua indigni erant, sed quo digni erant sacco. Ita nihil restat, si senes pergant esse fatui, quàm mœror & dolor. Ac dolet senibus si in senio afficiantur ignominia gra-

Virgines capita demittunt in terram.

uius, quàm si iuuenes adhuc diuexentur. Virgines quoque, inquit, quæ incedebant antea elata ceruice & lætæ pauonum instar, nunc demisso capite tristes vix repunt, aspergunt & ipsæ capitibus puluerem, nec mollibus & preciosis, vt antea, vestibus vtuntur, sed saccis vestiuntur ac lugent. Ita verò vertuntur

vices,

vices, præsertim si fideles prophetarum admonitiones contemnantur, & homines perfricta fronte pergant in sceleribus suis, irridentes etiam prophetas.

Deficiebant præ lachrymis oculi mei, conturbata erant viscera mea, effundebatur in terram iecur meum, propter contritionem filiæ populi mei, cum animi deliquium paterentur infantes, & lactentes in plateis ciuitatis. ד

Alius quidem qui toties monuisset populum & fuisset contemptus & irrisus ab ipso, visis calamitatibus quas propter rebellionem irrogauit Dominus, exultãs fortè dixisset, Iam tandem dignam vestris moribus recipitis mercedem. Pereatis ergo licet, quando monitis meis obsequi noluistis. Metite nunc sementem, quam me inuito fecistis, &c. Cæterùm Ieremias non exultat propter calamitates ipsorum, neq; quicquam eis odiosius exprobrat: sed condolet potius: sicuti alibi quoq; dixi, ab alijs viris Dei fidelibus ecclesiæ ministris factum fuisse. Exponendo autem quantum ex communi malo dolorem conceperit, malum ipsum vehementer amplificat, & quàm acerbum fuerit, ostendit. Nos quoq; peculiari dicendi genere dicimus, Jch grynen mir selbs die ougen vß. Flendo oculos meos perdo, cum significamus dolorem, quo diuexamur, esse vehementissimum. Per viscera cor intellige, membrum maximè vitale. Et iecur non effundebatur in terram: sed loquutio est, significans prophetam fuisse exanimatum propè. Iecur enim sanguinem concoquit & dirigit per membra: vt oporteat exanimari hominẽ, & exangue fieri corpus, iecinore corrupto. Atqui deliquium animi in paruulis tristissimum est spectaculum, præsertim si ipsi parentes cogantur esse spectatores. Consequenti tamen versu copiosius ea de re loquitur. *Dolor prophetæ verus non fictus.*

Dicebant matribus suis, Vbi est frumentum & vinum? cum scilicet deliquium animi paterentur, sicut saucij in plateis ciuitatis, cumq; animam suam exhalarent in gremio matrum suarum. ו

Copiosius inquam exponit & oculis contemplanda proponit infanda & horrenda admodùm. Dicit enim pueros in ciuitatis obsidione postulasse à matribus cibum & potum, sed præ inopia & fame, parentes nihil potuisse ipsis dare: quin potius coactos esse coràm in gremio suo cernere expirantes charissimos liberos. Id quod dudum in lege Deuter. 28. minatus fuerat Dominus, non audientibus legem suam. Isti verò non crediderant talia eis euentura, at nunc in fandis cum doloribus experiuntur. In postrema & presenti quoque (vt mox audiemus clarius) obsidione Hierosolymorum, quæ fiebat nũc à Babylonijs, tunc verò à Romanis, matres chara macta runt pignora, coxerunt, atq; deuorauerũt. Ita enim puniri diuinitus merentur, quotquot liberos suos Moloch offerunt, quod fecerant Iudæi, sicut obiecit hoc eis Ieremias in cap. 19. Nec est vt hic aliquis quiritetur cõtra Dei iudicia, sicuti & alibi monuimus. Iustus est Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Eximiam quoq; rationem habere ipsum infantulorum ac paruulorum colliquescit ex 1. Deuteron. & vlt. cap. Ionæ. ac ex 10. cap. Marci & Matth. 18. Ergo cum sinit paruulos interire miserabili fato, non est quod obmurmuremus Deo, dicamusq;, Quid iustus Dominus innoxiam perdit iuuentutem? Nam cum tam diligentem ipsorum curam gerat, sicuti modò diximus, oportet graues esse caussas, cur sic ipsos interfici faciat. Puniuntur certè hac ratione parentum scelera: quibus cum nihil possit funestius obuenire quàm liberorum, charissimorum inquam pignorum calamitates, calamitatibus certè liberorum parentes affligit. Neq; obstat quod dicitur, & rectè quidem dicitur, Non punientur liberi pro parentibus. Etenim non pu- *Paruuli expirant in matrũ gremijs præ fame.* *Deus iustè perdit infantes in excidijs gentium.*

niuntur pro parentibus, sed ipsi potius parentes affliguntur fatis liberorum. Interim cum nemo coram Deo innoxius sit, ne puer quidem iam nunc ex vtero effusus materno, nullam Deus infantibus iniuriam irrogat, etsi interficiat. Maiora sanè bona confert eis, cum aufert eos ex hoc seculo. Subducuntur enim, ne corrumpantur adulti, & pereant corpore simul & anima, ac donat eos gloria æterna. Et si superuixissent, nimirum atrociora longè experiri fuissent coacti. Hæc & similia dici possunt de infantibus Bethleemiticis, quos Herodis mucro prima in Christi ecclesia sustulit, conscidit q; persequutione.

Applicatio. Applicat verò ista omnia prophetæ eleganter ad institutionem nostram beatus Hieronymus, ac dicit, Hæc omnia admonent nos, ne simus segnes & tepidi ad discendam diuinam sapientiam & virtutum opera exercenda, ne fortè propter inertiam nostram spernendo deserat nos author noster destituamur q; omni solatio, nec habeamus iam portis & vectibus destructis, reges & principes, qui nos ducant in viam iustitiæ, nec iam lex Dei & prophetarum oracula illuminent mentem nostram, sedeamus q; in terra carnis nostræ desiderijs, quasi cinere polluti, & vitiorum setis amicti, totam gloriam quam in cœlesti regno habere potueramus, perdamus, iaceamus q; in terra, donec caro nostra in puluerem, vnde sumpta est, reuertatur, & finis fiat interitus sempiternus. Et reliqua quæ author ille per allegoriam ibidem copiosè commentatur.

ב *Quid testificabor tibi? Quid tibi comparem ô filia Hierusalem? Quid tibi æquiparem? Quo te consoler ô virgo filia Zion? Quia contritio tua immensum mare est. Quis medebitur tibi?*

Malum carens exemplo. Conuertit nunc sermonem suum ad ipsos Hierosolymitanos, ac amplificans ipsorum calamitatem varijs amplificandi rationibus, dicit malum ipsorum carere exemplo. At solatium est miseris, vt dicitur, socios habere pœnarum. Quo te contester, inquit, non habeo vllos testes, quibus demonstrem vllam vnquam gentem tam dura fuisse expertam fata. Ergo nemo est cui te comparem, nemini item te possum æquiparare, vt vel exemplo te queam consolari, fuisse alicubi ali qãndo, qui aut paria aut duriora sint experti. Addit, Cõtritio vel clades illa tua, mare reuera immensum est ac æstuans, cùm ob malorum tuorum magnitudinem, multitudinem q;, tum ob grauitatem. Vnde non inuenio quis aut qua re tibi mederi queat. Nam plaga est desperata & malum immedicabile. Egregiè verò Hieronymus hunc versum exponens, Magna enim dignitate, inquit, synagoga Iudæorum temporibus legis & prophetarũ sub legibus & sacerdotibus, multis gẽtibus & nationibus excellebat, cui lex diuina, regni ducatus, & cultus pietatis erat, cui q; per angelicam ostensionem & propheticam visionẽ secreta sua ipse Dominus reuelauit, & quæ vitanda quæ ue agenda erant, suo oracculo demonstrauit. At postquam deseruit Deum, & vano errore delusa ad idololatriam declinauit, valida collisione contrita est, & fluctibus persequutionum quasi maris tempestatibus conquassata atq; submersa est. Similiter & animæ Christianę, cuius à statu rectæ fidei & celsitudine virtutum immensa ruina fuit, nullius est miseriæ coæquãda, quæ ex consortio diuino & societate sanctorum angelorum in malignorum spirituum decidit dominium, qui eam varijs vitijs atq; sceleribus captiuatam, huc illuc q; per seculi vndantes luxus & casus vertendo, in foueam perditionis propellũt, in barathrum q; gehennæ perpetualiter puniendam præcipitare contrudunt. Hinc ergo vnde tanta mala superuenerint, propheta subiungendo ostendit, Prophetæ tui, &c. Hæc ille.

ג *Prophetæ tui viderunt tibi vana & insulsa, neq; aperiebant iniquitatem tuam, vt auerterent captiuitatem tuam, sed viderunt tibi onera vana & eiectiones.*

Causſam

Cauſſam malorum horum omnium reiícit non tam in prophetas, quàm in ipſum populum rebellem, qui talibus prophetis delectabatur, & tales omnino habere voluit. Ita enim ſæpius audiuimus in opere ipſius Ieremiæ. Appellauit autem prophetas per Catachreſim falſos prophetas. Et cum emphaſi dicit, Tui prophetæ, nimirum quos tu ipſe tibi delegiſti, ego autem tibi non dedi. Obiter verò qualis fuerit ipſorum doctrina exponit. Principiò quidem vana, inanis vtique & vacua ſpiritu Dei, & conſolatione vera: vtpote petita ex ſomnijs traditionibuſq; humanis, & tradens non veram ex verbo Dei fidem & dilectionem, ſed cultum creaturarum, & conſtitutiunculas humanas, ex quibus animo nihil accedit roboris & iuſtæ conſolationis, nihilq; firmi ac ſolidi enaſcitur in pectoribus auditorum. S. Petrus doctores huiuſmodi appellat fontes aqua carentes: tu nuncupare poſsis lagenas inanes, ex quibus ſitis animæ ſitibundæ ac afflictæ non extinguitur. Deinde appellatur doctrina pſeudoprophetarum inſulſa, inſipida, nimirum à cibo inſipido. Quod enim cibus eſt corpori, id doctrina eſt animæ fideli. Sal autem ſignificat ſapientiam diuinam, quæ petitur ex verbo Dei, quod in ſcripturis vera nuncupatur ſapientia. Debet autem ſermo propheticus ſale conſperſus & conditus eſſe verbi Dei. Significat item correctionẽ veramq; de pœnitentia prædicationem, ſicuti colligi poteſt ex Matth. cap. 5. & Marc. 9. Vnde ſequitur in Ieremia, Neq; aperiebant, vel reuelabant aut traducebant iniquitatem tuam, vt auerterent captiuitatem tuam. Hieronymus legit, vt prouocarent te ad pœnitentiam. Etenim cùm Ieremias arguebat peccata procerum & populi, & hortabatur ad pœnitentiam, niſi vellent abduci in captiuitatem, & adobrui calamitatibus, pſeudoprophetæ prædicabant pacem, & mendacium impingebant Ieremiæ. Dicit ergo conſequenter, Viderunt tibi onera vana, id eſt prædicarunt tibi prophetiam (quæ onus dicitur) mendacem ac inanem. Hieronymus legit aſſumptiones falſas, nimirum doctrinas ab ipſiſmet aſſumptas ac excogitatas. Addit & expulſiones vel eiectiones, doctrinas quibus te eiecerunt ex patria. Lutherus bene vertit, **Sunder habend dir geprediget/damit ſy dich zum land vß predigtend.** Nam doctrina corrupta, maximè de idololatria, cauſa eſt omnium calamitatum & exilij. Etenim prophetia vera & legitima eſt lux, directio, medicina & conſeruatio incolumitatis. Vnde & prophetæ nuncupantur in ſcripturis lumina, ductores, medici, & ſeruatores, patrieq; patres. Extincta ergo vel corrupta luce verbi Dei, oboriuntur tenebræ, falſiq; doctores ſunt peſtes eccleſiæ, & ſubuerſores regnorum ac Rerumpublicarum. Videant itaq; principes quid faciant, quibus receptum eſt prohibere ſynceram Euangelij prædicationem, ac inhibere, ne paſtores liberius traducant ſcelera populi & magnatum. Si qui verò liberius accuſant corruptelam eccleſiæ, procerum, & Rerumpub. illi ipſi inſimulantur ſeditionis & corruptelæ. Vult itaque mundus perire, dum adulatores veris fidelibuſq; præponit medicis & animarum curatoribus. Tandem enim ei euenit, quod hic cernimus Hieroſolymæ euenisſe. Tacendo, diſsimulando, & adulando efficiunt prædicatores meticuloſi & lubrici, vt in captiuitatem eijciatur populus, ac pereat.

Contra falſos prophetas.

Doctrina vana.

1. Pet. 2.

Doctrina inſulſa.

Doctrina non arguens ſcelera & ſceleratos.

Doctrina expellens in exilium.

Comploſerunt manus ſuas ſuper te omnes qui præterierunt, ſibilarunt & mouerunt capita ſua ſuper filia Hieruſalem. Hæccine eſt vrbs illa, de qua prædicabant abſolutæ eſſe pulchritudinis, & gaudium eſſe vniuerſæ terræ? D

Diduxerunt ſuper te os ſuum omnes hoſtes tui, ſibilarunt, & frendebant dentibus ſuis, dicentes, Deuorauimus, profectò hæc eſt dies illa, quam expectabamus, inuenimus, vidimus. ℣

Exultatio hostium petulantiß.

Duobus his versibus describit miro artificio hostium populi Dei sannas, exultationem petulantem, & sarcasmum vel illusionem amarissimam, quam & si mulati amici, non tantùm hostes exercuerunt. Commemorat autem gestum irridentium, & petulanter exultantium: quod in Psalmis occurrit frequentissimè etiam. Complodunt manus plaudunt̃q, qui vel gaudent iam venisse, quod expectarunt diu, vel qui incitant in aliquem. Sibilant & admirantes & lætantes. Mouent capita, id est, cõcutiunt capita vel minantes, vel insultantes ac irridentes. Addunt etiam verba per ironiam aut sarcasmon. Illáne omnium Orientis præclarissima vrbs, in cuius pulchritudine nullus erat nævus, nec̃q desiderabatur quicquam: quæ & gaudium appellabatur mundi? Fortè hærebat hęc laus & hoc præconium adhuc à Solomonis seculo: etsi interim & sub sequentibus regibus eximia fuerit huius vrbis laus. Diducũt ora, & dentibus frendent aprorum instar, qui ringuntur inuidia, & præ ira ęstuant. Gloriantur se vrbem & gentem illam deuorasse, ac exoptatã adesse diem. Inuenimus, inquiunt, vidimus. Id quod me admonet illius breuissimi nunciĩ Iulĩ Cæsaris de insperata sua victoria, dicentis, Veni, vidi, vici. Ita enim senatui Romano significauit congressum se in Oriente cum Pharnace, ac vicisse. Breuitas ingenium vel acumen habet: sicuti & hostium populi Dei breuitas arguta est, & multa complectitur. Similia audiuntur etiam hodie in grauibus fidelium persecutionibus. Vnde rectè Ioannes Oecolampadius, Quis referat, inquit, quanta exultatio sathanæ & ventribus eius de nostra damnatione, dum vident labores Apostolorum irritari, & quod quæ illi extruxerunt, diruantur? Nihil enim aliud cogitant vel meditantur, quã mortem Christi, ablationem verbi, ruinam ecclesiæ, triumphũ de libertate, &c. Clamant multi, Hoc illud amabile & pacificum Euangelium, quod tot beat homines? id est perdit, & in mille conĩcit discrimina? Semper existimauimus huiusmodi prædicationes talem finem sortituras: Nec falsi sumus. Vidimus enim authores huius Euangelĩ ignibus cremari, vidimus cœtus ipsorum dissipatos passim trucidari. Id quod futurum iam diu expectauimus.

Tripudia impiorum in persecutionibus sanctorum.

ד *Fecit Dominus quod constituerat, impleuit verbum suum, quod retrò temporibus mandauerat: destruxit & non pepercit: exhilarauit super te hostem, & extulit cornu inimicorum tuorum.*

Veræ causæ calamitatum ecclesiæ.

Cæterùm longè aliam adfert propheta Dei calamitatis sanctorum rationem, quàm hostes populi Dei exultantes fecerint. Non sanè in culpa fuit malorum prædicatio verbi Dei, sed rebellio populi Dei. Fecit enim nunc Dominus, quod olim in Lege se facturum minatus est, Deut. 28. fore vtiq, vt si verbo Dei populus non obsequatur, tradendus sit in manus hostium ac subigendus, eiq modi omnibus illudendum amarissimè. Ideò enim nunc exhilarauit hostem super populum suum: cornu, id est, potentiam hostium extulit, dum populum suum absque misericordia deiecit sub pedes hostium, atq perdidit. Inobedientia ergo rebellioq causa est malorum omnium, quæ sustinet ecclesia: ac errant toto cœlo hostes ecclesiæ, cùm victoriam & successum suum felicem ascribunt suis cultibus falsis & prædicationi Euangelicæ, quam ipsi putant esse hæreticam. Nostra peccata fortes reddunt hostes nostros. De qua re dictum est aliâs copiosius.

Pœnitentia agenda, & inuocandus Dominus in calamitatibus.

ת *Clamauit cor eorum ad Dominum, ô mure filiæ Zion, dimana torrentis instar lachrymas die & nocte, ne permittas tibi requiem, nec quiescat pupilla oculi tui.*

Post cõmemorata mala innumera, horrenda & infanda, consequenter quid fecerint, aut quid faciãt afflicti Iudæi, exponit, docẽs interim quid faciamus etiã nos in

nos in noſtris afflictionibus. Simul deſcribit obiter qualis eſſe debeat afflicti oratio, qualis pœnitentia. Quę ſanè lectu & iucunda erũt & vtilia admodùm. Principiò clamauit cor eorum ad Dominum, id eſt, ipſi ex corde clamarunt ad Dominum. Vbi duo obſeruanda veniunt, orandum eſſe ex corde, & non tantùm labietenus: quod reiſcit in propheta & in Euangelio Dominus. Orant autem ex corde, qui cum iuſta deuotione cordis orant. Orandus eſt item Dominus, creaturæ non ſunt inuocandæ. Deinde cùm hortatur murum Hieroſolymorum, vt non modò fleat, ſed quendam etiam lachrymarum torrentẽ profundat, per Proſopopeiam admonet, ne cor gerant ſaxeum. Si enim murus ſenſu carens plorare iubetur, quid non faciat hic homo rationalis? Aut ſynekdochica eſt locutio, iubens eos qui mœnia inhabitant Hieroſolymorum, flere. Incitantur autem hoc genere locutionis ad iuſtam pœnitentiam doloremq; ſerium ob peccata & ſcelera contra Deum admiſſa conceptum. Lachrymæ enim victi & vulnerati animi teſtes ſunt. Oportet autem ex conſideratione iræ Dei, & admiſſorũ peccatorum noſtrorum, toto compungi animo & dolere, ſicuti docuit Apoſtolus in 2. ad Corint. 7. cap.

Præterea quando iubet dies atque noctes plorare, pœnitentiam & preces requirit ſtabiles, non momentaneas. Quo & illud pertinet, quod magno apparatu orationis, Ne permittas, inquit, requiem tibi, &c. Oſeas enim damnat eam pœnitentiam, quæ ſimilis eſt matutino rori, qui ſimul atque ſol exoritur, conſumitur, nec vſpiam apparet. Dominus verò in Euangelio quoque mandat, vt ſine intermiſſione oremus. Lucæ 18. Hæc obſeruemus diligenter, & ita nos geramus in periculis, vt nobis breuibus ſed perſpicuis verbis præſcriptum eſt in præſenti Ieremiæ loco. *Dies & noctes flere.*

Surge, & clama nocte in principio vigiliarum, effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini, leua ad eum manus tuas propter animas paruulorum tuorum, qui fame exanimati ſunt in compitis omnium platearum. ℣

Eiuſdem argumenti eſt hic verſus cum præcedente. Iubet enim rurſus inuocare Dominum. Hieronymus legit, Conſurge, lauda in nocte. Sed ſenſus idem manet. Iubet inquam rumpere quietem, & in prima mox vigilia noctis ſurgere ad preces. Cùm autem primam noctis vigiliam precum exordio tribuit, vult certè ipſos totam noctem in precibus traducere peruigilem. Dixi enim alibi noctem diuidi veteribus in quatuor vigilias, quarum prima incipit cum principio noctis. Vigiliam quidam per ſemetipſam, vt opus quod hominis corpus moleſtat, reputant pro bono opere: ſed ſcriptura vigiliam non commendat per ſe, ſed quatenus carnis ferociæ, petulantiæq; detrahit, ipſam denicq; ſubdit ſpiritui, & precibus inſeruit iugibus. Nam vigilantes profundunt feruentes ex fide preces ad Deum. Addit his aliud, Effunde ſicut aquam cor tuum idq; ante conſpectum Domini. Effundere ſicut aquam, eſt liberè & copioſe effundere. Animam verò vel cor effundere, eſt omnes animi æſtus & affectus, dolores & omnia vota veluti in ſinum Domini euacuare & deponere. Requirit hoc ſingularem familiaritatem & fiduciam. Nam eum tu ſingulariter amas, & fidis ei plurimùm, cui tua ſecreta & vota in ſinum veluti effundis. Et Germanicè dicimus, das hertz vß ſchütten/vnd dem hertzen rumen, eodem ſenſu quo iſti dicunt animam effundere. Pſal. 26. legitur. Effundite coram illo cor veſtrum. Effundunt præterea verba coràm Domino, qui nullo ordine certo, vt ſolent afflicti & mœrentes, proponunt, quod dicunt. Multi verò metuunt ſuas preces diſplicere Deo, quòd non proponunt eas Domino certa diſpoſitione. Sed reſpicit corda Dominus, non bonam verborum diſpoſitionẽ, imò iubet animas noſtras effundere apud ipſum *Vigilia vera Deo placens.* *Effundere cor & animam.*

veluti aquam, quæ citra delectum effunditur. Delectat Deum hæc profusio mœsta & perplexa, fide tamen simplex. Accedit his aliud, Leua ad eum manus tuas.

Leuare ad Deum manus.

Leuare manus, gestus est orantium, & is quidem peruetustus. Leuat enim manus Moses, dum pro victoria contra Amalechitas precatur ad Dominum. Isaias dicit, Cùm leuaueritis manus vestras, non exaudiam vos. Leuat Dauid sæpe manus in Psalmis, nec ad alium quàm ad Deum. Nullibi enim legis, sanctos eleuasse manus ad creaturas, quantumuis præcellentes. Iubet & Apostolus 1. Timoth. 2. viros eleuare manus ad Dominum. Est autem eleuatio manuum, symbolum humiliationis & deditionis deiectionisq;. Dedentes enim se victori, & supplicantes, protendunt manus ad victorem. Est etiam petitio quædã auxilij, veluti cùm aquis immersi manus protendunt, vt ijs extrahantur ex interitu. Significant ergo eleuantes se versari in interitu, se petere supplices auxilium à Deo, ante quem se humiliant, cui se totos dedunt. Proferunt ita manus, qui testari volunt suam innocentiam, quòd in his nihil sit sanguinis, nihil furti. Et quidẽ nemo sine peccato precari potest Dominum. Quis enim verè dixerit, Peccator non sum. Imò, quis non orauerit in ipsa oratione dom. Et remitte nobis debita nostra? nihilominus conandum orantibus, ne manus ipsorum inquinatæ sint sanguine, ne orantes odio & inuidia laborent contra proximos suos. Dicit enim in Euangelio Dominus, Cum steteritis orantes, remittite si quid habetis aduersus aliquẽ, &c. Marci 11. Similia docuit Dominus apud Matth in cap. 5. Sed & Apostolus dicit, Volo orare viros in omni loco, sustollentes puras manus absq; ira & disceptatione. Hæc omnia conuenit diligenter obseruare precantes & pœnitentiam agentes. Quoniam verò friget ferè oratio, si mali magnitudinem vel grauitatem non sentiamus, subiungit vates, Propter animas paruulorum tuorum, qui fame confecti iacuerunt exanimes in omnibus platearum compitis. Non iubet precari pro animabus paruulorum in purgatorio afflictorum. Cum alioquí satis constabat de certa illorum salute: & quòd ipsi pontificij purgatorium nullum ante Christi tempora agnoscunt: sed horribile profert facinus, quod ipsos ad preces compellere potuit in obsidione, & cuius memoria hodie quoq; ad preces compellere debeat quemuis, qui necessariò Deum orare iubetur, vt iram suam auertat à nobis, ne paria nobis quoque contingant. Quæ enim veterum exempla referuntur, in hoc referuntur, vt vel virtutes bonaq; imitemur, vitia autem malaq; fugiamus. S. Hieronymus ista omnia tractans per allegoriam. Consurgit in nocte, inquit, qui in tribulatione præsentis vitæ, torporem à se excutit negligentię. Laudat in principio vigiliarum, qui in omni conuersatione sua strenuum se adhibet & cautum: & quicquid aduersitatis patitur, totum ad confessionem laudis Dei conuertere nititur. Sed effundit sicut aquam cor suum ante conspectum Domini, qui ex intimo affectu cordis producit lachrymas compunctionis. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Leuat ad Dominum manus suas pro animabus paruulorum suorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum, qui operationem misericordiæ pro humilibus & paruulis Christi membris fame & siti vsquequaq; in terminis mundi laborantibus, curam adhibet ex syncera dilectione. Nullum enim munus Deo acceptabilius est quàm compunctio cordis prolata ex radice verę dilectionis. Hinc est illud quod in Euangelio Dominus, cum ingressus domum pharisæi ad prandium discubuit, magis lachrymas mulieris peccatricis quàm delitias epularum pharisæi probauit, &c. Hæc ille.

Oportet orantes sensu tangi malorum.

Allegorica beati Hieronymi expositio.

ך *Vide Domine & contemplare cui sic feceris, adeò vt deuorarent mulieres fœtus suos, infantes palmi magnitudine, vt occideretur in sanctuario Domini sacerdos & propheta.*

Fingit

Fingit iam etiam propheta preces quas profuderunt in summo discrimine afflicti ad Deum, intimè sentientes agnoscentesq; grauitatem pœnarum. Habet autem affectum singularem, quod Deum admonent in suis precibus, vt perpendat cui sic fecerit, aut quem sic vindemiauerit, id est resecuerit penitus, nimirum populum suum peculiarem, prognatum à patribus electissimis & sanctissimis. Licet enim indigni sint, propter scelera commissa, quibus parcatur, Deum tamen arbitrãtur debere reminisci antiquarũ promissionum & misericordiarum. Mox autem infanda, quæ perpessi sint in obsidione, exponit. Alij interrogatiue legunt, Ergóne comedent mulieres (sic legit Hieron.) fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ? Etenim fame & multis alijs malis exercitæ & oppressę mulieres grauidæ, abortiebant, deinde abortum, quod relatu horrendum est, deuorabant. Intelligunt alij paruulos eò vsq; prouectos ætatis, vt in palmis vel manibus iam gestarentur. Ac tum maximè in delitijs esse solent. Hos mactare res est immanis & infanda. S. Hieronymus hunc locum bene explicans, Postquam propheta, inquit, ciuitatem miseram ad pœnitentiæ & orationis lachrymas prouocauit, ad ipsum Dominum, si quo modò à vindicta ipsum placaret, verba deprecationis conuertit, dicens, Vide Domine & considera, &c. Inter cætera quoque mala, quæ miseræ genti Iudæorum accidêre, illud quoque contigit, quòd mulieres eorum paruulos infantes & fructum vteri sui, propter famis inopiam, comederint. Vnde est illud quod in obsidione Samariæ mulier ad Ioram regem clamauit pro occisione filij sui, quem cum vicina sua comedit, expetens vt ipsius filius similiter ad comestionem amabus daretur. Sic quoq; & in captiuitate vltima Romanorum sub Tito & Vespasiano principibus, mulier quædam ex plebe trans Iordanem habitantium incolarum, Maria nomine, Eleazari filia, genere ac diuitijs nobilis, cum alia multitudine fugiens Hierosolymam recepta cum cæteris obsidebatur: vbi cum à raptoribus rebus omnibus & victualibus expoliata fuerat, ad extremum necessitate famis cogente, proprium filium lactentem interfecit, partemq; eius coquens comedit, partem verò in futurum ad comedendum reseruauit. Vnde & nidore assatæ carnis ipsi raptores excitati, cum factum reperissent, nimis exhorrescentes recesserunt. Hæc ille. Nisi verò eadem in obsidione sub Zedechia rege populo Dei euenissent, profectò nullam hic eius rei mentionem fecisset verax Dei propheta, qui ipse quoque vnà in obsidione cum reliquis omnibus fuit conclusus, &c. Vt autem contra naturam est edere infantulos, ita contra ordinem & spectatu horrendum est, in ipso sanctuario cernere sacerdotes cum prophetis iugulari & mactari, vbi alioqui pecudes mactari oportuerat. Cæterùm quando sacerdotes & prophetæ dignitatem suam tutati non sunt, dignissimè perierunt, indignissimè. Quod vtinam nostri quoque sacerdotes & prophetæ ritè perpenderent, & sibi à graui ira Dei cauerent.

Deuorauerunt in obsidione infantulos suos.

Sacerdos & propheta in templo trucidatus.

Humi iacent in plateis puer & senex, virgines & iuuenes mei gladio ceciderunt, quos interfecisti in die furoris tui, mactasti & non pepercisti.

Extendit cædem & stragem miserabilem per omnes plateas, & per omnem sexum, ætatem, & gradum vel ordinem, & cum maximo affectu & commiseratione graui dicit humi in sanguine per plateas iacuisse aceruos trucidatorum, pueros vnà cum senibus, virgines cum matronis, iuuenes quoque. Quod quidem facinus ad ipsum Deum refert authorem, quòd iusto suo iudicio opera ad hoc Babyloniorum vsus sit: qui sanè non potuissent tantam edere stragem, nisi Dominus voluisset. Voluit autẽ is iusto suo iudicio, qui alioqui malũ non vult. Babylonij peccarunt cædendo corruptis ex affectibus. De qua re dictũ est aliàs copiosius.

Omnia vrbis cadaueribus operta.

ת

Vocasti tanquam ad diem festum terrores meos qui circum me sunt, nec fuit qui effugeret aut reliquus fieret in die furoris Domini. Quos educaui & euexi, hostis meus consumpsit.

Turmatim aduolarũt hostes contra vrbem.

Pergit commemorare calamitates perpessas. Ad festum turmatim & lęti aduolabant Iudæi. Alacres verò & aciebus instructis proruebant Babylonij contra Hierosolymorum vrbem. Hos rectè vocat terrores. Cũ enim obsidione graui cinxerant & vrgebant vrbem, meritò terrores nuncupantur Iudæorũ. Ita verò diligenter clauserant obsidione vrbem, vt nec effugium, fugere volentibus, pateret, necreliqui in capta vrbe fierent vlli, quos non absumpserit vel pestis vel fames aut gladius, aut furor hostilis in captiuitatem attraxerit. Si festos dies legitimè peregissent, non coacti fuissent huiusmodi festum experiri. Sic enim prædixerat ipsis Ieremias cap. 17. Et Christiani luxu infames panegyres suas non intermittent, donec hostilis furor tale quoque festum celebret (vnd vff die kirchwych kũme) sicuti venerunt Babylonij contra Hierosolymas.

Postremò concludit Carmen hoc 2. pathetico prorsus epiphonemate, & ait, Quos ego educaui & euexi, eos consumpsit hostis. Educunt, euehunt, atque adeò generant prophetæ populum, quem verbo Domini lucrifaciunt Deo, & quodammodò regenerant. Ita enim loquitur & scriptura Apostolica 1. Corinth. 4. Galat. 4. Non possunt autem non dolere vehementer pastores, quando vident gregem suum dispergi: non possunt non gemere agricolæ, cum cernunt grandine sementem atteri suum. Ita pastores propter subuersas ecclesias plorant effusissimè. Quibus enim parentibus non doleret filiorum interitus?

CARMEN IEREMIAE TERTIVM.

CARMEN Ieremiæ tertium eiusdem est argumenti cum duobus superioribus. Deplorat enim adhuc interitum vel exitium populi Dei calamitosissimum, idq; toti posteritati in admonitionem fidelem. Variat tamen nonnihil hoc carmen à superioribus in quibusdam. Nam tres versus modò sub vnica incipit & comprehendit litera. Quæ verò hic dicit S. Hieronymus de genere carminis, quasi hoc simile sit nostrorum poetarum carminibus, ipsi relin quo explicandum. Præterea ipse iam loquitur propheta in persona afflicti populi: aut certè inducit personam quæ deplorat miserabilem populi Dei statum. Nam Prosopopœia quadam proponit velut imaginem viri afflictissimi, omni malorum genere perfusi & absorpti: qui dum exponit quid ipsi euenerit, & æstus animi mira copia effundit, typum gerit omnium afflictorum hominum, & graui tentatione exercitatorum. Siue verò intelligas dici hęc sub persona prophetę, nomine totius populi, siue sub imagine hominis afflicti per prosopopœiam inducti, in idem recidit sensus. Semper enim infelix populi Iudaici status deploratur.

Argumentum vsus & fructus huius Carminis.

Progreditur autem ordine pulcherrimo & multa nobis tradit salutaria dogmata. Principiò enim sub imagine afflicti hominis copiosè describit, & oculis contemplandum subijcit, quomodo animati sint omnes homines in suis illis tribulationibus vel tentationibus, quid inquam cogitent, dicant, faciant. Speculum exhibetur nobis in quo contemplemur miseriam, infirmitatemq; humanã. Deinde ex opposito ostenditur Deum non ignorare nostras miserias, quinimò videre ipsas atq; curare, retinere denique ingenium erga homines bonitatis, misericordiæ, & gratiæ. Ibi etiam docet afflictos Deo adhærere debere, firma fide

& spe

& ſpe ſolida, patienterq; ferre manum Domini. Audire ipſum preces inuocantium ipſum, licet diuerſum afflictis videatur. Poſtremò docetur Deum ſuo tempore, id eſt omnium opportuniſſimo tempore liberare ac conſolari ſuos, hoſtes verò & omnes impios punire, tametſi hactenus viſi ſint omnium fuiſſe feliciſſimi. Hæc autẽ omnia docent nos, admonent, ac conſolantur, habentq; vſum fructumq; vberrimum, Ac principio querelã exponit mirabili copia afflicti & turbati hominis, grauiſſimè miſerandam ſuam ſortem deplorantis.

CAPVT III.

EGo vir ille ſum qui afflictionem expertus ſum, per baculum furoris eius. א
Me egit ac duxit, ſed in tenebras & non in lucem.
In me dunt. vat vertit & admouet manum ſuam tota die.

DICIT ſe omnium hominum eſſe calamitoſiſſimum, virum doloris & probè exercitatum malis. Authorem quoq; & cauſſam malorum horum oſtendit Deũ vel iram potius Dei. Inſtar enim paſtoris probè contundentis latera pecoris ſibi crediti, ſed petulantis, Deus egit. Iratus enim nobis propter admiſſa peccata, grauiter in nos animaduertit. Deus ergo punit, & omnes pœnæ noſtræ ab illo ſunt. Quia iuſtus eſt, & iraſcitur nobis meritò propter peccata. Interim clemens & benignus eſt. Ferit enim vt ſanet, non vt perdat, vt in viam reducat, non vt diſpergat. Itaq; baculus Deo tribuitur, non tam vt iudici, quàm vt parenti percutienti filios ad emendandum. *Deus punit.*

Perſtat autem in metaphora paſtoritia & ſubdit, Paſtor hic egit & duxit me, ſed non in amœna paſcua, ſed in vepreta & in perniciem. Superius dictum eſt de tenebris & luce. Sed & omnium aliorum oblitus in me ſolum ſæuit, totóque tempore me percutit. Talis eſt enim hæc prophetæ loquutio, qualis illa noſtrorum eſt, Er ligt nun vff mir. Ita enim loquimur, quando impatientes diſciplinæ, exiſtimamus præter meritum noſtrum nos nimis duriter tractari, cupientes alios quoq; reuocari ſub ferulam, ne in nobis perpetuò vexatio hæreat. Si verò obſeruemus quales ſint ſermones afflictorum, vel morbis, vel alijs Dei plagis, ſimilia prorſus audimus omnes. Verùm ea eſt humanę infirmitatis miſeria; vnde, ſi non aliundè, miſeriam noſtram diſcere d.. eramus.

Veteraſcere fecit & carnem & pellem meam, contriuit oſſa mea. ב
Aedificauit contra me, & circumuallauit me felle & labore.
In tenebroſa collocauit me, ſicut in ſempiternum mortuos.

Sicut ſæpe in Pſalmis, eodem hic modo conqueritur, interna & externa, mollia atque dura, breuiter omnes corporis partes, & membra corporis ſingula, inſtar detritæ veſtis eſſe conſumpta & penitus contuſa. Sic enim videtur afflictis diutino morbo, aut calamitatibus exercitis, nihil amplius in toto corpore integrum eſſe. Ab ædificijs quoq; ſumit deinceps dicendi figuram. Nam ſicuti in arctum contruduntur, quibus ædificia aliena ſuis adiunguntur propius: ita diuina ordinatione in anguſtiam rediguntur quos affligit Dominus, ita vt nulla eis concedatur reſpiratio. Circunquaque, inquit, nihil aliud cerno aut ſentio quàm amaritudinẽ & laborẽ, vnde laſſitudine conficior. Addit his aliud longè grauius, Res meæ vt planè deſperatorum, & quibus nulla amplius ſpes reſtat, factę ſunt. Sicut enim nulla eſt amplius de mortuis cogitatio, ſed in ſempiternũ deceſſiſſe videntur: ita me omnes periſſe credunt, neq; vnquã reſtitui poſſe. Inter obſcuros ergo mortuosq; reputor. Tales ſanè cogitationes exercent afflictos.

ג *Circumsepiuit me, vt non euadam, & pedicas meas aggrauauit.*
Sed & si clamem & supplicem, obstruit (aures) ad orationem meam.
Sepiuit vias meas quadro lapide, & semitas meas deprauauit.

Metaphoram à feris petiuit, quas venatores ita laqueis & retibus, sepiq; cingunt, atq; adeò includunt, vt nusquã pateat exitus. Ita verò miser & afflictus queritur in præsenti malo se etiam circundatum esse, nec vllibi vllam patere fugam. Accedunt compedes, & quidem graues, quas impedire ipsum dicit, quominus ingredi possit. Iniecit autem nobis Deus variũ generis compedes, ex quibus nos non protinus, aut cùm volumus, nos extricare possumus.

Deus occludit aures.

Omnium verò grauissima tentatio est, quando videtur nobis Deus ad preces nostras occlusisse aures, & nolle audire clamantes, & sedulò precantes. Sæpe hæc querela occurrit in Psalmis. Et quidem videtur tunc maximè obsurduisse Deus ad vota precantium, cùm ea nobis protinus non concedit, quæ in eorum nis nostris concedi nobis postulamus. Ac sunt non pauci, qui cùm non accipiunt, quod petunt, Deum violatæ fidei accusant. At respondet his beatus Iacobus in cap. 4. Præterea nouit Deus momenta rerum omnia, solusq; scit, quid nobis expediat, & quid cuiq; & quando dandum sit, quod prosit. Quæ lapide quadro extruuntur, firmissima sunt. Significat ergo Ieremias instituta eius impediri ac frangi insuperabili necessitate diuina. Quæ & vias eius inuertat, vt omnia retrogrado succedant ordine. Nostro idiomate dicimus, Es gadt mir alles hinder sich. Deus autem iusto iudicio efficit, ne res nostræ pro voto nostro nobis succedant. Ipse solus benedicit institutis nostris, & omnia nostra felicitat.

ד *Vrsus insidians factus est mihi, & leo in latibulis.*
Vagas reddidit vias meas, & frustratus est me, reddidit me desolatam.
Arcum suum tetendit, & constituit me tanquam scopum sagittæ.

Obsidione grauipressus Dei populus.

Deum non comparat beluis, sed istis similitudinibus quid passus sit exponit. Non licuit prodire. Obsessi fuimus vndique ab hostibus, vitæ & fortunis nostris insidiantibus, quibus etiam præda tandem cessimus. Vias autem populi sui dispersit. Qui enim euaserunt hostilem manum in vrbe capta, variè per varias regiones sunt dissipati. Frustrati sunt itaque spe vniuersa, ac desolati sunt penitus. Deus enim sagitario similis ipse arcum suum intendit, quo configeret populum suum. Is factus est veluti scopus ad excipiendas omnium in ipsum iaculantium sagittas. Simile quippiam habemus etiam in lingua nostra, dũ dicimus, Ich bin yedermans dartsch. Ab omnibus petor, omnes mihi infensi sunt.

ה *Misit in renes meos sagittas suas.*
Risus fui omni populo meo, carmen eorum tota die.
Satiauit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.

Dixerat se factum esse sagittariorum scopum: iam addit quod maius est, ipsum etiam Deum immisisse & iaculatum esse sagittas suas, non in carnem aut cutem, sed in renes ipsius, letali vtiq; vulnere sauciando. Sagittas scriptura periphrasi vocat filios pharetræ & excussorum. Queritur se deniq; derisum esse ab omni populo: totaq; die cantillasse aduersarios de calamitatibus eius. Fit enim vulgò, vt victores victis non tantùm illudant amariter, sed cantilenas quoq; cõponant de ipsis, & canant in opprobrium & contumeliam victorum. Hoc autem prædixit Deus futurum in Lege, Deut. 28. & 3. Regum 9. & multis alijs locis in libris Prophetarum. Ea de re dictum est alibi in libro Ieremiæ. Quoniam verò Do-

Carmen fieri.

verò Dominus noster Iesus Christus infirmitates & peccata nostra in se suscepit, etiam ludibria petulantissima iniquissimaq; sustinuit in cruce pro nobis: sicut copiosè exponit beatus Matth. in cap. 27. Addit his aliud, Dominus qui alioqui solebat me delicato cibo potuq; alere, non tantùm cibauit me, sed saturauit cibis amarissimis, potauitq;, imò & inebriauit absynthio. De absynthio dixi in opere Ieremiæ. Significat se animi acerbitate amaritudineq; vehementissimè excruciatum esse. Mœror verò animi acerbus torquet plus quàm credi possit. Dominus item in cruce pro nobis felle & myrrhato vino potatus est: vt sancti paria æquanimius ferant. *Christus illusus pro nobis.*

Confregit silice dentes meos, versauit me in luto.
Discessit à pace anima mea, oblitus sum boni.
Et dixi, perijt robur meum, & spes mea à Domino.

Amplificatione vehementi extollit suam calamitatem. Nam vt isti commodè edere non possunt, qui dentibus carent, aut quibus dentes sunt labefactati & cauernosi: Vehemens enim dolor efficit, ne suauis sit cibus: Is enim simul atque dentes attingit, dolores acutissimos excitat: Ita omnia, ait, quæ mihi consolationi & commodo esse debuerant, conuertuntur in materiam maximorum dolorum. Alij exponunt, Immiscuerũt cibo aut pani meo lapillos vel sabulum, quo dentes collisi offenduntur vehementer. Breuiter significatur hoc dicendi genere molestia grauis, & incommoditas omnium rerum maxima. His accedit aliud, Præcipitauit me in lutum. Vel, Prostrauit in cinere. Vel prouoluit & versauit me in cœno. Germanicè dicimus, Hat mich im kaadt vmbkeert/vnnd gesudlet. Quæ quidem summa est ignominia, quando videlicet non duntaxat cœno aspergimur, sed toti in lutum immergimur, ac in eo volutamur, aut prouoluimur. Depulit à pace animam meam. Vel, Prolongauit à pace animam meam. Pax felicitas est, aut felix ac beatus rerum status: quod sæpe dictum est in explanatione Ieremiæ. Significat ergo omnem felicitatem quàm longissimè recessisse ab ipso, das alles glück jn fliehe. Nihil reliquum esse quàm miseriam & infortunium maximum. Sequitur enim, Obliuio me tenet bonorum omnium. Si vnquam res meæ fuerunt felices, nunc tamen non memini amplius vllius felicitatis. Ita me totum absorpsit dolor & labor. Tandem colligit summam omnium malorum. Ita demùm mihi persuasi actum esse de me penitus: fractum esse omne meum robur, neq; quicquam in me esse integrum: deniq; & spem apud Deum perijsse itidem omnem: nihil inquam amplius sperandum esse apud Dominum, quippe qui se mihi per omnia hostem exhibet. Hactenus verò effudit animam suam coràm Domino, & quęcunq; versantur in animis afflictorum exposuit, commemorando acerbissimas tentationes cogitationesq; tristificas. *Dentes labefactati silice.*

Recordare afflictionis meæ, rebellionis meæ, absynthij & fellis.
Recordando recolit, & humiliatur in me anima mea.
Hoc dum reduco ad cor meum, iterum ad spem redeo.

Sequitur altera huius carminis pars, qua ostenditur Deum retinere ingenium antiquum, misereri enim suorum, & ferre suis auxilium: ideoq; sperandum esse in ipsum, neque vnquam de eius bonitate desperandum. Conuertit autem se ad preces. Ita enim solent in tentationibus afflictionibusq; pij. Nam postquam diu intra semetipsos luctati sunt, exæstuaruntq; & mœroribus vsque fatigati sunt, recolligunt se tandem, recurruntq; ad bonitatem Domini, quam suppliciter sibi adesse precantur. Dicit itaque, Recordare afflictionis meæ. Ad- *Recurrendum in mœroribus & persecutionibus ad Deũ.*

dit rebellionis meæ. Alij vertunt transgressionis, alij ærumnæ, alij planctus. Petit recordari Dominum in miserationibus suis omnium calamitatum, quas hisce vocibus aut vocum coaceruatione comprehendit omnes. Inter orandum verò, sicut solent fideles, confortat sese, & cum eximia fiducia dicit, Recordando recolit. Id est, absque omni dubio certissimeq; recolit me Deus, & meas calamitates. Alij vertunt, Memoria memor eris. Germanicè, du wirst ja daran gedäncken. Omnino erunt tibi curæ res meæ omnes, suscipiesq; causam meam defendendam. Et quod sequitur, Et humiliatur in me anima mea, verterunt alij, Hoc dictat in me anima mea, nimirum quòd certò sis mei mearumq; rerum recordaturus. Si sequeris versionem priorem, facilis est sensus. Ex eo enim quod credit Deum recordaturum ipsius, supplex fit Deo anima, & subijcit se Deo in omnibus, ipsi (vt fert fidei ingenium) permittens se totam. Reuiruit autem spes, quæ in tentationibus malisq; propemodùm emarcuerat. Dum enim fidelis animo suo veritatem Dei æstimat, & recogitat Deum fideles non posse deserere, reuiuiscit in ipso spes. Et ista omnia ad nos etiam pertinent, & nos erudiunt in omnibus nostris tentationibus.

Deus retinet semper ingenium suum, & misericors & bonus est.

Misericordiæ Domini non deficiunt, & miserationes eius non cessant.
Nouæ sunt quotidie, & ingens fides tua.
Pars mea Dominus, inquit anima mea, iccirco sperabo in eum.

Commendatio bonitatis & veritatis diuinæ.

Restitutus sibi ipsi & spe confirmatus, incipit porrò amplius prædicare bonitatem Dei, & cõmendare misericordiam eius sempiternam. Locus est consolatione refertissimus. Diuersa est versio primi versus. Quidam enim legunt, Misericordiæ (videlicet Dei debemus) quòd non sumus consumpti penitus. Alij simpliciter intelligunt misericordias Domini nunquam deficere. Exarescunt torrentes, exhauriuntur metalla ditissima, flumina deficiunt, prata perpetuò nõ virent, neque arbores semper fructus proferunt, deficit & mutatur omnis natura, solus Deus non mutatur, misericordia eius nunquam exhauritur aut deficit. Superat hæc omnia opera eius. Id quod plenius colliquescit in colloquio Domini & Loth super delenda Sodoma, item ex eo quod in Decalogo dicit Dominus se puniturum idololatras in tertiam & quartam generationem: misericordiam autem præstiturum cultoribus suis in mille generationes. In Psalmis innumera sunt testimonia, misericordiam Dei immensam esse, inexhaustam, & omnibus liberalissimè expositam. Ionæ etiam 4. cap. extat insigne Dei misericordiæ & bonitatis testimonium. Nouum testamẽtum vniuersum prædicat bonitatem Dei, quæ omnium illustrissimè resplendescit in facie Christi. Quando ergo misericordiæ Dei non cessant, nec bonitas eius deficit, festinemus in omnibus necessitatibus ad fontem gratiæ Deum, & inebriemus nos ex ipsius liberalissima bonitate. Quid quod mox adijcit, Nouam esse quotidie Dei bonitatem, id est, Deũ quotidie noua beneficia conferre hominibus: ex quibus colliquescat quàm bonus & misericors sit Dominus. Sinit exoriri Solem suum super bonos & malos, cibat, potat, sanat, defendit, conseruat, vestit, & innumeris beneficijs prosequitur bonos & malos. Proinde nouis quotidie beneficijs innouat suam bonitatem Deus. Idem est fidelis & verax. Vnde Ieremias dicit, Ingens est fides tua. Fides, & fidelitatem & veritatem **triuw vnd warheit** significat. Vtrunq; in Deo maximum vel præstantissimũ est. Vnde tutò licet credere Deo & acquiescere in verbo eius. Quæ cùm ita omnino habeant, roboratus iã in fide Ieremias, & fidelis quilibet, libera confessione exclamans dicit, Pars vel possessio aut hæreditas mea est Deus, ille nimirũ longanimis, misericors, clemẽs, fidelis, bonus & verax:

in hunc

in hunc ergo ſperabo quoad vixero. Mirentur alij opes, regna, honores, voluptates & alia, quæ magna eſſe videntur in mundo: mihi pro his omnibus vnus eſt Deus: is eſt ſufficientia mea, & omnium bonorum theſaurus cumulatiſsimus. Cum hoc non patiar conferri bonum vllum. Ita & Dauid dixit, Bonum meum non eſt ſuper te, Kein gůt vnd ſchatz iſt mir über dich. Vide Pſal. 16. in quo argumentum hoc pulcherrimè tractat Dauid, confitens & ipſe Deum eſſe partem ſuam. Vtinam verò hoc toto pectore agnoſcamus, confiteamur & ſentiamus omnes. In hoc enim conſiſtit in hiſce terris tranquillitas & verum gaudium animę hominis. Poſt hanc vitam erit Deus omnia in omnibus. Ipſi gloria.

Bonus Dominus expectanti eum, animæ quærenti ipſum.
Bonum eſt ſperare, & in ſilentio (expectare) ſalutem Domini.

Oſtendit iam planius oportere eos credere, qui velint Deum bonum & miſericordem, fidelem & veracem experiri: & commendat fidem maximè, cum dicit, Bonum eſt ſperare in Domino. Quaſi diceret, Optimum vel nihil melius eſt quàm ſperare in Domino: ſimul etiam vocabulis aliquibus fidem veram deſcribit. Nam fides, inquit, expectat, quæritq; Deum, ſperat in Deo, idq; cum ſilentio. Principiò qui credit verè, non feſtinat, non præcurrit Deum & verbum eius, ſed ſequitur & ſuſpicit reuerenter, expectans Dei voluntatem. Vide quæ hac de re dicat Abacuk cap. 2. quem locum citat beatus Paulus in fine 10. cap. ad Hebræos. Deinde fidelis quærit Deum. De impijs ſcribitur quòd non quærant Deum, fragend Gott nit nach. Quærit Deum qui gerit eum in oculis, faciq; maximi, neq; quicquam impenſius deſiderat quàm Deum, cui ſe approbare modis omnibus contendit. Fidelis item non tantùm credit ſimpliciter Deo, ſed ſperat in Deo perſeueranter, præteritis aut calcatis illis omnibus quæ videntur abſtrahere à Deo. Illa verò omnia facit in ſilentio, nimirum patienter & ſine murmure, in omnibus tacens & acquieſcens Deo, redigens omnem mentem ſuam & omnes cogitationes ſuas in obſequium Dei viui, veri, & æterni. Iſaias in 30. cap. dicit, In ſpe & ſilentio erit victoria veſtra. Cum his confer fidem tuam & obſerua quid tibi deſit: oraq; Dominum vt is defectum tuum benignè ſarciat.

Verę fidei pulcherrima deſcriptio.

Expectare.

Quærere.

Sperare in ſilentio.

Bonum eſt viro ſi portet iugum ab adoleſcentia ſua.
Sedebit ſolitarius & tacebit, quia proiecit ſuper ipſum.
Ponit os ſuum in puluerem, ſi fortè ſit ſpes.
Exhibet percutienti ſe maxillam, ſatiabitur opprobrio.

Conſequenter oſtendit quomodo fideles ſeſe gerant in malis quibus circumuenti ſunt: vnde nos diſcemus quomodo nos quoque geramus in omnibus periculis. A ſententia morali & elegantiſsima incipit hoc negotium, Bonum eſt, inquit, homini, ſi portet iugum ab adoleſcentia. Aurea planè eſt ſententia: ac vulgo etiam dicitur, Multum eſt teneris aſſueſcere ab annis: Cum conſuetudo ſit natura altera. Item, Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu. Diabolus huic ſententiæ opponit contrariam, Satis maturè iugum Dei ſuſcipitur in ſenio. Quaſi iubeat florem iuuentutis ſibi, fecem ſenectutis offerre Deo. Iugum quid ſit, norunt omnes agricolę. Transfertur autem ad varias in vita hominum res. Apoſtolus ad Corinthios dicit, Nolite iugum trahere cum incredulis. Significat autem non conformandos eſſe nos incredulis & ſociandos in malo, etiam in coniugio. Dominus in Euangelio dicit, Iugum meum eſt leue, & onus meum ſuaue. Loquitur autem de inſtituto vitæ & diſciplina. Iugum ergo ſignificat varia, etiam ſeruitutem, leges: & Iugum portare dicitur, qui moleſtiam

Iugum portare

fert aliquam,& cruce premitur.Optimum est autem à teneris vnguiculis exerceri in lege, disciplina aut institutis Dei, deniq; ferre crucem, ne nimia felicitas inebriet & perdat nos. Felicibus enim rebus insolescimus,infelicibus moderatius nos gerimus. Ergo quod mundus malum esse iudicat,Spiritus sanctus bonum esse testatur. Et experientia testatur bonas esse Domini afflictiones,quippe quæ fructum ferunt vitæ.

Descriptio hominis iugum portantis.

Iam etiam describit consignatione pulcherrima personam hominis iugum Dei portantis (est enim & iugum sathanæ quod multi maiore cum difficultate portant vesani homines, miseriam propriam non sentientes) patientis & in vera fide seruientis Deo: quò planius colliquescat, bonum esse portare iugum Domini. Conditiones eius hominis sunt variæ. Principiò solitarius est,nõ ita quidem, vt olim erant anachoretæ & monachi (hodie enim nihil minus sunt quàm monachi) sed turbis huius seculi minimè immersi & corruptis seculi moribus polluti. S. Paulus concesit mundo vel mundanis rebus vti,sed ita veluti non vtamur. 1. Cor. 7. Deinde sedet, inquit, & tacet: tranquillo inquam est animo, nec obmurmurat Deo,sed acquiescit ei in omnibus. Ratio, Intelligit onus, crucem vel iugum ipsi à Deo esse impositum. Præterea ponit os vel faciem suam in puluerem, vel in terram. Opponitur huic os ponere in cœlum,grãdia vtiq; tonare,& Deo etiam obloqui, erecto ingredi collo,superbire ac ferocire. Ponit ergo in puluerem os suum,qui modestissimè & religiosissimè loquitur, non altũ sapit,magna & insolentia nõ spirat,sed modis omnibus humiliat se coràm Domino. Hieron. Is in puluere ponit os suum, inquit, qui humiliter sentiens, fragilem se agnoscit & de puluere factum,& in puluerem reuersurum. Et reliqua. Ponit item in puluere os suum, qui spernit ac deponit ornatum, superbiam atq; luxum huius seculi,sicuti fecisse leguntur Niniuitæ apud Ionam. Additur, Si fortè sit spes. Inter hæc omnia firma sunt spe,non deserendos fore ipsos à Domino. Et cum dicatur,

Si fortè.

Si fortè,nõ significatur dubitare & fluctuare in spe sua sanctos,sed non præscribere eos quicquam Domino, sed eius arbitrio omnia subijcere, liberrimeq; permittere. Scriptura alibi præcipit, Iacta in Dominum cogitatum tuum & spem tuam,& ipse faciet. Eadem, Noli hæsitare, ait. Qui hæsitat,similis est fluctui marino: neq; existimet homo ille se quicquam accepturum à Domino. Idem ille iugum Domini portans fidelis, exhibet percutienti maxillam suam,id est paratus est perpeti maiora & plura quę ipsi imposuerit Dominus. Et veteres interpretes monuerunt obuersionem dextræ, cum percutitur maxilla sinistra fieri debere potius in animi propensione quàm in externa exhibitione. Satiatur opprobrio, qui alacris est in ferẽdis quibuslibet opprobrijs: qualis erat rex Dauid in 2 Sam. 16. cap. Hæ videlicet conditiones sunt iugum Domini portantis & verè fidelis serui Domini.

Quia non repellit in sempiternum Dominus.

ב

Quin si affligit,rursus miseretur,secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Quia non affligit ex corde,neq; mœrore afficit filios hominum.

Consolatio & confirmatio iugum Domini portantium.

Varia nunc subiungit consolationis argumenta, quibus eriguntur fideles iugum Domini portantes. Efficacissima sunt hæc omnia & mirificè afflictis vtilia, quę etiam ostendunt Deum nobis esse benignum,& in omnibus suis iudicijs æquissimum. A natura Dei enim & benignitate eius argumentans, Optimè sperat in Deo fidelis, inquit, Quoniam non in æternum deserit aut repellit eos, qui in ipsum sperant. Prior enim Dauid dixit, Misericors & clemens est Dominus, patiens & multæ miserationis. Non in æternum contendit, nec semper iurgabitur. Non secundum peccata nostra retribuit nobis, neq; secundum iniquitates nostras rependit nobis. Et reliqua quæ sequuntur in Psal. 103. Deinde ostendit

Misericors est Dominus.

ira m

iram Dei esse temporariam atque breuissimam. Licet enim irascatur Dominus, & affligat suos, ad tempus tamen affligit & modum tenet. Rursus enim miseretur, idq; pro infinita eius bonitate. Quinimò cum affligit, non hostili sed amico & planè paterno animo affligit. Id quod ita eloquutus est, Non ex corde hominum filios alioqui ęrumnosos afficit mœrore. Quæ quidem omnia, vt consolatione referta sunt, ita animis nostris recondenda sunt quàm altissimè, vt in tentationibus recentia sint omnia. *Isaiæ 26.*

Conterere sub pedes omnes vinctos terræ,
Deflectere iudicium viri in conspectu altissimi,
Vt fallat hominem in caussa sua, Dominus non nouit. ל

Alio argumento à natura Dei petito consolatur. Deus iustus est & æquissimus, tyrannis omnino impar. Proinde quid tyranni faciant, attingit. Si vincti illis sint in terra, adeò non cogitant eos liberare aut clementer tractare in vinculis, vt potius eos conculcent pedibus. Illi ipsi oppressis & ius postulantibus, iudicium deflectunt aut declinant ac negant, neque sibi timent, tametsi sciant se versari coràm oculis altissimi, qui videt omnium cogitationes prauas, nedum opera mala. Quòd si simulent se ius velle reddere, nihilominus iudicium deprauant, & per calumniam miseros in caussa sua deprimunt. Hæc opera sunt, hoc ingenium est tyrannorum, aut violentorum & iniquorum hominum. His opponit Ieremias, Deus illa non nouit, illa non facit, illa non probat. Ergo si sathanas inspiret Deum duro & acerbo esse in nos animo, & immeritò nos affligere, cogitabimus verissima esse, quæ in præsenti testatur Ieremias, Deum non esse tyrannum, sed iudicem & Dominum æquissimum. *Deus iustus est.*

Quis hoc dixerit, aliquid fieri, quod Dominus non præcipiat?
Quod ex ore altissimi non progrediantur mala & bona?
Quid igitur affligit se homo viuens, & vir in peccatis suis? מ

A diuina prouidentia confirmat & consolatur iugum Domini portantes. Cum enim constet omnia diuina regi prouidentia, & tam bona quàm mala, id est, tam felicia, quàm infelicia aut aduersa proficisci à Deo, ferenda est itaque sors, qualis qualis quæ proficiscitur à Domino. Abominantis verò est quod ait, Quis hoc dixerit? Quasi dicat, Abominandum esset profectò, si quis ita insaniret, blasphemaretque, vt negaret diuinam, cum Epicureis & Philosophastris quibusdam, prouidentiam. Nihil enim fit, quod Dominus non præcipiat. Et adhuc planius loquens, subiungit, Quis dixerit ex ore altissimi non progredi mala & bona? Apud Isaiam enim ait Dominus, Ego Dominus, & nullus vltra, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Dominus facio omnia ista. Disputaui autem alibi copiosius quatenus malum dicatur proficisci à Deo. His iam infert Ieremias, Cur igitur affligit se homo viuens, & vir in peccatis suis? Cum ita habeant res, vt Dei prouidentia regantur omnia, cur ita affligit se homo, quasi temere aut fortuitò res fiant? cur conqueritur de ijs, quæ manu Dei imponuntur ipsi? Ferat illa omnia patienter potius, & acquiescat Deo in omnibus. Quod sequitur, Et vir in peccatis suis? id alij legunt, Cum fortiter (insistat) peccato suo. Lutherus vertit, Ein yetlicher mure wider sin sünd. Quasi dicat, Non est quòd quis obmurmuret Deo propter infelicitatem suam, & accuset Deum authorem suæ infelicitatis, accuset potius semetipsum, vel peccatum suum: quo Deum ad pœnam commouit. *Deus prouidentia sua omnia gubernat.* *Isaiæ 45.*

ז *Perueſtigemus vias noſtras, easq; ſcrutemur, & reuertamur ad Dominum.*
Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum in cœlos.
Nos præuaricati ſumus, & deſciuimus, & tu non fuiſti propitius.

Quid faciant pij.

Docet quemlibet in ſeſe potius deſcendere, quàm Deum Deiq; iudicia accuſare, deſcendere inquam in corda noſtra, & excutere cordis latebras. Sic enim inuenturos nos maximas calamitatum noſtrarum cauſas, varia, multiplicia, & grauiſsima peccata. Quare comperta, accuſabimus iuſtius noſmetipſos propter corruptionem & admiſſa peccata, quàm Dominum Deum. Suadet autem, vt reuertamur ad Dominũ, id eſt conuertamur ad ipſum toto corde. Sed & conſequentibus docet reuertendi modum, Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum in cœlos. Quibus ſanè ſuadet fidem & inuocationem Dei veri. Leuare manus, vt ſæpe iam dictum, eſt geſtus orantium. Non eſt autem ſatis foris orare, id eſt corpore ad orandum compoſito inuocare Dominum: ſed oportet orare ex corde, & animam fide attollere ad Deum, qui negat ſibi probari orationẽ, quæ oretenus duntaxat fit. In primis enim animum vel cor, aut affectum intimum requirit Deus. Et quidem diligenter exprimit, qui debeat inuocari, Deus vtique, & Deus ille, qui in cœlis eſt. Sicut propheta dixit, Ad te Domine leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Sed & quid precentur exponit, Nos præuaricati ſumus, & deſciuimus, ea cauſa fuit, cur non fueris propitius. Nos ergo ipſi omnium calamitatum noſtrarum authores ſumus, qui Deum prouocauimus ad iram. Niſi verò hæc nobiſipſis applicauerimus in neceſsitate noſtra, fruſtrà hæc legimus, atq; audimus.

Luc. 29. Matth. 15. 1. Cor. 14.

ט *Vmbraculum poſuiſti in ira, & perſecutus es nos: trucidaſti, nec pepercisti.*
Obduxiſti tibi nubem, ne penetret oratio.
Reiectos & contemptos reddidiſti nos inter populos.

Peccatum eſt teterrimum.

Pergit ſub forma orationis exponere, quæ & quanta ſint perpeſsi propter peccata. In quibus quaſi in ſpeculo relucet quàm tetrum ſit peccatum, propter quod immergimur tot tantisq; malis. Orationem verò petit à militia. Sicut enim hoſtis egreditur, & in campo caſtrametatur, in caſtris vmbraculum vel tentorium figit aut erigit, inde excurrit in hoſtem, quem & perſequitur, & ſine miſericordia ex ira trucidat: Sic Deus iratus peccatis ſui populi, per Chaldæos ipſum perſecutus eſt, trucidauit, atque conſcidit. Vnde colligimus Deum contra gentem peccatricem erigere velum vel tentorium, ac militare contra eam, dum videlicet militem adducit, per quem peccata viſitat impœnitentium. Nubes obiecta Soli & oculis noſtris, tenebras inducit. Obducit ergo Deus nubem, cùm non aſpicit nos vultu ſereno, nec audit aut ſuſcipit vota noſtra. Facit hoc propter peccata noſtra: ſicuti fuſius exponit Iſaias in cap. 59. Non eſt, inquit, abbreuiata manus Domini, quò minus iuuare poſsit: neque aggrauata eſt auris eius, quò minus audiat, ſed peccata veſtra inter Deum & vos diſcriminant, &c. Reiectitios & περίψημα fecerat eos, qui Dominum contempſerant, eos ergo ipſos reddidit contemptiſsimos. Authoritas enim & bona exiſtimatio eſt à Deo: ergo & contemptus ab eodem proficiſcitur. Sicuti & propheta teſtatur 1. Samuelis 2. Glorificantes me glorificabo, & ignominia afficientes afficiam ignominia. Hæc exponunt Deo, non vt ignoranti, ſed vt ſcienti, & vt ſe potius excitent ad pœnitentiam & fidem. Similia paſsim leguntur in Pſalmis.

י *Diduxerunt ſuper nos os ſuum omnes inimici noſtri.*
Pauor & laqueus euenit nobis, vaſtatio & contritio.
Riuos aquarum effundit oculus meus propter afflictionem filiæ populi mei.

Orando

Orando pergit, & amplius quæ & quanta perpessi sint ab hostibus exponit. Diducere os, est sannis & omni irrisionis genere grauiter victo illudere. De quo dicendi genere etiam antea dictum est. Mox enumeratione quadam recitat plurima simul mala, quibus sint exerciti & diuexati propter peccata. Pauor & formido vehementer excruciat homines, dum sæpe malum metuunt, quasi sit, quod tamen non est. Quidam pro laqueo reponunt foueam, sed sensus in idem recidit. Vastatio est regionum, contritio autem omnium rerum destructio. Ea omnia cernuntur in bellis. Inde hominibus enascuntur & profluunt vberes lachrymæ, erumpentes ex mœrore graui. Ac adiicit ipse, cur tam largas profundat lachrymas, propter afflictionem ciuium meorum. Loquitur enim hæc Ieremias, deplorans miserabilem populi sui sortem: suppeditans etiam formulam orationis ad Deum cuilibet afflicto. Nam precibus solemus Deo tanquam patri & redemptori, assertoriq; explicare mala nostra, quibus exercemur meritò propter peccata. *Diducere os.*

Fluxit oculus meus, & non quieſcit, nec ſunt intermiſſiones,
Donec inſpiciat & contempletur Dominus de cælo.
Oculus meus vindemiat animam meam ſuper omnes filias ciuitatis meæ.

Copiosius his disserit de suis lachrymis mœroribusq;. Quæ diligenter inspicere & expendere debent homines, ex rebus secundis & felicioribus nimis petulantes & insolentes. Dum enim præsentibus bonis inebriati sunt, tristium non recordantur vnquam, sed rident, vociferantur, & tripudiant sine ratione modoq;. Ieremias hic in oratione sua eò rem deuenisse dicit, vt nihil potuerit aliud quàm lugere. Quanquam interim omnes in afflictionibus constitutos doceat orare absq; intermissione. Nam dicit, Non desinam eiulatibus opem implorare Domini, donec de cœlo, capite exerto, res nostras non tantùm aspiciat, sed & contempletur, id est sensu quodam commiserationis tangatur, & de liberatione nostra deliberet. Scriptura multis in locis adducit Deum è cœlo tanquam per fenestram prospicere in terrã, idq; per ἀνθρωποπάθειαν. Alioqui enim Deum ne cœli quidem cœlorum includunt. Et hanc precum continuationem in malis & difficultatibus nostris, docet nos doctrina quoq; Euangelica apud Lucam mox ab initio cap. 18. & sub finem cap. sub imagine cæci mendici constanter implorãtis, licet interpellaretur à multis, auxilium Domini. His addit oculũ suum, id est mœrorem suum vindemiare, id est conficere suum animum, quoties perpendat, quæ sit misera populi Hierosolymitani calamitas. Docent illa fideles commiserationem & compatientiam. *Mœror & lachrymæ.* *Sine intermissione orare.*

Venando venati sunt me inimici mei, tanquam auem, atq; hoc ſine cauſa.
Oppreſſerunt in puteo vitam meam, & iecerunt lapidem in me.
Fuderunt aquas ſuper caput meum, dixi, Actum eſt.

Rursus quanta perpessi sint ab hostibus suis, alia orationis figura exponit, vsurpans iam parabolas vel comparationes. Principiò ab aucupibus orationem mutuat. Sicut enim illi vehementi studio aucupantur auiculas, nec quiescunt donec in casses conijciant: ita hostes nostri nullis parcunt aut impensis aut laboribus, vt & nos miseros capiant & perdant. Et hoc quidem faciunt sine causa, nimirum præter nostrum meritum. Tametsi enim rex Zedechias sua perfidia meruerat pœnam, multi tamen erant innoxij, qui nihil mali meruerant. Sed & religionis gratia Chaldæi infensissimi Iudæis erant. Deinde dicit se conclusum fuisse in puteum vel foueam: & eos qui incluserant, imposuisse lapidem super puteum, id est, omnem liberationis eripuisse spem. Aut certè alluſit ad venatio- *Concluſi puteo*

nem. Venatores enim fodiunt foueas feris, in quas cùm inciderint, vrgent eas, desuper iniectis lapidibus, donec conficiant. Ita, inquit Ieremias, obsessi sumus in vrbe, ceu in puteo, captos lapidibus mulctarunt. Aliud genus contumeliæ est, & quidem non postremum aqua vel lotio perfundere. Alij legunt, Inundauerunt aquæ super caput meum. Quæ locutio significat se malis ita adobrutum esse, vt nullum inde pateat effugium. Sequitur enim, Et dixi, Actum est, aut perij, aut abscissus sum, לא יש תקוה עוד. Id est, nulla restat amplius spes. Sed cùm homines ita desperant de suis viribus & humano auxilio, in propinquo est auxilium diuinum: sicuti elegans huius rei historia aut exemplum extat apud Iosephum lib. 18. Antiquitatum cap. 10. &c. Et quidem consequentibus meliora exponuntur.

Desperatis rebus Deus adest

ד *Inuocabam nomen tuum Domine ex altissimo puteo.*
Vocem meam audisti, nec abscondes aurem tuam ad suspiria mea & clamorem meum.
Appropinquauisti in die quo inuocaui te, dixisti, Ne timeas.

Adest suis tandem Dominus.

Vltima est hæc pars huius Carminis tertij, ac terminatur fine huius cap. 3. Ostendit autem propheta Dei, Dominum opportuno tempore exaudire suos cultores & liberare ex omnibus malis, hostes verò qui molesti fuerunt pijs, ac felices hactenus visi sunt, deijcere & grauiter pro meritis punire. Non cessauit afflictus Dei populus inuocare nomen Domini, & quidem ex puteo profundo illo, cuius supra mentio facta est: tandem verò inuocantem audiuit Dominus, nec se amplius præbuit difficilem: sed audiuit & suspiria & clamorem. Sicuti hucusq; refugit à suo populo: ita nunc appropinquare non desinit. Quinimò iubet illum esse spe optima & nihil metuere à furoribus impiorum. Dominũ enim omnipotentem liberare posse suos ex omnibus malis. Hæc omnia applicent sibi afflicti omnes, scientes & sibi tandem, imò opportuno tempore, Deum affuturum. Consolationem huius generis efficacissimam habemus apud Isaiam in cap 40. vsq; ad 50. Certissimum est autem cum in tam diuturno malo nunquam subijt prophetæ animum inuocatio sanctorum, sed Dei solius, Deum solum in omnibus periculis, & non diuos, esse inuocandum. Cui soli gloria.

ר *Iudicasti Domine causam animæ meæ, asseruisti vitam meam.*
Vidisti Domine calumniam meam, iudica iudicium meum.
Vidisti omnem vltionem eorum, omnes cogitationes eorum contra me.

Dixi postrema huius tertij Carminis parte demonstrare prophetam Deum non ignorare res suorum fidelium, sed videre & audire omnes: præterea adesse illum suis fidelibus suo & maximè opportuno tempore, rependere quoque suis suisq; populi hostibus pro meritis aut malefactis ipsorum. Et vt cœpit, ita pergit hæc commemorare sub forma precationis. Et cernũtur in tota hac actione plurima prouidentiæ, curæ, bonitatis, & iustitiæ Dei argumenta, auxilij quoq; & liberationis diuinæ ex omnibus malis. Informant ergo hæc fidem nostram, & suffulciunt in periculis: consolãtur in tentationibus & afflictionibus. Omnia enim mutantur, Deus æternus ille noster verax & immutabilis est.

Prouidentiæ, bonitatis & iustitiæ diuinæ euidentia argumenta.

Ab initio dicit, Iudicasti, pro quo alij legunt, defendisti, causam animæ meæ. Alij verterunt, Litigasti litem meam: & per interpretationem asseruisti animam vel vitam meam. Cùm res meæ deploratæ fuerunt, nec superesset, qui negotium meum susciperet agendum & defendendum, tu Domine Deus suscepisti, fideliter absoluisti & liberasti ex accusatione & vi hostium. Hoc quotidie facit Deus ad finem vsq; seculi. Nam filius Dei coràm tribunali Dei absoluit nos, & causam

nostram

noſtram tranſigit: & quotidie liberat nos ex omnibus malis vel periculis. Petita eſt hæc locutio ex foro: ſicuti & conſequens, Vidiſti Domine calumniã meam. Sunt enim, quorum cauſa in iudicium defertur, & iudicatur, ſed per calumniam peruertitur. Dicit ergo, Iudica tu cauſam meam, nimirum iuſtè aut legitimè. Vetus interpres legit, Vidiſti Domine iniquitatem illorum contra me. Alij verterunt, Vidiſti Domine incuruationem meam, nimirum quomodo iudices iniqui ius incuruarunt aut flexerunt pro ſuis affectibus in detrimentum & damnum meum. Putant aliquando iudices Deum non videre iudicij deflexionem: ſed certum eſt patere iuſtis Dei oculis quæcunque fiunt æqua & iniqua in foro aut in curia ſenatoria. Sæpe hoc Pſalmi inculcant. Eundem Deum non latent, inquit Ieremias, vltiones Babyloniorum, id eſt quomodo ſe vlti ſint erga Iudæos. Habuerunt quidem ius vlciſcendi propter perfidiam regum & populi coniungentis ſe cum rege Ægyptiorum, hoſte Nabuchodonoſoris Domini Iudæorum: ſed modum exceſſerunt in vlciſcendo. Nam odio gentis & religionis maximè multa fecerunt crudelia etiam contra ius belli. Nec fuit aliquis iniuriarum finis. Subinde enim noua & occulta cœperunt conſilia diuexãdi populum Iudaicum oppreſſum. At eas cogitationes, machinationes, & practicas omnes vidit Dominus.

Deus inſpicit iudicia 2. Paralip. 19.

Audiuiſti opprobria eorum, ô Domine, omnes cogitationes eorum contra me.
Labia inſurgentium in me, & meditationes eorum aduerſum me tota die.
Vides & ſeſſionem eorum, & reſurrectionem eorum, ego canticum eorum ſum.

Audit Deus omnia oppropria, conuitia & maledicta non Babyloniorum modò, ſed & omnium hoſtium ſuorum & ſui populi. Varia & acerba conuitia iaciunt in pios impij: & fecerunt hoc ſemper. Viſi ſunt iſti id ſe impunè facere: ſed audit Deus & vindicat. Vulgaria fuerunt illa, Vbi eſt Deus? vbi Iudæorum religio? Iterum verò meminit cogitationum, nimirum odiorum & maleuolentiæ inexplicabilis. Putant homines illa non videri, ſi neſciant homines. Deus autem, qui ſolus corda inſpicit, omnes cogitationes prauas & practicas peruerſas videt. Per labia item intelligit propheta omnia aduerſariorum verba, mínas, iactationes, & quæcunq; dicuntur ad contumeliam populi Dei ab hoſtibus Dei. Ac cogitationes vel meditationes tertiò repetit, ne dubitaremus Deo omnia patere occulta. Breuiter autem per ſeſſionem & reſurrectionem comprehendit omnia, quæ inſtituuntur & fiunt ab hoſtibus. Seſſio enim & reſurrectio comprehendit omnem hominis conuerſationem, vt in Pſal. 139. claret, & vt vulgò dicimus, *all jr thũn vnd laſſen*. Canticum ſuperius dixi ſignificare materiam & argumentum carminis. Perpetuò de me cantillant. Victores enim componunt epinicia & canunt ea: id quod victi maximo cum dolore audiunt. Hæc variè experta eſt quõdam Chriſti eccleſia, & experitur etiam hodie. Perſequutores enim fidelium admodùm ſunt inſolentes & petulantes.

Audit Deus hoſtium cõuitia.

Reddes ergo eis retributionem ô Domine iuxta opera manuum ſuarum.
Dabis eis clypeum cordis, & execrationem tuam eis.
Perſequeris eos in ira, & extirpabis eos Domine de his quæ ſub cælo ſunt.

Manifeſtè iam pronunciat Deum ſuo, id eſt opportuno tempore, repenſurum hoſtibus ſuis pro meritis ipſorum: quod quidem ipſi non metuunt, & alij quoq; minimè futurum credunt. Frequentiſſima eſt illa in ſacris literis ſententia, Dominum omnibus rependere iuxta opera manuum ſuarum. In præſentia refertur duntaxat ad malos, quòd Dominus eis repenſurus ſit pro ipſorũ malitia.

Dominus reddit vnicuiq; pro meritis.

Alij per imperatiua legunt, Redde illis. Dato eis clypeum cordis. Immitte eis maledictionem. Persequere & extirpa eos. De quo loquutionum genere & oratione poscente & imprecante mala, dixi alias copiosè. Quod nos legimus, Dabis eis clypeum cordis, verterunt alij, Dabis eis cor obstinatum. Alij verterunt, Dabis eis circuncinctionem cordis, id est pauorem & trepidationem. Metu enim contrahitur cor anxiumq; redditur. Clypeus cordis propriè est cor obstinatum aut induratum, quod non modò pertinax est, sed pertinaciam illam suam etiam obijcit ceu clypeum & veluti causam, cur monitorem ferre recuset. Renuit aliquis audire verbum Euangelij: alius adducit rationes quòd audiendum sit Euangelium: eas induratus ille non modò non recipit, sed pertinaciam illam suam veluti causam allegat, cur nolit recipere. Satis causæ est, inquit, quòd omninò in animum induxi, me nolle audire. Hic sanè clypeus est cordis. Deus ergo hostes suos cum punire vult, reddit obstinatos, ita vt sana consilia non recipiant vllo modo, neque aliam ob causam non recipiant, quàm quòd recipere nolunt. In qua re gloriantur & miris modis sibi placent. Sed vitium aut morbus est desperatus & incurabilis. Et cum Deus tale cor dat hominibus, iusto iudicio dat. Maledictiones in lege multiplices sunt. At his adobruit hostes suos Dominus. Quos in ira ve. furore suo persequitur, atq; radicitus extirpat, vt nullus eis amplius sub cœlo locus suppetat. Nam ipsos detrudit ad inferos. Exempla Babyloniorum, Romanorum, & aliarum gentium illa testantur atque declarant. Funditus enim perierunt propter impietatem, & quòd populum Dei persequuti sunt, &c.

Clypeus cordis.

CARMEN IEREMIAE QVARTVM.

Eadem res alijs tamen verbis hoc carmine tractatur, & quare?

NON aliud tractatur per Ieremiam Carmine 4. quàm quod superioribus est tractatum, alijs tamen verbis & maiore copia. Si rogas cur eandem rem ita fuse voluerit tractare Ieremias? Respondeo propter duriciem ingenij nostri. Si enim res vtiles sæpius repetantur & inculcentur nobis, nihilominus non hærent, neque sunt nobis cordi. Oportet ergo vtiles res ad nauseam vsq; inculcari nobis, si fortè tandem infigantur nobis. Apparet in hoc immensa Dei bonitas & animus Dei erga homines paternus: mauult enim alienas calamitates nobis exponere, si fortè illis commoti, pœnitentiam agamus & pœnam à Deo deputatam subterfugiamus, quàm de nobis meritam sumere pœnam. Si verò rem vniuersam tantoperè nobis commendatam spreuerimus, non continebit se diuina iustitia, quin ferula & virgis extundat, quod verbis elici nõ potuit. Omnia itaq; hæc dicuntur in ædificationem & salutem ecclesiæ. D. Ioan. Oecolampadius cum nonnullis interpretibus exponit hoc carmen de Iosia: quasi hæc illa Lamentatio sit, cuius meminit liber Paralip. Cæterùm contextus magis euincit hæc, vt & superiora, dicta esse de excidio vrbis gentisq; captiuitate & variis calamitatibus, quibus propter peccata gens Iudaica fuit diuexata. Ecclesiæ verò in finem vsq; seculi proponuntur in exemplum & admonitionem.

2. Para. 35.

CAPVT IIII.

QVomodo obscuratum est aurum? (Quomodo) immutauit se aurum optimum? (Quomodo) dissecti lapides sanctuarij ad compita omnium platearum?

VARIA

VARIA in hoc Carmine commemorat bona, quibus peculiariter ornarat Iudaicam gentem Dominus. At his se omnibus spoliatam destitutam q; queritur atq; deplorat. Inter bona verò illa Templum erat, cum omni apparatu suo & instrumentis aureis pluribus. Cæterùm aurea vasa & omnem templi supellectilem diripuerant Babylonij, ac templum ipsum diruerant vt lapides illi politi, dispersi per vrbem iacerent in plateis. Hoc euenerat ipsis, quòd templo Dei fuissent abusi, imò quòd templum Domini prophanassent. Ergo quemadmodum minatus fuerat Solomoni 3. Reg. 9. ita nunc gloriam gentis conuertit in fabulam & ignominiam. Iccirco si concessa sunt nobis templa idonea cultui nostro, simus Deo grati & rectè vtamur donis Dei. Queritur & Eusebius templa vel oratoria Christianorum in persequutione sub Diocletiano, & Maximiano deiecta fuisse propter peccata populi Christiani. Nostra verò templa aurum non habent: sicuti alibi ostendimus ex 2. Offic. lib. cap. 28. Ambrosij, & ex epist. Hieron. ad Rusticum, de Exuperio Tolosano episcopo. Spoliatum fuisse auro suo templum Hierosol. etiam ante hæc tempora, author est historia sacra, in rebus Roboami, & Ezechiæ. Ne thesaurizemus mortuis templis, sinamusq; viua & vera Dei templa interire inedia, pauperes intelligo. Thesaurizant multi sibi aurum, & hoc ipso sibi parāt hostes, qui inopibus alioqui nullas struerēt insidias. Verè enim dixit Satyricus, Cantabit vacuus coràm latrone viator. Sunt qui hæc exponant allegoricè, & per aurum intelligant doctrinam, qua corrupta, necesse est corruere & ecclesiam & politiam. S. Hieron. hoc Carmen exponens, totus in allegorijs versatur.

Deplorat direptum et destructum templū.

Filij Zion nobiles, æstimati auro puro, quomodo æquiparati sunt vasis testaceis, manu figuli factis? ב

Aliud habent regna & Respub. beneficium non exile, nobilitatem, homines virtutibus, non genere duntaxat illustres. Rectè æstimantur imò & præferuntur auro puro, cum ipsorum vsus in rebus regni gerendis sit inæstimabilis precij. Peccant, & Dei beneficium non agnoscunt, qui nobilitatem in ciuitatibus oderunt, pertinaciterq; contemnunt. Cęterùm solēt ferè nobiles sibi nimium placere & tribuere, nimiumq; sese extollere, nec officium nobilium facere, sed petulanter lasciuire, rapere, degeneresq; inter homines ceu feræ belluæ ferocire. Cōpescit ergo ipsos Dominus calamitate aliqua: sicuti & in præsenti nobilitatem Iudaicam cohercuit per Babylonios. Qui enim aliquādo per fauorem diuinum in magno fuerant precio inter populos, iam contemptissimi facti, similes erant testaceo alicui vasculo, quod nullius precij est, aut similes erant matulæ, quæ vix sine honoris præfatione nominatur. Et certè dispar est omninò comparatio auri obrizi aut purissimi, & luti vel vasculi alicuius argillacei. Si verò verè generosis, quòd officia nobilium non faciant, talia eueniunt, quid futurum putamus fictitiæ aut factitiæ & ementitæ nobilitati, quæ neque ipsa bonorum virorum officium facit, ac insuper ita inflatur immoderatè, vt non possit nō rumpi?

Nobilitas in Repub.

Et dracones exerta mamma catulos suos lactant, filia verò populi mei crudelis vt struthiones in deserto. ג

Adhæsit lingua lactentis palato eius, præ siti, paruuli panem petebant, nec erat qui frangeret eis. ד

Singularis Dei benedictio est, si regnum aliquod aut respub. bene sit instructa rebus omnibus ad victum necessarijs: si lactantes mulierculæ fœtus lactentes vel infantulos suos commodè possint alere, & liberis suis necessaria vitæ sup-

Fame puniti Iudæi.

ditare. Ac poterat hoc seculis aliquot Hierosol. vrbs cum vniuerso regno Iudaico. Cum autem Deo ingrata esset, & prouocaret Deum ad iram, puniuit eam fame & omnium pariter rerum inopia. Quod in præsenti conqueritur factum propheta in obsidione Hierosolymorum: sicut & de eadem fame superius quoque disseruit. Comparatione autem auget miseriam sanè lachrymabilem. Cum sæua & fera animantia catulos suos alant, dolendum est mulieres Hierosolymitanas eò peruenisse famis necessitate, vt Struthiones imitatæ, relinquant suam sobolem, nec excubent aut alant. Per Thannim intelligit maximè indomitas & feras beluas. Alioqui Hebræis dracones sunt. Hieron. vertit lameas. De Struthione ita legis Iob 39. cap. Derelinquit Struthio in terra oua sua: & in arena calida fouentur. Obliuiscitur autem quòd pes potest conculcare ea & bestia campi conterere. Duriter tractat pullos suos, perinde ac si non essent illius: & secura est perinde, quasi labor eius superuacaneus foret, &c. Et Albertus de Animalibus libro vigesimo tertio, Oua, inquit, mense Iulio parit & in sabulo abscondit, quæ calore Solis excluduntur. Et rursus lib. 6. Struthionis, inquit, oua sub arena calore Solis viuificantur, & exeunt. Et ideò prouerbium est (siue vulgò dicitur) quòd afficiatur ad oua tanquam non sua, &c. Complures hodie mulieres huius modi bestiam referunt, cùm liberos nuper effusos vtero suo exponunt atque deserunt, vel cum voluptatis studio, & vt labores omnémque refugiant molestiam, infantulos quasi non ex ipsis prognatos deserere possunt, nulla ratione eorum habita quomodo educentur honestè. Ad amplificationem miserabilis famis ille pertinet versus, qui sequitur, Adhæsit lingua lactentis palato eius, &c. Habet & illud commiserationem maximam, quòd pueri sedulò petebant panem, & nemo eis frangebat, id est suppeditabat. Est enim idiotismus Hebraicus.

Struthio camelus.

ת *Qui delicatissimis vescebantur, interierunt in plateis, & qui in purpura educati fuerant, amplexati sunt stercora.*

Lautè alit suos non rarò Deus

Singulari sua gratia cibat Deus non rarò populum suum non vulgariter, sed delitias quoq; & lautitias concedit. Vult autem vt grati simus ipsi, & rectè ijs vtamur. Cæterùm degenerat in multis ea beneficentia Dei in prodigiosam cupiditatem, cui non potest satisfieri vllis delitijs. Subinde enim quæruntur peregrinæ lautitiæ sine fine modoq;. Nisi enim varijs multisq; ferculis in mensam nostram inferatur quicquid delicatum, nouum & rarum habet Italia, Gallia, & Hispania, non commodè tibi cœnasse videris. Eadem libido & in vestibus cernitur. Concedit quidem Deus vestem nobis decoram, pulchram & præstãtem, sed illa non sumus contenti, holosericam & damascenam volumus, discissam denique, & iterum aureis filis consutam, aut connexam, vt ex sutura nihilo minus sericum protuberet diuersi coloris. Quid quod in serico repunt infantuli, qui & adulti holoserico & vestibus peregrinis assuescunt, & ita assuescunt, vt postmodùm, & per omnem vitam non nisi preciosissimis vti velint vestibus? Luxum illum & nefariam petulantiam cohercet tandem Deus: sicuti hic audimus Hierosolymitanos ciues delicatulos palàm in plateis corruisse & consumptos esse fame. Et qui olim fastuose incesserunt in cocco aut purpura, & holoserico, illi nunc pannosi vix sagulo aut lacera interula se potuerunt contegere: qui in mollibus plumis huc vsq; cubare soliti erant, nunc excussi ex preciosis lectis suis, libenter in sterquilinio, si modò concederetur, cubarent. At volutantur ab hostibus in stercore, eodemq; ferè conteguntur ceu veste condigna. Hæc omnia obuenisse populo suo Ieremias queritur, ac dolet, monens omnem posteritatem miserabili exemplo, ne propter paria peccata paribus subijciamur pœnis. Cæterùm

terùm vehemẽtius afficit diuites, & dolet delicatioribus hominibus impensius omnium rerum inopia, quàm miseriæ & paupertati assuetis. Caueamus itaque à luxu in cibo, potu, atque vestitu, contenti rebus parabilibus atque decoris. Huc faciet nonnihil locus Euangelij insignis de diuite epulone, & Lazaro mendico apud Lucam in cap. 16.

Et maior (reputata) est iniquitas populi mei peccato Sodomæ, momento euersæ, nec admotæ sunt ei manus.

Omnia verò alia beneficia, quibus adoperuerat populum suum Dominus, superabat præconium verbi Dei. Dederat enim eis eximios prophetas, qui optimè & saluberrimè concionabantur populo. Verùm cùm hoc beneficium non agnoscerent, sed verbo Dei rebellarent, vexatis, eiectis atq; etiam trucidatis prophetis, factum est, vt peccatum ipsorum enormius sit reputatum quàm Sodomorum: & iccirco grauioribus etiam pœnis sublati. Quæ fuerint scelera Sodomæ, dixi aliàs in hoc opere, ex 16. capite Ezech. Et quidem quædam imò pleráque (licet in nefaria & peruersa Venere dissimiles essent) cõmunia habuerunt cum Sodomitis, illud verò maius & damnabilius, quòd verbi Dei præconium fidele pertinaciter contempserunt. Ita legimus in Euangelio dixisse Dominum, Et tu Capernaum, quæ es vsque ad cœlum exaltata, vsque ad inferos deprimêris. Quoniam si in Sodomis editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt in te, mansissent vsque in hodiernum diem. Et quemadmodum ibidem mox sequitur, Verumtamen dico vobis, quòd Sodomis tolerabilius erit in die iudicij quàm tibi: Ita in præsenti audimus Sodomam perijsse veluti in momento, neque diu diuexatam esse opera hominum obsidentium eam, oppugnantium, & irrumpentium, atque crudeliter trucidantium liberos in conspectu parentum, & maritos in gremijs vxorum, &c. Proinde est in his breuis comparatio. Sodoma enim derepentè cœlesti tacta igne conflagrauit: Hierosolyma verò obsessa est triennio. Sodomam nulli diripuerunt homines auari, nulla ediderunt tristia & truculenta, vt fit in captis vrbibus, spectacula: Diuersa omnia hic euenere in vrbe Hierosolymorum capta. Grauius ergo Hierosolyma iudicium subijt quàm Sodoma. Hæc dum audimus, memori mente recondamus, & timeamus Dominum, nec auersemur prædicationem verbi eius. Nam Matth. quoque 10. cap. Tolerabilius erit, ait Dominus, Sodomæ & Gomorræ in die iudicij, quàm ciuitati, quæ verbum Euangelij non recipit. Quod alij legunt, Et non adhibitæ sunt ei manus, alij sensum magis, quàm verba spectantes, legunt, Et non castrametata sunt contra eam castra. Vulgata versio habet, Et non cœperunt in ea manus. Alij, Et non manserunt aut resederunt in ea manus.

Prædicatio verbi Dei data Iudæis.

Quo nomine iniquitas Hierosolymorum maior sit Sodomitarum.

Candidiores erant Nazaræi eius niue, lacte nitidiores, rubebant specie præ margaritis, polities eorum Sapphirus.

Nunc forma eorum nigredine ipsa est obscurior, non sunt agniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus eorum, aret ac riget vt lignum.

Insigne Dei donũ & illud est, quod Dominus nationibus quibusdam viros atque mulieres, pueros atque puellas eleganti & amabili forma præstantes concedit. Neque enim omnibus promiscuè gentibus id concessum esse videmus. Et quidem genti Iudaicæ hoc singulariter, & præ alijs gentibus, à Deo fuerat datum, quo de priore versu loquitur Ieremias. Alij interpretati sunt de sobole regia, de liberis Iosiæ. Alij de Leuitis studio consecratis per regnum Iudaicum. Quod vt non improbo, ita magis placet Ieremiam loqui de vniuersa gentis Iu-

daicæ iuuentute. Nazaræi voto sese consecrabant Deo, & abstinebant vino, inq; disciplina certa viuebant. De qua re scribitur in Lege Domini Numeri 6. cap. Iam verò cùm iuuentus in disciplina stricta aut seuera educari debeat sub parentum & magistrorum cura, nihil absurdum dicimus; cùm per Nazaræos intelligimus totius gentis Iudaicæ iuuentutem, quæ certè Deo consecrata esse debuit, & sanctissimè in disciplina educari legitima. Elegantissimis verò comparationibus depingit istorum præcellentem formam, Iuuenes eius, inquit, erant niue candidiores, lacte item magis nitidi. Vulgò quoque hodie solemus dicere de insigni forma præditis, Es ist nüt dann milch vnd blůt/das ist ein lüterer angesicht dann ein gesigne milch. Rubebant specie præ margaritis, vel instar sardij aut corallij. Polities eorum sapphiro, lapidi nimirum polito cuilibet & affabrè eleganterq; polito similis est. Ac nitentem politamq; faciem vulgò nuncupamus, ein glatte stirnen. Cæterùm qui in gente Domini tales erant, nimium sibi placebant, & supra modum superbiebant, ac abutebantur forma, Dei dono, ad seruiendum diabolo. Deus ergo iudex iustus diutina obsidione, sicuti aliâs omnibus alijs temporibus, fame aut morbis facere solet, formam illam detersit, & deformitatem eis induxit, atque in ipsis obfirmauit. Sicut enim dixerat, Niue sunt candidiores: ita nunc dicit, Forma eorum ipso atrore est obscurior. Luridi, fuliginosi, & carbonarijs atque purgatoribus caminorum similes sunt facti: tantumq; à semetipsis mutati, vt obuiam venientibus in plateis amplius non fuerint agniti. Vix cutis ossibus hæsit: nam consumpto succo astringitur cutis, & se in rugas complicat. Nemo ergo efferatur propter formam paulò liberaliorem. Breuissimo enim momento instar floris defluentis concidunt, & pereunt, & forma, & robur, & sanitas, & quæcunque his sunt similia corporalia bona.

ט *Melius habuerunt interfecti gladio, quàm qui fame perierunt, quia hi extabuerũt, ab agri prouentu confossi.*

י *Manus mulierum natura mitium coxerunt natos suos, vt essent eis cibus in contritione filiæ populi Dei.*

Fames dira. Iterum famis calamitatem deplorat, atque amplificat. Confert enim confossos gladio, & fame enectos. Qui gladio confodiuntur, mox cadunt sanguine suo perfusi, & festina morte excedunt. At qui intereunt fame, extabescunt, & lenta, ideoq; dira aut acerba morte pereunt. Melior est ergo conditio eorum, qui gladio cæduntur, quàm illorum, qui fame extabescunt. Postremum prioris versus membrum reddidit vulgata versio, Consumpti à sterilitate terræ. Alij verterunt, Quod isti fluxerunt perfossi propter defectum fructuum agrorum. Posteriore versu amplificat malum famis facto, à quo omnis abhorret hominis natura. Quid enim horribilius, quàm quòd matres natura alioqui mites & misericordes, & affectu quodam singulari propendentes erga liberos suos, hos ipsæ conficiunt, deinde mactatos coquunt, præterea etiam deuorant? Non esset tam abominandum facinus, si infantuli aut pueri trucidarentur hostili manu: sed horrendum dictu, & abominandum auditu est, matres interficere aut mactare proprios liberos, eosdemq; parare aut coquere, & tandem etiam deuorare. Ita verò solet Deus punire grandia hominum scelera. Et fames adigit alioqui homines ad cibos nefandos. De fame dictum est antea.

נ *Impleuit Dominus furorem suum, effudit furorem iræ suæ, & incendit ignem in Zion, qui deuorauit fundamenta eius.*

Benedi-

Benedixit Dominus populo ſuo omni benedictione, neq; omiſit vlla beneficia, quibus populum illum non adoperuerit. Dixit enim in Pſalmis, Aperi os tuum, & implebo illud omni benedictione. Id eſt, petito liberaliter, & vota tua adimplebo liberaliſsimè. Quod beneficium cùm non agnoſceret populus, ſed ingratum & perfidum Deo ſe exhiberet, iuſtiſsimo iudicio & veluti ex contrario adimpleuit Deus iram ſuam, & iræ ſuæ furorem effudit in perfidos, nihil mali aut acerbi omittens, quo illos affligere potuit. Id quod maximè declarauit, quando ignem, ſicuti Ieremiæ 4. minatus fuerat, incendit in Zione, qui non ædificia modò, ſed & ipſa vrbis fundamenta vaſtauit. Ignis ergo ſignificat vindictam præſentiſsimam & acerrimam. Ita verò qui omnium benigniſsimus & clementiſsimus eſt Deus cultoribus ſuis, idem ille omnium ſeueriſsimus vltor & duriſsimus eſt iudex erga ſuos contemptores. Timeamus ergo Dominum, & ambulemus in vijs eius, vt benedicat nobis.

Impleuit Dominus iram ſuã in populo ſuo.

Nunquam credidiſſent reges terræ, neq; omnes habitatores orbis, quòd ingreſſuri eſſent hoſtes & inimici per portas Hieruſalem. ו

Vrbs Hieroſolymorum & gens Iudaica erat apud omnes gentes in exiſtimatione maxima, tanquam inuicta, ſimul & in odio grauiſsimo. Oderant illam gentes ob felicitatem, & quòd tot reges victi ab ea cecidiſſent. Pauebant ergo ad nomen Iudaicum, & ſibi perſuaſerant inuictam eſſe gentem illam, neque vlla vi capi poſſe Hieroſolymã. Victoriæ enim præclaræ regum Aſæ, Ioſaphat, & Ezechiæ, vt alios non commemorem, ſplendidiſsimam exiſtimationem parauerant paſsim apud omnes populos genti & vrbi. Solet etiam nunc gentes aliquot Deus victrices & formidabiles omnibus alijs reddere populis. Sic terrifici quõdam fuerunt Babylonij, mox Perſæ, inde Macedones, poſtea Romani, hinc aliæ atque aliæ gentes. Sicut autem formidabiles alijs reddit aliquot gentes Dominus, ita eaſdem, cùm vult, contemptibiliores facit rebus contemptiſsimis. Solus ille & authoritatem, honorem, timoremq; addit & detrahit pro bona ſua voluntate. Proinde nemo exiſtimare debet terribilẽ aut gratioſum ſe eſſe alijs ex ſuis virtutibus. Agnoſcat hic quilibet Dei potentiam. Iudæi cùm ſibi multum tribuerent, Deo parum aut nihil, imò Deo ingrati eſſent, & contra Deum impij, deterſit ex omnium cordibus terrorem vel pauorem, quo metuebant ſibi à Iudæis, & audaciam addidit. Qua re factum eſt, vt non modò victi ſint Iudæi & capta ipſorum vrbs, ſed inſuper facti ſint omnium hominum contemptiſsimi. Hic eſt fructus impietatis & ſuperbiæ. Hoc ſi diligenter expenderetur à multis, non ita abiectæ ſortis eſſent.

Victoriæ pauor & authoritas à Deo.

Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates ſacerdotum eius, qui effuderunt ſanguinem iuſtorum in medio eius. ח

Verſibus iam aliquot veriſsimas reddit cauſſas tantorum malorum. Et omnia refert ad miniſtros eccleſiæ corruptos. Nam per prophetas & ſacerdotes intelligit falſos, non veros prophetas & ſacerdotes. Quod ſæpius facit per Catachreſin. Iſtos dicit impudenter & abſque timore, in medio inquam populi iuſtorum effudiſſe ſanguinem. Quam ob rem iratus Dominus, euerterit vrbem & gentem. Variè autem funditur à prophetis & ſacerdotibus iuſtorum ſanguis. Principiò cum verbum Dei verè ſynceriterq; non prædicatur, & ſcelera non accuſantur. Ita enim legis Ezech. 3. Sanguinem pereuntium requiram de manu tua. Deinde effunditur ſanguis in perſecutionibus ſanctorum ſiue fidelium: quando ſacerdotes vrgent, vt principes doctrinam falſam defendant ac propagent, veram verò prohibeant, & ferro & igni coherceant. Item quando iniuſta

Cauſſa omnium malorum refertur ad ſacerdotes.

fœdera & bella, oppreſsionem quoque pupillorum & viduarum verbi Dei gladio non oppugnant, & pacem ac iuſtitiam non plantant. Cum hæc non faciunt, authores certè ſunt cædium, bellorum & innumerabilium malorum, & corruptionis aut peccatorum vniuerſi populi, propter quæ deinde Dominus excindit huiuſmodi ſceleribus infames vnà omnes. Vide autem quibus hodie accepta referamus tot mala atrociſsimè diuexantia & eccleſiaſticum & politicum ſtatum. An non hodie quoque ſacerdotes frigidam ſuffundunt? An non corrupta doctrina excidium inducunt? Expende mihi interim quantum referat bonos habere doctores, & quanto in periculo verſentur coràm Deo paſtores, niſi ſint fideles & prudentes atque conſtantes.

3 *Vacillarunt cæci in plateis, polluti ſunt ſanguine, qui ne veſtes quidem eorum contigiſſent.*

Accuſantur grauiter praui doct. res.

Amplius authores malorum ſuis coloribus depingit atque aceuſat. Comparat illos cæcis oberrantibus, imò vacillantibus & incerto gradu titubantibus in platea. Alibi ebrijs conferuntur. Eſt enim vnica lux & via veritatis, verbum Dei. Ab eo cum iſti aberrarunt, demerſi ſunt in tenebras: nihil certi habuerunt, firmum & perſpicuum nihil docere potuerunt. Vtitur hac ſimilitudine etiam beatus Petrus. Inde verò cõſequutum eſt, quòd polluti ſunt ſanguine, id eſt adoperti grauiſsimis ſceleribus. Dixi enim alibi per ſanguines & ſanguinem non rarò in ſcripturis intelligi grandia & ſanguinaria ſcelera. Nam fieri non poteſt, quin amiſſa luce & via veritatis, toti immergamur in profundum peccatorum. Dauid enim canit in Odis ſuis, Qui per vias tuas incedunt, non patrant iniquitatem, Pſalm. 119. Cum autem cæcus & flagitijs coopertus cæcum & peccatorem impurum ducit, ambo (quod & Dominus dixit) cadunt in foueam. Doctores ergo corrupti, caſus regni, & omnium malorum fuerunt & ſunt etiam hodie authores. Attingit præterea ipſorum hypocriſim. Piaculum fuiſſet viſum ſacerdotibus his, veſtem alicuius ſcelerati hominis contingere: at interim non animaduerterunt in cordibus ipſorum inhærere huiuſmodi nephanda facinora. Ergo culicem excolabant, camelum glutiebant, ſtatuentes pietatem in externis illis & rebus nihili, &c.

D *Clamauerunt ad eos, diſcedite vos immundi, Cedite, Cedite, nolite tangere: quoniã vitabant eos & fugiebãt ab eis: quod etiam inter gentes, dicebatur, Non vltra incolet.*

Sacerdotes impudenter recla marunt veris prophetis.

Per Mimeſim (perſeuerans adhuc in accuſandis pſeudodoctoribus omnium malorum authoribus) exponit Ieremias quomodo ſacerdotes & pſeudoprophetæ impudenter ſe oppoſuerunt veris Dei prophetis. Appellarunt ipſos impuros nebulones. Vrſerunt diſceſſum, ne manerent & concionarentur ipſis. Cedite, Abite protinus, dicebant, Ne attigeritis nos. Polluti enim eſtis. Prẽterea ne attigeritis nos veſtra doctrina & increpatione. Et per interpretationem addit, Quoniam vitabant, nimirum ſacerdotes, eos, id eſt veros prophetas: & fugiebant ab eis. Breuibus autem his verbis admirandam ac ſtupendam intemperiem odiumq; prophetarum & verbi Dei ſacerdotum adumbrat. Nam nolebãt omninò audire veros prophetas, quos diſcedere, ſicuti & Amaſias Amos, iubebant, imò fugiebant ipſos tanquam impuros nebulones atq; hæreticos. Fama huius malitiæ & infractæ peruicaciæ peruenit ad Gentes: quę dicebant, terram Iudaicam non poſſe diutius ſuſtinere gentis tam ſceleratæ proteruiam. Noſtro ſeculo audimus his prorſus ſimilia, vt nihil poſsit ſimilius vel fingi. Iccircò veriſimile eſt etiam nunc terram non diu ſuſtinere poſſe gentem vſqadeò rebellem.

Amos 7.

Locus

Locus hic variè est expositus. Ego eum sensum reddidi, quem puto omnium esse simplicissimum. Alioqui per me quidem licet cuilibet sequi, quod arbitratur quàm proximè accedere ad mentem authoris. Certè illa incredibilis peruicacia sacerdotum, contemptus item verbi Dei, omne malum induxit in capita populi Dei, ac trahit etiam hodie secum grauissimas calamitates.

Facies Domini dissipauit eos, nec vltra eos respiciet, quòd nec ipsi facies sacerdotum reuerisi sint, aut senum miserti. ע

Affirmat Deum par pari rependere. Ipsi inquit, sacerdotes praui, non sunt reueriti vultum verorum prophetarum, sed contempserunt, ignominia affecerunt, & reiecerunt ac condemnarunt eos. Deus itaq; in ira sua (facies Dei pro ira Dei vsurpatur) reiecit aut dissipauit etiam ipsos sacerdotes: vt iam sint sine honore in summa contemptione. Et sicut vultum senum non respexerunt: ita Deus non dignabitur ipsos contemptores aspicere amplius: sed negliget eos, nec miserebitur eorum: sicuti & ipsi senum non sunt miserti. Hæc cogitemus ex animo, dum adhuc tempus est pœnitentiæ. Si enim legatos Dei ad nos missos ignominiosè exceperimus spreuerimusq;, spernet & nos Dominus, & ex indignatione sua perfundet nos omnibus malis. In his omnibus continentur sententiæ graues & dogmata nobis omnibus maximè necessaria, & iccircò diligenter obseruanda.

Pœna sacerdotum seductorũ populi.

Cum adhuc essemus, deficiebant oculi nostri, intenti ad vanum auxilium nostrum, dum anxiè spectamus ad gentem, quæ seruare nequit. ד

Aliam interitus causam exponit, nimiam fiduciam in Ægyptios & vicinas gentes, cum quibus iunxerant fœdera contra verbum Dei, Iudæi. Dum adhuc essemus, inquit, id est, dum saluæ adhuc essent res nostrę, necdum euersi, spe summa expectauimus Ægyptiorum, fœderatarumq; gentium auxilia: sed falsi sumus spe nostra. Exprimit autem similitudine ingens desiderium expectantium liberationem. Sicut enim cupidè sperantes aduenturum aliquem, qui vel grata nunciet, vel desiderata expleat, solent in specula aliqua oculos in omnes vias intendere, diligenterq; contemplari, si qua veniat expectatus aut desideratus ille, atque adeò tam pertinaciter inspiciunt itinera, vt oculi ipsi incipiant obscurari aut deficere: ita Iudæi, Expectauimus, inquiunt, impiorum auxilia cupidissimè & vsq; ad languorem propemodùm. At qui oportebat spe vsque adeò firma & desiderata, vel etiam anxia, auxilium sperare à Domino. Sicut propheta dicit, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis, Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram. Addit auxilium ab hominibus vanum esse: & illos, si velint, seruare non posse. Etenim vulgò Ægyptij arundini conferebantur, cui si quis inniteretur, frangeretur arundo, manumq; innitentis perforaret aut vulneraret. Quemadmodum ergo Iudæi grauiter peccarunt & suum ipsius interitum acceleraruntfiducia illa sua in homines infideles & conscelcratos: ita in hoc opere non semel dixi hodie quoq; peccari enormiter: cùm hominibus sceleratis multi firmius innituntur quàm ipsi Deo.

Fiducia in auxilium peregrinum.

Venati sunt gressus nostros, ne incederemus per plateas nostras. Venit finis noster, impleti sunt dies nostri, exitus enim noster adest. ת

Ostendit nunc longè alia eis obuenisse, quàm sperauerint. Videtur autem loqui de fœderatis. Fortè enim præsidiarios quosdam ex illis, admiserunt in vrbem, qui tam insolentes in obsidione fuerunt, vt ipsis hostibus extiterint molestiores crudeliores q;. Ac fit non rarò, vt qui tueri nos debebant, ipsis hostib. sint

grauiores. Per ipsos non licet prodire ciuibus liberè, nisi domi interim periclitari velint opes & familiæ pudicitiam. Si de hostibus obsidentibus vrbem intelligis, ita hi ciues cohercuerunt catapultis, balistis, alijsq; bellicis machinis, vt non auderent in plateas prodire tutò. Iam verò exclamat, Venit finis. Et hanc sententiam tripliciter effert. Significat autem periodos esse regnorum, quæ si aduenerint, pereundum esse prorsus. Alibi dixit scriptura, Nondum Impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Nemo itaque persuadeat sibi regna & hominum felicitates esse perpetuas, nedum homines sceleratos semper quod libet impunè facturos. Ac prodest plurimùm sæpius cogitare finem appropinquare rerum pariter omnium. Veniunt hic in animum versus illi Vergiliani,

Finis rebus imminet omnibus.

Venit summa dies & ineluctabile tempus
Dardaniæ, fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum.

Omnia Deo contra hostes suos peruia.

Eundem enim affectum, & propè vehementiorem habent verba prophetę, Venit finis noster, impleti sunt dies nostri, &c.

Velociores fuerunt persequutores nostri aquilis cæli, in montibus ipsis persequuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

ף Significat nullibi ipsos fuisse tutos, non profuisse eis vel montana vel deserta loca, quæ alioqui seruant non rarò fugientes. Omnia peruia & notissima fuisse hostibus dicit. Et vulgò dicitur, & verè dicitur, Reperit nocẽtem Deus vbiq;. De parabola aquilarum dixi in opere Ieremiæ. Timeamus ergo Dominum, ne nobis quoq; tales immittat aquilas.

ר *Spiritus oris nostri vnctus Domini, captus est in retibus eorum, de quo nos dicebamus, sub vmbra eius viuemus inter gentes.*

Reges erant Christi Dei.

Rursus aliam commemorat causam interitus regni. Ea fuit cædes Iosiæ optimi regis. Reges Iudæorum Christos vel vnctos esse dictos Dei, ostẽditur passim in historia sacra. Dicebat Dauid, Absit vt mittam manum meam in vnctum vel Christum Domini. Significabatur vnctione reges vnctos, à Deo esse ordinatos, & Deum variam illis gratiam spiritus sancti largiturum. Nam oleo significatur spiritus sancti gratia. Gratiæ illæ sunt, sapientia, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, & similia dona plurima. Rectè verò rex & quilibet magistratus nuncupatur spiritus oris, id est refrigerium & vita. Vbi enim spiritus aut anhelitus sentitur, & ex ore spirat, quantumuis infirmus & morti vicinus videatur aliquis, ex anhelitu tamen viuus vitalisq; esse iudicatur. Proinde reges dati sunt hominibus pro vita & refrigerio: vt reuera sunt pij reges. At hic captus est, inquit, in retibus, aut foueis, aut corruptelis & vastationibus eorum. Iosias enim propter perfidiam populi & ex insidijs impiorum occisus est à Nechaone. Ac sustulit ipsum Dominus, vt deinceps pessimum populum pessimè tractaret, & radicitus excinderet. Exponit item quantam de ipso spem boni cõceperint, Tuti, aiunt, inter gentes sub huius viuemus præsidio. Vmbra enim accipitur pro defensione. Vnde dicitur, Sub vmbra alarum tuarum protege nos Domine. Et quidem magistratus officium est populum tueri, & in pace conseruare. Hoc præstabat præ alijs regibus Iosias populo suo: sed occidebatur propter peccata populi. Vnde populus vnà cũ vrbe meritò excindebatur. Præterea poterat illa sententia, Captus est in retibus eorum, referri ad hostes, quorum insidijs & vi perierit ille. Sunt qui totam sententiam & de Zedechia exponunt; qui captus sit à Babylonijs.

Quoniam

Quoniam verò reges & pontifices Christo Dei filio typum prætulere, intelligimus hunc versum etiam de Messia Christo Domino. Hic enim vnctus est spiritus sancti plenitudine, vt scribitur Ioan. 1. Idem reuera est spiritus narium nostrarum, vel faciei nostræ, vel oris nostri, id est vita & refrigerium nostrum. Ille idem propter peccata nostra captus & mortuus est, vt nos viuificaret. Et captus est quidem insidijs Iudæorum. Sub vmbra eius tuti habitant omnes credentes. Neque enim est in vllo alio salus. Perierunt autem Iudæi vnà cum Hierosolymorum vrbe, quòd perfidè egissent ac agerent contra Christum suum, Romanis istos funditus delentibus. Doctissimus vir D. Petrus Palladius breuia, sed vtilia scholia nobis in Threnos Ieremiæ dedit: is hunc versum ex veritate Hebraica, quemadmodum & reliquos omnes vertit paulò liberius & perspicacius, ac legit, Christus seu vnctus Domini, qui conseruator vitæ nostræ fuit, captus est, quando nos vastauerunt (ita enim & Lutherus hæc conuertit) de quo consolabamur nos, quòd sub illius protectione inter gentes tuti viueremus: interpretaturq; mox eundem versum de regibus Iudæorum, qui abducti sint in vastatione ipsorum, id est, Dum vrbs & gens est euersa à Babylonijs. Commemorabo iam & S. Hieronymi interpretationem, vt lector pius ex omnibus colligat, quod existimauerit quàm proximè ad genuinum & simplicem prophetæ sensum accedere. Hanc, inquit, sententiam diuersi authores diuersis modis exposuerunt. Nam alij super reges Iudæorum, qui Christi, id est vncti dicebantur, sub quorum protectione gens Iudæorum videbatur degere, interpretati sunt. Quasi propter peccata populi ipsi interierint, vt Iosias, qui iustus esse legitur, & cæteri huiusmodi. Alij autem super Iesu Christo vero vniuersorum Domino, ac vita animarum fidelium dictum intelligunt: sub cuius tutela in vniuersis gentibus versatur ecclesia. Ipse autem spiritus oris nostri est, in quo viuimus, mouemur, & sumus. Ex cuius sapore quicquid rectè sentimus, sapimus. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Scripsit enim hoc plenissimè propheta Isaias, ita dicens, Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et reliqua quæ sequuntur cap. 53.

Versus de Christo Domino expositus.

D. Petrus Palladius.

Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Vz. Nam ad te quoq; veniet calix, bibes, & nuda eris. ℣

Hæc à Ieremia dicuntur per Ironiam, sicuti sequentia in eodem versu mox euincunt. Dicit enim calicem iræ diuinæ calamitatumq; mox ad ipsos quoque venturum, sicuti futurum prædixerat idem propheta cap. 25. Nec venturum modò calicem dicit, sed addit, Bibes, id est, affligeris grauissimè, & nudaberis, vel euacuaberis, vel vt alij legunt, euomes, nimirum superabundanti & absolutissima calamitate euacuaberis, atque deleberis. Qua de re dictum est superius in opere Ieremiæ cap. 49. vbi agitur de fatis Idumæorum. Hi erant omnium acerbissimi, infensissimiq; hostes populi Dei, sicuti ex Psalmo quoque 137. colligi potest. Vnde & typum gerunt hostium populi Dei omnium. Dum verò pij afflig̃untur à Deo propter peccata, causam hanc nec vident, nec curant impij, sed odio quodam singulari contra religionem atq; populum Dei, exultant & lætantur mirificè de miseria fidelium. Dolet hoc fidelibus, qui etiam mirantur Deum suis hostibus tantam concedere felicitatem in hoc seculo. Multi offenduntur ea re grauiter, vt dictum est aliàs. Ieremias ergo hoc versu fideles consolatur & sequenti, dicitq; felicitatem hostium Dei non fore diuturnam. Affore enim tempus, in quo etiam sint visitandi, euertendiq; à Domino. Ac ea in re plurimùm differunt hi Threni ab Elegijs profanis, quæ non habent vllas consolationes tales. Hanc doctrinam de consolatione fidelium illustrauit Dominus noster in

Idumæa quoq; vastabitur.

Consolatio.

Euangelio secundum Ioannem, dum dixit, Amen amen dico vobis, plorabitis, & lamentabimini vos, mundus contrà gaudebit. Et reliqua Ioan. 16.

ת

Completa est iniquitas tua, ô filia Zion, non vltra te ducet in captiuitatem: sed visitabit iniquitatem tuam, ô filia Edom, & peccata tua conteget.

De vera piorũ impiorumq; felicitate et infelicitate.

Consolatur etiam hoc versu vltimo, & admiranda breuitate exactissimum ponit iudicium de felicitate vera piorum, & infelicitate impiorum, vtriusque gentis sortem & exitum describens. Pijs fidelibusue Deus condonat & contegit peccata, nec imputat illa ipsis amplius. Locutio enim, Completa est iniquitas Zionis, idem sonat, ac si dicas, Finita & condonata sunt peccata fideli ecclesiæ. Licet itaque Deus populum suum affligat ad tempus, facit tamen hoc ad emendationem bonumq; ipsius, nec pergit interim semper esse iratus, sed redeundo in gratiam cum ipso, non sinit ipsum amplius abstrahi in captiuitatem. Id quod maximè sub finem vitæ fidelium adimpletur. Vbi enim hinc migrauerimus, nullus erit amplius locus pœnarum, sed excipit protinus fideles gloria, & gaudium, & vita sempiterna. Cõtrarium euenit impijs vel infidelibus, quibus Deus propter infidelitatem peccata non contegit, sed retegit, eademque visitat, id est punit damnatione æterna. Miseri ergo sunt, & permanebunt in æternum increduli; credentes verò sunt & erunt in æternum beati. Beatus, inquit Dauid, cui Deus peccatum non imputat, & cui obtecta sunt peccata. Quam sententiam adducit & exponit Apostolus Paulus ad Rom. 4. Tametsi ergo affligamur in hoc seculo fideles, simus tamẽ nihilominus alacri & læta mente: cùm sciamus finem nostrum fore felicissimum: neque offendat nos impiorum felicitas, cùm sciamus finem ipsorum fore infelicissimum. Hæc est omnium validissima consolatio, qua se omnes pij semper consolari & possunt, & debent.

ORATIO IEREMIAE.

CAPVT V.

RECORDARE *Domine quid acciderit nobis, inspice, & contemplare opprobrium nostrũ. Hæreditas nostra deuoluta est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Pupilli sumus patre orbati, & matres nostræ sicut viduæ. Aquas nostras pecunia bibimus, ligna nostra precio veneunt. Imminet ceruici nostræ persecutio, lassati sumus, nulla requies nobis. Aegyptijs dedimus manus & Assyrijs, vt saturaremur panibus. Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos portamus iniquitates eorum. Serui dominati sunt nobis, nec erat qui de manibus eorum nos vindicaret. Vitæ periculo paramus victum à facie gladij deserti. Pelles nostræ quasi clibanus denigratæ sunt propter horrorem famis. Oppresserunt mulieres in Zion atq; virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu eorum suspensi sunt, & vultus senum non sunt reueriti. Adolescẽtes tulerunt, vt molerent, & pueri sub ligno corruerunt. Senes desunt in portis, & organa musica (non pulsant) iuuenes eorum. Cessauit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Corona capitis nostri cecidit. Væ nobis, quia peccauimus. Iccirco mœret cor nostrum, & obtenebrati sunt oculi nostri, propter montem Zion, qui vastatus est, vt vulpes (versentur) in eo. Tu autẽ Domine in æternum permanes, solium tuũ de generatione in generationem. Cur perpetuò obliuiscēris nostri? cur nos deseseris tanto tẽpore? Conuerte nos ad te, ô Domine, & conuertemur: innoua dies nostros, sicut ab antiquo. Quoniã repulisti nos, & iratus es nobis iã plus satis.*

CONCLV-

CONCLVDIT Ieremias planctum vel Lamentationem ſuam oratione ad Deum fidelí. Ea comprehendit principiò, & exponit quibus obiecti diuexatiq; ſint calamitatibus ac miſerijs. Deinde cauſas commemorat malorum, peccata commiſſa contra Deum, quæ & liberè confitetur, oſtendens ipſos meritò pati quæ patiantur. Poſtremò petit à Deo auxilium ac reſtitutionem eccleſiæ ac politiæ. Suo autem docet exemplo omnes omniũ ſeculorum homines, quid faciant cùm ſe calamitatibus circunuentos ſeptósque ſentiunt, conuerſi inquam ad Deum orent, agnoſcant item miſeriam ſuam, quam propter peccata ſuſtineant, quæ & Deo confiteantur, petentes ab eius miſericordia & potentia auxilium & liberationem. Ita verò nos Dauid perfrequenter erudit ſuo exemplo, varios componens Pſalmos, & in primis ipſe Dominus Ieſus, qui ſimul atque dixiſſet, Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem, protinus confugit ad preces orans patrem in monte Oliuarum. Sed & forma vel exemplum, quomodo oremus Dominum, in præſenti nobis proponitur.

Argumentum orationis.

Vſus orationis

Ab initio & in genere quidem orat Dominum, vt eorum recordetur, quorum videbatur oblitus. Dicitur autem Deus humana conſuetudine & obliuiſci & recordari hominum. Quod Hieronymus exponens, Vſus Prophetarum eſt, inquit, frequenter per humanas conſuetudines Dominum ſupplicare. Recordare enim, vel memento illi dicitur, qui nullius aliquando potuit obliuiſci. Non enim vt ad memoriam redeat diuinitas commouetur, coràm qua omne præteritum & futurum ſemper præſens eſt. Non eſt dignum in illa maieſtate ponere obliuionis iniuriam, ſed ideò recordari vel meminiſſe poſtulatur, vt citò auxilium indigentibus conferat, & palàm faciat, quod antea fuit occultum. Has enim τροπολογίας in ſcripturis diuinis frequenter inuenies, vt eſt illud in Geneſi, Recordabor fœderis mei, &c. Proinde petit Ieremias à Deo, vt rationem oppreſſi populi habeat, nec modò videat, ſed contempletur etiam, atque adeò afficiatur ſeu iraſcatur opprobrijs, quibus modis indigniſſimis adoperiebantur, atque etiam proculcabantur.

Recordari & obliuiſci Dei.

Poſt hæc ordine longo, commemorat calamitates & miſerias oppreſſi populi omnes, quas nos explicando perſtringemus duntaxat: quòd ſingula ſæpius ſint ſuperiori tractatione expoſita. Oportet autem orantes Dominum ſenſu malorum tangi, & ea quæ patiuntur diligenter ſecum recogitare, ac etiam recitare, non equidem neſcienti Deo illa, ſed propter ſemetipſos, qui illa patiũtur, vt magnitudine aut grauitate malorum, quibus circunuenti ſunt, intellecta, ardẽtius precentur Dominum pro liberatione. Si enim non recogites tecum agnoſcasq;, quibus malis premaris, ac illa potius neſcire velis aut contemnas, non magnopere ſollicitus eris de liberatione & auxilio petendo. Ac illo ſanè conſilio commemorant ſancti vbiq; in ſuis ſupplicationibus Deo, quæ patiantur, non vt neſcienti commentarium ſuggerant, ſed vt ſemetipſos malorum magnitudine excitent ad feruentiores preces. Queruntur omnes facultates ſuas in poſſeſſionem veniſſe alienorum, gentium nimirum, aut Babyloniorum. Hæreditatem intelligunt terram Chanaan, quam ſcripturæ nuncupant hæreditatem Iſraelis. Dederat autem terram & vrbes domosq; ea conditione, vt ipſum reuererentur: ſi enim aſpernarentur, vt fecerant Chananæi, dixerat ſe illos ex hæreditate illa exturbaturum. Et quoniam Deus pater iſtius populi erat, cùm eos tueretur, eisq; benediceret, pupilli erant, quando iratus eis, paternam beneuolentiam non præſtabat. Vnde fiebat, vt maritis gladio, fame & morborum generibus varijs è medio ſublatis, matres fierent viduę. Cæterùm ſolet ferè aqua gratis bibi, & lignum in iſtis regionibus nõ magno parari precio. Ergo cùm dicunt ſe illa ſibi comparauiſſe precio, ſignificant ſe non modò caritatem aut penuriã rerum ſenſiſſe, ſed potius

Quare ſancti in precibus varia mala commemorent.

Quantis malis oppreſſi Iudæi.

illorum hominum, cum quibus viuebant, aut inter quos versabantur, duritiem & infidelitatem, vt pote qui parabiles aut viles alioqui res eis non dederint aut permiserint, nisi magno persoluto precio. Rectissimè ergo subijcitur persecutionem vel afflictionem imminere aut inhærere ipsorum ceruicibus, à quibus nimirum detrahere aut auellere nequeant. Delassati quidem erant perpetuis illis & interminabilibus malis. Sed cum lassis alioqui concedatur requies, Nobis, inquiunt isti, nulla conceditur quies. Nos solemus dicere significantes malorum perpetuitatem, **vngliick kumpt jm nimmer ab dem halß**. Porrò longe grauior intolerabiliorq; est seruitus, si dominentur nobis serui ipsi, homines sortis abiectæ & nihili, quàm si liberi homines & existimationis alicuius (qui semper moderatione vti solent) nos mittant sub iugum & dominentur nobis. Atqui serui, inquiunt, in præsenti dominati sunt nobis. Solet autem dominatus seruorum esse longe durissimus. Quod Germanico quoq; versiculo celebratur, cùm dicitur, **Kein scherfack ritter schirrt/dañ so der pur zum herren wirt**. Cum autem spes liberationis in huiusmodi malis aliquando sustineat, & consoletur, aiunt in præsentiarum, nullam hic superesse spem, neq; vspiam apparere vllos liberatores. Atq; hoc condignum illorum præmium est, qui malunt semper esse serui peccati, ac in seruitute computrescere turpi, quàm liberari ab hac per vnicum redemptorem nostrum Christum Iesum, ac vitam viuere liberis dignam hominibus.

Præterea queritur Ieremias, nomine totius populi afflicti, victum ei quærendum esse vitæ periculo. Hebraico idiotismo hoc effertur, In anima nostra afferimus panem nostrum. Significat autem panis victum: sicuti in anima hunc adferre aut parare dicunt, quod nos enunciamus, dispendio vitæ victum acquirere. Additur, A facie gladij deserti. Quæ loquutio obscura est. Sensus autem is esse videtur, Ita in ipsarum ciuitatum meditullio nobis victum parare volentibus metuendum fuit, sicut illis qui sibi per deserta ambulantes, à prædonum ensibus timent. Proinde rursus eorum duritiem & iniquitatem odiaq; taxare videtur, inter quos viuebant. Alij legunt, Quia gladius in deserto grassatur. Alij, præ siccitate deserti. Quasi dixerit, Difficulter paramus nobis victum, perinde, vt solent qui in locis arentibus atq; in deserto, vel loco vasto, pascua quærunt. Hieronymus vertit, A facie gladij in deserto & exponit, Cum animarum nostrarum periculo quæsiuimus nobis victum in deserto gentiũ constituti. Alij exponunt, Propter gladium deserti, Cum vitę periculo ob hostem nos gladijs insequentem cogebamur nobis quærere victum in terra nostra, quæ nunc est veluti desertum. Quæ autem subijciunt, ad calamitatem famis pertinent significãdam. Corrugatur fame vel inedia cutis, nigrescitq;, sicut dictum est superius cap. 3. & 4. Igitur Præ horrore, inquit, famis, cutis nostra ceu ignibus clibani aut fornacis exusta nigrescit. Addit à barbaris militibus non fuisse parsum vlli aut sexui, ætati, aut ordini. Virgines cum matronis palàm in ipsa vrbe & ciuitatibus ludæ constuprarunt. Sacra scriptura honestè & verecundè loquitur, Humiliarunt. Principes viros suspenderunt hostes ignominiosè, cruentis suis manibus. Ac apparet ex historia Madianitica & Iosue, suspendium veteribus admodùm fuisse ignominiosum. Et cum omnes soleant senes reuereri ob authoritatem maiestatemq; quandam, quæ ex ipsorum vultibus aut conspectu emicat, in hac tamen calamitate nulla ratio habita est penitus senum, nulla eis exhibita reuerentia. Adolescentes quoq; abrepti sunt ad exercitia durissima, reclusiq; in pistrinum, vt molant & omnium grauissimis mancipentur laboribus. Pueris quoq; onera imposuerunt importabilia, sub quibus corruere miserabiliter visi sunt. Senatores loco suo amoti & de gradibus sunt deiecti. Ergo nulla amplius in portis conspiciebantur iudicia, iudicum maiestate quadam veneranda. Et iuuenes, qui

aliquando

aliquando artificioſe pulſarant inſtrumenta muſica, non audiebantur amplius. Breuiter, Cecidit, inquit, corona capitis noſtri. Qua loquutione ſignificat omnem decorem atq; gloriam, lætitiamq; ipſorum eſſe extinctam, nihil ſupereſſe amplius quàm ignominiam & miſeriam extremam. Ob hæc verò mœret, inquit, cor noſtrum, id eſt, dolent iſta animis noſtris. Oculis noſtris offunduntur tenebræ. Quod ſentiunt, qui diu fleuerunt & mœroribus iugibus ſeſe excarnificarunt. Præcipuam verò dolorum ingentium horum cauſam adfert, imò repetit vaſtationem Zionis. Quæ quam fuerit vaſta & horribilis, nota conſignat, dicens ibi iam verſari vulpes, ibi inquam habere vulpes ſuas foueas aut latebras. Non habent autem vulpes foueas ſuas in locis frequentibus, ſed maximè deſertis. Et hactenus expoſuit longo catalogo, quibus verſentur in miſeriis atque calamitatibus.

Iſtis immiſcet malorum cauſas peccata, quæ & ingenuè confitens, docet nos omnes, vt & initiò diximus, agnoſcere & liberè confiteri peccata commiſſa, propter quæ meritò puniamur à Domino. Quidam dum immerſi ſunt variis malis, querulantur duntaxat & execrantur nonnunquam ſortem ſuam, nõ agnoſcunt ea ſe peccatis ſuis meruiſſe, quæ ſuſtinent: atq; ita etiam præcipites ruunt in impatientiam grandem. Qua deinceps impediuntur, quo minus miſericordiam Dei implorent. Potius enim Deo iudicijsq; ipſius obmurmurant. Ieremias ergo populi nomine, ingenuè confitetur peccata contra Deum admiſſa. Dicit enim, Manus dedimus Ægyptijs & Aſſyrijs, vt pane nobis veſci aut ſaturari liceret. Manus dare eſt ſeſe dedere, aut alicui ſupplicem proſternere, & etiam fœdus coniungere cum aliquo. Ac Iudæi ſupplices ſeſe proſtrauerant gentibus, ipſorum auxilia poſtulantes, fœdera quoque cum eis contra Dei verbum pepigerunt, nec aliud ſpectarunt quàm panem, id eſt commodum temporarium. Qua re grauiter offenderunt Dominum, ſicuti toto hoc opere ſæpius audiuimus. Quod verò dicit, Patres noſtri peccauerunt, &c. non hoc dicit, quod alibi non ſine ſtomacho euomunt, Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt: ſed ſeriò accuſat & confitetur peccatum, quod non immi nuit ſed exaggerat, hoc ſenſu, Patres noſtri peccauerunt contra Dominum, ideoq; non ſunt, id eſt ſublati ſunt, pœnasq; dederunt. Quo infelici exemplo nihil territi, ſucceſſimus parẽtibus noſtris ceu hæredes paternarum iniquitatum, illasq; ipſas in nos ſuſcepimus vel portauimus, imitantes eos in idololatria, rebellione, & omnis generis impietate. Et quidem ſi habeamus ante nos impietatis exempla, quæ tamen grauiter à Deo punita cernimus, nec tamen ab ijs abhorremus, grauius certè aut enormius peccamus contra Dominũ, quàm ſi nulla oculis noſtris exempla obuerſentur. Exclamatio verò illa, Væ nobis, quia peccauimus, locum habet idoneum ſub catalogo tot calamitatum, & verè exprimit propter peccata ipſos tot tantisq; vexari malis. Quaſi dixerit, Et meritò quidem hæc patimur, quòd peccando & abſq; fine modoq; peccando, in nos iram Dei excitauimus.

Malorũ cauſæ.

Manus dare.

Impietatis exempla.

In his tamen malis omnibus non deſperat propheta, ſed conuerſus ad miſericordiam Dei, prædicat eius maieſtatem atq; potentiam, bene ſe ei fidere oſtendit, & reſtitutionem petit. Habet autem antitheſim occultam, quod dicit, Tu autem Domine in æternum permanes, quaſi dicat, Licet templum vnà cum vrbe & regnum ipſum ſit euerſum, & perierint cuncta, certum eſt tamen te Deum omnipotentem, & omnia gubernantem non eſſe euerſum, neq; ſolium tuum eſſe ab hoſtibus deturbatum. Quoniam ergo integræ ſunt vires tuæ, & regnas potenter, potes miſeris nobis ſuccurrere, & nos reſtituere in integrum. Hæc cogitemus in omnibus noſtris tribulationibus, Deum eſſe æternum, potentem, inui-

Fiducia in Deũ

ctum, & beneficum, benevolumq; hominibus, qui & possit & velit adesse suis cultoribus, ijsq; dare omnia, quæ salutaria sunt. Et sicut ab initio orationis dixerat, Recordare Domine, ita nunc sub finem amicè expostulans cum Deo, Cùm non desint tibi vires, inquit, & Deus ac rex sis tãtus, cur obsecro obliuiscéris nostri, & cur nos deseris tempore tanto? Adsis nobis clemens & propitius.

Quid sit potissimum à Deo petendum.

Singulariter verò obseruandũ omnibus pijs arbitror, quid nam potissimum petat. Inde enim discimus quid nobis circunuentis periculis, à Deo maximè sit postulandum. Duo petit, Primum est, Conuerte nos ad te Domine, & conuertemur. In primis petenda est à Deo vera conuersio ad Deum, vel pœnitentia quæ constat vera peccatorum nostrorum agnitione, fide & emendatione vitæ, vt inquam auersi à diabolo, mundo & carne, conuertamur ad Deum, & ad veram fidem, omnigenamq; pietatem. Si enim verbis duntaxat supplicemus Deo, & fidem vitamq; puriorem negligamus, parum proficient verba inania. De conuersione lege cap. Ieremiæ 31. Concione 120. Secundum quod petit est, Innoua, vel instaura dies nostros, sicut ab antiquo, cùm videlicet res nostræ fuerunt felices sub iudicibus & regibus nostris. Felicitas enim solet consequi veram vitę nostrę emendationem. Quod vltimo adijcit, Quoniam repulisti nos, vel vt alij legunt, Sed repulisti nos, &c. hunc sensum habet, Videmur sanè plus satis afflicti, vt nunc tempestiuum sit nostri pro bonitate solita misereri.

Hieronymiana expositio.

Sub finem ascribam expositionem D. Hieronymi, qui hęc explicans, Quem, inquit, Dominus conuerterit, ille veraciter saluus erit: quem autem ipse despexerit, nemo corrigere poterit. Quod autem dicit, Innoua dies nostros sicut à principio, hoc postulare videtur, vt sicut à principio primos patriarchas eorum Abraham, Isaac, & Iacob plena fide & dilectione sibi esse fecit deuotos, ita & ipsos eodem munere sibi fideles & deuotos facere dignetur. Quod in aduentu Heliæ per Malachiam prophetam illis promissum esse pleriq; arbitrantur, vbi dicitur, Ecce ego mitto vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate. Et cùm dicit, Sed proijciens repulisti nos, non quasi desperando de salute populi sui locutus est, sed vt dolorem suum nimium de contritione & abiectione diutina gentis suę manifestaret. Vidit enim prophetico spiritu, quòd ipsi Iudæi in aduentu Christi non essent credituri, sed Euangelio contradicturi, & ipsum hæredem morti tradituri, &c. Hæc habui in Threnos Ieremiæ, quæ ita, sicuti omnia mea, æquis propono lectoribus, vt omnia probent, quod bonum est, retineant, Deum legitimè colant atq; glorificent, & in Christo salui fiant. Cui soli gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBO-
RVM IN HOMILIAS D. HEINRYCHI
BVLLINGERI, SVPER IEREMIAE
Prophetæ conciones & hiſtorias.

A.

Abominatio quid 28.b cauſa calamitatum ibidem.
Abbatis Volkuini homilia contra monachos 68.b
Abdemælech AEthiops 223
Abdemælechi ſedulitas 224
Achabi prophetę ſupplicium & peccatum 174
Adoleſcentia Iudaici populi quæ 10
Admonitio ſalutaris 235.b
Adorare opera manuum hominum quid 8
Adoptio 26.b
Adulatores amari 220
Adulterari cũ lapide & ligno 23.b
Adulterium ſpirituale 101
Adulteri mortis ſupplicio affecti 174.b
Aduerſa ſanctis prodeſſe 227.b
Aedificia luxurioſa 43.b. inſana & Tumptuoſa, & qualia eſſe debeãt 139 b
Aedificiorum luxus 140
Aegyptus pinguis bucula 251.b. officina luxus & Idololatriæ 240
Aegypti fatum 243
Aegyptiorum mos in ſepeliendis hominibus 61.b
Aethiops liberat Ieremiã 223.224. exemplum fidei 231.b
Aethiopem lauare 100 b
Affectus humani 110.b
Affectibus qui indulget verbo Dei non credit 227
Afflicti vt ſe gerant in tribulationibus 81
Afflictorũ cauſæ ſerio agendæ 224
Afflictiones præcedere liberationem 177.b
in Afflictionibus quid agendũ 183.b
Agnoſcere in bonum quid 153.b
Ahikam liberat Ieremiam 166
Amatores in ſcriptura qui 178.b
Amanuenſium vſus 209.b
Ambulare in cõſilijs ſuis quid 57.b
Ammon vel No, quæ & Alexandria 252.b
Ammonitæ qui 258
Amygdalinus baculus 6 b
Ananiæ mors 171.b
Anathoth oppidum 1.b.191.b
Anachoretę quare ſe in ſolitudines receperint 68.b
in Anguſtijs quid faciendum 102.b
Animus hilaris 182 b
Animum attollere quid 218
Annulorum vſus 142
Annus viſitationis 147
Antichriſtus librorum ſacrorum incendiarius 213
Antiochia quæ & Hemath 263
Antiochus Epiphanes 213
Antiſtites corruptores religionis 45.b
Apoſtata quis dicatur 86
Apoſtaſia aperta Iudæorum 128. 245
Aquarum natura 40
Aræ teſtimonium idololatriæ 116.b
Ararat qui & Armenij 274.b
Arrius Alexandrinus 162.b
Armamentaria Dei 269.b
Aſyrij & Babylonij gẽs robuſta 38
Aſini ſepultura 141
Aſtrologia prohibita 76.b 77
Aſtrorum cultus 62.b
Athanaſij & Antonij de reliquijs ſanctorum iudicium 61.b
Auarus vt anceps 41.b
Auaritia 45. b. ſuperat crudelitatẽ 237. b
Aulici multi non mali 211.b
in Aulis impiorum principum, ſunt etiam pij aulici 223
Aureorum poculorum in cœna Domini abuſus 168

B.

BAal 11. b. 60. nomen commune falſorum deorum 194. b
Babylon vrbs quæ 265. b
Babylon ex ruinis Aſyriacis 265.b. typus mundi & regni Antichriſti vrbiſq; Romæ ibid. terra Merathaim 269. malleus orbis ibid. malleus Dei 274.b. amœnum pratum 272. refertum horreum ibidem. qua ratione calix in manu Domini dicatur 273. area in qua trituratur 275.b. mare bonorum 276
Babylonis excidium ſpectaculum omnibus contemplandum 267.b interitus cauſa 270
Babyloniorum excidium prædictũ 265. Dij qui 265.b
Babylonij quales 48. gens atrox ibidem b. ſimiles flumini 253. iræ Dei exequutores 94
Babylonici belli deſcriptio 29.b. initia ex venatione 269.b
Baculus quid ſignificet 6.b
Baruch Ierem. miniſter 208
Baruch infirmitas 248
Baruch obedientia 210. exemplum conſtantiæ 211
Beelphegor 68.b
Beli cultus deſtructus 276.b
Belli Babylonici typus 31.b
Belli horrendi deſcriptio 38.b
Beneficia Dei ſpontanea 197
Bibere ex eodem poculo quid 15
Bonum per ſe malum fit aliquando vitio hominum 239
Bona opera non eripiunt ex calamitatibus 103.b
Bonitatis diuinæ cõmendatio 301.b
Bonifacius octauus papa 154.b
Borith 17
Brachium quid 117.b
Brachium extentum quid 193
Bullingerus 44. annos docuit 191.b

C.

CAeſarum concilia ad quid inſtituta 162.b
Calamitas vnde 27.b
Calamitatis tempore quo curratur 86.b. ad illicita plerunque 87. deſcriptio 253.b
Calamitates cur Deus immittat 15
Calamitatum veriſsima origo 22.b iuſtiſſima cauſa 297.b
in Calamitatibus quid faciendum 290
de Calamitatibus vt iudicetur 16.b
Canoniſatio 62
Captiuitas miſera 62 b
Captiuorum Iudæorũ cenſus 284
Caput ſi inficiatur totum corpus infici 147.b
Caphtorim qui 253 b
Cappadoces vbi habitent 253.b
Carmen lugubre prophetæ 73.b
Carmen fieri quid 300.b
Carmina ſacra non conſtare ratione ſyllabarum 287
Carminum vſus 287
Carnis ingenium 240.b
Caro metuit & fugit pericula 4.b
Cauſa interitus regnorum 71
Cauſæ quæ impediunt ſalutarem verbi Dei effectum 211.b
Cauſæ interitus Babylonis 275.b
de Captiuitate Babylonica & redemptione totus liber ſingulis fere folijs tractat.
Cedareni qui 263 b
Certamẽ propter religionem 175. piorum & impiorum ſuper verbo Dei 214
Chanaan terra quid adũbrarit 207
Chamos Deus Moabitarum 254.b
Chonenias 142
Chria mixta 5.b
Chriſtus creditus Ieremias 1.b. eſt magiſter & vir eccleſiæ 25. vocat ex omni hominum genere ibid. dat paſtores ibid. b. eſt arca ibid.

verus Deus 117.b.an sit post clarificationem creatura 118.propitiatio nostra 126.nullis magis exosus quam sacerdotibus 130. omnium cõsolatio 144.verus homo,semẽ & filius Dauidis 144.b rex 145.iustificat nos 145. b. verus & substantialis Deus 145. mundat ab omni peccato 199. facit suos fideles reges & sacerdotes 200.b
Christi descriptio 144.b. 180.nomen quod 145.veri Dei & hominis promissio 177.b. per Christũ veteres etiam esse seruatos 186
Christiani Dei populus 196.b
Christianorum officium 182.b
Christianis licet se aduersus calumniatores defendere 163
Ciconiæ natura 63
Cinæi qui & Rechabitæ 205
Cingulum quid significet 97
Circuncisi in præputio qui 75.b
Circuncisio quid 44. b. quibus nõ prosit 75.b
Citthijm qui 12.b
Clamare in aures quid 9.b
Claustrum à claudendo, vel claudicando 68.b
Clementia Dei prætextus impœnitentiæ 34
Clementię exemplũ Babylonij principes 231.b
Clypeus cordis quid 305.b
Cœlum Dei solium 119.b
Cœlum Dei habitaculum 159.b
Cœli altitudinem metiri impossibile 189.b
Collatio fontis & putei 13.b
Compendium legis 84.b
Commodum priuatum non quærendum 248.b
Concio militaris & vere Theologica 232.b
Conciones vt peruertantur 222
Concionum sacrarũ finis 209.210.b
propheticarum finis 161
Concionatores vnde habeant cœlestia & futura 148.b
Concionatorum sors 132.b
Concionatorum papisticorum materia quæ 11.b
Concionandum quo modo 163.b
Conciliorum capita primaria 51
Concordia quantum bonum 69
Condolendum proximis 172.b
Confessio peccatorum 193.b
Confiteri est Dei donum 184.b
Coniuratio quando fiat 86
de Coniugio 112.b
Coniunctio Dei & hominum quibus rebus adumbrata sit 97
Conscientia mille testes 116.b
Conscientiæ vis 116.b
Consilia sanguinaria in prædicatores Euangelij 124.b
Constitutiones venditare loco verbi Dei 170
Constantinus Cæsar cur Nicænam conuocarit synodum 162.b
Consolationes ex Deo esse 177
Contra insanas nostri sæculi vrbiũ munitiones 137
Consummationem facere quid 178
Contractuum ratio 192
Conuersio vera quæ 184.b
Conuiuium Balthazaris luxuriosum 276
in Conuiuijs multi cæsi 237
Copiæ gentium quæ 26.b
Cor pro toto homine 119
Cor vnum & via vna 196.b
Correctione Domini non emendari 175
Corycæi non metuendi 211.b
Corruptio hominis misera 239
Corda hominum in manu Dei esse 240 b
Credendum non facile 253.b
Cultum Dei diuis qui impendant 8
in Cultu Dei dupliciter peccari 59
Currere quid sit 149
Cyrum siccauisse Euphratem 271

D.

DAmascus vrbs 263
Damasci peccatum & excidium 263
Dan ciuitas 65. b
Defectio Christianorum 15.b
Defectionis crimen quale 36
Deficere à Deo 10
Defunctorũ animabus nõ prosunt naniæ 73
Deserere Dominũ qui dicantur 8
Deserere Dominum Deum 114
Despectus Dei initium stultitiæ 15
Demetrius argentarius Ephesius 130.b
DEVS dat ministros,principes & magistratus,&c.4. immutabilis 12.b.par pari rependit 72.b. non est solitudo,sed paradisus 20.animæ fidelis clenodiũ 20. quos in primis vocet 27. b. qua ratione homines decipiat 31. iusto iudicio dat seductores ibidem. punit pueros & senes 45. an propter paucos bonos parcat 34. nil dissimulat 36. vult omnibus & semper annunciari verbum suum 39. nõ omnia facit quæ potest 49.b. vt cum hominibus agat ibidem. cur noluerit audire Ieremiam 55. semper reuocat peccatores 58. verus & religio vera libere confitenda 79. b. ex operibus cognoscitur ibid. cur populum suũ puniat 82.108.vt causa potissima operatur res hominum 82.b. vult prædicari legem suam 84.b.reuelat vtilia 89.mala nostra declinat ibid.cur impijs benefaciat, pios affligat 91.92.93.etiam punit per sequutores sanctorum 94.b.non semper iurgatur,sed redit in gratiam cum afflictis 95. tempestatũ author 102.non punit peccata parentum in liberis 107.b.suos seruat,dum hostes suos perdit 110. summum bonum 117.libera potestate quod vult agit 122.b.æquissime sua potestate erga homines vtitur 123. an subiectus sit affectibus 123.num mutabilis vel immutabilis 123.fõs aquę viuę 124. non fallit suo verbo 148 b.etiam Gentium Deus 157. par pari rependit 157. nulli peccanti parcit 157.b.cũ suos puniat,multò magis hostes suos punit 158. b. omnia videt 184. instar leonis rugientis 159.dat regna cui vult 167. exaudit inuocantes ipsum in veritate 173.hostes populi sui punit & suorum curat morbos,litteratque 179.perdit &seruat 182.b.clementer recipit pœnitentes 185. est omnipotens, bonus , misericors,iustus,magnus, sapiens,omniscius,vltor mali,potens operibus 193. mundat ab omni iniquitate 198 b.suos defendit mirabiliter 212. habet varias asserendi rationes 230. b. non semper respondet ilico ad nostra postulata 240. superat nullo negotio 243. b.memor est eorum quæ dissimulare videtur 246. punit sed mitius, & concedit pœnitendi spatium 251. punit fideles & infideles,sed diuersa ratione 252.b.non habet parem 262.asylum iustitię 266.b. iustus iudex 270.b. agit causam sui populi 271. iuste perdit infantes in excidijs gentium 296. vt occludat aures ad preces 300.semper misericors & bonus 301.inspicit iudicia 305.audit hostium conuicia ibidem.
DEI amor causa eius fœderis 10. expostulatio cũ incredulis ibid. vocem non audire quid sit 71.b. cognitio fides est 74.b.vera quę ibid. sedulitas 32. b. bonitas 47. fœdus cum hominibus 187. b. in potestate omnia 122. b. descriptio ex operibus 79. b. maiestas 79.189.misericordia immẽsa 189. b.descriptio & laus 192.b.longanimitas mira 222.b.cura erga homines 238.
DEO omnia sunt præsentia 3.iusto fidendum 90. dãdam gloriam 98 b.quæ tribuantur 115
DEVM respicere fidem 34.b. mala inducere super homines 38. bonos & malos affligere, & quomodo 83. iure perdere quos perdit 88. hominibus cedere est iniquũ 111.b. curare res hominũ 149.b. dare intellectum 153.b.non minari vt perdat sed vt reuocet 163 b. homines diligere perpetuo 181. corrigere iudicia populi sui 186. b.deserere ecclesiam impossibile 189.nõ negligere suos 227.230.b. b. nullis parcere peccatoribus 261.b. omnia diruere 293.b
Dij falsi qui 79.b
Dij alieni qui 195
Diuos colere cum Deo 13.b.17

Deploratorum voces 123.b
De vera piorum & impiorum felicitate & infelicitate 310 b
De vera felicitate & summo bono 117
Dialogismus quid 66.b
Diducere os quid 304
Diocletianus libros sacros comburit 213
Discedendo ab impijs nō peccatur 218.b
Discursus ad creaturas prohibetur 103
Diuitiæ non sunt peccatum 41. iniustę ibid. incertę 119.b. noxię 81
Diuitiarum abusus 41.b
Doctores falsi authores sunt interitus 171.b
Doctorum officium 143.b
Doctoribus corruptis nihil pejus 146
Doctrina vana, insulsa, non arguens scelera, & expellens in exitiū 297
Doctrina Ieremię Dei est verbū 9.b
Dolendum propter peccata eaque confitenda 184
Dolentes vt se habeant 32
Dominus exercituum 51.b
Dominus est Deus vniuersæ carnis 194
Domini gladius absumit omnia 94
Dómino fidere bonum 119
Donorum Dei abusus 36 b
Dorsum obuertere 124.b

E.

EBrietas duplex 98
Ebrietatis vitium 256.b
Ecclesia 199.b. 190. vnde nata 1. est plaustrum & lapis oneris 274.b. quæ maximè colat 186.b
Ecclesiæ varia nomina 49.b
Effunde furorem tuum super gentes, quomodo intelligatur 83.b
Effundere cor & animam 298
Ejcere à facie 107
Elamitæ qui & Persæ 264
Electitij cultus sunt cadauera 114.b
Emendatio vitæ salus vnica 51.b. 52
Emim quid significet 271.b
Episcopi vt medicari velint plagis desperatis 46
Epistola Ieremiæ ad captiuos 172
Ephraimitæ populus Israelis 183.b
Euangelium quid 199. b. scriptum 209. prædicatur Iudæis 252.b
Euāgelij prędicatio prohibita 90.b
Eutyches Hæreticus 118
Exemplo Ieremiæ non obmurmurandum Domino 132
Exēpla scripturis sint suffulta 170
Exempla patrū quantū valeant 128 non semper imitanda 203
Exemplorum vsus 164.b
Exemplis scripturarum non abutendum 175.b
Exemplis quorundam sanctorum non abutendum 91.b
Exercitus Pharaonis 250. cœli 55
Exitij causæ electitij cultus 114
Ex idololatria nulla felicitas 246
Explicatione opus est Euangelij 295.b
Expostulatio Ieremiæ cum Deo 92
Extra Christum non est salus 177

F.

FAcultatum fiducia inanis 70.b
Fames Saguntina Hierosolymis 220.b
Fames verbi Dei 295.b. dira 307.b. inaudita Hierosolymis 299
Fiducia vera quæ 52. in templum inanis 53
Fides orantibus necessaria 102.b. virtus veræ pœnitentiæ 27 fons omnium virtutum 223.b.
Fidelis vbi possit pœnitere 27
Fidelium fors 162. securitas 196
Fidentes Deo felices 119.b
Fidei veræ descriptio 302
Fiducia in homines 117. b. in opes vana 259.b. in auxilium peregrinum 309
Fideles felices sunt & beati 118.b
Fieri in caput quid sit 288.b
Figuli paradigma 122.b
Finis rebus imminet omnibus 309
Flagellum Dei gladius, fames, & pestis 104
Fodere cisternas 13
Fœdus vetus 187.b
Fœdus nouum 187.b
Fœderis veteris abrogatio 187.b
Fœderis noui præstātiora esse quā veteris 188 b
de Fœdere 187
Fœdera cum hominibus non seruare 217.b
Fœderibus non confidendum 21
Fœlicitatis abusum quid sequatur 43
Fontem aquarum viuentium deserere quid 13. quanta insania 13 b
Forma candidior niue 307.b
Fornicationis fœditas 36.b
Fornax ferrea quid 84.b
Fortissima quæq; à Deo deijci 81.b
Fossa Asæ sepulchrum posterorum 237.b
Frons meretricis 22.b. 46
Fugere ex Babylone quid sit 272.b
Fugiendum ex Babylone 267
Fugæ trepidæ pictura 33

G.

GAlaad quid protulerit 67.b
Gaudia permissa si modus tenea tur 113.b honesta licita 181
Gentiū puniēdarū catalogus 157.b
Gentes iudicaturas fideles 279.b. quomodo sine Deo 249.b
Gentiles sacrificarunt victimas humanas 60
Georgius Buchananus de idolis 78.b
Gilead 139
Gladius Dei vindicta Dei 271
Godolias populo Dei præficitur 234. trucidatur 237
Godoliæ laus eximia 234.b. oratio ad fugitiuos recollectos ibidem
de Gratia & clementia Dei 95
Gratia Dei exuberans 26.b

H.

HAzor 263.b. cubile draconū 264
Hęreditas Dei regnū cœleste 26
Hæreticorum nominibus minimè parcendum 174
Heluetia rudera multa habet arcium 266
Herodotus de Babylone 278.b
Herodoti testimonium de capta Babylone 275
Hesbon quæ ciuitas 254.b
Hieronymus de Babylone 278.b
Hierusalem olla ebulliens 8. est solium Dei 25.b. obsessa 191. irritamentum furoris Dei 195. similis aui versicolori 93.b. scabellum pedum Dei 293. b. præstantissima vrbium 288
Hierosolymā penitus delēdā 194.b
Hierosolymæ iniquitas quo nomine maior Sodomitarum 307. excidium 228. 230
Historia temporum Ieremiæ 2
Historia Ieremiæ in Christo desinit 284. b
Historiæ quid sint 116.b
in Historijs quid spectandum 43
Hominē semper sibi ipsi placere 91
Homines non posse Deos sibi facere 115.b. nil posse, Deū vero omnia 295
Honorij Cęsaris sepulchrū quale 62
Hospitalitas 236.b
Hostes propherarum qui 8.b. infensissimi ministrorum qui 130. Dei redarguendi 136.b
Hostiles exercitus quis immittat 7. b. in quem finē immittātur 7.b
Humanæ victimæ 60
Humilitas 97
Hydriæ Chria 127. 129
Hypocrisis 53
Hypocrisis Iudæorum 241.b

I.

ICon regionis vastatę bello 32.b. 33
Idololatria adulterium 141.b aperta & impudens 18. per quos restitura 77.b
Idololatriā esse abominationē 59.b
Idola nulla in Iudæa post captiuitatem 77.b. risu digna 80. Christianorum quę & gentium 78. facientes & colentes esse stultos 79. non esse signa Dei ibid. non esse libros Laicorum ibidem. mendacium & vanitas 116. indignissimè ferre Deum 155. b. Dij gentium 243.b. terrores 271.b
Idolorum definitio 8. & Idololatrię origo 77. b. vanitas 80.
Idololatræ inexcusabiles 55
Iudæi & in Aegypto 244.b

Idololatrarum prætextus 55. b. pœna 257.b
Idololatras nihil liberare à malis impendentibus 194.b.perituros 129.b
Idumæi qui 260. sapientes 260.b. excindendi 260.261
Ieremias sacerdos 1.b. vocatus vt se gesserit 4.b.quot annis prædicarit 2.b. exemplũ patientię 2.b. confirmatur 5.ad quos sit missus 6. qualis legatus ibid. munitus probator 49.b. typus boni pastoris 66.b. consolatur in impatientia 109.b. confertur aurifabro 111. vocatus obiuit munus propheticum 120. b.deijcitur in carcerem 130.b. quomodo se gesserit 131. quid passus propter verbum Domini 132.b. in periculis consulitur 135. quid obsessis suaserit 136. quid aulicis suaserit 136. b. vt affectus fuerit in pseudoprophetas 146. captus 160.b. se defendit 163. vinctus & quare 191. quorum facinorum accusatus 162.b. emit agellum 191.b.& cur 193.b.194.197. iubetur conscribere suos sermones 208. detrusus in carcerem deterrimum 220. b. à principibus Zedechiæ 221 222.an recte suaserit deditionem 221. b. accusatur proditionis & defectionis 221. b. liberatur ex cœno 224.b.catenatus ducitur 232.in Aegyptum abductus 242.b. lapidatur 247.b. scripto mandat suam doctrinam 279.
Ieremiæ prophetia quibus temporibus maximè conueniat 1. nomen quid significet 1.b. tempus 2. genus nobile, ibidem, patria ibidem. authoritas ibid. mors 2. b. sermonum diuersitas 2.b. vocatio 3. missionis finis 6. quatenus prohibitum orare pro populo 54. b. expostulatio cum rege Ioachim 100. grauis querimonia contra Deum 110.consolatio 112 vexatur coniugium 112.b.summa indignatio 133.b.134. responsio ad Pashurem 135.b. sedulitas in concionando 155. sermones, Dei sermones sunt 209.libri partitio 209.oratio vltima ardens 244
Ierias præfectus custodum typus calumniatorum & persequutorũ piorum 219
Iericho vrbs palmarum 206
Iechoniæ captiuitas 142.143 capti historia 153. restitutio per Euilmerodach 284
Iecur sanguinem concoquit 296
de Ieiunio 210
Iesus rex & sacerdos 200
Ignis diuinæ vindictæ consumit impios 258
Ignis supplicium 174.b
Ignorationem minimè excusare 35
Impio quod metuit euenit 226
Impij in hac vita felices 91. b. audiunt sed non credunt 161.b
Impiorum prosperitas 42. insidiæ 89. felicitas similis arbori virenti 91. b. conatus non succedere 216
Impijs in malitia non gloriandum 159
Impios certò perituros 93.b. propter bonos non liberari 87.b. perire corpore & anima 276.b.potentissima non iuuare 273.b
Impietatis exempla 312
Immisericors indignus misericordia est 108
Impœnitentia 23.causa perditionis Israelitarum 97
Impœnitentes non sentire pœnam imminentem 34.b. non protinus deserendi 68
Imprecari proximo non licet 74
Incantatio 65.b.66
Incantatores tollendi ex ecclesia 66.aliquid posse
Incarnationis Christi modus 145
Incẽdiarij sacrorum librorum qui 213
Incendiarios sacrorum librorum iudicium quale maneat 215
Incredulitas Iudęorum temporibus Christi prædicta à Ieremia 58.b
Incredulos quid maneat 180. condemnari 96
Incredulorum miseria 225
Inclinare aurem 57.b
Indolentia Stoicorum 81.b
Infelicitas summa quæ sit 117.b
Infirmitatis habet rationem Deus 197.b
Ingenij humani malitia 202.b
In insidijs quid faciendum 125
Iniqua non petenda 251
Iniuria alienum occupare agrũ 259
Intercessio sanctorum inutilis 54
Intercessione diuorum opus non esse 107
Interitus regnorum causæ 217
In peccatis non desperandum 185
In sinum rependere quid sit 193
Inuocantes quando Deus non audiat 19
Ioachim captiuus abductus 141.rex mollis libros sacros comburit 213
Ioachimi fastus in ædificando 140 regis pœna qualis 215.b
Ioannam pugnat cum Ismaele 238
Ioannis Careæ peccatum maximũ 238.b
Iob exemplum patientiæ 82.b
Ionadab filius Rechab 205. eius religio 205.b
Ionathan scriba homo truculentus 219.b
Iosias occisus à Nechaone 14.b
Ira Dei incendium inextinguibile 29.b.iustissima 159.b
Irritare Deum quid sit 67
Irrisores verbi Dei puniendos 151. b. 152
Israel iustior Iuda 24
Israelitæ captiui erudiuntur 76
Israelijs quæ mala euenerint 14.b
Ismael contra Godoliam 235.b.insignis nebulo 236.b
Iudæi serui emptitij, non filij familiâs 14.b. qualiter puniendi 4.86. quomodo Deo sacrificarint 59. b.
semper idololatrę 195.ad iurandum propensi 239b.
Iudæorum vicini qui 94. b. pœna 117.victoriæ gentibus pauor 308
Iudæos liberandos ex captiuitate 266.
Iudicium Dei contra pseudoprophetas,& eos qui per illos se ducuntur 104.b
Iudicium hominum peruersum 154
Iudicia Dei loqui quid sit 7.b curiosè non indaganda 92.b. publica de religione qualia 162.164
Iudicare quid sit 137
Iudicandum cum ratione 164.b
Iugum portare 302
Iuramentum Dei 274
Iuramentum 28.b. quid comprehendat 95.b.96
Iuramenti formula 225.b
Iuramenta præstantium ritus 204
Iurandum per nomen Dei, non sanctorum 96.quando 225.b
Iurare in non Deo 36
Ius nemini negandum 229

K.

Kedareni qui populi 12.b

L.

Labor commendatur 172 b
Lagenæ confertur homo 98
Lamentatrices mulieres 73.b
Lamentatio Latinis quid 287
Lauateri Cof. Tigurini, laus & obitus 4
Leo quid significet 35.b.93.b
Leones quid significent 30
Lex de manumittẽdis seruis 202.b
Legis doctores qui 11
Leges iugum & vincula 35.b
Leges gentium quæ sint 77
Leuare ad Deum manus 298.b
Liberatio ex Aegypto 181.filiorum Dei 268.b
Liberationis typus 181.b
Liberare afflictos laude dignũ 238
Libri qui sint verbum Dei 1. qui comburendi 213.b
Libros legendos non includendos 209.b
Libido inuehitur & cibis 306.b
Lingua sagitta acuta 70
Lingua percutere pro deferre 125
Lignum & lapides tantum habere formam natiuam 79
Litaniæ & supplicationes 102.b
Loca sacra non seruare impios 53.b
Luctus Iudaicus 113. propter mortuos sit moderatus 139. b. funestissimi imago 99
Lugendi ritus 73
Lugentium habitus quis 237
Lugentium ritus in Iudæa 113
Lupanar 36.b
Lupus quid significet 36.b

Luxuria in penuriam Iudæis versa 288

M.

Magistratus vitia 41.b. officium ibid.138.b.143.b.203.b. honorandus est 223.b
Magistratui obediendum 166.b.167 rebellantium pœna 167
Malum quo bono rependere 125.b. quid comprehendat 128. exemplo carens 296.b
Malorum nullus finis 32. causa 38.b 39.43.b 100.b.141.b. causa in sacerdotibus 308
Malis cur benè ac prosperè res procedant, pijs verò contra 156.b vindicta non deest 218
Magnates etiam puniendos 160
Malefici qui 167 b
Malchom deus Ammonitarum 259
Manassis flagitia quæ 107.b
Mariæ virgini in Arabia olim sacrificabatur 55.b
Mathesis & Mathematici 189.b
Mathematici qui sint 167.b
Matrimonium non polluere 21.b
Mediolanensis agri plures noui inhabitatores 259
Mens hominis citò obliuiscitur calamitatum 236.b
Mentiri non licere 227
Mercatores & ociosi multi in Aegypto 251
Mercenario negare mercedem 140
Messis à quo 40.b
Micheæ in dicendo fides atq; libertas 164.b
Ministri quæ doceant 4. b. ne metuant 5. ritè vocentur 3.b. à Deo dantur ibid. turgidi & superbi 111.b. in suo munere strenuè pergant 58.b. & proceres vt esse debeant 239 b. medici 198.b
Ministrorum officium 6.b.50. pericula 9. fors 198 functio difficillima 136.b
Ministris non tacendum 245.b
Ministerium ecclesiæ à Domino 5 b
Minium pro quouis colore 140
Miracula quæ homines suspiciant 10.b
Misericordia Dei in æternum 181 ineffabilis 22. insignis 242.b
Missionis veræ notæ 149
Mizpa 234
Moabitæ qui 254. puniendi 254.b
Moabitarum peccatum 255.b.257. interitus 256
Moabiticus fastus 257
Moloch 60
Monachi quare ingrediantur monasteria 68.b
Monachorum somnia & visiones 150
Monachos nihil iuuat exemplum Rechabitarum 306
Monasteriorum vsus 60.b
Monitores fidos audire nemo vult 88.b
Mori in pace quid 202
Moses & Samuel intercessores pro populo 106.b

Mulieres vehementes in defendenda superstitione 245
Multitudo per se nihil probat 239
Munera duplicis generis 233
Murmurare contra Deum 67

N.

Nabuchodonosor ventus adurens 31. tempestas grauis ibid. omniũ maximus princeps 158. Leo 160. b. aquila 258. obsedit Ierosolymã 134 Dei seruus 243.155
Nabuchodonosoris clementia mira 216.b
Nabusardan colloquium cum Ieremia 232.b
Nechaonis & Nabuchodonosoris pugna 249.b
Negare Dominum quid 37
Neomeniarum festum 55.b
Neronis Cæsaris mors lætitiam ciuitati attulit 277.b.141
Nihil omnino credere perniciosum 236.
Nimroth fortis venator 269
Nobilitatis abusus 306
Nomadum opes 263.b
Non aspirandum ad ardua 248.b
Non iudicandum ex felicitate & infelicitate 173.b
Noph, quæ & Memphis 14.b
Noserim qui 31.b
Nulla bona externa nos tueri possunt à malo 142.b

O.

Obedientia requiritur ab omnibus 168.b. duplex 168
Oblationes quæ præstantissimæ 122. veræ fidelium 199.b
Obliuio Dei quę 124. beneficiorum Dei 10.b
Obsidio vrbis Hierosolymorũ 201
Obstinatio in malo 195.b
Oculos ponere in aliquem 136
Octauij Imperatoris dictum 236
Oeconomia præcipitur 235
Officium facientium minæ & promissiones 138.b
Officia omnia non promiscuè recipienda 236
Olla ebulliens quid significet 7.b.8
Olea cuius rei typus 88
Onus Domini 151.152
Opera non mereri gratiam 20.b
Orandum pro errantibus 54.b
Orantes humilient se & confiteantur peccata 106
Orantes sensu tangi oportet malorum 298.b
Orando ad Deum solum respiciendum 192.b
Orandum sine intermissione 304
Orandus Deus semper, quouis in loco, & pro omnibus rebus 198
Ordines in ecclesia 11
Ordo libri Ieremiæ qualis 248
Ornamenta templorum qualia requirat Dominus 169
Os Domini, &c. 148
Os non ponendum in cœlum 91.b
Othomannus Turca 154.b
Otium ad quid institutum 121
Oues & pascua Dei esse 143.b

P.

Palæstini qui 253
Paradigmata prophetica ad quid prosint 129
Parabola obsessæ ciuitatis Hierusalem 43
Pardus quid significet 35.b
Papæ in cõcilijs præsumptio 162.b
Papistica religio vt vocetur 115.b
Papistæ pluris faciunt Decreta quã scripturas 165
Papistarum clamores aduersus Euangelicos 163. ecclesiæ 190
Pastores qui 11.b.82.160.266.b
Pastorum officium 143.b. peccata & pœna 144
Pasquilli ex detortis confecti scripturis 152
Pashur quis 130 b
Patria ante omnia diligenda 235
Patres errantes non sequendos 115 b. 85
Paulus contra vim iniustam se tuetur 224
Pax Hebræis quid 198.b
Pax veritatis quæ sit 104
Pacis vocabulo vt Hebræi vtantur 46.
Pacificum Hebræis quid sit 160
Peccatum quantum mutare Deum verum 13. in Spiritum sanctũ 126
Peccata vt sint confitenda 25. causę interitus 32. vt agnoscant homines 34. in culpa esse si tellus non respondet laboribus 41. quæ sint grauissima 67. alia alijs graviora 37.b. causæ angustiarũ 102.113.b
de Peccato 179
Peccatorum expiatio falsa & vera 16 b. agnitio necessaria 16. præmiũ 47.b. remissio plenaria 88.b
Peccator sua culpa perit 14.b
Peccatores vult seruatos esse Deus non perditos 168. semper se excusant 19.b
Peccandi authores qui sint populo 104
Peregrinationes susceptæ religionis ergò 18.17
Perdicis natura 119.b
Perfidorum pœna 204.b
Permutatio quando fiat 12.b
Periclitantes quid à Deo petãt 135
Persecutio ecclesiæ 276.48.b
Persecutores ecclesiæ semper fuisse puniros 95
Persecutorum diligentia 165.b veritatis speculum 219
Persequutionibus non potest extirpari ecclesia 189
Persæ prædones & sagittarij 264 Euangelij luce illustrati 264.b
Persas perdendos 264.b
Peruertere verbũ Domini quid 152
Peruersitas mũdi in puniẽdo 219.b
Petrus Palladius 310
Pijs cooperari in bonum 218.b. licere se defendere contra conuitia hostium 219

Picturæ turpes 140
Picus contra Aſtrologos 77
Placendũ hominibus quatenus 112
Pluuia à Deo datur 40.b
Poculum in ſcripturis quid ſignificet 157
Pœnitentia vera quæ 22.b.23. 26.b in quibus conſiſtat 29.31. b. 49. 98.163.b.diſcenda ex prædicationibus 164.b. quæ ſit vera ibid.efficax 184. b. doctrinæ prophetarum ſumma, genus, argumentum & materia eſt 155.b
Pœnitentiam nõ procraſtinandam 99.qualem requirat Deus 111
in Pœnitentia quæ maximè requirantur 27.28
Pœna contemptoribus verbi Dei 124.b.126.impœnitentibus deſtinata 155.b
Ponere oculos ſuper aliquem 231
Populus Iuda cur virgo 105.b
Populus quibus delectetur 42
Populi interituri ſtatus 50
Portæ templi duodecim 51
Portæ loca iudiciorum 295
Portare onus in die ſabbati 121.b
Poſt vſum imaginum omnia mala inuecta eſſe 246.b
Poſt deos alienos non ambulandum 52.b
Potentia Dei mira 40
Potentes rari in ſacris cœtibus & cur 211
Practicas eſſe interdictas 77
Præuaricando præuaricari 37
Prędicatores quibus nominibus impetantur 119.b
Præuaricatorum deſcriptio 69
Precatio pœnitentis vera 23
Principes ſe inuicem propter Chriſtum nolùnt offendere 222
Principes Zedechiæ obtruncantur 229.b
Principum Babylonicorum nomina 228.b
Promiſſionum Dei confirmatio validiſſima 200
Prophanum quod ſit 181.b
Prophetare in Baal quid 11.b
Prophetia de Chriſto crucifigendo 89.b
Propheta os Domini 111.b. quale verbum annunciare debeat 240
Prophetæ vocabulum quale 146 officium duplex 6.medium 169.b
Prophetæ vt ſuſcipiantur 19.b
Prophetarum officium 11.b.49.b periculoſum 201. munus 42. falſorum peccatum 147
Prophetis non iraſcendum 165
Propheticæ doctrinæ ſumma 207
Prophetica functio difficilis 221.b
Promiſſiones Dei quid comprehendant 85
Prouidentia Dei mira 220.b.omnia gubernat 303.vniuerſalis & particũlaris 4.omnia tẽperat 165.b
Prouidentiæ argumenta 304.b
Pſeudodoctores cohercendi quomodo 130.b
Pſe. dodoctorũ deceptiones 150.b
Pſeudoprophetas non audiendos 147.b.149.173.168.& quare 148
Pſeudoprophetarum deſcriptio atque eorum doctrina 104.b. audacia 171
Pugna carnis & ſpiritus 132.133
Pugna ad Carchamis iuxta Euphratem 299.b
Pugnęin eccleſia de religione 169.b

Q.

Querelæ hominum quales 248
Quibus rebus non confidendũ 74 quibus fidendum ibid.b
Quibus rebus homines maximè fidant 51
Quid de Deo ſentiendum ſit 115
Quid impediat homines quo minus recipiant conſilia Dei 225.b
Quid ſit potiſſimum à Deo petendum 312
Quiſq; ſibi à proximo caueat 69.b
Quomodo gerendum erga hoſpites 172.b

R.

Racematio quid 44.b
Rebellio humana 15.b
Rebellio Iudæorum 242
Rebellium Deo & verbo eius ſupplicia 173.b
Recordari & obliuiſci Dei 311
Rechabitæ qui fuerint & eorum inſtituta 205. cur in vrbem migrarint 206.b
Recidiuum ſcelus graue 203.b.86
Recidiui pœna 86.b
Reformatio vera quæ 23.b
Reformationes præcedũt calamitatibus 1.b
Regina cœli quæ intelligatur 55
Reges Chriſti Dei 309.b
Reges & principes verbo Dei obiurgari debent 100
Regum ſtultitia 165. metus qualis 219.b
Regibus quare ſplendor conceſſus 140.b.etiam prædicandum 138.
Regna quando nõ ſint ſtabilia 203. habere terminos 259
Religio vnde dicatur 117.vera quæ ibid. & 205.b
Religionis commixtio quid afferat 20.in controuerſijs quid faciendum 170.b.præcipuum quod 121
Religionem inſtituere nemo hominum poteſt 205.b
Reliquiæ ſepeliendæ 62
Remiſſio peccatorum 268.b
à Renibus eſſe quid 92
Repudiata cur non recipiatur 21.b
Rerum viciſſitudo 233.217.b
Reſipiſcentia opus eſſe 111
Reſtitutio eſt ex gratia 24.b. vera per Chriſtum eſt 259.b. eccleſiæ 199. b.Iſraelis 24.b.144.
Reſtitutio ex captiuitate pluribus locis per totũ librum tractatur.
Reuerti ad Dominum quid 22
Reuerſio eſt gratiæ non meriti 28
Reuerſionis finis Deus 28
Roborare manus quid 147
Romani quare nũquam receperint Deũ & cultũ Dei Iſraelitici 12.b
Roma deprædata 267

S.

Sabbatum pro tota religione 121
Sabbati prophanatoribus quæ pœna immineat 122.
Sanctificatoribus quæ maneãt 121.b
Sacrarum literarum eloquentia 73
Sacerdos qualis plebi placeat 42.b
Sacerdotes hoſtes infenſiſſimi Euãgelij 130
Sacerdotum pœna 309
Sacerdotes ſemper contra pios 162
Sacrificandum quomodo 56.b
Sacrificandi mos in inſula Carolina 60.b
Sacrificium quod gratiſſimum Deo 179.b
Sacrificia inania eſſe 56
Sacrificijs inanibus fruſtra fiditur 47.b.87.b
Sæuitia in mortuos 165.b
Sägnen ein ſchwere ſünd 66
Sagittandi ars 264.b
Sanctificare quid 43.b
Sancti per quem cupiant exaudiri 106. quam grauiter afficiantur 132. vt lætentur in interitu impiorum 277.b
Sanctos etiam humanis affectibus obnoxios 109.b.non eſſe ſtipites & Stoicos 220.
Sanguinis effuſio crudelis 20.b
Sanguinem effundere innoxium 163.b.52.b
Sapientia omnibus rebus præſtat 260. b. abſque timore Dei nulla eſt ibidem
Sapientia vera quæ 32.39.b
Satisfactio vera 27.b
Scandala amantes ſcandala habebunt 47.b
Scelera omnium malorum cauſæ 8
Scenitæ qui 263.b
Schuermeri & arreptitij 175.b
Scribi in cœlo & in terra 120
Scriptura ſemper incolumis ſeruata 214.b.215.quid contineat 71.b ſequenda non patres 72. ſancta à quo profecta 208. b. an corrupta à Iudæis & hæreticis 215
Scripturæ veritas 169.b
Scripturas intelligendi regula 65.b
Scripturæ ſanctæ verbum Dei ſunt 208.b
Sepultura 61
Securitas huius ſeculi 30. impiorum 213.b
Secreta continere 227.b
Sellum peccatum 139.b
Semeias propheta falſus 175. eius peccatum 176.pœna 176.b
Senacherib Aſſyriorum rex 268.b
Sepulchrum Nitroclis effractũ 62
Sepultura caiere non ſignum iræ diuinæ eſſe 62
Sepulturæ abuſus 71.b
Sepelienda vt ſint corpora 61.b
Sepulchrorum violatio 62
Seſach Babylon 276.b

Sesach rex Babyloniæ 158. fortè fuit Baltazar 158.b
Siccitatis descriptio 102
Siclus quanti sit pretij 192
Signa cœli non timenda 76.b
Silo 161.b
Simonia quantum malum 3.b
Societates regũ nihil iuuare 103.b
Sodomæ peccatum 147
Somnia & visiones angelorũ 149.b
Sophonias quis 175.b
Spiritus consolatur in periculis 133
Sportæ ficuum ante templum 153.b
Stare vt accipiatur 234.b
Stare in consilio quid 149. ante Dominum quid 125.b
Sterilitas arui ex conscelerationc 146.b
Stoicorum sententia 132
Stipendium debitum hostibus Dei 128.b
Strabo quid de Babylone scripserit 278.b
Stultitia vera quæ 32
Stultus an stulti nomine appellandus 39.b
Superbia 270. 97. 98.b. non pellit hostem sed prouocat 33.b. causa rebellionis 242
Superbia & luxuria 142
Superbiæ hominum exitus 82.b
Superintendentes in ecclesijs 175.b
Suppliciorum genera quatuor Deũ habere 107.b
Symbolo roboratur Ieremias 5.b
Symbola non mutari in res 5.b

T.

Tangere quod & affligere 95
Taphnes, Thebæ sunt 14.b
Templum Domini prophanare 146 b. direptum 306. combustum 281. 231.b
Templi Domini historia 281. b. 282 283
Templa Christianorũ soli Christo consecrata 146.b. cui rei destinata 201
Templorum vsus 51.b
Tenebræ quid significent 99
Tertullianus de carne Christi 144.b
Terra fluens lacte & melle 85 quando lugeat 146.b
Testamenti noui ratio in quibus versetur 188
Thaunim quid 306.b
Theodoretus episcopus Persarum 265
Theologia de Physicis 80
Theologiæ vniuersæ origo 2
Thesauri Babylonis inæstimabiles 271
Threnorum scopus & vsus 287.b
Timor Dei pro religione 196.b
Timorem etiam in sortes cadere 231.b
Tondere caput mos lugentium 59
Tophet 60.127.b
Traditiones humanæ 206
Transire per portas 138
Tripudia impiorum in persecutionibus sanctorum 297.b
Turbæ in orbe graues 277
Typus aduentus equestris exercitus 65
Tyrannide homines opprimere 203
Tyrannici principis icon 140.b

V.

Vadianus de Damasco 262.b
Vanitates gentium quæ sint 106
Vallis filiorum Hinnom 60. occilionis 128.b
Varietas lectionis nihil detrahit scripturis 215
Vasa templi 168.b
Vaticinium de Christo 144.145 114.b.199 b.180.179.b
Vaticinia contra Aegyptum 249.b
Vbertas frugũ Dei benedictio 235
Velle nostrum est nullũ, nisi Deus concesserit 83
Venefici qui 167.b
Venire ad Deum quid 27.b
Verbum Dei quid 38. syncerè tenendum 150. ignis 150. b. quomodo audiendum 151.b.152. audiendum etiã inuitis 212 b. annunciandũ & scribendum 210. scriptum verum verbum Dei esse 190.b. ignis 50. mundo opprobrium 45. timorem incutit etiam tyrannis 8 b. sapientiã summã cõplectitur 64
Verbi Dei vis 211. b. contemptus 151.b. veritas 153.135. vis in homine 132.b
Verbo Dei credendum 3. nihil detrahendum 161. non parere quã exitiosum 142
Verba prophetarum Dei sunt verba 51.b
Veritas vt excipiatur à mundo 130. liberè confitenda 163
Versiones Bibliorum variæ 213
Veteres sæpe in relictos errores relapsos 86.b
Via quomodo vsurpetur 15. pro ratione viuendi 76.b. 91. b. antiqua quæ 46.b. 47. lubrica 146.b. pro verbo Dei 124
Victimas humanas 60. tuentur exemplo Abrahami & Iephrę ibid.
Viduas non calumniari 52
Viduas & pupillos Deo curæ esse 261
Vigilia vera Deo placens 298
Vindicta Dei in contumaces 37.b
Vinea Domini Ecclesia 16
Vinum furoris 157
Vini parabola frequens 157
Vinosis conuenit parabola à vinaria re petita 98
Vir bonus quis 34 b
Visitare vt vsurpetur 75
Visitand. vocabulum varium 191
Visio cordis humani quid 147.b
Vmbra mortis 11
Vocatio gentium 26.95.b.115
Voluntas Dei erga nos 49. b. est perpetua 12
Votum impium non præstandum 247.
Vota pro sacrificijs 247
Votarij & eorum voces 247
Vrbes munitissimæ coràm Deo nihil sunt 139
Vrias propheta eiusq; fuga & constantia 165 cur cędatur, Ieremias non item 165.b
Vulgus instabilis 164.b
Vulgi mores 211. leuitas 217.b

Z.

Zedechias rex capiendus 201.b moritur non inglorius 201.b. & cur 202. homo leuis & inconstans 224. fugit deseritq; populum & capitur 229. sistitur Babylonio 229.b. typus incredulorum 225
Zedechiæ ætas, & natales, peccata & perfidia 280. metus 222. colloquium cum Ieremia 225. prophetæ supplicium & peccatum 174
Zimram 158

FINIS.